Bibliotheca Universitaria
Copenhagen
Date 2
Number 19
Issued 1942



~~24.a.6~~

~~8~~

8

19 ote_3-5

1
16-100

2 400 Safta MADE IN SPAIN

LVITPRANDI

OPERA.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
ALESSANDRINA
ROMA

R. 4153



ANTVERPLÆ, EX OFFICINA PLANTINIANA BALTHASARIS MORETI, M.DC.XL.

Del Coll.º de la Comp.ª de Jhs de Granada B.B.ª

ILLVSTR^MVS ET EXCELL^MVS DOMINVS DON GASPAR DE GVSMAN, COMES-DVX DE OLIVARES, DVX DE SANLVCAR, MARCHIO DE HELICHE, EQVITII REGII SVMMVS PRÆFECTVS, PHILIPPO IV. HISPANIARVM REGI CATHOLICO A STATVS BELLIQ. CONSILIIS, ET IN SVPREMO INDIARVM SENATV MAGNVS CANCELLARIVS, ETC.

Qui COMITIS *ducitque* DVCIS *sub Imagine Vultus,*
Moli ornandæ ORBIS *dat* COMITEM *atq;* DVCEM.

Per. Paul. Rubenius pinxit.

Cor. Galleus sculpsit.

Del Coll.º de la Comp.ª de Jhs de Granada B.B.ª

ILLVST^MO ET EXCELL^MO DOMINO DON GASPARI DE GVZMAN COMITI DE OLIVARES DVCI DE SANLVCAR EQVITII REGII SVMMO PRÆFECTO PHILIPPO IV. HISPP. REGI CATHOLICO A STATVS BELLIQ. CONSILIIS ET IN SVPREMO INDIARVM SENATV MAGNO CANCELLARIO.

INTER varias res ad Bonum Publicum conducentes, eas meritò duco magnas, quæ ad Litterarum cognitionem ſpectant; ſed inter eas, maximas, quæ DIGNITATIS ECCLESIASTICÆ decus, RELIGIONISQVE tutamen adaugent, vel exornant. Vnde ſemper in animum induxi meum, ingentes deberi gratias iis, qui antiqua MONIMENTA ſitu obruta,

vel

vel tineis ferè depaſta, & obliuioni iam pænè tradita, elucidare, & luci dare conantur. Nam VERITATIS indagatores, in Voluminibus Eccleſiaſticis eruendis, quid aliud aſſequi intendunt, quàm, face quaſi accensâ, prælucere, tenebras offuſas pellere, & λαμπαδηφόρῳ, gloriâ ſolùm proficiendi contenti, PATRIAM illuſtrare, atque DIVORVM detegere & recolere memoriam? Hic mihi deſtinatus ſcopus, in quem, etſi occupationibus publicis mei Muneris diſtrictus, intendere & collimare operæ pretium cenſui; ſedulamque nauaui operam, vt LVITPRANDI *Chronicon*, bono omine inuentum, & Doctiſſimi *P. Hieronymi de la Higuera* Scholiis ornatum, eiuſdemque *Aduerſaria*, omnia verò Higueræ manu exarata, cunctis palàm facerem, quò poſſent vti fruique. Cur autem inuiderem ea quæ magni facio, & beneficio, ingenti quidem, mihi communicarunt è Societate IESV Viri eruditiſſimi? quibus ingratus eſſem, ni publicam hanc fidei teſſeram lubens rependerem. Notulas ego pauculas adieci, & ſymbolam, quamuis tenuem, ſtudioſis dedi, me propoſitorem, non expoſitorem præbens: nam ſi diffunderem, & Hiſtoriam cum Hiſtoriâ comparem, metas artis, & temporis anguſtias tranſgredi viderer. Hunc campum

Illis

Illis relinquo, quorum Imagines lambunt
Hedera ſequaces:

qui hinc, ſudore egregio atque indefeſſo, palmam expetunt; contentus LVITPRANDVM repræſentare, de HISPANIÆ rebus hominem, origine ſaltem HISPANVM, benè meritum. Semper mihi præclara fuit ſententia Lucilij:

Commoda præterea PATRIÆ *ſibi prima putare,*
Deinde PARENTVM, *tertia iam poſtremáq;* NOSTRA.

Primas namque partes (DIVINA excipio, quia Suprema) ſibi poſtulat TERRA, quæ genuit, quæ aluit, quæ educauit. Et primarum primas PRINCEPS, qui eam

LVSTRAT, ET FOVET:

ex Scito noſtri MAGNI PHILIPPI; cuius lateri in arcanis Imperij pertractandis ſtrenuus & fidiſſimus aſſiſtis, mutuato ab HISTORIA ſubinde auxilio. Cùm enim poſt ardua REGNI negotia, feſſum animum noctu oblectare vult, nuſquam digniùs poſſe, quàm in HISTORIÆ lectione putat, inſtar refectionis exiſtimans mutationem laboris. Tu itidem frequens in antiquis CHRONICIS & ſacris ANNALIBVS euoluendis; qui magnam Diuini cultus habes rationem,

——— dignoſcere cautus
Quid ſolidum crepet, & picta tectoria lingua.

Hanc

Hanc ob rem Tibi, RELIGIOSISSIME & EXCELLENTISSIME COMES, LVITPRANDI Scriptoris ECCLESIASTICI Opera, partim aliquot abhinc annis excusa, partim verò numquam antehac edita, præcipuè quæ ad tractum CARPETANVM spectant, vbi omnibus beneuolus affulges, deuotus offero. Auctor est non inter proletarios & imi subsellij locandus: disci ex eo quædam possunt, quæ frustrà in aliis vel diligentissimus quisque quærat. Rerum ab Europæ Principibus gestarum luculenter composuit libros. Legationes apud Imperatores scitè obiuit, & scripsit. Vitas Summorum Pontificum, quamuis strictim, & alij aliis tribuant, pulcherrimè delineauit. CHRONICON ab anno DCVI. vsque ad annum DCCCCLX. accuratè duxit. ADVERSARIA congessit; & digessit alia, quæ temporum iniuriâ deperdita, requiruntur, & inquiruntur cum desiderio summo. Tibi erunt gratum & vnicum DONVM, ILLVSTRISSIME ac EXCELLENTISSIME COMES; vti erunt & Præsulum EPISTOLÆ, à Tuo IVLIANO PETRI, Archipresbytero Sanctæ IVSTÆ, collectæ, & paucis quasi scintillulis Lectori ad aspiciendum splendere coactæ: quas ad calcem edendas curaui, vnà cum DIPTYCHO TOLETANO, siue de Tabulis Toletanis Episcoporum Primatum

matum eiusdem Sedis, à *P. Hieronymo de la Higuera* doctè elaborato. Voto (sic auguror) succedet euentus: nam de Te optimè dici potest, quod de ALFONSO Neapolitanorum REGE: [a] *Ille Athenæa in Regnis passim, ille Bibliothecas instituit, aut exornauit; nec gratius ei munus offerri poterat, quàm varior aut electior* LIBER: *quin ipsum* LIBRVM APERTVM *pro* INSIGNI *vsurpauit.*

[a] Lipsl. l. 1. Exempl. & Monit. Politic. c. 8. n. 15.

A ceteris innumeris Tuis laudibus parcus & prudens abstineo. Lucem luci quî addam? [b] *Superuacuis laborat impendiis, qui Solem certat facibus illustrare.* Satiùs cum Diuo Augustino [c] acclamandum reor: Non esse BEATAM VITAM, nisi perfectam COGNITIONEM DEI; hauriendam aliquâ ex parte (quantulum nostra fert imbecillitas) etiam è LIBRIS. Conueniunt Principibus Litteræ. & Liberalium tantùm studiorum liquore tincti, vt ait [d] Plutarchus (nedum Diuinorum cognitione imbuti) quanti & quales domi belliqúe fuêre! quàm Felices rebus gestis! Ex Museo nostro Madridiensi, pridie Idus Febr. anno M. DC. XXXIX.

[b] Ex Anacleto in cap. *Siomma.* 6. q. 1.

[c] In suo libro de Vitâ beatâ, & in lib. Retractat. c. 2.

[d] In Romulo.

TVÆ EXCELLENTIÆ

deuinctissimus

IVRE, MANCVPIO

Don Laurentius Ramirez de Prado.

EDITORIS OPERISQ. LAVS
AVCTORE
LVDOVICO TRIBALDO TOLETO
HISTORIOGRAPHO REGIO.

FELIX *qui potuit ſeriem cognoſcere rerum,*
Quas vetus aut noſtrum ſine crimine geſſerit ævum,
Quantúmve artifices ſcelerum, populiq́ profani
Patrauere nefas quandoque, anſamq́ dedêre
Aut imitandi aliis, aut facta nefanda cauendi.
His volupe eſt cupidas hominum diteſcere mentes,
Appoſitè vt referant opulentas diuitis ædes,
Quæ proferre queant quæ ſint noua, quæq́ vetuſta.
Nunc verò externas vrbes gentesq́ ſinamus
Inuentis gaudere ſuis: nos inclyta noſtris
Hiſpanis monumenta damus; quæ mobilis ætas
Pleraque adhuc voluit tetro in ſqualore iacere,
Nunc ope doctorum redeunt in luminis oras.
DEXTER *adeſt primus Scriptor, ſed* MAXIMVS *alter:*
Tertius hunc ſequitur LVITPRANDVS; *quartus habetur*
PETREIVS, *paucis alios qui contrahit omnes.*
His quondam placuit breuibus mandare libellis
Quæ mala Chriſticolis priſci inuexere Quirites,
Prædones infandi omnes, orbisq́ Tyranni.
His velut in ſpeculo præconia multa videntur
Mirifica, eximia, & noſtris ſolemnia Iberis,
Queis oculi doleant his qui liuore fatiſcunt.
Quorum nam tineas ſcripta euaſere, ſitumq́,
Aut cariem, blattasq́ truces, nunc noſtra peroſi
Dentibus arrodunt Opici propè ſingula mures.
Hi ſunt qui inuidiâ obliqui, faſtuq́ ſuperbi
Se ſapere aſſiduè ſolos, ſoloſq́ videre
Iactant, & ſtolidi doctis ſimul obſtrepere audent.
Sed fruſtrà nobis tendent vltoribus vltrà

Queis

Queis ſedet irato calamo nil linquere inultum.
Quid? leo propugnet catulos, pullos Iouis ales,
Arceat à laribus canis acer herilibus hoſtes,
Non herus infeſto defendat ab hoſte penates?
Num minor eſt virtus quàm quærere parta tueri?
Sed foria atque apinas iſtas plorare iubentes
Eſſe malos fruſtrà facilè hinc patiamur, ob id quòd
Moribus è prauis exiſtunt optima iura.
Nunc quò nos ducunt fuerunt quæ cœpta, ſequamur.
Ediderat primus Petreium nomine LAVRENS
PRATENSIS, *ſcriptis & laude inſignis equeſtri,*
Nimirum è celebri fruitur quâ Bibliothecâ:
(Huic quoniam plutei plures, foruliq́ librorum
Adſunt præ manibus cupido ceu lauta ſupellex;
Quotquot enim doctæ misêre volumina Athenæ,
Chalcographus cudit quot Gallus, quotq́ Britannus,
Quotq́ typi Veneti, quot dat Germania, vel quot
Docta & tuta piis Hiſpania iure propagat,
Et quot Plantini memoranda & Belgica prælа
Excuſere diu, vel quot nunc clara nepotum
Nomina perpetuum produnt manſura per ævum,
Scilicet omnigenûm quæuis momenta librorum
Quæ ſunt, quæ fuerunt, quæ mox ventura ferentur,
Ad ſe cuncta trahit LAVRENTIS *ſedula cura,*
Vt magnes ferrum trahit, ignem naphtha voracem.)
Hæc inter pridem Luitprandi ſcripta latebant,
Expoliit quæ docta manus Ficæa, deditq́
Hiſpanis populisq́ aliis ſine labe legenda.
Nouimus è ficis quædam medicamina morbum
Deterſiſſe malum, blandam membrisq́ ſalutem
Morboſis tribuiſſe olim: ſic nempe magiſter
Ficæus verus Podalirius, ipſe latentes
Depulit inualido Luitprandi è corpore morbos,
Abſterſit maculas omnes, pepulitq́ tenebras.
Eſſet at hæc noſtro ſine LAVRO *vana medela,*
Nondum erat has quoniam merces qui exponeret orbi,

 Fece-

Fecerat vt quondam populo Lycomedis Vlysses.
Hoc igitur præstat LAVRENS, *Ramiria proles,*
Luitprandi qui mittit opus profertq; sub auras:
Quod tanti ni tanta viri modò cura dedisset,
Hactenus vt latuit, cæcâ sub nocte lateret.
Olim si eximium facinus qui fecerat, idem
Per fora, per vicos celebres, latasq; plateas,
Præconis clamore aliis vulgare solebat
Altisonâ clangente tubâ: Rex Arsacidarum
Si Mardocheum simili cumulauit honore,
Romulidumq; pari steterat mercede triumphus;
Cur non magnificam rem tanto auctore patratam,
Quantus apud nostros LAVRENTIVS *extat Iberos,*
Me præcone diu celebrabit fama superstes?
Laudibus est LAVRENS *efferri ad sidera dignus,*
Qui modò Luitprandum luce hac impertit honorâ,
Dignum laude virum solidâ, doctumq;, piumq;,
Nostra celebrantem scriptis, & origine Iberum:
Cuius de variis sunt Aduersaria rebus,
Qui tot Pontificum Vitas, qui gesta futuris
Induperatorum dum traderet omnia votis,
Vt sua viuendo superarent fata petebat,
Ab anno DC.VI. ad DCCCC.LX. *Tempora temporibus reddens? hic optimus ille est,*
Quem Mystem sanctè coluit sublime Toletum,
Ticinum sacris operantem vidit, eidem
Præsulis & munus tribuit turrita Cremona.
Hunc Byzantinus Regnator nomine Phocas,
Mandata Austriaci referentem audiuit Othonis.
Si quis fato hominem functum reuocaret ab Orco,
Redderet optatæ cui rursus lumina vitæ,
Non meritò audiret subitò Æsculapia proles?
Non homine is maior, superûm non maxima cura?
Hanc modò Luitprandi scriptis LAVRENTIVS *vltrò*
Auxiliaris opem tulit, & rediuiua sub auras
Extulit, & longis spirare perennia saclis
Jussit, item laudi nobis sine fine futura.

Pro tantis igitur meritis LAVRENTIVS *an non*
Lemniscatus item meritò traduxerit auum?
Noluit hic sanè, quo pollet acumine mentis,
Sub modio accensam penitus latuisse lucernam.
Temporis hac igitur veteris monumenta dat vnus
Luitprandus noster magnâ cum laude triumuir,
Post Dextri & Socij fragmenta tenacia veri,
Tergeminum reddant nostris quæ rebus honorem,
Funestamq; viris tabem liuentibus addant:
Vtraque (iusta precor) nulla vmquam terminet ætas.

PRÆNOMINIS, NOMINIS ET COGNOMINIS EIVSDEM C. V. NOTATIONES VEL ETYMA ΕΠΑΙΝΕΤΩΣ INTERPRETATA EODEM LVD. TRIB. TOL. AVCTORE.

LAVRENTIVS.

NOMINA *sæpè suis adeò sunt consona rebus,*
Vt Dominum credas prodere velle suum.
Sic hominem rectè prisci dixere Quirites,
Nempe quòd ex ipsâ conditus esset humo.
Hoc etiam ostendit focus ipso ex nomine, semper
Quòd foueat tepidus proxima quæque sibi.
Dicitur, arcano quòd luceat igne, Pyropus
A flammâ dignum nomen habere suâ.
Et Nabal stolidus fuerit quòd scilicet olim,
Prodidit ingenij symbola certa sui.
Tu quoque quòd castâ sortiris ab arbore nomen,
Digna refers lauro plurima, LAVRE, *tuâ.*
Ipsa triumphalis, longæua atque enthea laurus
Audit, pacifera aut Indica, Apollinea,

Innuba, fatidica & viridans, Parnaſsis, opima,
Gratáq; cælicolis, gratáq; terrigenis.
Duxeris hinc quoties ſuperato ex hoſte triumphos,
Victrix præſtanti nomine laurus eris.
Quodq; eris annoſo ſemper laudandus in æuo,
Index longæui nominis arbor eris.
Cùm verax itidem ſolemnia verba loquêris,
Afflata æthereo numine laurus eris.
At tua quòd pacis mens ſit ſtudioſa togatæ,
Pacifera in primis tu quoque laurus eris.
Indis Apollineis quòd laurea nomina chartis,
Semper Apollineo nomine dignus eris.
Indicus Indorum propugnans iura Senator,
Cur non iure tuis Indica laurus eris?
Innuba adhuc laurus fuêris ſine coniuge cælebs,
Innuba perpetuò non tamen arbor eris.
Cùm reſponſa dabis fuerint quæ certa, coruſci
Extemplò Phœbi fatidica arbor eris.
Vnus qui vegeto ſolidoq; virore vireſcis,
Ipſa virens longo tempore laurus eris.
Tu quoque quem Muſæ oblectant Parnaſsides vltrò,
Parnaſsi è gemino culmine laurus eris.
Diuitiis pollens tanto cum nomine opimis,
Præmia perpetuò ſolus opima feres.
Sis etiam ingratus quòd nulli, & gratus vbique,
Omnibus vſque placens grataq; laurus eris.
Non igitur fruſtrà LAVRENTIVS *inde vocaris,*
O lauri dignum perpete fronde caput:
Lauro digna gerens etenim, laurumq; merendo,
Laurea laurifero vertice ſerta feres.

RAMIR.

FECVNDA *quiſquis decerpit ab arbore poma,*
Largiri cuiuis poſtmodò poma poteſt.
Gemmiferam Eoo qui ducit ab æquore nauim,
Commodiùs gemmas qui dare poſſit erit.

Acce-

Accepit quò plura Tagus ſic flumina diues,
Maior in Occiduum voluitur Oceanum.
Conſilium quiſquis captatq; capitq; frequenter,
Hic alijs etiam conſulere aptus erit:
Optimus iſte vir eſt toto laudandus in orbe,
Tantopere Aſcræus quem probat Heſiodus.
Hinc tu, qui è mutis hauris documenta magiſtris,
Indeq; conſilium nocte dieq; petis,
Nomen LAVRE *refers* RAMIRI *aptumq; bonumq;:*
Conſilium RAMIR *qui petit, vſque refert.*
Conſulere ergo RAEN: *perſonam* MI *notat ipſam:*
Hîc HIER *eſt:* RAMIR *contrahit Heſperius.*
RAMIR *quinque notis complectitur iſta Latinè:*
Hîc, tu quiſquis ades, da mihi conſilium.
Sic voluit quondam patrio ſermone diſertus
Quicumque Arctoo duxit ab orbe genus.
Sic modò conſultus tractas dum Iuris habenas,
Et tribuis dignis dum ſua iura viris;
Conſilio, fulcro ceu firmo, nixus, abundè
Nominis oſtendis vimq; decuſq; tui.

PRATENSIS.

QVID *melius Prato poſſit contingere amœno,*
Oſtentat Veris quod genialis opes?
Pulchrius haud illo rerum Natura creatrix
Nil dedit, hoc primam condecorauit humum.
Terra informis adhuc ſtabat, ſine germine, inanis,
Arida, bruta, iacens pondus, inérſque globus.
Illi Prata olim prima ornamenta dedêre,
Vir muliérque ſemel cùm genus omne fuit.
Tunc Pater omnipotens redolentem ſtruxerat hortum,
Quà Sol, quáque recèns Lucifer ortus erat.
Hunc priùs ipſe rudem pubentibus imbuit herbis,
Mox nemore eſt totus conſitus arboreo.
Atque vtinam poſtquam teneras conſeuerat herbas,
Nullus poma nouis inderet arboribus!

 Nam

Nam pomum letale nouum tunc perdidit Orbem,
Et periit qui non, heu! periturus erat.
Inde igitur Pratum croceum, ſibi vendicat omne
Lætum, vernicomans, irriguumq; ſolum.
Hoc dum ſe Maius, vel ſe dum iactat Aprilis,
Textilibus ſertis nectit vterque comas.
Iſthinc diuitias Tellus congeſſit opimas,
Quodq; decens vſquam fertilis annus habet.
Naribus id patulis iucundos ſpargit odores,
Lumina conſpicuo læta virore beat.
Hoc reparat corpus, redditq; laboribus aptum,
Reſtituitq; animum cùm fugitiuus abeſt.
Prata ſuper volucres Zephyrus citus explicat alas,
His ornat cultus florida Flora ſuos.
Floſculus hîc ridens, hîc mollia gramina vernant,
Hîc ſunt purpureis omnia plena roſis.
Hîc narciſſus hians, illic frondeſcit acanthus;
Hîc hyacinthus, ibi ſpirat odore thymum.
Illic nectareis onerant dum cruſcula prædis,
Floriferum parca ver populantur apes.
Gloria Pratorum toti eſt mirabilis orbi,
Pratorum radians fulgor vbique nitet.
Prata refert cælum, vel quod Matuta colorat,
Crinibus aut ſpargunt aſtra coruſca ſuis.
Et Prati inſtar habet, quà fulgurat aureus ignis,
Dum rubet, aut vario flamma colore micat.
Aëris eſt Pratum diſtincta coloribus Iris,
Et liquidas pingens nimbifer arcus aquas.
Inſula arenoſo quas ambit littore Nereus,
Quid, rogo, veliuoli ſunt niſi Prata maris?
Sed tamen herboſum pandis quà, Terra, theatrum,
Omnia ſunt Pratis inferiora tuis.
Sunt Prata Elyſijs ſolatia Manibus, vnde
Et morti & vitæ gaudia Prata ferunt.
Felix qui tanti rutilas cognominis heres
PRATENSIS, *ſtirpis floſq; decuſq; tuæ.*

Gemmea

Gemmea nempe refers & pinguia nomine Prata,
Lætaq; ſunt cultu nominis illa tui;
Tot quia virtutum præſtantum germina carpis,
Floribus illuſtras pectora purpureis.
In te fulget honos, animi te candor honeſtat,
Sic ſunt puniceis lilia mixta roſis.
Seſſitat in labris tibi cùm Suadela Venusq;,
Scilicet in Prato eſt Moly nitetq; tuo.
Singula quid memorem? quot ſunt per Prata colores,
Tot tu virtutum lumina ſolus habes.
Sed quia Pratorum ſpecies ſolet eſſe caduca,
Et tamen optato tempore certa redit;
Tu quoque, ſi quando marceſcere contigit, inde
Planta viret rurſus ceu rediuiua, nouam
Induis actutùm vitam, vegetumq; vigorem,
Luce redit ſplendens ceu meliore dies.

AD ILLVSTR. VIRVM
D. LAVRENTIVM RAMIRIVM
PRATENSEM
ORDINIS D. IACOBI EQVITEM,
in Ampliſſimo INDIARVM SENATV Conſiliarium, Regiumque Exlegatum, &c.

EPIGRAMMA.

LAVRVS *odoratas pandit ceu Delphica frondes,*
Aoniumq; ſacro luſtrat honore nemus;
Sic tua, LAVRENTI, *viridantibus edita* PRATIS
Conſpicuum Virtus fundit in orbe iubar:
In RAMOS *& ſparſa nouos, hæc germine lato*
Ingenij, Eoos ditat & Heſperios.

C. GEVARTIVS luſit.

AD ILLVST^MVM ET DOCT^MVM VIRVM
D. LAVRENTIVM RAMIRIVM DE PRADO
D. IACOBI STEMMATE CLARVM,
REGII INDIARVM SENATVS CONSILIARIVM,
REGIVMQ. EXLEGATVM,
AD LVITPRANDVM
PRÆCLARISSIMA SCRIBENTEM COMMENTARIA,
Vincentij Marinerij Valentini, Regij Bibliothecarij,
ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Εἵνεκα σοῖο νόου περιώσιον ἔλλαχες αὐτὸς
Τιμὴν, καὶ σοφίας κύδεα πάντα φέρεις.
Αὐτὸς δὲ κρατέεις, καὶ ἰθύνεις μὲν ἕκαστα,
Τοῦ Φοίβοιο, ἐὼν τῷ μάλα ἐγγὺς ἅμα.
Κτῆσιν ἐὴν, γλῶσσαν τε, καὶ οὔατα, καὶ νόον αὐτὸν,
Καὶ σθένος, ἠὲ σέλας χερσὶ σέθεν παρέδω.
Ἱσπανῶν δ' ἤρξας αἴρειν καὶ ἔργα γενέθλης,
Καὶ μεγάλης ψυχῆς πᾶν ἀνέδειξας ἄγος.
Τοῦ κόσμοιο μέγας σε δὲ καὶ κύδηνεν ὅμιλος,
Αὐτὸν μὲν, καὶ αὐτὸν δ' ἄρτι γέρηρε κλέος.
Ἦν μὲν σου κλέος εὐρὺ, καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδὴ,
Ἀθάνατος φήμη, κώνομα σοῖο μέγα.
Ὅττι δ' ἅλις καὶ ἄγαν σοφίας καὶ κύδεος εἶχες,
Τοὔνομά σου μὲν τοι Ῥαμίριος πέλεται.

Inter-

Interpretatio Latina eiusdem.

INGENII *ob lumen sacros tibi nectis honores,*
Atque tibi Sophiæ gloria cuncta subest.
Dirigis ipse potens suprema hîc dogmata Phœbi,
Ad cuius sacrum sunt tua corda latus.
Semper opes, linguamq́; suam, viresq́;, manusq́;,
Seq́; ipsum manibus tradidit ipse tuis.
Jam nunc Hispanam cœpisti attollere gentem,
Atque animi ingentis signa iubarq́; refers.
Te mundi iam tota cohors celebratq́;, colitq́;,
Et te altum meritis ipse reducit honos.
Est tua fama ingens, sunt & præconia summa,
Æternum & sæclis vndique nomen habes.
Et quia Musarum decorisq́; hîc numine abundas,
Diceris æterno nomine Ramirius.

ERY-

ERYCI PVTEANI
DE
LVITPRANDI
TICINENSIS
NOVA EDITIONE,

à Reuerendo P. HIERONYMO HIGVERA, *Societ.* IESV *Theologo, & Incomparabili* V. D. LAVRENTIO RAMIREZIO DE PRADO, *Militiæ* D. IACOBI *Equite, variâ apud* PHILIPPVM IV. *Hispaniarum & Indiarum Monarcham Dignitate, apud omnes vbique Doctrinâ & Virtute inclyto*, ADORNATA,

IVDICIVM,

Ad Cl. V. BALTHASAREM MORETVM.

ALTERVM etiam Luitprandinæ Editionis ſpecimen, Vir Clariſſime, accepi: luculentum ſanè, quia è tuâ Officinâ. Dum prima potiſſimùm Operis folia percurro, temporum & ingeniorum expendere fata cœpi; quæ poſt Romani occaſum Imperij tantum noctis habuêre, vt in maximo armorum motu ac tumultu, aut non fuiſſe homines (liceat dicere) aut dormiuiſſe videantur. Scriptores deerant, & exciſæ barbarie artes, quibus apud poſteros rerum memoria conſeruaretur. Carolus Magnus, Alcuini ſui diſciplinâ exſurgens, vt tempora corrigeret, reducere ingenia aggreſſus eſt. An lumina dicam? repentè emicuêre: Paulus, Eginardus, Nithardus, Aimoinus, & minoris aliqui notæ. Hos deinde ſecutus LVITPRANDVS Tici-

Ticinenſis Diaconus, Subdiaconus Toletanus, laudem apud omnes ſingularem inuenit. Nempe vt ſtudiis, ita infulis inſignis, grandire ſtilum auſus eſt, & par poſteritati, *Hiſtoriam de rebus ſuo tempore in Europâ geſtis* compoſuit: bonam ſanè, & aliquoties hactenus typis editam; ſed non eo nitore, quem dignitas Scriptionis merebatur. Plena etiam non erat, quia ſola; quia reliqua deerant Opera, quæ LVITPRANDI erant, vel ad hunc illuſtrandum maximè facerent, ſiue Antiqua, ſiue Noua. Acceſsêre igitur; ſed ingenio ſtudioque tum Reuerendi P. HIERONYMI HIGVERAE, tum Magni Viri LAVRENTII RAMIREZII DE PRADO: tuo quoque, Clariſſime MORETE, partim ingenio, quod doctrinâ & elegantiâ tibi cultum eſt; partim ſtudio, quo & doctrinam & elegantiam tuam facis. Video igitur in hoc Volumine, præter *Hiſtoriæ ſex Libros*, in Capita ſua diſtinctos, *Legationem Luitprandi ad Imperatorem Nicephorum Phocam*, curioſum planè ſcriptum, quamuis imperfectum. Video *Luitprandi de Pontificum Romanorum vitis Librum*, variis in margine Lectionibus emendatum. Video *Luitprandi Chronicon*, editione nouum, HIGVERAE & RAMIREZII Notis illuſtratum. Video *Luitprandi Aduerſaria*, recèns producta, & RAMIREZII eruditione relucere. Video *Epiſtolas Præſulum, à Juliano collectas*, cum eiuſdem RAMIREZII Notis. Video denique *Diptychon Toletanum*, ad illuſtrationem in primis LVITPRANDI ab HIGVERA conſcriptum. Video in vno Volumine paruam, vt ſic dicam, Bibliothecam: in tot Libris non totum adhuc LVITPRANDVM. Et HIGVERA quidem ſerius hîc & ſingularis eſt, in eâ Societate inſignis, quæ ſanctiſſimam IESV appellationem pietate ac doctrinâ egregiè ſuſtinens, vno quo ſtetit ſæculo, omnium ſpatia exæquauit. RAMIREZIVS autem ab ipſis Muſis Gratiiſque factus, inter prima æui noſtri decora meritò habendus eſt: quàm doctus, tam bonus; quàm magnus, tam humanus. Cùm iuuenis maturo omnia ingenio comprehenderet, nihil ignorare videbatur:

Vir

Vir factus, & ad dignitates euectus, tractare tamen Litteras perrexit, vt excitaret alios; aliorum fouere & extollere ſtudia, quia ſua in ſummo collocârat. Sanè poſtquam Conſilia tractare Regia, in rebus potiſſimùm Indicis, cœpit, pulcherrimo ſapientiæ exemplo docere potuit, florere Imperium, & ſtare Monarchiam, quando non minùs ſcientiæ fulcris, quàm potentiæ ſuſtinetur. Tu accedis, Accuratiſſime Vir, & generosâ induſtriâ efficis, vt quantum vtrique illi LVITPRANDVS debeat, omnes intelligant. Præſtas Typis, quod illi Notis; & quia coniungis ingenium, in partem famæ venis. Sic igitur nouam lucem vetus Scriptor à tuâ quoque luce capit: ille olim Magnus, quia rebus agendis admotus: nunc Clarus, quia ſcribendis pariter idoneus fuit. Etenim, quæ egit magna ſunt; & quia egit, ſcribendi quoque peritior euaſit. A Berengario Italiæ Rege ad Conſtantinum Græcorum Imperatorem miſſus Legatus, tam egregiè munere ſuo functus eſt, vt illi etiam placeret, ad quem venerat, iterùm ab Ottonibus Auguſtis ad Nicephorum Phocam, cùm iam Cremonenſis factus eſſet Epiſcopus. Atque hæc illa Legatio eſt, quæ è Bibliothecâ Treuirenſi nuper eruta, hîc quoque legitur. Ceterùm quidquid LVITPRANDI habemus, ad exemplum facit: quantum Scriptionis & Operis, tantum Legationis. Proinde, cùm diſcimus, quàm pulchrè egerit qui prudenter ſcripſit, non minori momento ſcribentis fama, quàm agentis induſtria æſtimanda eſt.

Vale, & LVITPRANDVM mox ad me totum mitte; vt ſic magis etiam in LVITPRANDO HIGVERAM, RAMIREZIVM, te, Vir Clariſſime, amem, admirer, venerer. Louanij in Arce, III. Eidus Iunij, M.DC.XI.

CENSV-

CENSVRAM OPERVM LVITPRANDI,

D.D. LAVRENTIO RAMIREZ DE PRADO

V. C. AC ERVDITISSIMO,

MILITIÆ S. IACOBI EQVITI,

in Supremo PHILIPPI IV. Hiſpaniarum Regis Catholici Indiarum Pacis Belliqúe Conuentu Senatori,

in S. Cruciatæ Adſeſſu Conſiliario,

Diſceptationibus Iuriſdictionis dirimendis inter ſelectos adlecto,

ad LVDOVICVM XIII. Galliarum Regem Chriſtianiſſimum Exlegato,

Fr. FRANCISCVS BIVARIVS Mantuæ-Carpetanus Ciſtertienſis mittit, atque S.P.D.

§. 1. CHRONICORVM LAVS.

QVI *Chronica in lucem dat*, LAVRENTI *Nobiliſsime, ei qui Diſticha concinit ſimilis profectò eſt; quòd vterque breuitati ſtudeat. Subtiliter Martialis tuus:*

Diſticha qui ſcribit, puto, vult breuitate placere. Lib.8. Epig.29.
Quid prodeſt breuitas, dic mihi, ſi liber eſt?

At quantâ cum vtilitate? Dicam vno verbo. Chronica doctis vtilia ſunt, indoctis proficua: Chronicis nobiles inſtruuntur, vulgus edocetur: vel ſolis Regibus perneceſſaria ſunt, vti de eâ re tuus iterùm Cæſarem Auctor admonuit.

Plura legunt vacui, quibus otia tuta dediſti; Lib.12. Epig.5.
Hæc lege tu Cæſar.——

Ergo Principum occupationibus, qui nihilominùs historicâ notitiâ egent, Chronicorum canonibus consultum est; consultum & memoriæ; consultum pauperibus; consultum Historiæ ipsi: quandoquidem (quod audacter dixerim) absque Chronicis Historiam nemo scit, tametsi Historiam multi legant. Da tamen Chronica, & Historiam nemo nescit. Historicos libros pauci à capite successiuè legunt, paucissimi quæ legunt, retinent: minùs adhuc inter tam multa quæ legunt, lectionem habent. namque

Mart. li. 1. Epig. 98. Non cuicumque datum est habere nasum.

Salust. initio belli Catil. *Eapropter, Romanâ primus in Historiâ*, statuit sibi res gestas P. Rom. strictim, vt quæque memoriâ digna videbantur, perscribere. *Quàm multas breuitatis Chronologicæ vtilitates sacer Scriptor 2. Machab. 2. lucido penicillo notauit?* Considerantes, *ait*, multitudinem librorum, & difficultatem volentibus aggredi narrationes historiarum, propter multitudinem rerum; curauimus, volentibus quidem legere, vt esset animi oblectatio; studiosis verò, vt faciliùs possent memoriæ commendare; omnibus autem legentibus vtilitas conferatur. *Et quidem breuitas fastidio libera est, cùm tamen Historia ei sit periculo passim exposita, ceu scholastica cetera studia: de quibus Seneca Pater lib. 10. Declam. dixit:* Scholastica studia leuiter tacta delectant; contrectata, & propiùs admota, fastidio sunt. *Eiusmodi vitio plerumque Historici inuoluuntur, qui sententias suas repetendo corrumpunt; cùm tamen illud Scauri Apophthegma*

Senec. li. 9. Declam. 5. *commendetur:* Non minùs magnam virtutem esse, scire desinere, quàm scire dicere. *de quo Montanum notabat, & eum inter Oratores vocabat Ouidium:* Nam dum non est contentus, *aiebat*, vnam rem semel benè dicere, efficit ne benè dixerit. *Eò quoque Chronologica breuitas in pretio habenda est, quòd non vulgarem auctores sui in eâ disponendâ laborem insumant; quin potiùs multò maiorem, quàm in Historiâ fecissent describendâ: pluris verò æstimandum opus studio maiori elaboratum, quis nesciat? Mentior si id quoque diuinus Spiritus non prompsit citato loco:* Et nobis quidem ipsis,

ipsis, qui hoc opus breuiandi caussâ suscepimus, non facilem laborem, imò verò negotium plenum vigiliarum & sudoris assumpsimus. *Quod duobus confirmat exemplis.* Sicut hi qui præparant conuiuium, & quærunt aliorum voluntati parêre propter multorum gratiam, libenter laborem sustinemus. Veritatem quidem de singulis, Auctoribus concedentes, ipsi autem secundùm datam formam breuitati studentes. Sicut enim nouæ domus architecto de vniuersâ structurâ curandum est; ei verò qui pingere curat, quæ apta sunt ad ornatum, exquirenda sunt; ita æstimandum est & in nobis.

Hinc fit, vt cùm inter artes liberales (teste Augustino) præcellat Historia, ita vt ceteræ abusiuè liberales *dicantur; Chronologia præcipuas partes libertatis habeat, quòd ea præsertim Scripturæ sacræ ac Theologiæ stabiliendæ inseruiat.* Historia fortassis, *ait*, habet aliquid cognitione dignum liberis; cùm siue bona siue mala hominum, tamen vera narrantur. *Sed quatenus Theologiæ inseruit? Audi iterùm Augustinum alibi sic loquentem:* Quidquid de ordine temporum transactorum indicat ea quæ appellatur Historia, plurimùm nos adiuuat ad sanctos libros intelligendos; etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur. nam & per Olympiades, & per Consulum nomina multa sæpè quæruntur à nobis *(quod sanè Chronologicum munus est)* & ignorantia Consulatus, quo natus est Dominus, & quo passus est, nonnullos coëgit errare, vt putarent XLVI. annorum ætate passum esse Dominum. *Confirmat id Augustinus Ambrosij exemplo. Obiiciebant ei Platonis discipuli & dilectores Ethnici, vniuersa Christi Domini dogmata ex libris Platonis mutuata fuisse, eò quòd priùs Plato scripserit, quàm Christus docuerit. Argumentum sanè ex Chronologiâ desumptum; sed ex eâdem retundendum. Namque Ambrosius, consideratâ Historiâ Gentium, cùm Platonem reperisset Jeremiæ Prophetæ temporibus profectum fuisse in Ægyptum, vbi tunc ille Propheta erat; probabilius esse ostendit, quòd Plato potiùs nostris litteris per Jeremiam fuerit imbutus, vt illa*

Aug. Epistolâ 131.

Lib. 2. de Doctrinâ Christ. cap. 28.

 posset

posset docere vel scribere, quæ iure laudantur. Quod tamen ex solâ historicâ narratione, absque temporum supputatione, quæ Chronologiæ propria est, fieri nequiret. Nec mirum, cùm Historiæ ipsius anima Chronologia sit; à quâ scilicet vitam sortiatur, & sine quâ viuere non valeat.

§. 11. De Chronico.

HÆc in gratiam nostrorum Chronographorum dixerim, Dextri, Maximi, Luitprandi & Juliani, qui multorum laborum delicatos & pretiosos fructus suis Chronicis posteritati delegarunt. Sed ad Luitprandum venio; cuius nunc Opera in lucem emittis. Laudabatur hactenus, quasi qui inter sui sæculi Historiographos primas tulerit, quòd ipsius Rerum ab Europæ Imperatoribus & Regibus gestarum libros *in vulgus emissos docti venerarentur: laudabitur iam & de aliis Operibus denuò à te recensitis & vindicatis; & præcipuè operâ & industriâ tuâ inter præstantiores Chronologos sedem habebit. Deerat Luitprando gloria huiuscemodi, pulueris & tinearum inuidiâ, quæ multos annos insigne tanti viri Opus Chronologicum, & Dextriani (vt ita loquar) complementum, in Fuldensis Bibliothecæ pluteis occulturunt, vbi vnà cum Dextro Maximoq; delituerat: sed iam beneficio RR. PP. Thomæ de Torralba & Hieronymi de la Higuera inde extractum (tametsi ab anno Domini* M.D.XCIV. *detractum) dum ad tuas peruenit manus, vsuræ litterariæ lucis restituitur; magno, vt equidem spero, studiosorum omnium emolumento; ad Hispaniæ præsertim gloriam, quam ille, vt ceteri, fusiùs prosequitur. Igitur Luitprandi Chronicon à te mutuò acceptum vidi, non perfunctoriè: notaui singula, placuerunt omnia. Deprehendi Opus correspondere Auctori, phrasi, stylo, rebus scriptis; correspondere itidem eruditioni eius omnigenæ, quâ prosâ simul & poëticâ excelluit, & suis semper operibus immiscuit; forte, vt omne ferret punctum, iuxta Horatij monitum: correspondere demùm & Mæcenati suo, id est Regimundo Illiberitano Episcopo, omnium Luitprandi laborum peculiari patrono: hoc vno dumtaxat notâ*

notâ digni, quòd Pseudo-Turpino Remensi fidem præbuerit in rebus Caroli Magni, Rotlandi, Milonis de Angleriis, ac parium. Sed mirum id non est: nam (quod Baronius aliquando ingemuit) de fabularum officinâ Turpini, quot iam ex eis in Historiam transierunt, & fidem sibi plenissimam conciliarunt? *Vsque ad Ecclesiasticas tabulas error irrepsit, quas Maurolycus sub nomine Romani Martyrologij concinnauit; vbi martyrij laureâ Rotlandum & socios donat: vbi etiam Esquilinus impegit lib. 5. Catalogi Sanctorum cap.* 121. *Nec ab his liber euasit Raphaël Volaterranus lib. 3. Anthropologiæ cap. 4. Proinde veniâ donandus Auctor noster, in his quæ de Carolo scribit in Chron. anno* DCC.LXXXI. *n.* 247. *& de Milone anno* DCCC.LXXXIII. *n.* 338. *Impegisse siquidem Luitprandum, in quod multi docti, Scriptores, honori eius minùs detrahit. Dignum profectò opus, in cuius exornationem sæculi nostri Atlantes desudent. quod nihilominùs onus, si ceteri dissimulent, & vita comes fuerit, ego quoque quantuluscumque Scriptor, dum semel Maximi, quæ præ manibus sunt, Commentariis finem imposuero, aggredi non verebor; eò vel maximè, quòd in gratiam tui, V.C. cedat labor. Quam verò nunc assumis operam, vt Luitprandum eruditissimis notulis exornes, magni habebunt, vt cetera à te hactenus elaborata, eruditi: præsertim, quòd in vno corpore tanti Auctoris Opera omnia fortè compacta nobis impertiaris, quorum bona pars hactenus lucem non viderat, cetera meliorem nanciscuntur. Chronicon & Aduersaria omnes videre affectabant; & nemini id integrum hactenus fuerat: his tamen deinceps, te donante, liberè perfruemur.*

Baron. To. 10. anno DCCC. LIII n. VI.

§. 111. De Aduersarijs.

ET quidem Aduersaria ad nutum tuum sedulò euolui, & cum archetypo suo, manu P. Hieronymi exarato, diligenti adhibitâ indagine, contuli, & correctissimè (quoad fieri potuit) recensui. Enitet in his spiritus eiusdem Luitprandi, vtroque idiomate, vtroque stylo semper ornatus; rerum scriptarum grauitate & raritate vbilibet gaudens; quo nimirum nec Lati-

na lingua Græca deſit ad doctrinam, & carmina proſam exornent, & Luitprandus nuſquam Luitprando diſſimilis; ſed ſemper doctus, ſemper rara & inaudita docens, ſemper denique idem ſibi ab omnibus deprædicari queat. Nec iam (vt ſpero) Pennotus meus diſſentiet, quem Luitprandi Chronologi nomen terruerat; quaſi rerum à Principibus in Europâ geſtarum nobilis Scriptor, Chronicon iſtud identidem ſcribere non potuerit. Queris forſan, quibus armis ſe muniat, vt illud probet ſpurium, ſeu ſuppoſitum? videlicet Primò, quòd in nuncupatoriâ Epiſtolâ ad Regimundum, quam ſolam Pennotus vidit, dicatur Luitprandus Antapodoſim ſuam ſcripſiſſe adhuc Diaconus Ticinenſis, cùm tamen Epiſcopus iam Cremonenſis exiſteret. Secundò, nec circa annum Domini DCCC. LX. *ſed potiùs* DCCCC. LXII. *vt ex præfatione Libri* III. *conſtat, & probat Baronius ad annum* DCCCC. LXIII. *Tertiò, nec cùm exularet apud Fuldam, ſed cùm ex Legatione Conſtantinopolitanâ rediret. Quartò, quòd ſi Boniti Toletani Archiepiſcopi Subdiaconus fuit, vixiſſe oportuit centum annos ante Ticinenſem, id eſt Chriſti ann.* DCCC. LX. *quo Bonitus, teſte Murillo, florebat. Quintò, de Arthuago ſeu Arthinodo Gottho Martyre ſcripſiſſe dicitur in Chronico, quòd fuerit Monachus Auguſtinianus Toleti in Siſlenſi Cœnobio; quæ tamen phraſis nondum erat recepta. Quare aut Chronicon nouum erit, aut nouatum. Sextò denique petit à nobis, quare continuatio Luitprandi cum Dextro & M. Maximo excuſa non fuit? an velut ſpuria reiecta? Hæc ille ſparſim in ſuâ Tripartitâ lib.* 1. *c.*52. *n.*3. *&* 8. *& c.*54. *& cap.*56. *à principio, & cap.*58. *num.*8.

Ceterùm, cùm nihil horum deſtinâ vllâ fulciatur, negotium nullum nobis faceſſere poterunt. Non Primum: nam Antapodoſim vſque ad calcem ſexti Libri indubitanter Diaconus adhuc Ticinenſis, nondum Epiſcopus (vt mox oſtendam) ſcripſit; & hoc ipſum eſt quod probat Baronius loco à Pennoto relato, vbi Librum ſeptimum negat eſſe Luitprandi, iam tunc Cremonenſis Epiſcopi. Secundò, perduxiſſe Chronicon ſuum ad annum Chriſti DCCCC. LX. *Epiſtola ipſa ad Regimundum data proclamat; quem annum Calderonius perperàm Æram vocauit, contra*

contra fidem archetypi. At ipſe annus eſt, quo rerum geſtarum libris finem impoſuit. Tertiò, ipſe Luitprandus in Prologo tertij, exilium in quo poſitus ſcribebat, conceptis verbis deſcribit. Quartò, non vnus dumtaxat Bonitus præfuit Toletanæ Sedi, ſed tres. Tertij autem electio, cuius Luitprandus fuit Subdiaconus (teſte Iuliano) incidit in annum Chriſti DCCCC. XLVI. *quatuordecim ante horum librorum ſcriptionem. En verba Iuliani anno Domini* DCCCC. XLVI. Electus erat Bonitus tertius ante hunc *(Ioannem ſcilicet cognomento* Seruum Dei:) ſub hoc fuit Subdiaconus Luitprandus, Archidiaconus Ticinenſis, hiſtoriarum ſcriptor haud ignobilis, & pariter Poëta excellens. *Quintò, probè etiam quiuit Auguſtiniani Monachi Luitprandus meminiſſe, vtpote qui Benedictinos etiam agnouit & Carmelitas, vt in Commentarijs ad M. Maximi Chronicon probo, & phraſim hanc ab eo tempore non abhorrere. Sextò, cur Typographus Luitprandi Chronicon minùs Dextro & Maximo aſſuerit, impolita ipſa & præpropera excuſio in cauſâ fuit; ſolo ſiquidem amore* immaculatæ Conceptionis Marianæ *allectus, quam credebat Dextrum commendaſſe, nullo præuio labore, nullâ diligentiâ adhibitâ, quod præ manibus habebat, excudit; cùm tamen in ſcrinijs P. Hieronymi ſimul cum Dextro & Maximo eſſet Luitprandi continuatio, à quo & hanc accipere potuiſſet. Non ergo vti ſpuria reiecta eſt, ſed quia ad manum non erat, vel haberi non poterat, prætermiſſa. Quare Antagoniſta meus fateatur neceſſe eſt, Luitprandi Chronicon & Aduerſaria, Ticinenſis conceptiones eſſe; cùm nihil obiectorum conſtet. Tranſeo ad ipſam Antapodoſim inuiſendam.*

§. IV. De Rerum per Europam geſtarum, & Antidoſis ſeu Antapodoſis, libris.

ANtapodoſim Luitprandi multi ſolo agnoſcebant nomine, eiuſq; nouitate territi, rem exquiſitiſſimam expectabant, cùm tamen opus ipſum ſit, Rerum ab Europæ Principibus geſtarum, *toties typis excuſum. Sed verò laruam monſtro detraham, vt metum, ſeu ſpem inanem, quam nonnulli*

nulli conceperant, omittant. Legit Luitprandi Antapodoſim Sigisbertus, legit & Trithemius; ſed quid dicunt? Ille quidem lib. de Viris illuſt. cap. 127. Luitprandus, *ait*, Ticinenſis Eccleſiæ Diaconus ſcripſit luculento & alterno ſtylo ad Regimundum Epiſcopum Illiberitanæ Eccleſiæ Hiſpaniarum, Hiſtoriam de geſtis Regum & Imperatorum ſui temporis, quam attitulauit ANTAPODOSIN. *Trithemius verò hæc:* Eutrandus (*ſic* Luitprandum *vocat*) Ticinenſis Eccleſiæ Diaconus, natione Italus, ex Papiâ ciuitate oriundus, Berengarij Regis quondam Italiæ ſcriba, & Secretarius, vir in ſæcularibus litteris valdè eruditus, & diuinarum Scripturarum non ignarus, ingenio acer & vehemens, Græco & Latino ſermone peritus, & non minùs carmine excellens quàm prosâ; fertur nonnulla præclara ſcripſiſſe opuſcula, quibus nomen ſuum notificauit. A Berengario Rege Italiâ pulſus, venit in Germaniam; & apud Francfordiam poſitus, ſcripſit inſigne opus, Hiſtoriam ſui temporis, & tyrannidem ipſius Berengarij continens: quod, quaſi pro viciſſitudine iniuriarum ab eo perceptarum, prænotauit ANTAPODOSIM, id eſt Retributionem, lib. VII. Regnantibus, imò ſæuientibus. De alijs, nihil vidi. Scripſit autem præfatum volumen ad Regimundum Epiſcopum Illiberitanæ Hiſpaniarum Eccleſiæ; in quo aliquando carmine vtitur, aliquando Græco ſermone, multa de Germanorum geſtis interſerens. Claruit ſub Othone Imperatore, anno Domini DCCCC. L. *Et quid moror, cùm ipſemet Luitprandus librum* III. *eiuſdem Operis eo nomine inſignierit? vt videas* Antapodoſim, *ſeu* Antidoſim, *ipſo fatente Luitprando, ipſiſſimam eſſe* Rerum ſui temporis in Europâ geſtarum Hiſtoriam: *nemoq; hactenus de re compertiſſimâ dubitaſſet, ſi titulum, quem à* III. *libro & deinceps, Hiſtoriæ ſuæ apposuit, toti Operi præfixiſſet: accidit tamen, vt cui* Rerum per Europam geſtarum *à re ipsâ nomen dederat, cùm ad referendas iniurias, ſibi à Berengario Rege prater ius faſq; illatas, acceſſit, ab occaſione nouum titulum* Retributionis *Operi iam incepto adiecerit: nam* Ἀντίδοσις *Latinis* Retributio *eſt*; *ab* δίδωμι, *quod ſonat*, ex aduerſo dare. *Idemq; innuit* Ἀνταπόδοσις *ſeu* Ἀνθυπόδοσις, *quæ apud Rhetores figura eſt, cùm media primis & vltimis correſpondent: vno verbo dixeris,* Correſpondentiam. *Audiamus iam ipſum Luitprandum, cuius initio tertij libri hæc ſunt verba ad Regimundum ſuum:*

Liber III. qui Antidoſis inſcribitur.

Operis huius titulum, Pater ſanctifice, ſatis te mirari non ambigo. ais fortè: Cùm virorum illuſtrium actus exhibeantur, cur Antidoſis ei inſeritur titulus? ad quod reſpondeo: Intentio huius Operis ad hoc reſpicit, vt Berengarij huius, qui nunc in Italiâ non regnat, ſed tyrannizat, ac vxoris eius Willæ, quæ ob immenſitatem tyrannidis ſecunda Iezabel, & ob rapinarum inſatietatem Lamia proprio appellatur vocabulo, actus deſignet, oſtendat, & clamitet. Tanta enim mendaciorum iacula, tanta rapinarum diſpendia, tanta impietatis molimina in me & domum meam, cognationem & familiam gratis exercuêre, quanta nec lingua proferre, nec calamus præualet ſcribere. Sit igitur eis præſens pagina Antidoſis, hoc eſt, Retributio, dum pro calamitatibus meis τὴν ἀσέβειαν eorum, id eſt impietatem, præſentibus futuriſque mortalibus denudauero. Nec minùs etiam ſanctiſſimis & fortunatis viris, pro collatis in me beneficijs Antidoſis erit. Ex memoratis ſanè aut memorandis nullus inuenitur, aut raruſ, hoc vno Berengario ſcilicet impio excepto, quorum non beneficijs genitores aut genitus vehementer gratulemur. Denique, quòd in captiuitate, ſeu peregrinatione, Libellus hic conſcriptus dicatur, præſens indicat exulatus: cœptus quippe in Franconouord, qui eſt viginti milliarijs locus à Moguntiâ diſtans, in Paxu inſulâ, nongentis & eo ampliùs à Conſtantinopoli milliarijs, vſque hodie exaratur. *Hactenus ille. Nequis deinceps aliam Luitprandi* Antidoſin *quærat.*

Ceterùm id obiter animaduertere placet, prauè Trithemium prima Antidoſis, *ſeu* Antapodoſis (*vt ipſe vocat*) *verba*

citare; Regnantibus, imò sæuientibus, *cùm ea non sint primi libri exordium, nec tertij ipsius, qui speciali titulo* Antidosis *donatus est; sed potiùs septimi, seu additionis ad sextum facta, quæ sic incipit:* Regnantibus, imò sæuientibus in Italiâ; &, vt veriùs fateamur, tyrannidem exercentibus, *&c. Hoc verò alterius esse Opus, quàm Luitprandi, contendit Baronius, quòd scilicet phrasim eius minùs redoleat, nomenq; suum non pro more magnis attollat titulis, sed potiùs Luitprándum, non amplius Ticinensem Diaconum, sed Episcopum iam Cremonensem, quasi diuersum hominem, nominet. Baronio subscripsit Bellarminus lib. de Script. Eccles. Verùm futili admodum nixus fundamento tollit Cæsar tantus librum* VII. *nostro Auctori: nam phrasis eadem prorsus est; nisi quòd versibus in eo abstinuit, forsan causâ breuitatis illius libelli, qui quasi Appendix erat sexti* Rerum per Europam gestarum. *Constat verò capite illo quinto sexti libri finem primitus suo Operi imposuisse: nam anno Domini* DCCCC. LX. *adhuc Ticinensis Diaconus illud in Hispanias ad Regimundum Episcopum miserat, vt ex Epistolis Chronico appositis liquet. Postmodum verò ad Pontificiam Sedem prouectum, coronidem adiecisse in laudem Ottonis Imperatoris, cui addictissimus erat, par est credere ex Constantinopolitanæ Legationis exordio. Quòd si Auctor eius Appendicis, ex Baronio, Ottoni addictissimus fuit, cur Luitprándo id denegat, quem ipse postmodum talem agnoscit? Certè qui Opus ipsum primus edere curauit, Basileæ anno Christi* M. D. XXXII. *apud Heruagium (à quo Francfordiensis recensitor verba mutuauit) post finem illius quinti capitis libri sexti hanc apposuit admonitiunculam:* Finis de rebus visis in Græciâ: quibus quia & alias superaddere proposuerat, nouum de rebus Ottonis Augusti exorsus est librum *(haud dubium quin septimum:)* quem tamen ob breuitatem superiori addidimus.

Mihi verò, ô mi Laurenti doctissime, placeret antiquo suo nitori Opusculum restituere, & quem Trithemius, & ipse qui sexto perperàm assuit, septimum agnouêre, veterem titulum vendicare. Nec quidquam me mouet, quòd mouit Baronium,

ronium, quòd scilicet in septimo Auctor, minùs solito suum commendet nomen, cùm noua Pontificatus dignitas modestiam maiorem exigeret: seu quoniam Ioannis XII. Romani Pontificis publicam insectaretur impudentiam, ne videlicet videretur Episcopus Cremonensis in Romanum aperto insurgere Marte.

Ex his verò Rerum gestarum *seu* Antidosis *libris, verus Chronici Auctor comprobatur Luitprandus, quandoquidem, quidquid in Epistolis nuncupatoriis eius asseritur,* Antidosi Rerum gestarum *procul dubio conuenit, & vtriusque Operis idem esse Auctor conuincitur; videlicet ipsum è Germaniâ librum mittere, vbi, pro temporis iniuriâ propulsandâ, degebat. quod in Prologo lib. 3. scripsit. Ipsum in Hispaniâ aliquandiu vixisse, illud signum est, quòd multa ad Hispanias attinentia, inter cetera Rerum gestarum narrat; & cum Regimundo arctissima necessitudo, quam perpetua ipsius Operum nuncupatio demonstrat: ipsum denique (quod ad eumdem Regimundum scribit) in* Antidosi *suâ, nunc carmine nunc prosâ ludere, haud aliter, quàm in suis de Philosophicâ Consolatione libris Seuerinus ille Martyr fecit, quibus varia carminum genera, pro qualitate rerum, de quibus disputabat, immiscuit; hoc itidem in Luitprandi* Antidosi *videmus. Nam Heroicis vsus est lib. 1. cap. 8. in concione Arnulphi ad suos milites, sic exorsus:*

Magnanimi Proceres, & clari Marte secundo,
Arma quibus studium fuluo radiare metallo.

& cùm lib. 2. cap. 17. pugnam inter Berengarium & Rodulphum describit:

Tum perquàm horrida pugna oritur ciuilis & atra.

& lib. 3. cap. 1. Ticini conflagrationem describens:

Clarus ab infuso discedens sidere Phœbus.

& lib. 5. cap. 2. dum agit de Anscarij Berengarij Regis fratris pugnâ:

Sarlius imbellis multorum fisus in armis.

eiusq; generis versibus lib. 3. cap. 12. insolentissimam protomeretricem Marozziam insequitur:

Quid Veneris facibus compulsa Marozia sæuis?

& simili stylo lib.4. cap. 5. VVillam Berengarij Regis coniugem insectatur:

VVilla quid insanis? aurum cur condere cæcis
Incipis in membris? proh non audita cupido!

ac demum pro materiæ grauitate iisdem vtitur, dum Romani Imperatoris Constantinopol. in aduentu filiorum scribit admonitionem:

Christe Pater, cum quo Pater est & Spiritus vnum.

Districha sex libr. 2. cap.7. occinuit, Henrici Regis sermonem ad Arnoldum Principem Baioariæ dictitans. quorum primum est:

Insanâ Domini iussis quid mente resistis?
Quòd populus Regem me cupit, esse scias.

Miscuit & dissimilium carminum Odas; aut Horatium aut Martialem imitatus, rectiùs Boëtium. quædam earum illa est, quâ lib.2. cap.8. exhortationem Henrici ad suos describit. eius initium:

Inclyta Saxonum ceu leo frendens
Bella per innumera gens erat olim.

quâdam aliâ Berengarij eadem, lib. eodem cap.20.

Se primùm quatiens strepit
Gallus, cùm vigiles facit
Mortales, solito sonat.

quâdam etiam rebellantem Henricum Ottoni fratri depingit lib.4. cap.8.

Regnandi tibi quid iuuenum tam dira cupido
Optime Saxigenûm? prohibet Deus.

quâdam rursus in montem auium, à VVilla pedibus fugientis calcatum, ludit lib.5. cap.4.

Improbe mons auium, tali
Neque tu nomine dignus.

Nec Sapphicam consonantiam omisit: nam iis pariter vsus, laudes Henrici & Ottonis Imperatoris, patris scilicet ac filij, panxit lib.4. cap.7.

Ipse, qui quondam superare Gentes
Impias bello solitus cruento.

Meri-

Meritò ergo Luitprandus ad Regimundum scribit se in suâ Antidosi prosâ ac carmine ludere; & æquo iure Regimundus ad ipsum: Gratanter accepi librum tuum, id est, Rerum gestarum in Europâ Historiam, & Antidosim tuam, carmine prosâque contextam, vt fecit olim sapiens ille Boëtius in libro de Consolatione Philosophicâ. quem librum Boëtij Seuerini diligenter nos duo percurrimus Toleti; cùm ego Presbyter essem, tuque Subdiaconus illius Ecclesiæ Toletanæ. *Ac proinde, quod consequens fit,* Chronicon & Antidosis *manus sibi mutuò dant, & fidem alterius alterum conciliat.*

§. v. De Relatione Legationis Constantinopolitanæ Luitprandi.

Sed ad Legationis Constantinopolitanæ Opusculum transeo, cuius autographum in Bibliothecâ primariæ Treuirensis Ecclesiæ extare affirmat Henricus Canisius, qui ipsum inter Lectiones antiquas Tom. 6. Ingolstadij excudit, acceptum videlicet à M. Velsero notæ eruditionis viro, cui Christophorus Brouuerus Societatis IESV *primus extractor dono dederat. Ceterùm non alium Luitprandum scriptorem eius fuisse, quàm nostrum olim Toletanum, seu & Ticinensem Diaconum, abundè Canisius probat. Primò, ex phrasi non tam simili, quàm eâdem. Secundò, ex versibus quos miscuit pro more suo. quorum initium:*

Argolicûm non tuta fides, procul esto Latine.

quibus Græcorum perfidiam sugillat. Tertiò, ex Græcis vocibus, quibus ostendit se eam linguam probè calluisse. Quartò, ex consonantiâ seu identitate temporis, quo Luitprandus, siue Ticinensis Diaconus, siue Cremonensis Episcopus, floruit. atque ita quoque sentit Cardinalis Baronius Tom. x. *anno Christi* DCCCC.LXVIII. *& ei subscripsit Cardinalis Bellarminus lib. de Script. Eccles. in Luitprando. In eo nihilominùs hæret Canisius, quòd Auctor lib. 7. Luitprandi Cremonensis Episcopi, quasi alterius cuiusdam hominis, meminit: quod tamen superiùs exposuimus. Ergo & istud Opusculum suo Au-*

ctori vindicatur, quod ego octauum dicerem Rerum per Europam gestarum; *vtpote, quo idem prosequitur argumentum, superioribus libris incœptum.*

§. VI. De libello de Vitis Romanorum Pontificum.

SVpereſt, vt ad librum de Vitis Romanorum Pontificum, qui Auctorem præ se fert Luitprandum Ticinensem, sermonem conuertamus. Excudit illum Moguntiæ anno Christi M. DC. II. *Joannes Albinus: & tametsi nomen Luitprandi Ticinensis Diaconi, ipsi indubitanter in fronte, & per totum Codicem affixerit; in Præfatione tamen subdubitat, creditq; ab alio quopiam scriptum, qui in Saxoniâ, vel VVestphaliâ in Monasterio Corbeiensi, Hirsfeldensi, vel Fuldensi, tunc florentißimis, vixerit: floruerit q; maximè sub annum Christi* DCCC. LX. *centum ante Luitprandum annos: leuiq; ductus suspicione subdit:* Quid si Auctor sit Paschasius Ratbertus Abbas Corbeiensis, quem Trithemius asseuerat Caroli Crassi floruisse temporibus? *Sed quibus opinationem suam coloribus pingit? Primò, quòd Luitprandus (vti ex scriptis eius & Trithemio liquet) claruit sub annum Domini* DCCCC. L. *& Formosus Papa, in quo nostra hæc terminatur Historia, in viuis esse desiit anno Domini* DCCC. XCV. *à quo vsque ad dictum annum* DCCCC. L. *viginti circiter Pontifices Romani numerantur, de quibus nullum in præsenti Pontificum Historiâ verbum: vnde coniecturam minimè obscuram facere licet, ait, huius Opusculi Auctorem vltimorum Pontificum temporibus, hoc est, sub annum Domini* DCCC. LX. *non verò* DCCCC. L. *quo Luitprandus, vixisse. Secundò accedit, quòd nec apud Sigebertum, nec Trithemium, nec Gesnerum, vllus de Vitis Romanorum Pontificum liber adscribatur Luitprando. Tertiò, in extremis huius Opusculi Vitis peculiaria quædam commemorantur, quæ non videntur profecta, nisi ab eo qui Formosi, decessorumq; eius, temporibus floruerit: nam in Hadriano I. refert Carolum Magnum Romæ in D. Petri Basilicâ vouisse Deo, se Osnaburgi in prouinciâ VVestphaliæ, quam recèns*

recèns ad fidem Christi traduxerat, Episcopatum erecturum, quemadmodum & fecit, teste Alberto Krantzio lib.1. Metropol. c.2. & lib.2. Saxoniæ cap.11. Deinde in Hadriano II. ait, Ludouicum Imperatorem dedisse Ecclesiæ Corbeiensi & Heriſordensi quasdam decimales Ecclesias, cum ipsis decimis, in parœciâ Osnaburgensi constitutas, consentiente Episcopo & omni Clero. Tum Carolum Romanorum Imperatorem honorificatæ Ecclesiæ, & à Deo honorificandæ Hersueldensi quasdam decimas in Frisoneuelt, & Hassegâ, Halberstadensi adiacentes Diœcesi dedisse, quas Stephanus Papa IV. dictus III. in Basilicâ B. Petri, die sancto Paschæ, suâ auctoritate, & Imperatoris subscriptione, & Hildegrino Halberstadensi Episcopo præsente confirmarit. Præterea in Stephano VI. scribit, Hermannum Colonienſem Archiepiscopum & Hadalgarium Hamburgensem de Bremensi Ecclesiâ contendentes, VVormatiam venire à Summo Pontifice iussos, ibiq; Fulconis Rhemensis iudicio, cui suas vices commiserat, stetisse. quam rem tractant Krantzius lib.2. Metrop. cap.19.20. & 24. Albertus Stadensis in Chronic. anno Christi DCCC. XCVI. *& Trithemius in Chronico Hirsaug. Denique in postremorum Pontificum Vitis, nominatim autem Paschalis, Benedicti III. Nicolai I. Hadriani II. & Joannis VIII. non pauca eorumdem Decreta prolixè recitat, quæ in Tomis Conciliorum non extant; cùm tamen extent pleraque omnia, quæ antiquioribus Pontificibus hîc tribuuntur. In Leone verò IV. 42. capitula è Synodo Romanâ, consilio Imperatoris Lotharij & Ludouici coactâ, descripsit, quorum nulla quoque mentio in dictis Tomis. Hæc Albinus, seu is qui pro eius editione libellum recensuit.*

Ceterùm obiecta hæc quomodo tanti non fecit, vt absque Luitprandi titulo ipsum cudere auderet, & nomen eius à libelli fronte radere? præsertim cùm ipsemet adseueret in M. S. codice, à quo in formas typographicas deductus est, Auctoris nomen non extare. Sed & veritatis à nobis assertæ inimici nostri sunt iudices, Magdeburgenses, inquam, Centuriatores, qui, vel ipso Albino teste, hanc Historiam sedulò volutarunt, & multa ex eâ in Centurias suas, maximè autem in nonam,

de

de Summis Pontificibus, eorumq; ſanctionibus, retulerunt, & tamen Luitprando, tamquam germano eius Auctori, conſtanter attribuerunt: & hi quidem credendi ſunt ex aliquo autographo excerpſiſſe nomen; aliàs autem minimè illam Catholico Auctori indigitarent, à quo nihil contra Catholicam veritatem haurire poſſent. Accedit temporis congruentia, quâ Libelli huius finis cum initio Antidoſis *conungitur: vbi enim hæc incipit, ille deſinit; vt vel inde argumento comprobetur, vnius eiuſdemq; Scriptoris vtrumque Opuſculum labore & ſtudio editum fuiſſe: qui quam in priore ad patrum ſuorum tempora protraxerat, id eſt ad Formoſi Pontificatum, ſub quo Luitprandi parens vixerat (vt liquet ex lib. 3. cap. 5. Antidoſis) rurſum in Antidoſi, ſeu Rerum geſtarum libris, proſequitur narrationem de iiſdem Pontificibus, exordium ab eodem Formoſo capiens in cap. 2. lib. 1. Vbi ſanè illud maximi faciendum eſt, eadem verba, quæ in Formoſi Vitâ addiderat, iterùm in lib. 1. cap. 8. dum de eodem Pontifice verba faceret, tranſcripſiſſe: vt vel inde dilucidè, tamquam ex certâ teſſerâ, deduci poſſet, quis illius Operis de Summis Pontificibus eſſet Auctor. Sed potiùs inde (obiicit Albinus) ſtabiliri videtur oppoſitum.* Cùm enim liqueat, *ait*, totam narrationem de Formoſo verbotenus exſcriptam eſſe ex libro Luitprandi citato, non omiſſis quidem illis verbis, PATER SANCTISSIME, quæ prorſus furtum fucumque produnt; haud dubium eſt, quin ab aliquo ſciolo, poſt verba illa, Formoſus Portuenſis Epiſcopus ſedit annos v. menſes VI. reliqua narratio aſſuta fuerit. Vſurparat autem Luitprandus in illâ de Rebus geſtis Hiſtoriâ, verba illa, PATER SANCTISSIME; quòd eam ad Regimundum Illiberitanæ Eccleſiæ in Hiſpaniâ Epiſcopum conſcripſiſſet. Hanc verò de Pontificibus Hiſtoriam nulli Epiſcopo, vel alij Patri ſanctiſſimo, inſcriptam vel dedicatam eſſe manifeſtum eſt. *Sed rogo te (mi Albine) vnde manifeſtum eſt Opus eiuſmodi de Summis Pontificibus nulli Epiſcopo dedicatum? Si in codice tuo non extat dedicatoria Epiſtola, extat nihilominùs in calce euidens dedicationis memoria: dum enim libro finem imponit, iterùm*

iterùm Auctor conuertit ſe ad Operis ſui Patronum: quod ſimiliter feciſſe Oroſium cum Auguſtino ſuo, ex eius Opere liquet. Deeſſe verò à Codice tuo Nuncupationem, mirum non eſt, cùm & Auctoris quoque nomen deſit, ſucciſis, vt apparet, nonnullis foliis à principio. Quòd ſi eadem habet verba lib. 1. Rerum geſtarum; argumento procul dubio eſſe debet, ad eumdem Regimundum hunc quoque librum fuiſſe miſſum à Luitprando: nec mirum id nec nouum in eo qui perpetuò identidem fecerit, vt ex ipſâ Antidoſi *&* Chronico *manifeſtum eſt. Et certè Codex ille, vnde Albini prodijt editio, peruetuſtus erat, vt ipſe in fronte Operis profitetur; in eo verò eadem ad verbum de Formoſo narratio continebatur, pari cum ceteris lineis vetuſtate pollens. Quare de impoſturâ nulla poteſt intereſſe ſuſpicio: quis ergo ab altero mutuatus eſt hiſtoriolæ verba? Negare nequeo, quod ipſe ſatis conuincit, priùs Opuſculum* de Pontificibus *ſcriptum, quàm* Rerum per Europam geſtarum; *cùm illud in Formoſo deſinat, circa annum* CHRISTI DCCC. XCVI. *hoc verò, in Schiſmate Leonis & Benedicti, ad annum* CHRISTI DCCCC. LX. *& cùm in vtroque Auctor voculam illam,* PATER SANCTISSIME, *inſerat, fit vt vtrumque eidem Regimundo dicauerit. Nec tam inops verborum Luitprandus erat, vt ab alio quopiam tot lineas ad vnguem tranſcriberet; & verecundia immineret, cùm facilè furtum deprehendi poſſet.*

Hinc verò ſemel veritate deprehenſâ, facilè nodis ſuis Albinum ſoluemus. Primò, ex fine libri de Vitis Pontificum, *non habemus, Auctorem tempore Formoſi viuere deſiſſe, ſed in eo hiſtoriam ſuam terminaſſe; neque verò alicunde toto illo Opere conſtat, eum à ſe viſa ſcripſiſſe, ſicut de rebus in* Antidoſi *recenſitis dixit, cùm ad Regimundum in Prologo loqueretur. quin potiùs cùm de Formoſo vtrobique ſcriberet, expreſſit, ea ex aliorum narratione percepiſſe, illis verbis finalibus:* Hoc namque à religioſiſſimis Romanæ Vrbis viris perſæpè audiui. *Quòd ſi qua vltimo loco appoſuit, ex auditu ſolo percepit, & de nullâ aliâ re ibi contentâ ſe teſtem oculatum ſcribit; conſequens eſt vt ea omnia ex ſolo Auctor auditu cog-*

nouerit, atque adeò omnia eius ætatem præcesserint. Quod Luitprando mirum in modum quadrat: qui tametsi ea quæ in Antidosi scribit, à se visu percepta profiteatur; id nihilominùs maiori ex parte accipiendum, illud conuincit, quòd à temporibus Formosi Papæ exordium sumit, qui obijt anno Christi DCCC. XCVI. *iuxta computationem Barcnij, & ipsius, in fine libri* de Vitis Pontificum. *Constat autem ex lib. 3.* Antidosis *cap. 5. in morte parentis sui, quæ contigit sub initium Regni Italici Hugonis Arelatensis, ad annum Christi* DCCCC. XXVI. *(eodem Baronio teste) Luitprandum puerilem non excessisse annos, atque adeò natum, vt minimùm, quindecim annos post mortem Formosi: quorum Historiam nihilominùs scripsit, haud dubium ex relatione maiorum. Secundò, quòd Trithemius, aut quiuis alius, eius Operis non meminerit, mirum non est, cùm ipse Trithemius fateatur Luitprandum nonnulla præclara scripsisse Opuscula, quorum sola* Antidosis *ad manus ipsius peruenerat; nam,* De alijs *(ait)* nihil vidi. *Quæ tertio denique loco obijciuntur nobis, viriliter potiùs nostram confirmant sententiam, & Luitprando vindicare cogunt, tum* Chronicon, *tum librum* de Vitis Pontificum: *nam vtrumque constat Opus ab ipso in Germaniâ existente elaboratum. Et certè Albinus Prologum libri tertij* Antidosis *non legerat, & quæ ex Trithemio recensuit inter Auctoris elogia non attendit, cùm vtrobique dicatur Luitprandus eos libros in Germaniâ positus scripsisse, scilicet partim Francfordiæ, partim in Paxus insulâ, non longè à Moguntiâ, quemadmodum &* Chronicon *in Fuldensi degens Cœnobio. Benè ergo tabularia Germaniæ calluit Luitprandus, & quæ eius generis in libro de Summis Pontificibus extant, eum potiùs prædicant Auctorem. Quare desinant iam tanti viri labores & sudores, quibus redimitus incedit, proscindere, & suffurari.*

§. VII. Quænam Prouincia Luitprandum ediderit.

D.L. Vide quæ notaui ad Chronicũ n. 62. & Aduersaria n. 33.

NEquid verò intactum relinquamus, quod spectat ad Historiam vitæ Auctoris, scribit Trithemius fuisse nationē

tione Italum, ex Papiâ oriundum, Berengarij quondam Regis Italiæ Scribam, & à Secretis. quod ex eius scriptis procul dubio deprehendisse sibi visus est: nam in prologo lib. tertij Antidosis *scribit de eodem Italiæ Rege, & eius vxore VVillâ:* Tanta enim mendaciorum iacula, tanta rapinarum dispendia, tanta impietatis molimina in me & domum meam, cognationem & familiam, gratis exercuêre, quanta nec lingua proferre, nec calamus scribere valet. *Habebat igitur Luitprandus in Italiâ, sub ditione Berengarij, domum, cognationem & familiam. Deinde cap. 2. eiusdem libri tertij de conflagratione Papiæ agens, S. Syrum, eius vrbis Tutelarem, vocat* Sanctissimum Patrem nostrum, Doctoremque egregium; *& paulò pòst,* Beatissimum Patronum nostrum. *Rursus cap. 5. narrat genitorem suum ab Hugone itidem Italiæ Rege legatum fuisse missum ad Imperatorem Constantinopolitanum. & lib. quinto cap. 14. quonam pacto parentes ipsum Berengario in seruitium tradiderint, scribit: cui etiam immensis oblatis muneribus, Secretorum eius conscium, ac Epistolarum constituerunt signatorem. Et tandem lib. sexto agit de vitrico suo, cuius impensis priorem Constantinopolitanam legationem obiuit pro Berengario, eiusq; gratiâ Papiâ seu Ticino soluit. quæ omnia Italum fuisse videntur conuincere.*

Nihilominùs alia multa sunt, quibus Hispanum fuisse genere videatur ostendi. In Hispaniâ siquidem primò omnium Subdiaconatus officio Toleti donatus est à Bonito III. Toletano Antistite: quod scribit Iulianus in Chronico anno Christi DCCCC. XLVI. *num.* 503. *&* 505. *ipseq; Luitprandus in suo, anno Christi* DCCCC. XXXVIII. *& in Epistolis ad Regimundum. Id autem eo tempore contigit, quo Toletum, & Hispania panè omnis, sub iugo Saracenorum gemebat. Tunc verò non videtur credibile, Italum hominem, diuitem, nobilem & Christianum illuc petijsse, vt, liber cùm esset, captiuus viueret, quando nimirum ipsis Toletanis integrum non erat sine magnis incommodis vitam ducere. Quare potiùs existimandus est filius Hispanorum, eorum videlicet, qui ma-*

lorum captiuitatis pertæsi ad Italiam concesserant: à quibus amore patriæ allectis, in eam, velut in propriam, missus fuerit. Atque eò spectat singularis ille affectus amoris, quo Regimundum prosecutus semper fuit, non solùm cùm in eâdem Ecclesiâ Toletanâ ille Presbyteri, ipse verò Subdiaconatus, fungebantur officijs; sed post annos multos cùm in remotissimâ vixit Germaniâ. Quæ enim causa alia eum moueret, vt vniuersa Opera sua Regimundo nuncuparet, cùm videlicet in Italiâ & Germaniâ neutiquam ei Mæcenates deessent? aut vnde illi erga Regimundum obseruantia tanta, quòd ab eo compulsus Rerum per Europam gestarum Historiam *scripserit? vti in Præfatione eiusdem fatetur. Et hoc validius pro germanitate Chronici Luitprandi argumentum est. Affectum quoque suum ad Hispanos toto ferè* Antidosis *Opere commendauit: ab eis exordiatur, & in eis desinit. nam lib.1. cap.1. facinus Saracenorum Cordubensium, in Fraxineti, Italiæ oppidi, occupatione describit; & lib.6. cap.2. & 3. agit de Hispanorum legatione ad Imp. Constantinopolitanum, cùm ipse simile munus obiuit. Sed, quod caput est, lib.5. cap.1. cùm Regimundum alloquitur de victoriâ apud Clauisium à Ranimiro Catholico Rege de Abdaram Saraceno obtentâ, qui in totam Baticam dominabatur, Abdaram vocat* Regem nostrum; *suum videlicet, & Regimundi, qui Illiberi in Baticâ Episcopus erat. Accipe Luitprandi verba.* Hoc tempore, vt ipse Pater benè nosti, sol magnam & cunctis terribilem passus est eclipsim, sextâ feriâ, horâ diei tertiâ. Quâ etiam die Abdaram Rex noster à Radamiro Rege Christianissimo Galitiæ in bello superatus est. *Vnde, quæso, Abdaram Cordubensis Luitprandi Rex fuit, si ipse Hispanus, origine saltem, non erat? Quòd enim Regimundi solius Rex esset, satis non erat, vt ipse etiam* Regem suum *vocitaret. Videtur potiùs inde deduci, Luitprandum aut domo & familiâ Cordubensem, aut Baticum vt minimùm fuisse; parentesq; eius à Saracenis fugatos in Italiâ consedisse. Atque hinc forsitan euenit, vt, cùm toto opere* Antidosis *Italiam millies, centies Papiam scribat, nusquam* patriam suam *eam dixerit. Nam quòd S. Syrum* nostrum *vocarit*

carit Patronum, *Ticinensis Diaconatus in causâ fuit. & nihil plus eo dicendi charactere conuincitur. Ad extremum, quâ aliâ rogo de causâ motus Luitprandus, in vltimâ senectute, iterùm Hispanias adijt, & Toleti itidem constitit? vbi non multò pòst in Ecclesiâ S. Iustæ, quæ eo tempore Cathedralis erat, sepulchri locum accepit, funus ipsius Felice Archiepiscopo honorificè prosequente. Cui rei Julianus tuus, V. C. testimonium perhibet, ad annum Christi* DCCCC. LXXIII. *num.*513. *cùm esset plus minus* LXIII. *annorum ætatis, vtpote qui anno* DCCCC. XXVI. *in obitu parentis sui, pueriles nondum excesserat.*

Iure igitur lucubrationes eius, è tenebris erutas, & doctè recensitas, illustratas bonarum litterarum immenso commodo, Hispanus pariter posteritati consecras, recepturus pro tanto munere gratiam ab omnibus eruditis. Vale clarissime Vir, & te Deus Opt. Max. bono Christianæ Reipubl. diu incolumem seruet. Vallisoleti XX. *Decembr. anno Salutis humanæ* M. DC. XXXI.

ELOGIA
DE
LVITPRANDO
SVBDIACONO TOLETANO,
TICINENSI DIACONO,
TANDEM CREMONENSI EPISCOPO.

SIGEBERTVS *de Ecclesiasticis Scriptoribus cap.* CXXVII.

LVITPRANDVS Ticinensis Ecclesiæ Diaconus scripsit luculento & alterno stylo, ad Regimundum Episcopum Liberitanæ Ecclesiæ Hispanorum, Historiam de gestis Regum & Imperatorum sui temporis, quam attitulauit Antapodosin.

IOANNES TRITHEMIVS *de Scriptoribus Ecclesiasticis.*

EVTRANDVS Ticinensis Ecclesiæ Diaconus, natione Italus, ex Papiâ ciuitate oriundus, Berengarij Regis quondam Italiæ Scriba & Secretarius, vir in sæcularibus litteris valdè eruditus, & diuinarum Scripturarum non ignarus, ingenio acer & vehemens, Græco & Latino sermone peritus, & non minùs carmine excellens quàm prosâ, fertur nonnulla præclara scripsisse opuscula, quibus nomen suum notificauit. A Berengario Rege Italiâ pulsus, venit in Germaniam; & apud Francfordiam positus, scripsit insigne opus, Historiam sui temporis, & tyrannidem ipsius Beren-

Berengarij continens: quod quasi pro vicissitudine iniuriarum ab eâ perceptarum prænotauit Antapodosin, id est Retributionem, lib. VII. *Regnantibus, imò sæuientibus.* De aliis nihil vidi. Scripsit autem præfatum volumen ad Regimundum Episcopum Liberitanæ Hispaniarum Ecclesiæ: in quo aliquando carmine vtitur, aliquando Græco sermone, multa de Germanorum gestis interserens. Claruit sub OTHONE I. Imperatore, anno Domini DCCCC. L.

Idem habet in Chronico Hirsaugiensi, ad annum Domini DCCC. XCII.

LVDOVICVS CLAVITELLIVS *Patricius Cremonensis in Annalibus Cremonensibus anno* DCCCC. LXVII.

LVIZONE Episcopo Cremonæ defuncto subrogauit Luitprandum; eique mortuo infra breue tempus, Oldericum Gallum.

INDEX

INDEX ET ORDO OPERVM LVITPRANDI.

Rerum gestarum ab EVROPÆ IMPERATORIBVS ET REGIBVS Libri sex.

LEGATIO ad NICEPHORVM PHOCAM Imp. Constantinop. pro OTTONIBVS Augustis & ADELHAIDA.

Liber de PONTIFICVM ROMANORVM Vitis.

CHRONICON, nunc primùm in lucem editum; P. HIERONYMI DE LA HIGVERA Societatis IESV Presbyteri, & D. LAVRENTII RAMIREZ DE PRADO Consiliarij Regij, Notis illustratum.

ADVERSARIA, nunc item primùm in lucem edita, & eiusdem D. LAVRENTII Notis illustrata.

His subiunguntur

PRÆSVLVM Epistolæ, quas collegit Scholiisque illustrauit IVLIANVS Archipresbyter S. IVSTÆ, addiditque Notas idem D. LAVRENTIVS RAMIREZ DE PRADO.

Diptychon Toletanum, siue de Tabulis Toletanis Episcoporum Primatum eius Sedis, auctore eodem P. HIERONYMO DE LA HIGVERA.

LVIT-

LVITPRANDI TICINENSIS DIACONI RERVM GESTARVM AB EVROPÆ IMPERATORIBVS ET REGIBVS LIBRI SEX.

AD
REVERENDVM PATREM
RAIMVNDVM
LIBERITANÆ ECCLESIÆ
IN HISPANIA EPISCOPVM
PROOEMIVM.

REVERENDO *totiúsque sanctitatis pleno Domino Raimundo, Liberitanæ Ecclesiæ Episcopo, Luitprandus, Ticimensis Ecclesiæ, suis non meritis, Leuites, Salutem. Biennio ingenij paruitate petitionem tuam, Pater charissime, distuli, quâ totius Europæ me Imperatorum Regumq; facta, sicut is qui non auditu dubius, sed visione certus, ponere compellebas. Hæ siquidem res animum deterruere meum, ne id inciperem; copia (cuius sum penitus expers) dicendi, & detractorum inuidia: qui supercilio tumentes, lectionis desides, ac (secundùm eruditi viri Boëtij sententiam) Philosophiæ vestis particulam habentes, totamq; se habere putantes, hac mihi sunt insultantes dicturi: Tanta maiores nostri scriptitarunt, vt multò amplius lectores quàm lectiones deficiant. illudq; Comicum garrient: Nihil dicetur quod non fuerit dictum priùs. Quorum latratibus hoc respondeo, quòd Philosophi, more hydropicorum (qui quò amplius bibunt, eò ardentius sitiunt) quò sæpius legunt, eò auidius noua quæq; perquirunt. Qui si perplexâ facundi Tullij lectione fatigantur, apertis saltem naniis animen-*

Quæ à scribendo deterrebant.

*tur. Nam, ni fallor, ſicut oculorum obtutus, niſi alicuius interpoſitione ſubſtantiæ ſolis radiis reuerberatus, obtunditur, ne purè vt eſt videatur; ita planè mens Academicorum, Peripateticorum, Stoïcorúmque doctrinarum iugi meditatione infirmatur, ſi non aut vtili Comœdiarum riſu aut Heroum delectabili hiſtoriâ refocillatur. Quòd ſi priſcorum ritus execrabilis Paganorum non ſolùm inquam non proficuus, verùm auditu ipſo non parum nocuus, * Thronus memorandus inſcribitur; quid iſtorum Imperatorum facta, Iulij, Pompeij, Annibalis, fratriſq; eius Aſdrubalis, ac Scipionis Africani, inſignium Imperatorum laudibus coæquanda, ſilebuntur? cùm præſertim inſit his Domini noſtri* IESV CHRISTI, *dum ſanctè vixerint, bonitas recitanda; dum quid deliquerint, ſalubris ab eodem correctio memoranda. Nec moueat quempiam, ſi enervatorum facta Regum, Principúmve effeminatorum, huic Libello inſeruero. Vna eſt enim iuſta omnipotentis* DEI, *Patris ſcilicet Filijq; & Spiritus ſancti, virtus; quæ hos iuſtè ſuis pro ſceleribus comprimit, illos dignis meritis extollit. Hæc inquam eſt vera Domini noſtri* IESV CHRISTI *Sanctis facta promiſsio: Obſerua, & audi vocem meam, & inimicus ero inimicis tuis, & affligentes te affligam, & præcedet te Angelus meus. Per Salomonis quoque os Sapientia, quæ eſt* CHRISTVS, *clamat: Pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos. Quod quotidie etiam qui ſtertit, animaduertit.*

* Tonus

LVITPRANDI TICINENSIS DIACONI RERVM GESTARVM AB EVROPÆ IMPERATORIBVS ET REGIBVS LIBER PRIMVS.

De Fraxineti oppidi in confinio Italiæ ſitu, & eius à viginti Saracenis piratis occupatione, & munitione cum Mauro monte; deque Saracenorum incrementis per inuidiam & factionem vicinorum Chriſtianorum inter ſe. CAPVT I.

VT autem euidens ex innumeris ſubdatur exemplum, me tacente loquatur oppidum vocabulo Fraxinetum, quod in Italicorum Prouincialiumque confinio ſtare manifeſtum eſt. Cuius vt cunctis liquidò pateat ſitus (quemadmodum tuam Pater prudentiam latere minimè reor, imò me meliùs ſcire, ſicut ab ipſis, qui veſtri ſunt tributarij regis Abderahamenis, poteſtis conijcere) mari vno ex latere cingitur, & in ceteris denſiſſimâ ſpinarum ſiluâ munitur. Quam ſi ingreſſus quiſpiam fuerit, ita ſentium hamis tenetur, & acutiſſimis aculeis perforatur, vt neque progreſſionis neque reditus niſi cum magno labore habeat facultatem.

Fraxinetum à Saracenis capitur.

Sed occulto, & (quoniam ſecùs eſſe non poteſt) iuſto Dei iudicio viginti tantùm Saraceni, lintre paruâ ex Hiſpaniâ egreſſi, nolentes iſtuc vento delati ſunt. Qui piratæ noctu egreſſi, villamque clàm ingreſſi, Chriſticolas (proh dolor!) iugulant, locumque ſibi proprium vendicant; montemque Maurum villulæ cohærentem contra vicinas gentes refugium parant; ſpineam ſiluam hoc pacto maiorem & ſpiſſiorem ſuâ pro tuitione facientes, vt ſi quis ex eâ vel ramum incideret, mucronis percuſſione hominem exiret. Sic-

Mons Maurus munitur.

que factum est, vt omnis, præterquam vnius angustissimæ viæ, aditus demeretur. Loci igitur asperitate confisi, vicinas gentes circumquaque perlustrant. Accersitum complures in Hispaniam nuntios dirigunt, locum laudant, vicinasque gentes nihili se habere promittunt. Centum denique tantummodò Saracenos secum mox reducunt, qui veram rei huius caperent assertionem.

Saraceni socios asciscunt.

Interea Prouincialium, qui illic confederant, vicinorum inuidia cœpit intra sese dissidere, alius alium iugulare, substantiam rapere, & quidquid mali excogitari poterat facere. Sed quia pars partem, vt inuidia & dolor postularant, satis sibi subigere non poterant, hos quos prædiximus Saracenos non minùs callidos quàm perfidos in auxilium rogant; cumque his sibi proximum quisque conterit. Nec iuuat solummodò proximum trucidare, verùm terram fructiferam in solitudinem reddere. Sed videamus quàm iusta secundùm quemdam profuerit inuidia, quam ita describens ait:

Inuidiæ æquitas.

Iustius inuidiâ nihil est, quæ protinus ipsum
Auctorem rodit excruciatque suum.

Quæ dum decipere conatur, decipitur; dum extinguere molitur, extinguitur. Quid igitur? Saraceni cùm hoc suis viribus minimè possent, alteram alterius auxilio partis debellantes, suasque copias ex Hispaniâ semper augentes, quos primò defendere videbantur, modis omnibus insequuntur. Sæuiunt itaque, exterminant, nil reliqui faciunt. Trepidare iam vicinæ ceteræ gentes; quoniam, secundùm Prophetam, horum vnus persequebatur mille, & duo fugarunt decem millia. Ex quâ re? Quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos.

Quis eâ tempestate Papa, & qui Principes terrarum fuerint; & quid gesserint Leo & Basilius, quem Michaël Imperator ex famulo Monachi in socium assumpsit Imperij; & quomodo ab eo interemptus est: & CHRISTVS Basilio apparuit minabundus; qui in pœnitentiam, ædem diuo Michaëli extruxit. CAP. II.

Leo Imperator.

HAc autem tempestate Leo Porphyrogenitus, Basilij Imperatoris filius, Constantini huius pater, qui nunc vsque supersest, & feliciter regnat, Constantinopolitanæ ciuitatis regebat imperium: Simeon fortis bellator Bulgaris præerat, Christianus, sed vicinis Græcis valdè inimicus. Hungarorum gens, cuius omnes pænè nationes expertæ sunt sæuitiam, quæ, miserante Deo, sanctissimi atque inuictissimi Regis Othonis potentiâ, vt latiùs dicturi sumus, mutire non audet exterrita, nobis omnibus tunc temporis habebatur ignota: quibusdam namque difficillimis separata à nobis erat interpositionibus, quas clusas nominat vulgus; vt neque

Simeon Bulgarorum Rex.

neque ad Meridianam neque ad Occidentalem plagam exeundi habuerit facultatem. Per idem tempus Arnulfus Rex potentissimus, defuncto Carolo prænomine Caluo, Baioarijs, Sueuis, Francis, Teutonicis, Lotharingis, audacibusque principabatur Saxonibus; cui & Zwentebaldus Marauanorum Dux viriliter repugnabat: Berengarius & Wido Imperatores ob Regnum Italicum conflictabantur: Formosus Portuensis ciuitatis Episcopus, Romanæ Sedis Summus & vniuersalis Papa habebatur. Sed nunc, quid sub vnoquoque horum gestum sit, quo breuiùs possimus, explicemus.

Arnulfus multorum Rex. *Zwentebaldus.* *Berengarius.* *Formosus Papa.*

Leo igitur Græcorum pijssimus Imperator, cuius suprà fecimus mentionem, Constantini scilicet huius Porphyrogeniti pater, vndique pace habitâ, sanctè & iustè Græcorum regebat Imperium. Porphyrogenitum autem non in purpurâ, sed in domo quæ Porphyra dicitur, natum appello. Et quoniam res processit in medium, quod de huius Porphyrogeniti genesi audiuimus, proferamus.

Leonis pacificum Imperium.

Constantinus Imperator Augustus, ex cuius nomine Constantinopolis est sortita vocabulum ciuitas, domum istam ædificari iussit, cui Porphyra nomen imposuit, voluitque succession suram nobilitatis suæ sobolem istic in lucem prodire; quatenus qui suo ex stemmate nascerentur, luculentâ hac appellatione Porphyrogeniti appellarentur. Vnde & hunc Constantinum, Leonis Imperatoris filium, ex eius sanguine nonnulli dicunt originem ducere. Veritas autem rei huius ita se habet:

Porphyræ domus ædificatio. *Porphyrogeniti.*

Basilius Imperator Augustus, auus huius, Macedoniâ humili fuerat prosapiâ oriundus; descenditque Constantinopolim ἀπ' πενίας ζυγῷ, quod est, paupertatis iugo, vt cuidam seruiret * Abbati. Igitur Imperator Michaël, qui tunc temporis erat, cùm orationis gratiâ ad Monasterium istud, in quo hic ministrabat, descenderet, vidit hunc formâ præ ceteris egregiâ; accitumque ad se Abbatem rogauit, vt se donaret hoc puero. Quem suscipiens in palatio, Cubicularij donauit officio. Tantæ denique post paululum potestatis effectus est, vt alter ab omnibus Imperator sit appellatus.

Basilij Imperatoris genus. * Ἡγεμόνι, id est Duci.

Verùm quia omnipotens DEVS seruos suos iustè visitat, quacumque vult censurâ, hunc Imperatorem Michaëlem sanæ mentis ad tempus non esse permiserat; vt quò eum grauiùs premeret in infimis, eò misericordiùs remuneraret in summis. Nam, vt fertur, huius tempore passionis, familiares etiam capitis iusserat damnari sententiâ. Quos tamen ad se rediens hoc pacto requirebat, vt nisi quot iugulari iusserat redderentur, pari ipsi qui hoc effecerant sententiâ damnarentur. Hoc igitur terrore quos damnari iusserat, seruabantur. Sed cùm hoc sæpiùs & iterùm Basilio faceret, huiusmodi à sibi obsequentibus (proh nefas!) accepit consilium: Ne fortè insana

Michaël Imperator mente captus: *Familiares damnat:*

insana Regis iussio aliquando ex industriâ à te non diligentibus, imò odio habentibus, impleatur; eum tu potiùs occidito, atque Imperialia sceptra susci-
A Basilio interimitur. pito. Quod sine dilatione, cùm terrore compulsus, tum etiam regnandi cupiditate deceptus, compleuit. Hoc itaque interfecto, factus est Basilius Imperator.

CHRISTVS *ad Basilium.* Denique, paruo transacto tempore, huic Dominus noster IESVS CHRISTVS per visionem apparuit, Domini huius Imperatoris, cuius hic necis extiterat auctor, dexteram tenens, eumque ita conueniens: Vt quid interfeciſti Regem, hoc est Dominum tuum
Basilij pœnitentia. Imperatorem? Expergefactus itaque, tanti se reum nouit esse reatus; moxque ad se rediens, quid super hoc faceret cogitabat. Confortatus itaque hac Domini nostri IESV CHRISTI per Prophetam salubri & verè acceptabili promissione; In quacumque die peccator ingemuerit, saluus erit; cum lacrymis & gemitibus se peccatorem, se reum, se sanguinis innocentis effusorem esse confitebatur. Bono autem accepto consilio, amicos sibi de mammonâ iniquitatis effecerat; vt quos hîc temporalibus subsidijs consolaretur, eorum precibus ab æterno gehennæ incendio liberaretur. Fabricauit autem pretioso & mirabili opere iuxta palatium, Orientem
Ædes diui Michaëlis. versus, Ecclesiam, quam νέαν, id est nouam, vocant, in honore summi & cælestis militiæ Principis Archangeli Michaëlis, qui Græcè Ἀρχιστράτηγος appellatur.

De Constantinopolis nominibus, situ, & circumhabitantibus, deque vigiliâ nocturnâ ibidem constitutâ à Leone Imperatore: cuius vt fidem & diligentiam experiretur, in habitu iuuenis lasciui illapsus in duas custodias, eas muneribus corrupit, à tertiâ in carcerem ductus: priores exilio mulctauit, posteriores opibus & honore extulit. CAP. III.

NVnc autem non pigeat libellulo huic res duas, quas eiusdem Basilij filius memoratus Leo Imperator Augustus memoriâ suâ dignas fecit, inserere. Constantinopolitana vrbs, quæ
Constantinopolis situs. priùs Byzantium, noua nunc dicitur Roma, inter ferociſſimas gentes est constituta: habet quippe ab Aquilone Hungaros, Pizenacos, Chazaros, Russos, quos alio nomine nos Nortmannos ap-
Nortmanni Russi. pellamus, atque Bulgaros nimiùm sibi vicinos: ab Oriente Bagdas; inter Orientem & Meridiem, Ægypti Babyloniæque incolas: à Meridie verò Africam habet, & notam illam vicinam sibique contrariam insulam Cretensem. Ceteræ verò quæ sunt sub eo climate nationes, Armenij scilicet, Persæ, Chaldæi, Auasgi huic
Excubiæ. deseruiunt. Incolæ denique ciuitatis huius sicut memoratas gentes diuitijs, ita & sapientiâ superexcellunt. Moris quippe eorum est, ne à vicinis gentibus opprimantur, singulis quibusque noctibus per

per totius ciuitatis biuium, triuium quadriuiumque, armatos milites, caussâ custodiendæ ciuitatis, qui eam inuigilent, ponere: fitque, vt si post crepusculum quemquam deambulantem aliquò custodes offenderint, captus protinus, verberibusque cæsus, custodiâ peruigili compedibus in carcere strictus, vsque in crastinum in publicum producendus seruetur. Hoc denique pacto non solùm ab hostibus, verùm & à latronibus illæsa ciuitas custoditur. Leo *Leo Imperator à vigilibus deprehensus.* itaque Imperator vigilum fidem constantiamque probare volens, solus post crepusculum è palatio descendens, ad primam peruenit custodiam: quem vt vigiles fugientem, & quasi metu declinantem viderunt, comprehensum quis esset interrogauerunt, quóve pergeret. Qui è multis vnum se esse, & lupanar petere dixit. cui mox: Cæsum te acriter, inquiunt, compedibusque strictum vsque in crastinum reseruabimus. quibus respondit: Nequaquam fratres, nequaquam, accipite quod porto, permittite ire quò volo. Qui, duodecim aureis acceptis, eum dimiserunt. Inde verò transiens ad secundam venit custodiam. Quâ quemadmodum & in primâ captus, datisque viginti aureis est dimissus. Ad tertiam deinde dum venisset, est captus; verùm non vt à primâ ac secundâ datis aureis est dimissus, sed ablatis omnibus, compedibusque grauiter strictus, pugnis flagrisque verberatus, custodiâ vsque in crastinum producendus seruatur. His itaque discedentibus, custodem carceris Imperator ad se vocans; Amice mi, inquit, Leonem Imperatorem nosti? Quomodo, infit, noscere possim, quem vidisse me non meminerim? ad publicum sanè, quamquam rarò, dum procedo, à longè, quia propè nequeo, eum intueor; mirabile quiddam, & non hominem, videre videor: dare autem te operam quò illæsus exeas, quàm id percontari, tibi commodius est. Non æquè vos, te quidem in carcere, illum autem in aureo triclinio fortuna fouet. Parua sunt hæc, grauiora addantur vincula, ne sit spatium de Imperatore meditandi. Cui ille: Desine, inquit, desine; Imperator enim ipse sum Leo Augustus, qui de palatij dignitate non bono omine prodij. Carceris autem custos, sperans non vera esse quæ dixerat; Egon', inquit, hominem impurum, bona sua cum meretricibus abligurientem, Imperatorem credam? Quoniam tete tu neglexisti, pro te ego despiciam mathesin. Mars trigonus, Saturnus Venerem respicit, Iupiter quadratus, Mercurius tibi iratus, Sol rotundus, Luna in saltu, mala fortuna te premit. Imperator verò, Vt vera, inquit, probes esse quæ dico, dum matutinale dederint signum (antè enim non ausi sumus) mecum ad palatium potiori quàm ego descenderim omine venito: si me vt Imperatorem non istic recipi videris, occidito: non minoris quippe criminis erit, me Imperatorem dixisse, si non sim, quàm aliquem occidisse. Si verò

te ob id mali quidquam pati formides, hoc faciat mihi Deus, & hoc addat, si non potiùs præmium pro hac re sumes quàm supplicium. Igitur carceris custos credulus effectus, dato, Imperator, vt dixerat, matutinali signo, eum ad palatium vsque comitatur: cumque eódem venisset, venerabiliter sicut à se noscentibus susceptus, comitem suum exanimatum nimiâ admiratione reddidit. Sanè dum huic omnes Dignitates occurrere, laudes reddere, adorare, soccos detrahere, alia atque alia pro se quemque facere contemplaretur, emori ei satius tunc esse duxit quàm euiuere. Cui Imperator, Contemplare, inquit, nunc mathesin; & si verè quo huc adueneris omine dixeris, veram te augurandi scientiam habere probabis. Priùs tamen, quæso, quid morbi sit proferas, quod te tam pallidum
Parcæ. reddidit. Cui ille, Parcarum, infit, optima Clotho iam nere desinit: Lachesis verò in torquendo ampliùs laborare non cupit: sæuissima autem harum Atropos solam imperij tui sententiam expectat, vt fila contrahens abrumpat. Palliditatis autem vultus mei caussa hæc est, animam à capite descendisse, secumque in inferiorem corporis partem sanguinem perduxisse. Subridens igitur Imperator, Recipe, inquit, animam, recipe, & cum hac bis binas aureorum libras assume; nullique de me nisi aufugisse respondeas. His ita gestis, Imperator vigiles qui se captum dimiserant, quique cæsum custodiæ manciparant, venire præcepit. quibus & ait: Vigilantibus vobis, custodiamque ciuitati præbentibus, numquid fures aliquando adulteroque offendistis? Qui pretio eum dimiserant, nil se vidisse responderunt; qui verò cæsum illum custodiæ mancipauerant, ita responderunt: Præcepit Δεσπότεια σου ἁγία, id est, Dominatio tua sancta, vt si vigiles post crepusculum quemquam aliquò deambulantem offenderent, captum protinus, verberibusque cæsum custodiæ traderent. Tuis itaque nos parentes iussionibus, Dominator sanctissime, hac, quæ præsentem præcessit diem, nocte quemdam lupanaria petentem cepimus, flagellauimus, carcerique impositum imperio tuo producendum seruauimus. Quibus Imperator; Citò, inquit, vt in medium proferatur, potestas imperij mei etiam atque etiam imperat. Nec mora, vinctus vt ducatur, percurrunt. quem dum aufugisse audirent, semiuiui ad palatium sunt reuersi. Quòd cùm nuntiassent Imperatori; mox Imperator se exutum, nimisque cæsum ostendens, Venite, inquit, nolite formidare, ipse ego sum quem flagellastis, quemque è carcere nunc aufugisse formidatis. Scio enim, & verè credo, quòd non
Animaduersio in vigiles. Imperatorem, sed Imperatoris inimicum tundere cogitastis. Hos, qui non vt Imperatorem me, sed vt latronem vitæque meæ insidiatorem dimisere, morte tenus verberatos vrbe expelli, boniique omnibus priuari mea non solùm cupit verùm & iubet auctoritas.

Vos

Vos autem non solùm meis, sed & horum peruersorum diuitijs dono. Quod quàm prudenter egerit, Paternitas tua in hoc aduertere poterit; quoniam ceteri ex tunc ciuitatem diligentissimè custodire, hunc etiam absentem quasi præsentem *sperare. Sicque factum est, vt Imperator ampliùs de palatio non descenderet, & sui omnia fideliter custodirent. * *Pro* sperabant, *id est* timebant.

De altero Leonis Imperatoris sagaci ludo, quo vigiliam vnius è duodecim palatij & corporis sui custodibus dignè remuneratam voluit, ceteris elusis ob somnolentiam. CAP. IV.

ALterum quem ipse egit ludum, silentio tegi absurdum esse diiudico. Constantinopolitanum palatium ob Imperatoris salutem multorum præsidijs militum custoditur; custodientibus verò victus censusque quotidie non paruus impenditur. Contigit itaque duodecim post corporis refectionem, in ipso feruore diei, vnâ in domo quiescere. Mos quippe Imperatoris erat cunctis quiescentibus totum perreptare palatium. Qui cùm die quadam eódem quò duodecim memorati lethæo sese dederant sopori, peruenisset, ligno modico, vt non incallidus, ostij pessulo proiecto ingrediendi sibi aditum fecit. Vndecim verò dormientibus, vt ars artem falleret, duodecimus peruigil stertere ceu dormiens cœperat; contractisque in faciem brachijs, totum quod Imperator faceret diligentissimè considerabat. Imperator igitur ingressus, dum obdormire cunctos perspiceret, aureorum numismatum libram pectori *Leo dormientibus palatinis custodibus aurum in sinum misit.* vniuscuiusque apposuit; moxque clàm egressus, ostium vt priùs fuerat clausit. Eò autem hoc egit, quatenus excitati & de lucro grà- tularentur; ac qualiter hoc acciderit admirarentur. Denique, discedente Imperatore, qui vigil solus extiterat, surrexit, domientiumque nummos aureos sibi assumpsit, atque reposuit; posteà verò quieti sese reddidit. Imperator igitur de hoc ludo sollicitus, post nonam, duodecim hos quos nominauimus ad se venire præcepit; eosque ita conuenit: Si fortè vestrûm quempiam somnij visio deterruit, aut hilarem reddidit, vt in medium proferat, mea iubet auctoritas; nec minùs, & si quid nouitatis expergefactus quisque vidit, vt detegat imperat. Hi itaque quemadmodum nihil viderant, nihil se vidisse responderunt. Magis autem super hoc admirati, conticuere, intentique ora tenebant. Existimans Imperator eos non rei veritate sed calliditate aliquâ reticere, succensus est, atque magis cœpit nonnulla terribilia reticentibus comminari: quod *Faceta narratio vnius è duodecim custodibus.* qui omnium conscius erat vt audiuit, huiusmodi humillimâ & supplici voce Imperatorem conuenit: Humanissime Imperator, hi quid viderint, nescio; ego tamen delectabile, atque vtinam quod

 persæpè

perſæpè contingeret, vidi ſomnium. Vndecim his conſeruis meis & hodie verè, ſed omnino mihi opportunè dormientibus, viſus ſum quaſi non dormiens vigilare. Ecce autem Magnitudo Imperij tui, quaſi occultè oſtium reſerans, clanculumque ingreſſa, libram auri appoſuit ſupra ſingulorum pectus: cumque Imperium tuum quaſi repedare, ſocioſque hac viſione ſtertentes cernerem; continuò, ceu lætus exurgens, vndecim dormientium tuli libras aureorum numiſmatum, meoque marſupio, in quo vna erat, appoſui; quatenus ob tranſgreſſionem Decalogi, ne ſolùm vndecim, verùm ad memoriam Apoſtolorum, meâ vnâ adhibitâ, & ipſæ eſſent duodecim. Viſio hæc, Pater Auguſte, bonum ſit neſcio, vſque modò me non deterruit, ſed hilarem reddidit. O vtinam interpretatio alia Imperio tuo non placeat! nam & me diuinum & ſomnij venditorem eſſe liquidò patet. His auditis, magno eſt cachinno Imperator inflatus; verùm prudentiam eius atque ſollicitudinem plus admiratus, protinus infit: Antehac te neque diuinum neque ſomnij venditorem eſſe audiui, hanc verò rem nunc ita apertè dixiſti, ac ſi nullâ circumitione vſus eſſes: ſed quia vigilandi facultatem ſine auſpicandi ſcientiâ habere non poſſes, niſi diuino eſſet tibi munere traditum; ſeu verum ſit, vt ſperamus, imò credimus, ſeu falſum (fertur enim de quodam, quòd dormiens multa reperit, à gallo excitatus nihil inuenerit) tu tamen quidquid videris, quidquid repereris, tuum ſit. His auditis, quantâ ceteri ſint confuſione repleti, quantoque is gaudio ſit plenus, eorum quiſque in ſe perſonas ſuſcipiens, animaduertere poterit.

De Arnulfi, qui per Hungaros Zvventebaldum vicit, ſtolidâ temeritate, cùm genti pernicioſæ ad Chriſtianos ſubiugandos aditum munierit. CAP. V.

ARnulfus intereà earum quæ ſub Arcturo ſunt gentium Rex fortiſſimus, cùm Zwentebaldum Marauanorum Ducem, quem ſuprà memorauimus, ſibi viriliter repugnantem debellare nequiret; depulſis his (proh dolor!) munitiſſimis interpoſitionibus, quas vulgò cluſas nominari prædiximus, Hungarorum gentem cupidam, audacem, omnipotentis Dei ignaram, ſcelerum omnium non inſciam, cædis & omnium rapinarum ſolummodò auidam, in auxilium conuocat; ſi tamen auxilium dici poteſt, quod paulò pòſt eo moriente, tum genti ſuæ tum ceteris in Meridie Occaſuque degentibus nationibus graue periculum, imò excidium fuit. Quid igitur? Zwentebaldus vincitur, ſubiugatur, fit tributarius; ſed Domino ſolus. O cæcam Arnulfi Regis regnandi cupiditatem! ô infelicem amarumque diem! Vnius homuncionis deiectio,

Arnulfus Hungaros in Zvventebaldum perniciosè aduocat.

Exclamatio in temeritatem Arnulfi.

ctio, fit totius Europæ contritio. Quot mulieribus viduitates, patribuſque orbitates, virginibus corruptiones, Sacerdotibus populiſque Dei captiuitates, Eccleſijs deſolationes, terris inhabitatis ſolitudines, cæca ambitio paras? Legiſtin, obſecro, ipſius Veritatis verba dicentis: Quid prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro animâ ſuâ? Quòd ſi te veri Iudicis non terruit ſeueritas, ipſa ſaltem furorem tuum humanitatis temperaret communitas: eras enim inter homines homo ſi dignitate ſublimis, non tamen naturâ diſſimilis. Flebilis heu miſerabiliſque conditio! cùm illa beſtiarum ſerpentiumque ſeu alitum genera, quæ intolerabilis ſæuitia ac letale virus ab hominibus ſeparata eſſe facit, vt ſunt baſiliſci, qui Latinè reguli, vel rhinocerotes ſeu gryphes, quæ & aſpectu ſuo cunctis pernicioſa eſſe videntur, inter ſeſe tamen pro originis ipſius affinitatiſque conſortio pacata & innoxia perſeuerant: homo autem, cùm ſit ad imaginem & ſimilitudinem Dei formatus, legis Dei conſcius, rationis capax, non ſolùm proximum non amare poteſt, ſed & odiſſe plurimùm valet. Videamus igitur quid Ioannes non quilibet, ſed virgo ille egregius, cæleſtis ſecreti conſcius, cui Chriſtus in cruce Matrem Virginem virgini commendauit, ſuper talibus dixerit: Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt: & ſcimus, quòd omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem. Sed redeamus ad rem. Deuicto namque Zwentebaldo Marauanorum Duce, Arnulfus pace habitâ Regno potitur. Hungari interim obſeruato exitu, contemplatique regionem, cordibus malum, quod poſtmodum in propatulo apparuit, machinabantur.

De VVidonis (quem alij Guidonem, alij Hugonem vocant) & Berengarij Ducum confœderatione; ita vt, mortuo Carolo Caluo, VVido ſe Franciæ Romanæ Regem inungi curauerit, Berengarius Italiæ. Franci autem iam Odonem Regem conſtituerant. Et de cauſsâ leui, cur Franci VVidonem reiecerint. CAP. VI.

DVm hæc aguntur, Rex Galliæ Carolus, qui cognominatus eſt Caluus, præſentem moriendo mutauit vitam: cui dum viueret, duo ex Italiâ præpotentes Principes ſeruiebant; quorum alter Wido, alter dictus eſt Berengarius. Hi ſanè tanto ſunt amicitiarum fœdere conglutinati, vt ſibi hoc iureiurando promitterent, quòd ſi Regi Carolo ſuperſtites forent, alterius alter ordinationi conniueret; ſimul vt Wido quam Romanam dicunt Franciam, Berengarius obtineret Italiam. Sed cùm ſint nonnulla incerta & inſtabilia amicitiarum genera, quæ diuerſis modis humanum genus

Carolus Caluus.

VVidonis & Berengarij confœderatio.

Amicorum duo genera.

Amicitia coniuratorum infirma.

dilectionis societate connectunt, vt quosdam præcedens commendatio postmodum amicitiæ inire facit commercia, alios negotiationis, seu militiæ vel artis ac studij similitudo: quæ & sicut ex diuersis vel lucri vel libidinis vel necessitudinum variarum societatibus acquiruntur; ita intercedente qualibet diuortij occasione soluuntur. Hoc tamen est, hoc inquam amicitiæ genus, quod multis experimentis est sæpissimè comprobatum, nullo modo eos qui amicitiarum fœdus coniurationis iniere principio, indireptam quiuisse seruare concordiam. Sanè quidem callidissimus ille humani generis inimicus, vt homines sui præuaricatores faciat sacramenti, celeriùs sagaciusque ad irrumpendam amicitiam laborat. Quòd si animos rectè sapientum de vero amicitiarum genere percontamur, respondebimus, concordiam veramque amicitiam nisi inter emendatos mores eiusdemque virtutis & propositi viros stare non posse.

Contigit itaque vtrumque, Widonem atque Berengarium, Caroli Regis funeri deesse: cuius tamen interitum Wido vt audiuit, Romam profectus est; & absque Francorum consilio totius Franciæ vnctionem suscepit Imperij. Franci itaque Odonem, quoniam Wido aberat, Regem constituunt; Berengarius verò Widonis consilio, quemadmodum ei iureiurando promiserat, Italici Regni suscepit imperium; Wido autem Franciam petit.

Cumque Burgundionum Regna transiens, Franciam, quam Romanam dicunt, ingredi vellet, Francorum nuntij ei occurrunt, se redire nuntiantes; eò quòd longâ expectatione fatigati, dum sine Rege esse diutiùs non possent, Odonem cunctis petentibus elegerunt. Fertur autem hac occasione Francos Widonem Regem sibi non assumpsisse: nam dum ad Metensem venturus esset vrbem, quæ potentissima in Regno Lotharij claret, præmisit Dapiferum suum, qui alimenta illi more Regio præpararet. Metensis verò Episcopus, dum cibaria ei multa secundùm Francorum consuetudinem ministraret, huiusmodi responsa à Dapifero suscepit: Si equum saltem mihi dederis, faciam vt tertiâ obsonij huius parte sit Rex Wido contentus. Quod Episcopus audiens: Non decet, inquit, talem super nos regnare Regem, qui decem drachmis vile sibi obsonium præparat. sicque factum est, vt Widonem deserent, Odonem autem eligerent.

Cur Franci VVidonem reiecerint.

Francorum igitur legationibus non parum Rex Wido perturbatus, nonnullis cœpit cogitationibus æstuare, tam ex Italico Regno Berengario iureiurando promisso, quàm ex Francorum; præsertim quòd penitus illud se non posse sciuerat adipisci. Inter vtramque autem æstuationem, quoniam Francorum Rex esse nequibat, frangere quod Berengario fecerat iusiurandum deliberat; collectoque

VVido contra fœdus Berengario bellum infert.

ctoque prout potuit exercitu (traxerat sanè & à Francis quamdam affinitatis lineam) Italiamque concitè ingressus, Camerinos atque Spoletinos fiducialiter vt propinquos adijt; Berengarij etiam partibus fauentes vt infidos pecuniarum gratiâ acquirit; itaque Berengario bellum parat.

Copijs denique vtraque ex parte collectis, iuxta fluuium Teruiam, qui quinque à Placentiâ milliarijs distat, ciuile bellum parant: in quo cum partibus ex vtrisque caderent multi, Berengarius fugam petijt, triumphum Wido obtinuit.

Berengarij fuga.

Nec mora, diebus paucis interpositis, collectâ Berengarius multitudine, in Brixiæ latissimos campos Widoni bellum parat: vbi cùm maxima strages fieret, fugâ sese Berengarius liberauit.

Altera eiusdem fuga.

Berengarius Arnulfum in auxilium pollicitationibus pellicit in VVidonem: qui cùm alteram fluuij ripam teneret, & congredi nequirent, Baioarius quidam Arnulfi eques Italos ad certamen insolentiùs prouocauit, & ab Hubaldo quodam victus occubuit; Arnulfique nothus bello decessit. Berengarius autem Arnulfum rursum promissis onerat; qui rediens multas vrbes subiugauit.

CAP. VII.

IAm verò Berengarius, cùm Widoni resistere copiarum paucitate nequiret, potentissimum quem prædiximus Arnulfum Regem in auxilium rogat, promittens se suosque eius potentiæ seruituros, si virtutis suæ adminiculo Widonem superaret, Regnumque sibi Italicum vendicaret. Huius planè tantæ promissionis gratiâ accitus Rex Arnulfus, filium suum Zwentebaldum, quem ex concubinâ genuerat, valido cum exercitu huius in auxilium dirigit; veneruntque pariter omni sub densitate Papiam. Wido verò ita fluuiolum qui Papiam alluit, Veruauolum nomine, tam fudibus quàm exercitu munierat, quatenus altera alteram, ipso medio discurrente, pars partem oppugnare nequiret.

Vnus & vicesimus dies transierat, cùm, sicut prædiximus, altera pars alteri nocere non posset; & Baioariorum vnus quotidie agminibus exprobrans Italorum, imbelles eos atque equitandi inscios clamitabat. Ad augmentum etiam dedecoris, eos inter profilijt, hastamque vni ex manu excussit; sicque lætus in suorum castra repedauit. Hubaldus igitur, Bonifacij pater, qui pòst nostro tempore Camerinorum & Spoletinorum extitit Marchio, tantum gentis suæ cupiens dedecus vindicare, clypeo accepto, obuiàm mox prædicto Baioario tendit: is autem triumphi præteriti non solùm non immemor, sed eo factus audacior, ceu de victoriâ iam securus, hunc contra properat lætus; cœpitque vertibilem equum modò impetu vehementi dimittere, strictis modò habenis retrahere:

Baioarij insolentis prouocatio.

Hubaldi virtus.

memo-

memoratus verò Hubaldus rectà eum cœpit adire. Cumque in eo esset, vt mutuis se figerent vulneribus; more solito Baioarius equo versili varios flexosque per anfractus cœpit discurrere, quatenus argumentis posset Hubaldum decipere. Verùm cùm hac arte terga verteret, vt mox rediens Hubaldum ex aduerso percuteret, equus, cui Hubaldus insederat, vehementer calcaribus tunditur, & per scapulas, antequam reuerti posset Baioarius, lanceâ ad cor vsque perforatur. Hubaldus igitur freno Baioarij præripiens equum, ipsum in medio fluuioli alueo exutum homine reddidit: sicque suorum iniuriæ vltor de triumpho, ad suos redijt hilarior. Hoc sanè factum non mediocrem Baioarijs terrorem, Italicis audaciam intulit. Inito quippe Baioarij consilio, nonnullisque Zwentebaldus à Widone argenti acceptis ponderibus in propria remeauit.

Igitur Berengarius, dum vbi prospera inimico, sibi aduersa prospiceret, cum Zwentebaldo pariter Arnulfi Regis adijt potentiam, orans ac pollicens, vt si ipsum adiuuaret, se totam Italiam, vt antè promiserat, ditioni eius suppositurum. Qui tantæ promissionis gratiâ excitus, copijs collectis cominus Italiam adit. Cui Berengarius, vt promissioni suæ daret fidem credulitatis, arrhabonem clypeum portat.

Verona deditur. *Pergamum siue Bergomum capitur.* *Ambrosius Bergomensis suspenditur.*

Susceptus itaque à Veronensibus, ad vrbem proficiscitur Pergamum: vbi dum, firmissimâ loci munitione confisi, imò decepti, homines ei occurrere nollent, castra metatus ibidem belli fortitudine vrbem capit, incolas iugulat, trucidat; ciuitatis etiam Comitem Ambrosium nomine, cum baltheo & armillis ceterisque pretiosis indumentis suspendi ante portæ ianuam fecit. Quod factum ceteris omnibus vrbibus cunctisque Principibus terrorem non paruum attulit. Quicumque enim hoc audierat, vtraque auris eius tinniebat.

Mediolanenses & Ticinenses deduntur.

Mediolanenses igitur atque Ticinenses hac famâ perterriti, eius non ausi sunt præstolari aduentum; verùm præmissâ legatione, iussioni suæ se obtemperaturos esse promittunt. Othonem itaque, Saxonum potentissimum Ducem, huius glorioſissimi atque inuictissimi Regis Othonis, qui nunc vsque supereſt, & feliciter regnat, auum Mediolanum dirigit gratiâ defensionis; rectà ipse Ticinum petit.

De VVidonis à facie Arnulfi fugâ, Arnulfi metricâ ad suos concione, postquam vrbs Roma capta est; & de Formosi Papæ ab Romanis persecutione, & causâ simultatis. Sergij Antipapæ postmodum intrusi in eum defunctum immanitas; & miraculosa Formosi sepultura. CAP. VIII.

VVidonis fuga.

DEnique Wido huius impetum ferre non valens, Camerinum Spoletumque versus fugere cœpit. Quem sine dilatione acriter

rer Rex insequitur, vrbes & castella omnia sibi resistentia debellans. Nullum siquidem castrum fuerat naturâ etiam ipsâ tam munitum, quòd virtuti huius saltem resistere moliretur. Quid autem mirum, cùm ipsa ciuitatum omnium regina, magna scilicet Roma, huius impetum ferre nequiuerit. Enimuerò dum à Romanis ingrediendi vrbem huic fiducia negaretur, conuocatos ad se milites ita conuenit:

Concio metrica Arnulfi.

Magnanimi Proceres & clari Marte secundo,
Arma quibus studium fuluo radiare metallo,
Romulidæ sueti vacuis quod condere sceptris,
Sumite nunc animos; vobis furor arma ministret.
Non Pompeius adest, non Iulius ille beatus,
Qui nostros domuit proauos mucrone feroces.
Indolis en huius summam deduxit ad Argos,
*Protulit in lucem quem sancta * Ritanica mater:*
Bis tortâ studium pingues captare siluros
Cannabe, non clypeos manibus gestare micantes.

* *Britannicâ*

His Heroës dictis animos accensi vitam auiditate contemnunt: clypeis denique cratibusque cateruatim operti, muros adire contendunt. Plurima etiam bellorum parauerant instrumenta, cùm inter agendum populo considerante contigit lepusculum clamore eius exterritum vrbem versus fugere: quem dum populus exercitusque, vt assolet, impetu vehementi sequeretur; Romani putantes se impugnari, de muro sese proijciunt. quod populus cernens, sagmatibus sellisque, quibus equis insederant, iuxta murum proiectis, per eorum aceruum muros ascendunt. Populi verò pars quædam, acceptâ mox trabe quinquaginta pedum procerâ longitudine, portam quatiunt; & Romam, quam Leonianam dicunt, in quâ beati Petri Apostolorum Principis pretiosum corpus quiescit, vi capiunt. Ceteri verò qui trans Tiberim erant, hoc timore compulsi, huius dominatui colla submittunt.

Leporis omen. Romanorum panor. *Roma capitur.*

Hoc in tempore Formosus Papa religiosissimus à Romanis vehementer afflictabatur; cuius & hortatu Rex Arnulfus Romam aduenerat: in cuius ingressu, vlciscendo Papæ iniuriam, multos Romanorum Principes obuiàm sibi properantes decollari præcepit.

Formosus Papa Arnulfum ad vltionem aduocat.

Causa autem simultatis inter Formosum Papam & Romanos hæc fuit. Formosi præcessore defuncto, Sergius quidam Romanæ Ecclesiæ Diaconus erat, quem Romanorum pars quædam Papam sibi elegerat: quædam verò pars non infima nominatum Formosum, Portuensis ciuitatis Episcopum, pro verâ religione diuinarumque Scripturarum & doctrinarum scientiâ Papam sibi fieri anhelabat. Nam dum in eo esset, vt Sergius Apostolorum Vicarius ordinari debuisset, ea quæ Formosi partibus fauebat pars, cum

Causa simultatis inter Papam & cives. *Sergius Diaconus Antipapa.*

non mediocri tumultu & iniuriâ Sergium ab altari expulit,& Formosum Papam constituit. Descenditque Sergius in Tusciam, quatenus Adelberti potentissimi Marchionis auxilio iuuaretur : quod & factum est.

Sergius fit vi Papa. Nam Formoso defuncto, atque Arnulfo in propria reuerso, is qui post mortem Formosi Papa constitutus est, expellitur, Sergiusque Papa per Adelbertum constituitur. Quo constituto, vt *Sergij in Formosum immanitas.* impius, Doctrinarumque sanctarum inscius, Formosum è sepulchro extrahi, atque in Sedem Romani Pontificatus sacerdotalibus indumentis indutum collocari præcepit. cui & ait : Cùm Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam vniuersalem Sedem vsurpasti ? His expletis, sacratis mox exutum vestimentis, digitisque tribus abscisis, in Tiberim iactari præcepit; cunctosque, quos ipse ordinauerat, gradu proprio depositos iterùm ordinauit. *In Sergium denuò sacrantem Sacerdotes.* Quod quàm malè egerit, Pater sanctissime, in hoc animaduertere poteris; quoniam & ij qui à Iudâ, Domini nostri IESV CHRISTI proditore, ante proditionem salutem seu benedictionem Apostolicam perceperant, eâ post proditionem proprijque corporis suspensionem minimè sunt priuati, nisi quos improba fortè defœdarant flagitia. Benedictio siquidem quæ ministris Christi impenditur, non per eum qui videtur, sed qui non videtur, Sacerdotem infunditur. Neque enim qui rigat est aliquid, neque qui plantat, sed qui incrementum dat Deus.

Formosi sanctitas. Quantæ autem auctoritatis quantæque religionis Papa Formosus fuerit, hinc colligere possumus; quoniam dum à piscatoribus postmodum esset inuentus, atque ad beati Petri Apostolorum *Miraculum.* Principis Ecclesiam deportatus, Sanctorum quædam imagines hunc in loculo positum venerabiliter salutarunt. Hoc namque à religiosissimis Romanæ vrbis viris persæpè audiui. Sed, his omissis, ad narrandi ordinem redeamus.

De Firmi per Arnulfum obsidione, & per astum vxoris VVidonis, quæ potionem soporiferam Arnulfo propinandam curauerat, solutione : de causâ mali in Arnulfo, eius insolentiâ & templorum profanatione. De Arnulfi consilio in Berengarium cæcandum, eiusque deinde contemptu: de seditione & cæde Ticini, quæ nunc Papia dicitur, factâ. De Anscarij metu, & Arnulfi tetro exitu. CAP. IX.

Firmum, in quo VVidonis vxor, obsidetur. REx Arnulfus desiderij sui compos effectus, persequi Widonem non desijt; profectusque Camerinum, castrum vocabulo & naturâ Firmum, in quo Widonis vxor erat, obsedit. Wido autem in incertis latuit locis. Præfatum igitur castrum nomine & naturâ Firmum vallo circumdatur; omnia bellorum instrumenta,

ta, quibus capi posset, præparantur. Cumque Widonis vxor magnis vndique angustijs premeretur, & euadendi spes illi omnis negaretur, causas mortis Regiæ viperinâ cœpit calliditate exquirere. Accitum namque ad se quemdam Arnulfi Regis familiarissimum, magnis eum muneribus rogat, vt se adiuuet. Qui cùm se non aliter posse testaretur, nisi ciuitatem Domini sui traderet ditioni : illa etiam atque etiam magna auri pondera non solùm pollicens, verùm inpræsentiarum tribuens, orat, vt quodam poculo ab eâ sibi collato dominum suum Regem potaret; quod non periculum mortis daret, sed mentis feritatem mulceret. Quæ etiam suis, vt præberet fidem dictis, ante illius præsentiam hoc vnum suorum potat seruorum : qui vnius horæ spatio conspectu huius astans, sanus abscessit. Verùm veridicam Maronis illius sententiam in medium proferamus: *Vxoris VVidonis astus.*

—— Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames? —— Æneid. 3.

Sumptum namque letale poculum festinus Regi propinat: quo accepto, tanta hunc confestim somni virtus inuasit, vt totius exercitus strepitu triduo excitatus euigilare nequiret. Fertur autem, quoniam dum familiares hunc modò strepitu modò tactu inquietarent, apertis oculis nil sentire, nil loqui potuisse perfectè. Positus tamen in mentis excessu, mugitum reddere, non verba edere videbatur. Huius autem rei actio repedare omnes compulit, non pugnare. *Potio soporifera.*

Credo autem Arnulfum Regem iustâ seueri Iudicis censurâ huiusmodi pestem incurrisse. Secundæ enim res dum imperium huius vbique magnificarent, virtuti suæ cuncta tribuit, non debitum omnipotenti Deo honorem reddidit. Sacerdotes Dei vincti trahebantur, sacræ virgines vi opprimebantur, coniugatæ violabantur. Neque enim Ecclesiæ confugientibus poterant esse asylum: in his namque symbola faciebant, gestus turpes, cantus ludicros,& debacchationes; sed & mulieres eodem publicè prostituebantur. *Arnulfi insolentia.*

Denique redeuntem Arnulfum Regem cum magnâ multitudine, paulatim Rex Wido persequitur. Cumque Arnulfus Bardonis montem conscenderet, ibi suorum consilio definiuit, quatenus Berengarium lumine priuaret, sicque securus Italiam obtineret. Cognatorum verò Berengarij vnus, qui non paruâ Arnulfo Regi familiaritatis gratiâ inhærebat, huius consilium vt agnouit, absque morâ Berengario patefecit: qui mox vt sensit, lucernâ, quam ante Arnulfi Regis præsentiam tenebat, alij traditâ, fugit; atque Veronam percitus venit. *Consilium de excæcando Berengario.*

Omnes extunc Italienses Arnulfum floccipendere, nihili habere : vnde cùm Ticinum veniret, non modica orta est in ciuitate seditio; *Arnulfi contemptus.*

Seditio & cædes Ticini facta.

ditio; tantaque istic strages exercitus facta est, vt cryptæ ciuitatis, quas alio nomine cloacas dicunt, implerentur horum cadaueribus. Quod Arnulfus cernens, quoniam per Veronam non potuit, per

Bardus & mons Iouis.

Hannibalis viam, quam Bardum dicunt, & montem Iouis, repedare disposuit. Cumque Eporegiam peruenisset, Anscarius Marchio istic aderat; cuius exhortatu ciuitas rebellabat. Verùm hic Arnulfus iureiurando promiserat, numquam se à loco eodem discessurum, quàm præsentiæ suæ repræsentarent Anscarium. Is autem

Anscarij metus.

vt erat homo formidolosus valdè, ei omnino similis qui à Marone canitur,

Largus opum, linguâ melior, sed frigida bello
Dextera, ——

de castello exijt, & iuxta murum ciuitatis in cauernis petrarum latuit. Hoc eò fecit, quatenus licitè possent Regi Arnulfo iureiurando satisfacere, Anscarium in vrbe non esse. Itaque iusiurandum istud accepit Rex, atque iter quod cœperat peragens abijt.

Arnulfi exitus dirus.

Profectusque, in propriâ turpissimâ valitudine expirauit: minutis quippe vermibus, quos pedunculos aiunt, vehementer afflictus spiritum reddidit. Fertur autem, quòd præfati vermes adeò scaturirent, vt nullis Medicorum curis minui possent. Vtrùm verò, pro tam immenso scelere, Hungarorum scilicet emissione, secundùm Prophetam, duplici sit contritione attritus; an vt ex præsenti supplicio consequeretur veniam in futuro, solius Dei scientiæ dimittamus. quod & Apostolus dicit: Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo.

De VVidonis obitu, Berengarij in Regnum receptione, sed mox Lanthberti filij VVidonis coronatione, populi in eum fauore & Principum odio. Nam Maginfredus Mediolanensis Comes in eum grassabatur; sed victus, capite punitus est: & Adelbertus Dives in eum mouit. CAP. X.

VVido ad Tarum moritur.

IVstus autem Deus vxori Widonis, quæ huic parauerat mortem, parat viduitatis dolorem. Sicut enim præfati sumus, dum redeuntem Arnulfum Rex Wido è vestigio sequeretur, iuxta fluuium Tarum defunctus est: cuius obitum Berengarius vt audiuit, venit

Berengarius regnat.

festinus Papiam, Regnumque potenter obtinuit. Fideles verò fautoresque Widonis, veriti ne ab eis illatam Berengarius vlcisceretur

Itali duobus gaudent Dominis.

iniuriam; & quia semper Italienses geminis vti Dominis volunt, quatenus alterum alterius terrore coërceant; Widonis Regis defuncti filium, nomine Lanthbertum, elegantem iuuenem, adhuc

Lanthbertus fit Rex.

ephebum minusque bellicosum Regem constituunt. Cœpit denique

que hunc populus adire, Berengarium deserere. Cumque Berengarius Lanthberto cum exercitu magno Papiam tendenti copiarum paucitate occurrere non auderet, Veronam petijt; isticque securus degit.

Odium in Lanthbertum.

Non post multum verò temporis Lanthbertus Rex, cùm esset vir feuerus, Principibus grauis est visus: vnde & Legatos Veronam dirigunt, & Regem Berengarium ad se venire, Lanthbertum verò expellere petunt.

Maginfredi Comitis in Lanthbertum grassatio.

Maginfredus præterea, Mediolanensis vrbis Comes, quinquennio huic rebellis extiterat; qui non solùm vrbem in quâ rebellis erat, Mediolanum scilicet, defenderat, verùm & vicina circumquaque Lanthberto loca seruientia depopulabatur. Quod factum Rex non passus abire inultum, Psalmographicum illud persæpè ruminans: Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Nam

Supplicium.

post paululum capitis hunc iusserat damnari sententiâ. quæ res terrorem cunctis Italiensibus non minimum incussit.

Adelbertus Dives bellum in Lanthbertum mouet.

Denique hoc eodem tempore Adelbertus, illustris Tuscorum Marchio, atque Hildebrandus, præpotens Comes, huic nisi sunt rebellare. Tantæ quippe Adelbertus erat potentiæ, vt inter omnes Italiæ Principes solus ipse cognomento diceretur Dives. Huic erat vxor nomine Berta, Hugonis pòst nostro tempore Regis mater: cuius instinctu tam nefaria cœpit ipse facinora; nam collecto exercitu, cum Hildebrando Comite constanter Papiam tendere festinat.

De Lanthberti strenuâ victoriâ in Hildebrandum, quem fugauit, & Adelbertum, quem cepit, & cauillo illusit, post multorum stragem. CAP. XI.

LAnthbertus interea Rex harum rerum insçius, in Marinco iam aliquantis diebus venationi vacabat: cumque Adelbertus Marchio & Hildebrandus Comes cum diuerso & inualido Tuscorum exercitu Bardonis montem transirent, Lanthberto Regi medio in nemore venanti, vt sese res habuerat, nuntiatur. Is verò sicut erat animi constans, viribusque potens, suos non passus est milites præstolari; sed collectis quos secum habebat centum ferè militibus, cursu præpeti eis occurrere festinat. Iam iam Placentiam venerat, cùm iuxta fluuium Sesterrionem ad Burgum, in quo sanctissimi & pretiosi martyris Domnini corpus positum veneratur, castra metasse nuntiantur. Ignorantes igitur quid superuentura nox pareret, temulenti, post nonnulla inutilia τεφυφδείματα, id est cantilenas, somno sese dedere, stertere, nauseam alij sumptus intemperantiâ facere. Rex igitur animi ferox, tum ingenio callens,

Strages noctu facta.

in ipso eos noctis conticinio opprimit, dormientes ferit, oscitan-

tes iugulat. Ventum est denique ad illos qui ductores huius exercitus erant. Cumque eis non ex multitudine alius, sed Rex ipse præclari huius facinoris nuntius esset, non solùm pugnandi, sed & fugiendi terror ipse abstulit facultatem. Verùm Hildebrandus fugâ elapsus, Adelbertum intra animalium præsepe latitantem dereliquit: qui dum repertus, atque ante Regis præsentiam ductus esset, Rex eum illicò ita conuenit: Sibyllino spiritu vxorem tuam Bertam prophetasse credimus; quæ te aut scientiâ suâ Regem aut asinum facturam se promisit: verùm quia Regem noluit, aut, vt magis credendum est, non potuit, asinum ne mentiretur effecit, dum te etiam cum Arcadiæ pecuaribus ad præsepe declinare coëgit. Præter eum autem, & alij cum ipso nonnulli capiuntur: vinciuntur, Papiam ducuntur, custodiæ mancipantur.

Hildebrandus fugit.

Adelbertus capitur.

Lanthberti cauillum.

De mortis Lanthberti duplici opinione: quarum veriorem putat, quòd ab Hugone Mediolanensi cæsus sit; quod conqueritur. CAP. XII.

HIs ita gestis, Rex Lanthbertus iterùm præfato in loco Marinco venationibus occupatur; quo ab omnium Principum decreto, quid super captis agendum esset, deliberatur. Sed ô vtinam venatio hæc feras caperet, non Reges. Aiunt sanè hunc Regem, dum, sicut moris est, apros effreni consectaretur equo, cecidisse, collumque fregisse. Verùm assertioni huic fidem præbere absurdum esse duco: est enim alia mortis huius, quæ mihi verisimilior videtur, atque ab omnibus populis narratur, assertio. Maginfredus, Mediolanensis vrbis Comes, cuius superiùs paulò fecimus mentionem, dum pro scelere in Rempub. atque in Regem commisso capitis iudicio damnaretur, vnicum possessionis vicarium Hugonem filium dereliquit: quem dum Lanthbertus Rex tum formâ egregiâ tum animi audaciâ nonnullos superare videret, non paruum pro patris morte dolorem collatis visus est beneficijs mulcere quamplurimis; vnde & eum præ ceteris familiaritatis dilexerat priuilegio. Factum est autem, dum Lanthbertus Rex nominato in luco Marinco venaretur (est enim ibidem miræ magnitudinis & amœnitatis lucus adeò venationibus aptus) huc illucque cunctis, vt moris est, discurrentibus, hoc cum vno scilicet Hugone ipsum solummodò inibi remansisse. Cumque Rex aprum in transitu præstolaretur, diuque multum remorante longâ expectatione lassaretur, paululùm sese quieti dedit, vigiliæ custodiam huic infido quasi fido committens. Absentibus igitur cunctis, Hugonis mens custodis, imò proditoris atque carnificis, collatorum beneficiorum immemor, plurimùm patris mortem animo cœpit reuoluere: non considerauit genitorem suum iustam incurrisse necem; iusiu-

Lanthberti mors variè prodita.

Hugo Mediolanẽsis.

Hugo Lanthbertum necat.

iusiurandum quod fecerat Regi violare non metuit; vicarium se Iudæ, Domini nostri IESV CHRISTI proditoris, appellari non timuit: verùm conamine toto virium, ligno non modico dormienti collum fregit. Gladio quippe ferire timuit; ne peccati huius auctorem res eum manifesta probaret. Eò namque mens peruersa ita egit, vt non gladij cicatrix, sed ligni manifesta collisio, hæc reperientibus fidem daret equo cecidisse, collique fractione hominem exiuisse. Latuitque res per annos quàm plurimos: sed dum processu temporis Berengarius Rex nullo sibi resistente Regnum viriliter obtineret, ipse reatus proprij sicut fuerat auctor, exstitit & proditor; impleuitque illud quod Propheta canit: Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ; & iniqua gerens benedicitur. Sed aliter fecisse minimè potuit, propter hæc ipsius Veritatis verba dicentis: Nihil opertum quod non reueletur, & occultum quod non in publicum veniat.

His itaque gestis, cùm Berengarius ampliori ac pristinâ dignitate Regiâ honoraretur, Adelbertus Marchio & ceteri ad propria destinantur.

Berengarius rursus regnat.

Iuuat autem, Pater charissime, tanti huius obitum Regis & deflendo scribere, & scribendo deflere. Inerat namque illi honesta morum probitas, sancta & formidolosa seueritas; & quem iuuentus ornauerat in corpore splendida, mentis canities decorabat sancta. Planè plus ille Reipublicæ quàm Respublica decoris ei contulerat. Quòd si non cita mors hunc raperet, is esset qui, post Romanorum potentiam, totum sibi orbem viriliter subiugaret.

Lanthberti deploratio.

LVITPRANDI TICINENSIS DIACONI RERVM GESTARVM AB EVROPÆ IMPERATORIBVS ET REGIBVS LIBER SECVNDVS.

De Ludouico Arnulfi filio: cuius tempore Hungari Baioariam inuadentes, eam immaniſſimè ꝛaſtauerunt. In quos Ludouicus bellum parat iuxta Lemanum lacum. CAPVT I.

POSTQVAM vitalis calor Arnulfi Regis membra deſerens, corpus reddidit exanime, eius filius Ludouicus Rex cunctis à populis ordinatur. Tanti denique caſus viri vicinos Hungaros, ſicut nec in toto orbe degentes, latere non potuit. Siquidem leti huius fama fuit ipſis omni feſtiuitate iucundior, gratiis omnibus præſtantior. Quid igitur?

Hungarorum immanitas.

Primo mortis huius, natiq́ue eius ordinationis anno, permagno collecto exercitu, Marauanorum gentem, quam virtutis eorum adminiculo Rex Arnulfus ſubdiderat, ſibi vendicant, Baioariorum etiam fines occupant, caſtra diruunt, Eccleſias conſumunt, populos iugulant; & vt magis magiſq́ue timeantur, interfectorum ſeſe ſanguine potant.

Ludouicus itaque Rex gentis ſuæ depopulationem illorumq́ue intelligens crudelitatem, ſuorum omnium animos hac formidine inflammat; vt ſi bello eodem quemquam, quod tum acturus eſſet, deeſſe contingeret, laqueo proculdubio vitam finiret. Innumerabilis denique illa gentis peſſimæ collectio copiis huius obuiàm properare feſtinat. Nec videas ſitientem animam ardentiùs hauſtum laticis gelidi quàm prælij diem gentem hanc crudelem appetere: neque enim haud aliud quàm dimicaſſe iuuat. Vt autem ex libro,

libro, qui de Origine Hungarorum inſcribitur, didici, horum matres mox pueris editis ferro acutiſſimo faciem ſecant; ſcilicet, vt, antequam lactis nutrimenta percipiant, vulnerum tolerantiam ſubire cogantur: dant huic aſſertioni fidem vulnera, quæ pro deficientium dolore propinquorum viuorum corporibus infliguntur: ſanguinem neque prout ἄθεοι καὶ ἀσεβεῖς αὐτὶ θεοῦ ἐκχέουσιν, id eſt, ſine Deo, ſine pietate pro inuitis fundunt. Iamiam Rex Ludouicus collectâ multitudine Auguſtam venerat, quæ eſt in Sueuorum, Baioariorum ſiue Orientalium Francorum confinio ciuitas, cùm inſperata magis, non autem optata gentis huius nuntiatur vicinitas. Sequenti igitur die Lemani ſecus fluminis campos, Martio operi capacitate ſuâ aptos, vtræque acies conuenere.

Hungari poſitis inſidiis Ludouici copias ꝛincunt, & delent; ꝛotiq́ue compotes, Francorum, Saxonum Sueuorumq́ue terras deprædantur. CAPVT II.

PRiùs itaque ac Titani croceum linqueret aurora cubile, Hungarorum gens necis ſitiens, belli auida, hos videlicet Chriſtianos adhuc opprimit oſcitantes: nonnullos namque ſpicula, priuſquam clamores, euigilarunt; citiùs enim ab eis ſpiritus receſſit atque ſomnus. Grauis itaque hinc inde oritur pugna. Verſi terga ſeu in fugam Hungari, directis acriter belis, id eſt telis, plurimos ſternunt;

Nubibus omnipotens Heloim cùm condere Phœbi
Lumina chryſocomi ꝛenerandus cœperit atris,
Vertice cumq́ue polum ſummo clamore remugit.

Alios verò cubilibus confoſſos neque ſtrepitus neque vulnera excitarunt.

Fulgura crebra ꝛolant ſolio demiſſa Tonantis
Ignea: mo x trepidant qui nigrum in candida ꝛertunt;
Conſcia tunc metuunt ſcelerum ſulcare ſuorum
Pectora, iudicio pariter ruitura ſuperno.
Haud ſecùs è ꝛacuis ꝛolitant concuſſa pharetris
Spicula, ſcinduntur ꝛalidæ ſcolaces galeæq́ue.
Concutit ipſa ruens ſegetes cùm grando ſuperba,
Fit ſonitus clangorq́ue ſimul per tecta ſonorus;
Sic galeæ ſtrictis reboant tunc enſibus ictæ,
Corpora ſicq́ue cadunt mutuis confoſſa ſagittis.

Iam deſcendens ſeptimam Phœbus occupauerat horam, & ſerenus adhuc Ludouici partibus Mars fauebat, cùm Turci, ſicut non incallidi, poſitis ex aduerſo inſidiis fugam ſimulant: quos dum Regis populus doli ignarus impetu validiſſimo inſequeretur; om-

ni ex parte prodeunt insidiæ ; quasi victi ipsi victores interimunt. Rex ipse è victore se victum esse miratur ; fitque illi non opinatus grauior casus. Videres equidem saltus, agros passim cadaueribus stratos, riuos & flumina sanguine permixta rubere : tunc hinnitus equorum clangorque tubarum fugientes etiam atque etiam terrere, persequentes magis magisque hortari.

Hungari præterea compotes voti sui effecti, Christianorum hac tam immensâ nece propriæ non satisfecere nequitiæ; sed vt rabiem perfidiæ satiarent, Baioariorum, Sueuorum, Francorum omnia deflagrando Regna percurrerunt. Nec quisquam erat qui horum præsentiam, nisi labore non paruo naturáve munitissimis præstolaretur in locis : factusque est per nonnullos populus hic tributarius annos.

De Adelberti Comitis rebellione, & capitali sententiâ in eum circumuentum Hattonis Archiepiscopi insidiis latâ. CAP. III.

HVius tempore Adelbertus quidam non fortunæ mediocris, sed ex Primatibus magnus ille Heros simultatem non modicam in castello Bauerburg contra Rempublicam exercebat. Sæpè Rex Ludouicus congregatis omnibus super eum irruerat. Cui nominatus Heros non iuxta castellum, vt à plerisque assolet, sed procul à munitione præparat bellum. Regis itaque milites, priusquam re ipsâ huius audaciam mirarentur, Regem præeuntes, pugnæ præludio hunc extra castrum illicere atque interficere cogitabant: Adelbertus præludij huiusmodi non solùm gnarus, verùm etiam debriatus, his obuiàm tam longè à castro processerat, vt non hunc milites eousque ex aduersariis esse cognoscerent, quoad in eorum ceruices istius mucro cædis impatiens desæuiret. Sed cùm septennio fermè Adelbertus Heros rebellionem huiusmodi exerceret, sciens Ludouicus istius audaciæ fortitudinem haudquaquam se nisi tergiuersatione quadam posse deuincere, Hattonem Maguntinæ Sedis Archiepiscopum, quid sibi super hac re faciendum esset, consuluit. qui, vt erat versutiæ plenus, Desine, ait, ego te securum meis sollicitudinibus reddam : ego vt ad te veniat prouidebo ; tu ne redeat curato. Hatto itaque animi confidentiâ, quâ nonnullas res ex infortunio secundas effecerat, animatus, Bauerburg quasi Adelberto compassurus adiit. Cui & ait : Si non & aliam vitam præter instantem putares; tamen iniustè faceres, quòd Domino tuo rebellis existeres, præsertim cùm & quod agis, facias gratis : eo enim quo ferocitatem animi vinceres, quantum ab omnibus, & præcipuè à Rege diligaris, non intelligis. Consulenti itaque mihi fidem admitte ; iusiurandum accipe, quo sine animi vacillatione de castello exire valeas, & redire. Si Sacerdotij mei promissionibus minimè credis, iuramento saltem ne diffidas : quoniam vt te saluum & incolumem de castello eduxero, ita & reducere procurabo. Adelbertus igitur huius melle dulcioribus elogiis delibutus, imò deceptus, iusiurandum ab Hattone accepit ; eumque vt secum pranderet, protinus inuitauit. Hatto verò tergiuersationis, quam exercere post paululum cupierat, non immemor, eodem se haudquaquam pransurum omnimodis interdixit. Nec mora, Hatto de Castello egreditur ; cuius Adelbertus dexteram tenens mox eum insequitur. Quem cùm extra castellum conspiceret ; Pœnitet, infit, me Heros egregie, quia secundùm tuum consultum, præsertim cùm longum iter immineat, corpus edulio aliquo non refecerim. Ignorans denique Adelbertus quantum incommodi quantúmve infortunij hæc scientia habebat ; Reuertamur, ait, Domine mi; &, ne ieiunij maceratione tabescas, cibo saltem paululùm te recreato. Conniuens itaque eius petitionibus Hatto, per quam eum eduxerat viam repedauit, & reduxit dexteram tenens. Haud mora, cibus sumitur, atque ab eisdem die eâdem vsque ad Regem properatur. Clamor in castris oritur, fit tumultus non modicus; quoniam quidem Adelbertus Regi aduenisse nuntiatur. Rex præterea huius ob aduentum non parum exhilaratus, Proceres ad se venire, atque in iudicio residere præcepit. quibus & ait : Iam ferè septennio Adelbertus quantas strages dederit, quas nobis turbationes egerit, quot rapinarum & incendiorum infortunia nobis intulerit, re ipsâ potiùs quàm famâ deferente percepimus ; vnde & sententiam vestram, pro hoc tanto scelere quid recompensationis inpræsentiarum accipiat, exspectamus. Qui omnium decreto, secundùm priscorum instituta Regum, Maiestatis reus adiudicatus, capite truncatur. Verùm dum vinctus traheretur ad mortem, Hattonem intuitus ; Periurij, infit, reus eris, si me necem incurrere finis. cui Hatto ; Sanum te, inquit, è castro educturum, ita & reducturum promisi : quod me tunc implesse intellexi, cùm te è castello eductum, saluum & incolumem mox in castellum reduxi. Tunc se istuc aduenisse dolens, & Hattonis dolum tardè intellexisse suspirans, tam inuitus spiculatorem sequitur, quàm libenter viueret, si liceret.

Versutia Pontificis Maguntini.

Adelbertus capite plectitur.

De Hungaris collecto innumerabili exercitu Italiam petentibus ; & exploratoribus eorum quale consilium dederint : & quare territi ab Italiæ ingressu sunt reuersi, sed mox reparatis viribus Italis occurrerint.

CAPVT IV.

PAucis verò interpositis annis, cùm nullus esset qui in Orientali ac Australi plagâ Hungaris resisteret (nam Bulgarorum

gentem atque Græcorum tributariam fecerant) ne quid inexpertum his esset, quæ sub Meridiano atque sub Orientali degerent climate nationes visere satagunt: immenso itaque innumerabiliq́ue collecto exercitu, miseram petunt Italiam; cumq́ue iuxta fluuium * Brentam defixis tentoriolis, imò centonibus, triduo exploratoribus directis, qui terræ situm gentisq́ue multitudinem seu raritatem considerarent, repedantibus nuntiis, huiusmodi responsa suscipiunt:

* Brennam

Planities hæc nonnullis plena colonis, vno, vt cernitis, ex latere montibus asperrimis atque fertilibus, altero mari cingitur Adriatico; oppida verò tum nonnulla, tum munitissima: gentis quamquam ignoretur imbecillitas aut fortitudo, immensa tamen conspicitur multitudo. Neque enim hanc tam paucis copiis inuadere hortamur: verùm cum nonnullæ sint res quæ nos pugnare compellant, triumphus scilicet assuetus, animi fortitudo, pugnandi scientia, opes præsertim, quarum desiderio fatigamur, quæ hîc tot insunt, quot toto in orbe nec vidimus, nec videre sperauimus; nobis tamen consultis (neque enim longum arduúmve remeandi iter est, quod decem potest & eò minùs diebus perfici) reuertamur, quatenus vere omnibus gentis nostræ collectis fortissimè redeamus; sitq́ue his tum in fortitudine tum nostrâ in multitudine terror.

Nec mora, his auditis ad propria reuertuntur; totamq́ue hiemis asperitatem in fabricandis armis, in acuendis spiculis, in docendis iuuenibus belli notitiam ducunt.

Sol necdum Piscis signum deferens, Arietis occupabat, cùm, immenso atque innumerabili exercitu collecto, Italiam petunt, Aquileiam & Veronam pertranseunt, munitissimas ciuitates, & Ticinum, quæ nunc alio excellentiori vocabulo Papia vocatur, nullis resistentibus veniunt. Rex igitur Berengarius tam præclarum nouumq́ue facinus satis mirari non potuit: antehac enim neque nomen gentis huius audierat. Italorum igitur, Tuscorum, Volscorum, Camerinorum, Spoletinorum quosdam libris, alios nuntiis directis, omnes tamen in vnum venire præcepit, factusq́ue est exercitus triplo Hungarorum validior.

Cur Rex Berengarius contra Hungaros non ierit; & cur Hungari Italos fugerint, & quomodo fugientes pacem petierint: & de præludio prælij, in quo priùs vicerunt Hungari, pòst fugerunt. Et quomodo propter defatigatos equos, ad Brennam fluuium à Christianis deprehensi, pacem ab eis petierunt, quam non obtinuerunt. CAP. V.

CVmq́ue sibi Berengarius tot adesse copias cerneret, superbiæ spiritu inflatus, magisq́ue triumphum de hostibus multitudini

dini suæ quàm Deo tribuens, solus cum paucis quodam in oppidulo degens, voluptati operam dabat. Quid igitur? tantam mox vt Hungari contemplati multitudinem, animo consternati, quid facerent, deliberare non poterant, præliari penitus formidabant, fugere omnino nequibant; verùm inter vtramque hanc æstuationem fugere magis quàm præliari iuuat: persequentibus Christianis, Adduam fluuium natando, ita vt nimiâ festinatione plurimi submergerentur, transeunt.

Hungari denique, consilio non malo accepto, per internuntios Christianos rogant, quatenus prædâ omni cum lucro redditâ ipsi incolumes remeare possent. Quam petitionem Christiani funditus abdicantes, his (proh dolor!) insultabant: potiusq́ue vincula quibus Hungari vincirentur, quàm arma quibus necarentur, exquirunt. Cumq́ue pagani Christianorum animos hoc pacto mulcere nequirent, vetus rati consilium melius, cœptâ sese liberare fugâ satagunt; sicq́ue fugiendo in Veronenses campos perueniunt.

Christianorum primi horum iam nouissimos insequuntur; fitq́ue eodem pugnæ præludium, in quo victoriam habuere pagani: validiore verò propinquante exercitu, fugæ non immemores, cœptum iter percurrunt.

Veneruntq́ue Christicolæ cum idololatris iuxta fluuium Brennam: equi enim nimiùm defatigati fugiendi copiam negabant Hungaris. Simul igitur vtræque acies conuenere, memorati tantummodò fluuij alueo separatæ. Hungari deniq; nimio terrore coacti, omnem supellectilem, captiuos, arma omnia, equos, singulis tamen quibuscum remeare possent retentis, dare promittunt: hoc præterea in honorem suæ petitionis adiungunt, vt si vitâ tantùm comite datis omnibus illos remeare permitterent, se numquam Italiam ampliùs ingressuros, filiis suis obsidibus datis. Verùm, heu! Christiani superbiæ tumore decepti, minis paganos ceu iam victos insequuntur; eisq́ue continuò huiusmodi apologiam remittunt: Si contraditum nobis, præsertim à contraditis iamq́ue canibus mortuis, munus reciperemus, fœdusq́ue aliquod iniremus, insanos capite non sanus iuret Orestes.

De consilio Hungarorum ex desperatione inito, & victoriâ eorum in Christianos per insidias circumuentos: quam victoriam docet ob Christianorum peccata, non illorum merita, adeptos. CAP. VI.

HAc igitur legatione Hungari desperantes, collectis in vnum fortissimis, tali sese mutuò sermone solantur: Si hac quæ inpræsentiarum cernitur, luce perditâ, nihil est quod deterius prouenire possit hominibus; & quia locus pretij nullus, fugiendi spes

omnis ablata, colla ſubmittere mori eſt, quid verendum eſt nobis tela inter ipſa ruere, morte mortem inferre? Numquid non fortunæ & non imbecillitati caſus deputandus noſter? Viriliter enim pugnando occumbere, non eſt mori, ſed viuere. Hanc famam tantam, hanc κληρονομίαν, id eſt hereditatem, vt à patribus noſtris accepimus, etiam relinquamus heredibus. Nobis debemus, nobis ſaltem credere expertis, qui copiarum paucitate nonnumquam plurimos ſtrauimus. Inualidæ plebis ſanè congregatio plurima ad cædem tantùm eſt expoſita. Sed & fugientem ſæpiſſimè Mars perimit, dimicantem fortiter protegit. Hi enim qui nobis ſupplicantibus non miſerentur, ignorant, neque mente percipiunt; quia vincere quidem bonum eſt, ſuperuincere nimis inuidioſum.

Hac itaque exhortatione vtcumque animos recreati, tres in partes inſidias diſponunt, rectà ipſi fluuium tranſeundo hoſtes in medios ruunt. Chriſtianorum enim plurimi longâ propter internuntios exſpectatione defatigati, per caſtra vt cibo recrearentur deſcenderant; quos tantâ Hungari celeritate confoderunt, vt in gulâ cibum transfigerent, aliis quibuſdam fugam equis negarent ablatis; eoque illos leuiùs perimebant, quòd ſine equis eos eſſe conſpexerant. Ad augmentum ſanè perditionis Chriſtianorum, non parua inter eos erat diſcordia. Nonnulli Hungaris non ſolùm pugnam non inferebant, ſed vt proximi caderent anhelabant; atque hoc ipſi peruerſi peruersè fecerant, quatenus dum proximi caderent, ſoli ipſi liberiùs quaſi regnarent. Qui dum proximorum neceſſitatibus ſubuenire negligunt, eorumque necem diligunt, ipſi propriam incurrunt. Fugiunt itaque Chriſtiani, ſæuiuntque pagani: & qui priùs placare muneribus nequibant, ſupplicantibus poſtmodum parcere neſciebant. Interfectis denique fugatiſque Chriſtianis, omnia Hungari Regni loca ſæuiendo percurrunt. Neque erat qui eorum præſentiam niſi munitiſſimis fortè præſtolaretur in locis. Illorum ſanè adeò præualuerat virtus, quatenus eorum pars quædam Baioariam, Sueuiam, Franciam, Saxoniam, quædam verò depopularetur Italiam.

Neque tamen hoc eorum meruerat virtus; ſed verus Domini ſermo, terrâ cæloque durabilior, mutari non poterat; quemadmodum per Ieremiam Prophetam omnibus nationibus in perſonâ domus Iſraël comminatur, dicens: Ecce ego adducam ſuper vos gentem de longinquo, gentem robuſtam, gentem antiquam, gentem cuius ignorabis linguam; nec intelliges quid loquatur. Pharetra eius quaſi ſepulchrum patens; vniuerſi fortes; & comedet ſegetes tuas, & panem tuum: deuorabit filios tuos & filias tuas: comedet gregem tuum & armenta tua: comedet vineam tuam & ficum tuam: & vrbes munitiſſimas, in quibus tu habes fiduciam, gladio

gladio conteret. Verumtamen in diebus illis, ait Dominus DEVS, non faciam vos in conſummationem.

De Ludouici obitu & Conradi coronatione: & qui Principes ſub eo fuerint; inter quos Henricus Dux Saxoniæ: qui Regi rebellantes, ab eo victi ſunt, fugiente Arnoldo Baioario in Hungariam. Et quomodo Conradus moriturus, Principes omnes de pace inter ſe, & vt Henricum Saxonem Regem conſtituant, exhortatur, tranſmiſſis ad eum regalibus ornamentis. De Arnoldi Baioarij ex Hungariâ reditu, & bellico in Henricum apparatu; ſed ſuorum exhortatu Henrico deditus, eidem militat. CAP. VII.

HAc autem tempeſtate Ludouicus Rex moritur: Conradus ergo Francorum ex genere oriundus, vir ſtrenuus, bellorumque exercitio doctus, Rex cunctis à populis ordinatur. Sub quo potentiſſimi Principes, Arnoldus in Baioariâ, Burcardus in Sueuiâ, Euerhardus Comes potentiſſimus in Franciâ, Giſilbertus Dux in Lotharingiâ erant: quos inter Henricus, Saxonum & Thuringorum Dux præpotens, clarebat. *Conradus Rex.*

Secundo itaque Regni huius ſuſceptionis anno memorati Principes huic, præſertim Henricus, rebelles extiterant. Quos Conradus Rex tam ſapientiæ vigore quàm fortitudinis robore ſuperauit, ſuamque ad fidelitatem perduxit. Arnoldus autem nimio eius terrore coactus, cum vxore & filijs ad Hungaros fugit; fuitque ibidem, quoad vitalis aura Conradi Regis rexerat artus.

Septimo denique Regni ſui anno, vocationis ſuæ ad Dominum tempus agnouit. Cumque memoratos Principes ſe adire feciſſet, ſolummodò Henrico non præſente, ita conuenit: Ex corruptione ad incorruptionem, ex mortalitate ad immortalitatem vocationis meæ tempus agnoſco, &, vt cernitis, præſtò eſt; proinde pacem concordiamque vos ſectari etiam atque etiam rogo. Me hominem exuente, nulla vos regnandi cupiditas titillet, nulla præſidendi ambitio inflammet. Henricum, Saxonum & Thuringiorum Ducem prudentiſſimum, Regem eligite, Dominium conſtituite. Is enim eſt & ſcientiâ pollens, & iuſtæ ſeueritatis cenſurâ abundans: His itaque prolatis, propriam coronam non auro, quo cuiuſcumque ordinis pænè Principes pollent, verùm gemmis pretioſiſſimis non ſolùm inquam ornatam, ſed grauatam, ſceptrum & cuncta quæ regalia ſunt indumenta, in medium venire præcepit, ac, prout valuit, huiuſmodi verba effudit: Heredem Regiæque dignitatis Vicarium regalibus meis ornamentis Henricum conſtituo; cui vt obediatis, non ſolùm conſulo, ſed & oro. Quam iuſſionem mox ſequitur interitus, & interitum eſt obedientia proſecuta. Ipſo namque

Henricus Saxo fit Imperator.

que mortem obeunte, memorati Principes coronam cunctaque regalia indumenta Henrico Duci contulerunt; atque vt Rex Conradus dixerat, cuncta per ordinem narrauerunt. Qui Regiæ dignitatis culmen & priùs humiliter declinauit, ac paulò pòst non ambitiosè susceptit. Verùm nisi pallida mors, quæ pauperum tabernas Regumque turres æquo pulsat pede, Conradum Regem citissimè raperet, is esset, cuius nomen multis mundi nationibus imperaret.

Arnoldi reditus.

Hoc eodem tempore Arnoldus cum vxore & filiis ab Hungariâ rediens, honorificè à Baioariis atque ab Orientalibus suscipitur Francis: neque enim solùm suscipitur, sed vt Rex fiat, ab eis vehementer exposcitur. Rex Henricus, cùm obtemperare suis omnes iussionibus, Arnoldumque solum resistere cerneret, perualido collecto exercitu in Baioariam tendit. Quod Arnoldus vt audiuit, eius non passus est in Baioariâ præstolari aduentum; verùm collectis quibus valuit copiis, huic obuiàm properat. Cupierat sanè & ipse Rex fieri. Cumque in eo essent, vt bellum pariter inire deberent, sicut vir sapiens, & Deum timens, Rex Henricus, cogitans ex vtrâque parte irrecuperabile posse damnum accidere, Arnoldo, quatenus cum solo solus loquatur, denuntiat. Putans igitur Arnoldus, quod singulari se acciret certamine, ad condictum solus horâ statutâ peruenit. Quem sibi obuiàm properantem Rex Henricus tali est sermone aggressus:

Insanâ Domini iussis quid mente resistis?
Quòd populus Regem me cupit, esse scias
Imperio Christi, quo constat machina mundi:
Tartarus hunc metuit, hunc Phlegethon timuit.
Conterit hic nitidos Reges dudumque tremendos,
Sublimesque volens erigit hic miseros,
Quò meritas laudes Domino per sæcula soluant.
Túne superbe, reus, perfide, dure, ferox,
Inuidiæ stimulis sæuaque cupidine tactus
Corpora Christicolûm perdere valdè sitis?
Si Regem populus cuperet præponere temet,
Protinus is fierem quem magis is cuperet.

Hoc igitur quadrifario dicendi genere, copioso scilicet, breui, sicco & florido, Rex Henricus, vt erat animo prudens, Arnoldi animum mulcens, ad suos redijt.

Arnoldus verò cùm suis omnia retulisset, huiusmodi ab eis audiuit ἀπόκειον, id est responsionem: Sapiens prompsit illius sapientiæ veræ sententiam, quæ ait: Per me Reges regnant, Principes imperant, & prudentes iustitiam decernunt. Qui huic resistit, illum Dei ordinationi resistere, quis ambigit? Neque enim in huius electione totius populi posset animus esse vnus, si à Trinitate summâ, quæ Deus

Deus vnus est, ante mundi constitutionem non esset electus. Si bonus fuerit, diligendus erit, Deusque in eo laudandus; si verò malus, æquanimiter tolerandus. Subditorum namque plerumque exigunt merita, quatenus nonnumquam à Prælatis grauentur, non regantur. Æquum autem iustumque nobis videtur, vt à ceteris non dissentiens, hunc Regem eligeres: ipse verò te, vt tam fortunatum & prædiuitem virum hoc pacto bearet, animiq; tui feritatem mulceret, vt quod prædecessores non habuere tui, tibi concedatur, scilicet quatenus totius Baioariæ Pontifices tuæ subiaceant ditioni; tuæque sit potestatis, vno defuncto alterum ordinare. Conniuens igitur Arnoldus huic optimo suorum consilio, Henrici Regis miles efficitur; & ab eo, vt iam dictum est, concessis totius Baioariæ Pontificibus honoratur.

De Hungaris, auditâ morte Conradi, Saxoniam inuadentibus: quibus Henricus quamuis infirmus occurrit, & suos exhortatus est, votumque vouit. CAP. VIII.

PEr idem tempus, dum Conradi Regis interitum, atque Henrici in Regni successionem Hungari audirent, tali sese mutuo sermone sunt aggressi: Rex fortè nouus nouis vti legibus cupit; copiis igitur collectis non minimis, ascendamus, scrutemurque, debita vtrùm Henricus Rex velit tributa persoluere. Quòd si non, vt credimus, Regibus dissentit à ceteris, Regnum eius cæde atque immensis depopulemur incendiis: non Baioariorum, sed Saxonum, vbi Rex ipse est, primò fines occupemus; vt si fortè, quod non speramus, congregare exercitum velit, neque de Lotharingiâ, neque de Sueuiâ, neque de Baioariâ ei maturè possit occurrere. Sed & Saxonum ac Thuringorum terra facilè depopulatur, quæ nec montibus adiuta, nec firmissimis oppidis est munita.

Rex Henricus grauissimâ valetudine detinetur, & Hungarorum ei aduentus proximè nuntiatur. Vix finetenus verba nuntiantis audierat, cùm directis per Saxoniam nuntiis, post triduum quotquot poterat capitali sententiâ se adire præcipit. Validissimo igitur per quatriduum collecto exercitu (est enim Saxonum mos laudandus, atque imitandus, quatenus annum post vnum atque duodecimum nemini militum bello deesse contingat) etsi corporis inualidus viribus, tamen mentis vigore animatus, prout valuit, equum ascendit; atque collectis in vnum copiis, huiusmodi verbis ad pugnandi rabiem excitauit:

Exhortatio Henrici Regis ad suos.

Inclyta Saxonum ceu leo frendens
Bella per innumera gens erat olim:
Restitit hæc Carolo ense cruento,

Qui ſibimet totum ſtrauerat orbem;
Fugit & hic victus victor vbique.
Quòd ſibi nos rediens ſubdidit omnes,
Id Domini pietas geſſit, ob hoc quòd
Participes voluit eſſe ſalutis.
Nunc mala Turcorum neſcia Chriſti
Gens, inimica Deo gaudet in omnem
Eccleſiæ populum ducere ferrum.
Proh dolor! Heröes heus magè, quòd nunc
Subdere noſtra volunt colla tributo.
Sumite nunc animos more virili:
Membra ſecare, precor, viáque ferire
Sit furor heus ardens, ſancta cupido:
Hæc Stygias referant munera ad vndas,
Et calidos numerent igne trientes.

Talibus itaque Rex exhortationibus ad pugnam ſuorum accendi animos videns, indicto cunctis ſilentio, hoc iterùm diuini munere Flaminis tactus adiecit: Priſcorum facta Regum, ſanctorum ſcripta Patrum nobis quid agere debeamus inſinuant. Non enim Deo difficile paucis plures ſternere; ſi tamen horum, qui id agere cupiunt, fides meretur: fides inquam non profeſſionis tantùm, ſed operis; non ſolummodò oris, ſed etiam cordis. Voueamus itaque, ac, ſecundùm Pſalmiſtam, vota reddamus. Ego inquam, ego priùs, qui dignitate videor & ordine primus. Simoniaca hæreſis Deo inuiſa, & à beatiſſimo Apoſtolorum Principe Petro damnata, quæ ab anteceſſoribus noſtris hactenus eſt temerè cuſtodita, modis omnibus à noſtro ſit Regno expulſa. Connectet inuicem charitas vnitatis, ſi quos diuiſit calliditas dæmonis.

De nuntio, qui Hungaros in Mereſburgo eſſe nuntiabat omnia deuaſtantes. Et de exploratoribus, quos Hungari à captiuis moniti mittebant. Item de pugnâ commiſsâ cum Hungaris; & de bono conſilio Henrici Regis & victoriâ: & vbi ſit ipſa victoria depicta.

CAPVT IX.

REx nonnulla his ſimilia dicere cœperat, cùm volipes nuntius Hungaros in Meresburgo, quod caſtrum in confinio Saxonum, Thuringorum, & Sclauorum, eſſe nuntiabat: adiecerat etiam, eos non modicam paruulorum ac mulierum habere prædam; virorum verò immenſam feciſſe ſtragem. Condixerat enim, à decimo & deinceps anno neminem eſſe ſuperſtitem relicturos, quatenus per hoc terrorem non paruum adhiberet Saxonibus. Rex igitur, vt erat animi conſtans, talibus non terretur; verùm

rùm magis magiſque, vt pro patriâ pugnare, ac laudabiliter, ſi neceſſe ſit, occumbere velint, exhortatur.

Vinctos intereà Hungari, ſi impugnari debeant, ſciſcitantur: cumque ab his non aliter poſſe fieri teſtaretur; exploratoribus directis, ſi hoc verum eſſe poſſit, exquiritur. Profecti denique exploratores, Henricum Regem immenſo cum exercitu iuxta præfatum oppidum Meresburgum contemplantur. Denique, vix ad ſuos poterant repedare, aduentum exercitus nuntiaturi. Neque enim his fuerat alius, verùm Rex ipſe belli nuntius.

Haud mora, bellum incipitur, atque ex Chriſtianorum parte ſancta mirabiliſque vox Κύριε, ex eorum turpis & diabolica *hui hui* frequenter auditur.

Dederat autem Rex Henricus ſuis ante belli inchoationem huiuſmodi ſapiens ac ſalubre conſilium: Cùm ad Martis præludium cœperitis properare, nemo ſocium velociori, quamquam habeat, attentet equo præire: verùm clypeis altrinſecus operti, primos ſuper ſcuta ſagittarum ictus recipite; deinde curſu rapido impetuque vehementiſſimo ſuper eos irruite; quatenus non priùs vobis ſagittarum ictus ſecundò poſſint emittere, quoad veſtrorum ſibi armorum ſentiant vulnera peruenisse. Saxones igitur admonitionis huius ſaluberrimæ non immemores, ordinatâ æqualiter acie currunt, nec eſt qui velociori tranſeat equo tardiorem; verùm clypeis, vt Rex dixerat, altrinſecus cooperti, ſagittarum ſuper clypeos recipiunt ictus innocuos: deinde, vt prudentiſſimus vir dixerat, ſuper hos curſu præpeti veniunt; adeò, vt eorum priùs vita cum gemitu fugeret, quàm ſecundò iaculorum fulmina mitterentur: fitque diuini muneris pietate, vt potiùs hos fugere quàm præliari iuuet. Velox tunc ſonipes gaudet pigro queritante. Phalerarum præterea decor armorumque honor non Hungaris tutelæ, ſed oneri erant. Abiectis quippe arcubus, demiſſis ſpiculis, phaleris etiam, quò expeditiùs equi currerent, proiectis, fugæ ſolummodò operam dabant. Verùm omnipotens Deus, qui eis pugnandi audaciam abſtulerat, fugiendi etiam copiam omnino negabat. Cæſis igitur fugatiſque Hungaris, immenſa captiuorum turba diſſoluitur, atque in lætitiæ cantum vox gemitus permutatur. Hunc verò triumphum tam laude quàm memoriâ dignum, ad Meresburgum Rex in ſuperiori cœnaculo domus per ζωγραφίαν, id eſt picturam, notari præcepit; adeò vt rem veram potiùs quàm veriſimilem videas.

De Ludouico quodam, quem Itali ſuper ſe regnare inuitabant: & cur Adelbertus Marchio hoc fecerit, qui gener erat Berengarij. De Adelberti ex bono in malum mutatione. De eodem Ludouico in verba Berengarij iurante, & Adelberto eumdem inſtinctu vxoris ad rebellionem ſollicitante: qui contra iuſiurandum reuerſus, Berengarium Veronâ expulit; & Lucam profectus, honorificè ab Adelberto illic ſuſcipitur: cuius conſpectâ potentiâ, inuidiæ ſtimulis agitatur; ob quam rem ab eius fide Adelbertus mox diſceſſit. CAP. X.

Ludouicus Burgundio Italiam inuadit.

DVm hæc aguntur, Italienſes pænè omnes Ludouicum quemdam Burgundionum genitum proſapiâ, nuntiis directis, inuitant, vt ad ſe veniat, Regnumque Berengario auferat, ſibi obtineat: huius verò tam turpis ſceleris auctor Adelbertus, Eporegiæ ciuitatis Marchio, erat: cui & idem Berengarius filiam ſuam nomine Giſilam coniugio copulauerat; ex quâ filium genuerat, cui & aui ſui vocabulum dederat. Iſte eſt, inquam, iſte Berengarius ille, cuius immenſitate tyrannidis tota nunc luget Italia; cuiuſque lenocinio à quibuſcumque gentibus premitur, non iuuatur. Sed vt ad rem redeamus, ſatis nunc dixiſſe ſufficiat.

Prætereà idem Adelbertus, quod bonis omnibus cauendum eſt, nequaquam ſui ſimilis fuit. Nam dum feruente ætate iuuenilem duceret vitam, miræ humanitatis miræque ſanctitatis fuit; adeò ſanè, vt ſi ei à venatione redeunti pauper occurreret, aliudque non eſſet quod illi præſtare poſſet, cornu protinus, quod collo eius fibulis aureis dependebat, ſine dilatione concederet; rurſumque ab eodem, quanti æſtimabat, acquireret. Tam diræ autem poſtmodum factus eſt famæ, vt huiuſmodi vera de eo tam à maioribus quàm à pueris cantio diceretur; & quia ſonorius eſt, Græcè illud dicamus: Adelbertus comis curtis, μακεδονοβαθης, μικεμπιης. quo ſignatur, & dicitur, longo eum vti enſe, & minimâ fide.

Huius itaque aliorumque ac nonnullorum Italienſium hortatu præfatus Ludouicus in Italiam venit: cui mox Berengarius, vt audiuit, obuiàm venit. Cumque Ludouicus Berengario ſibi obuiàm venienti magnas adeſſe copias, ſibi verò paucas cerneret, iureiurando ei hoc terrore compulſus promiſit, vt ſi ſeſe dimitteret, quibuſcumque promiſſionibus accitus, ampliùs in Italiam non veniret. Fecerat namque ſibi Berengarius plurimis collatis muneribus Adelbertum, Tuſcorum præpotentiſſimum Marchionem, valdè fidelem; atque ideò Ludouicus tam facilè eſt expulſus.

Ludouicus abit.

Modicâ verò temporis tranſcurſâ intercapedine, Rex Berengarius nominato Adelberto grauis eſt viſus: cui rei Berta coniunx ſua, Hugonis Regis, qui noſtro pòſt tempore in Italiâ regnauit, mater,

mater, non modicè fomitem miniſtrauit: vnde factum eſt, vt, conſulto eodem Adelberto Marchione, ceteri Italienſes Principes, propter eumdem Ludouicum, vt adueniret, tranſmitterent: qui cupiditate regnandi, oblitus iuriſiurandi, venit concitus in Italiam. *Redit.*

Videns itaque Berengarius, quòd Ludouicus tam ab Italienſium quàm à Tuſcorum ſuſciperetur Principibus, Veronam profectus eſt; Ludouicus verò cum Italienſibus eum proſequi non deſiſtens, Veronâ etiam illum expulit, totumque Regnum ſibi viriliter ſubiugauit. *Veronam capit.*

His ita geſtis, bonum viſum eſt Ludouico, vt ſicut circumcirca viderat Italiam, videret & Tuſciam. Exiens denique Papiâ, proficiſcitur Lucam; vbi decenter miroque paratu ab Adelberto ſuſcipitur.

Cumque Ludouicus in domo Adelberti tot militum elegantes adeſſe copias cerneret, tantam etiam dignitatem totque impenſas proſpiceret, inuidiæ zelo tactus, ſuis clanculùm infit: Hic Rex potiùs quàm Marchio poterat appellari; in nullo quippe mihi eſt inferior, niſi ſolummodò nomine. Quæ res Adelbertum latere non potuit. Quod Berta, vt erat mulier non incallida, audiens, non ſolùm virum ſuum ab eius fidelitate amouit, verùm etiam ceteros Italiæ Principes ei infideles effecit: vnde factum eſt, vt, dum è Tuſciâ rediens Veronam pergeret, degeretque ibidem, nihil hæſitans, nihilque mali ſuſpicans, Berengarius dato pretio cuſtodes ciuitatis corruperit; collectiſque viris fortiſſimis, in ipſo noctis conticinio ciuitatem ingreſſus fuerit.

Deſcriptio Veronenſis oppidi, & Atheſis fluuij, & pontis ſuper eum. Vbi Ludouicus corruptis à Berengario ciuibus traditus, & Regno & lumine priuatur, Hungaris Italiam laniantibus. CAP. XI.

FLuuius Atheſis, ſicut Romam Tiberis, mediam ciuitatem Veronam percurrit: ſuper quem ingens marmoreus miri operis miræque magnitudinis pons eſt fabricatus; à læuâ autem parte fluminis, quæ eſt Aquilonem verſus, ciuitas poſita eſt, difficili arduoque colle munita; adeò vt, ſi ea pars ciuitatis, quam memoratus fluuius dexteram alluit, ab hoſtibus capiatur, ea tamen viriliter poſſit defendi. In huius verò collis ſummitate pretioſi operis Eccleſia eſt fabricata, & in honorem beatiſſimi Petri Apoſtolorum Principis conſecrata: vbi, & propter amœnitatem Eccleſiæ locique munitionem, Ludouicus manebat.

Berengarius denique, vt præfati ſumus, noctu ciuitatem ingreſſus, clam Ludouico ſuis cum militibus pontem pertranſiens, in ipſo auroræ crepuſculo hunc vſque aduenit. Qui clamore ſtrepitu-

tuque militum excitatus, sciscitatur quid esset, in Ecclesiam fugit; nullusque eum, præter Berengarij militum vnum, vbi esset agnouit. Qui misericordiâ motus, noluit hunc prodere, sed celare; timens verò idem, ne ab aliis repertus proderetur, vitaque multaretur, Berengarium adiit, eumque ita conuenit: Quandoquidem tanti Deus te habuit, vt tuum proprias in manus traderet hostem, debes & tu eius monita imò præcepta magnificare. infit enim: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Intellexit itaque Berengarius, vt vir non incallidus, hunc quo ipse lateret scire locum; eumque hac sophisticâ responsione decepit: Putásne me, insulse, quem mihi Dominus tradidit hominem, imò Regem, velle occidere? Numquid & Dauid sanctus Regem Saulem à Deo sibi in manus traditum seruauit, non quòd occidere non potuit, sed quia noluit? His sermonibus miles inclinatus, locum ostendit in quem confugerat Ludouicus. Qui captus, & ante Berengarij præsentiam ductus, huiusmodi à Berengario sermonibus increpatur: Quousque tandem abutere Ludouice patientiâ nostrâ? Num inficiari potes, te illo tempore meis præsidiis, meâ diligentiâ circumclusum, commouere etiam contra non potuisse, meque misericordiâ inclinatum, quæ tibi nulla debebatur, te dimisisse? Sensistíne inquam te periurum in istis esse victum? Confirmasti sanè mihi teipsum numquam Italiam ingressurum. Vitam tibi, sicut ei qui te mihi prodidit promiseram, concedo; oculos verò tibi auferri non solùm iubeo, sed compello. His dictis, Ludouicus lumine priuatur, & Berengarius Regno potitur.

Hungarorum interea rabies, quia per Saxones, Francos, Sueuos, Baioarios nequibant, totam per Italiam nullis resistentibus dilatatur. Verùm quia Berengarius firmiter suos milites habere fideles non poterat, amicos sibi Hungaros non mediocriter effecerat.

Sed & Saraceni, qui, sicut dixi, Fraxinetum inhabitabant, post labefactionem Prouincialium, quasdam summas Italiæ partes sibi vicinas non mediocriter laniabant; adeò vt, depopulatis pluribus vrbibus, Aquas venirent, quæ est ciuitas quadraginta fermè milliariis à Papiâ distans. Quæ etiam propter thermas, miro in tetragonum modo ad lauandum ibi constitutas, vocabulum huiuscemodi sortita est. Tantus timor inuaserat vniuersos, vt nullus esset qui horum præsentiam, nisi fortè tutissimis præstolaretur in locis.

De

De Maurorum Saracenorum irruptione in Calabriam, Apuliam, Beneuentum, qui Garelianum montem, quem alij Garganum scribunt, pro munitione habebant: & quâ occasione ab Africâ exierint, Domino id permittente. CAP. XII.

EOdem tempore Saraceni ab Africâ ratibus exeuntes, Calabriam, Apuliam, Beneuentum, Romanorum etiam ciuitates ita occupauerunt, vt vnamquamque ciuitatem mediam Romani obtinerent, mediam Africani. In monte quippe *Gareliano munitionem constituerant, in quo vxores, captiuos, paruulos omnemque supellectilem satis tutò seruabant. Nemo etiam ab Occasu, siue ab Arcturo, orationis gratiâ ad beatissimorum limina Apostolorum transire poterat, qui ab his aut non caperetur, aut immodico pretio dato dimitteretur. Quamuis enim misera Italia multis Hungarorum & ex Fraxineto Saracenorum cladibus premeretur; nullis tamen furiis aut pestibus sicut ab Africanis agitabatur. *Maurorum in Italiam irruptio.* *Gargano

Fertur autem eos hac occasione ab Africâ exiuisse, atque Italiam adiisse. Leone atque Alexandro Imperatoribus Augustis hominem exeuntibus, Romanus, vt latiùs sumus dicturi, cum Constantino, qui nunc vsque supersest, Leonis Imperatoris filio, Constantinopolitanum regebat Imperium. Et, sicut fieri assolet, primo quo Romanus suscepit Imperium anno, nonnullæ ei gentes, præsertim Ἀναζυλικαί, hoc est Orientales, visæ sunt rebellare. Factum est autem, dum Imperator exercitum ad expugnandas eas transmitteret, Apuliam & Calabriam, binas regiones quæ ei tunc temporis seruiebant, huic rebellasse. Cumque Imperator maximis Orientem versus copiis directis exercitus huc multitudinem destinare non posset, rogauit primò, vt ad sui fidelitatem pristinam sponte redirent: qui cùm renuerent, atque hoc se facturos minimè dicerent, ad Africanum mox Imperator dirigit Regem; eum pretio rogans, vt se adiuuet, virtutisque eius auxilio Apuliam sibi atque Calabriam subdat. Hac ex legatione Rex Africanus accitus, innumerabiles ratibus copias in Calabriam Apuliamque direxit; binasque has regiones Imperatoris dominatui potentissimè subdidit. Sed dum processu temporis has regiones dimitterent, Romam versus aciem gyrauerunt, montemque Garelianum maximâ pro tuitione sibi vendicauerunt; multasque munitissimas ciuitates debellantes vi ceperunt. *Romanus Constantinusque Imperatores.*

Dominus verò noster Iesus Christus, coæternus & consubstantialis Patri sanctoque Spiritui, cuius misericordiæ plena est terra, qui neminem vult perire, sed omnes saluos fieri, & ad agnitionem veri- *Cur mala euenire sinat Deus.*

veritatis venire, ne pereant; qui ſolus Deus ante mundi conſtitutionem præuidit, atque poſt omnem creaturam quaſi dominum ceteris vtentem ac dominantem creauit hominem; quemque in fine temporis per ſui Sanguinis effuſionem verus homo veruſque Deus, non duo ſed vnus, redemit; ad amorem ſui propriæque patriæ dilectionem quoſdam beneficiis inuitat, terroribus alios compellit, non quò ſibi (qui nec augmentum bonitate noſtrâ, vt Propheta teſtatur, dicens; Quoniam bonorum meorum non eges; nec detrimentum malitiâ ſumere poſſit) ſed vt nobis proſit. Placuit itaque ei, quia beneficiis noluimus, huiuſmodi nos ad tempus caſtigare terroribus. Sed ne Saraceni nobis diutiùs inſultarent, & dicerent; Vbi eſt Deus eorum? conuertit Deus corda Chriſticolarum; adeò vt amplior eis pugnandi, quàm fugiendi priùs, eſſet cupido.

De Ioanne Rauennate, qui per nefas Summum Pontificatum inuaſerat, per Theodoram videlicet meretriculam. Item de quodam iuuene Africano, qui ad Papam venit, eique conſuluit, quomodo cum Africanis feliciter pugnare poſſet: quod eodem Duce factum eſt.

CAPVT XIII.

Ioannes Rauennas Papa per nefas.

QVo tempore venerandæ Romanæ Sedis Ioannes Rauennas Summum Pontificatum tenebat (hic autem tam nefando ſcelere contra ius faſque Pontificij culmen obtinuit) Theodora ſcortum impudens, huius Alberici qui nuper hominem exuit auia (quod dictu etiam fœdiſſimum eſt) Romanæ ciuitatis non inuiriliter Monarchiam obtinebat. Quæ diras habuit natas, Maroziam atque Theodoram, ſibi non ſolùm coæquales, verùm etiam Veneris exortiuo promptiores. Harum vna Marozia ex Papa Sergio, cuius ſuprà fecimus mentionem, Ioannem, qui poſt Ioannis Rauennatis obitum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ obtinuit dignitatem, nefario genuit adulterio; ex Alberto autem Marchione Albericum, qui noſtro pòſt tempore Romanæ vrbis Principatum vſurpauit.

Theodoræ dominatio.

Turpis matris turpiores filiæ.

Rauennas Sedes ſecunda in terris.

Per idem tempus Rauennatis Sedis, qui ſecundus poſt Romanum Archiereum Archipræſulatus habebatur, Petrus Pontificatum tenebat. Qui dum ſubiectionis officio debitæ nominatum Ioannem Papam, qui ſuæ miniſter Eccleſiæ tunc temporis habebatur, Romam ſæpiùs & iterùm Domino dirigeret Papæ, Theodora, vt teſtatur vita eius, meretrix impudentiſſima, Veneris calore ſuccenſa, in huius ſpeciei decorem vehementer exarſit; ſecumque hunc ſcortari non ſolùm voluit, verùm etiam atque etiam pòſt compulit. Hæc dum impudenter aguntur, Bononienſis Epiſcopus moritur, & Ioannes iſte loco eius eligitur. Paulò pòſt, ante huius

huius diem conſecrationis, nominatus Rauennas Archiepiſcopus mortem obiit; locumque eius Ioannes Theodoræ inſtinctu, priore Bononienſi Eccleſiâ deſertâ, ambitionis ſpiritu inflatus, contra ſanctorum Patrum inſtituta ſibi vſurpauit. Romam quippe adueniens, mox Rauennatis Eccleſiæ ordinatur Epiſcopus. Modicâ verò temporis intercapedine, Deo vocante, qui eum iniuſtè ordinauerat Papa, defunctus eſt. Theodoræ autem Glycerij mens peruerſa, ne amaſij ducentorum milliariorum interpoſitione, quibus Rauenna ſequeſtratur à Româ, rariſſimo concubitu potiretur, Rauennatis hunc Sedis Archiepiſcopatum coëgit deſerere, Romanumque (proh nefas!) Summum Pontificium vſurpare. Hoc igitur ſanctorum Apoſtolorum Vicario conſtituto, Pœni, vt præfatus ſum, Beneuentum Romanaſque vrbes miſerè laniabant.

Iuuenis Africani ad Ioannem Papam aduentus, & conſilium.

Accidit itaque Pœnorum quemdam iuuenem iniuriis laceſſitum Pœnos deſerere, & ad Ioannem Papam aduenire; tactumque diuino ſpiramine Papam ita conueniſſe: Sacerdos magne, ſi ſapares, populum terramque tibi ſubiectam à Pœnis tam grauiter laniari non ſineres. Elige igitur iuuenes nimiâ quaſi mobilitate volipedes, qui me imperatorem, præceptorem, dominum æquanimiter audiant. Horum neminem, præter ſingulas parmas, ſingulaque pila, enſeſque ſingulos & ſimplices veſtes cum exiguitate obſonij habere permittito.

Sexaginta denique huiuſmodi inuentis, ſibique traditis, aduerſum Pœnos properat; latuitque ſecus anguſtas, quà Pœnorum iter erat, vias. Cumque circumcirca ſæpiùs & iterùm Pœni depopulantes redirent, clamore cum maximo ex improuiſo atque inſperato ex inſidiis proſilientes, eos faciliter trucidabant. Clamor ex ore, ictuſque ſimul à manu proceſſerant. Neque enim Pœni, qui quidve eſſet priùs ſcire poterant, quàm iſtorum ſpicula horum corporibus inhærebant. Hac denique famâ, hocque exercitio nonnulli Romanorum acciti, plurimis in locis Pœnos proſtrauerant; callidoque hoc Africani conſilio attriti, ciuitates penitus ruptâ inter ſe fœdere deſerebant, ſolumque Garelianum montem ſibi pro munitione deligebant.

Saracenorum ſtrages.

De conſilio Landulfi Beneuentanorum Principis Ioanni Papæ dato, vt Imperatorem in auxilium aduocaret: cuius auxiliis fretus, feliciter cum Saracenis pugnatum eſt, diuis Petro & Paulo opitulari viſis.

CAPVT XIV.

Landulfus

IOanne itaque, vt præfatus ſum, Papâ conſtituto, Landulfus vir quidam ſtrenuus, bellorum exercitio doctus, Beneuentanorum & Capuanorum omnium Princeps clarebat. Pœnis igitur ſtatum

Reipublicæ labefactantibus, Landulfum hunc Principem egregium, quid ſuper re huiuſcemodi faciendum eſſet quam Africani agunt, Ioannes conſulit Papa. Quod Princeps vt audiuit, Papam per internuntios ita conuenit: Res hæc Pater palàm magnis eſt inueſtiganda conſiliis: mittito itaque ad Græcorum Imperatorem, cuius & ipſi quæ cis mare eſt terram, ſicut & noſtram, depopulari non ceſſant. Camerinos etiam atque Spoletinos noſtrum ad auxilium inuitato; ineamuſque protectore Deo cum his bellum. Si vincimus, non multitudini, ſed Deo imputetur victoria; ſi verò vicerint Pœni, peccatis noſtris, & non inertiæ deputetur. His auditis, Papa confeſtim nuntios Conſtantinopolim dirigit, ſuppliciter Imperatoris auxilia ſibi dari depoſcens. Imperator verò, vt vir ſanctiſſimus, Deumque timens, copias abſque morâ claſſibus aduehendas direxit: cumque per Garelianum flumen conſcenderent, affuit & Papa Ioannes cum Landulfo pariter Beneuentanorum Principe potentiſſimo, Camerinis etiam atque Spoletinis. Horrida denique inter eos pugna exoritur. Verùm dum Chriſtianorum partem Pœni prævalere conſpicerent, in Gareliani montis ſummitatem confugiunt; anguſtaſque tantùm vias defendere moliuntur.

Landulfi conſilium.

Pugna acris.

Ex parte vero illâ quâ difficilior erat aſcenſus, Pœniſque ad fugiendum aptior, Græci caſtrum die illâ conſtituunt: in quo reſidentes Pœnos ne fugerent obſeruabant; quotidieque oppugnantes, non mediocriter trucidabant. Græcis igitur Latiniſque quotidie conflictantibus, Deo miſerante, Pœnorum ne vnus quidem ſuperfuit, qui non aut gladio trucidaretur, aut viuus continuò caperetur. Viſi ſunt autem à religioſis fidelibus in eodem bello ſanctiſſimi Apoſtoli Petrus & Paulus: quorum precibus Chriſtianos credimus meruiſſe, quatenus Pœni fugerent, & ipſi victoriam obtinerent.

Petri & Pauli apparitiones.

De Adelberti Tuſciæ Marchionis obitu, & filij eius VVidonis Præfecturâ, & matris eius à Berengario captione: & quot ſuſpicati ſint Bertam peperiſſe liberos Adelberto. De rebellione Mediolanenſium, & cauſſâ eius. De Comite Palatij capto, & Lanthberto non opportunè commendato; quem Berengarius fruſtrà requiſiuit. CAP. XV.

HOc in tempore Adelbertus Tuſcorum potens Marchio moritur; filiuſque eius Wido à Berengario Rege Marchio patris loco conſtituitur: Berta autem eius vxor cum Widone filio, poſt mariti obitum, minoris non facta eſt quàm vir ſuus potentiæ. Quæ tum calliditate & muneribus, tum hymenæi exercitio dulcis, nonnullos ſibi fideles effecerat: vnde contigit, vt dum paulò poſt

poſt à Berengario ſimul cum filio caperetur, & Mantuæ in cuſtodiâ teneretur, ſuas ciuitates & caſtella omnia Regi Berengario minimè reddiderit, ſed firmiter tenuerit; eamque poſtmodum de cuſtodiâ ſimul cum filio liberarit.

Hæc, vt rumor eſt, tres ex viro ſuo genuerat liberos; Widonem, quem prædiximus, atque Lanthbertum; qui nunc vſque lumine priuatus ſupereſt; Ermengardam etiam natam ſuam, ſibi Aphroditi dulcedine coæqualem, quam Adelberto Eporegiæ ciuitatis Marchioni, Giſilâ Berengarij Regis filiâ, Berengarij ſcilicet Regis huius matre defunctâ, hymenæi conſortio copulauerat: quæ ei filium genuerat nomine Anſcarium; qui quantæ virtutis quantæque audaciæ fuerit, Liber ſubſequens declarabit.

Bertæ proles.

Anſcarij ortus.

His temporibus idem Adelbertus gener Regius, Eporegiæ ciuitatis Marchio, atque Odelricus, Palatij Comes, qui ex Sueuorum ſanguine duxerat originem, nec non & Gilebertus, prædiues Comes & ſtrenuus, Lanthbertus etiam Mediolanenſis Archiepiſcopus, nonnullique alij Principes Italiæ Berengario rebelles extiterant. Cauſſa autem rebellionis huius hæc fuit: Dum Lanthbertus, defuncto anteceſſore ſuo, Mediolanenſis Archiepiſcopus ordinari debuiſſet, non paruam ab eo Rex Berengarius, contra ſanctorum inſtituta Patrum, accepit pecuniam, quantam cubicularij, quantam oſtiarij, quantam pauonarij, ipſi etiam altilium cuſtodes accipere deberent. Lanthbertus igitur Archipræſulatus amore vehementer animatus, quæcumque Rex poſceret, quanto cum dolore tribueret, ex hoc intelligere poteris, quod ſubſequens lectio declarabit.

Cauſſa rebellionis contra Berengarium

Odelricum Palatij Comitem, quem prædiximus, vinctum tunc Berengarius tenebat. Cumque Lanthbertum Archipræſulem conſtitueret, Odelricum ei, donec quid de eo ageret deliberaret, commendauit. Is autem pecuniæ multæ, quam pro Epiſcopatu erogarat, non immemor, hoc cum capto cœpit de eius infidelitate diſcutere.

Paucis denique interpoſitis diebus, Rex Berengarius nuntiis directis Odelricum ad ſe venire præcepit: quos ironicâ hac reſponſione conueniſſe non dubium eſt: Sacerdotis officio penitus carere debeo, ſi iugulandum quempiam in manus alicuius tradidero. Intellexerunt itaque nuntij, hunc publicè rebellaſſe, quem à Rege ſibi traditum abſque eius licentiâ nouerant dimiſiſſe. Qui regreſſi protinus ad Regem, Terentianum illud pro reſponſione dederunt: Huic commendes, ſi quid rectè curatum velis.

De Rodulfo Burgundione ad Regnum ab Italis accito: & qualiter Hungari Odelricum Berengarij aduersarium occiderint, & Adelbertum ac Gilebertum ceperint; sed Adelbertus, astu quodam pro gregario milite redemptus, elapsus sit. CAP. XVI.

Rodulfus Burgundio

QVo tempore Rodulfus Rex superbissimus Burgundionibus imperabat: cui in augmentum potentiæ hoc accessit, vt potentissimi Sueuorum Ducis Burchardi filiam nomine Bertam sibi coniugio copularet. Igitur Italiensis, nuntiis directis hunc ad se venire, Berengarium verò expellere petunt.

Hungari Veronam occupant.

Inter agendum autem contigit, Hungaros Veronam his ignorantibus aduenisse: quorum duo Reges, Dursac & Bugat, amicissimi Berengario fuerant. Adelbertus denique Marchio, atque Odelricus Comes Palatij, *Gilebertus etiam Comes, pluresque alij, dum in montem Brixianæ ciuitatis, quæ quinquaginta milliariis à Veronâ distat, conuenticula ob Berengarij deiectionem haberent, rogauit Berengarius Hungaros, vt, si se amarent, super inimicos suos irruerent. Hi verò, vt erant necis auidi, bellandi cupidi, à Berengario mox præduce accepto, per ignotas vias à tergo hos vsque aduenium; tantaque illos celeritate confodiunt, vt nec induendi sumendive arma spatium haberent. Captis igitur cæsisque multis, Odelricus Palatij Comes, qui se viriliter defenderat, occiditur; Adelbertus autem Marchio & Gilebertus viui capiuntur.

*al. Giselbertus

Hungari vincunt.

Verùm Adelbertus, vt erat vir non bellicosus, sed sagacitatis miræ, nimiæque calliditatis, dum irruere Hungaros vndique cerneret, essetque illi omnis spes fugiendi ablata, baltheum armillasque aureas, omnemque pretiosum apparatum proiecit, vilibusque se militis induit vestimentis, ne ab Hungaris quis esset dignosceretur. Captus igitur, scifcitatusque quis esset, militis cuiusdam militem se esse respondit. Rogauitque se ad vicinum castellum duci vocabulo Calcinaria; in quo parentes, qui eum redimerent, se habere asserebat. Ductus igitur, quia non agnitus, vilissimo pretio comparatur. Emit autem illum suus ipsius miles nomine Leo.

Stratagema Adelberti.

De Gileberto humaniter à Rege Berengario dimisso, sed perfidè ad Rodulfum profecto: quem in Berengarium sic reduxit, vt eum, præter Veronam, Regno spoliauerit: deque pugnâ in Berengarium & Rodulfum. CAP. XVII.

GIlebertus autem quia agnitus, ante Berengarij Regis præsentiam ducitur. Enimuerò dum ante eum sine femoralibus, curtâ indutus endromide, ductus, Regis ad pedes concitus caderet,

ret, genitalium ostensione membrorum risu omnes commouit. Rex autem, vt erat pietatis amator, misericordiâ, quæ ei nulla debebatur, inclinatus, ei non, vt populus optauit, malum pro malo reddidit; verùm confestim lotum, optimisque vestibus indutum, abire permisit. cui & ait: Iusiurandum à te nullum exigo; fidei tuæ teipsum committo. Si malè contra me egeris, rationem te scias Deo redditurum.

Hunc denique ad propria redeuntem, Regis gener Adelbertus, ceterique qui cum illo rebelles extiterant, accepti immemorem beneficij ad Rodulfum vt aduenial dirigunt. Profectus itaque eódem Gilebertus, ante triginta dies in Italiam eum aduentare coëgit. Qui susceptus ab omnibus, nil Berengario ex omni Regno præter Veronam dimisit; totumq; tenuit per triennium viriliter Regnum.

Rodulfi mutabilitas.

Cùm duodecim sibimetipsi horis hoc placeat, displiceat hoc, modò diligat illud, mox aspernetur, quî fieri potest, vt omnibus semper æquanimiter placeat? Igitur intra triennium iste Rex Rodulfus quibusdam bonus, aliis grauis est visus: vnde factum est, vt totius Regni media pars populi Rodulfum, media Berengarium vellet. Parant itaque ciuile bellum non modicum: & quoniam Placentinæ ciuitatis Episcopus Wido Berengarij partibus fauebat, duodecim longè à Placentiâ milliariis iuxta Florentiolam bellum parant.

Tum perquam horrida pugna oritur ciuilis & atra,
Heu! quater ante Calendas Sextilis: tamen ipse
Dum parat horrendos radios emittere Phœbus,
Buccina Martis adest; gnato pater ipse perennem
Infert interitum, perimitque patrem genitura.
Proh dolor! acer auus letum parat ecce nepoti,
Sternendus per eum, furiis pulsatus ab atris:
Fratrem qui fodit, fratrem fodit eminus alter.
Berengarius ipse ruit medios Rex percitus hostes,
Et properat: Fertur ceu cælo fulgur ab alto,
Dum coquit arentes Cancri graue sidus aristas:
Non aliter dirus miserum Rex ipse Rodulfus
Deijcit innocuum stricto mucrone popellum.

De victoriâ quam Rodulfus per Bonifacium cognatum suum obtinuit, & Rodulfi in Italiâ Regno: & de Flamberto Veronensi, qui Berengarium occidere tentauerat. CAP. XVIII.

DEderat Rex Rodulfus Waldradam sororem suam tam formâ quàm sapientiâ, quæ nunc vsque supereſt, honestam matronam, coniugem Bonifacio Comiti potentissimo, qui nostro

tempore Camerinorum ac Spoletinorum extitit Marchio. Hic collectâ multitudine, cum Gariardo Comite Rodulfo Regi in auxilium veniebat; atque vt erat vir tam callidus quàm audax, maluit potiùs in insidiis positus cum suis rei exitum expectare, quàm primum belli impetum sustinere. Iam Rodulfi pænè omnes milites fugerant, & Berengarij dato victoriæ signo colligere spolia satagebant; cùm Bonifacius atque Gariardus subitò ex insidiis properantes, hos tantò leuiùs quantò inopinatiùs sauciabant. Pepercerat Gariardus nonnullis, hastâ eos & non ferro percutiens; Bonifacius nulli parcens immensam fecerat stragem. Signum itaque victoriæ Bonifacius ceperat; conueniuntque qui ex Rodulfi parte confugerant, persequentesque Berengaricos fugam illos inire cogebant. Berengarius verò in incognitum à Domino Veronæ perrexit asylum. Tanta quippe tunc interfectorum strages facta est, vt militum vsque hodie permagna raritas habeatur.

Rodulfus regnat.

His ita peractis, Regnum sibi Rex Rodulfus potentissimè subiugauit; Papiamque concitè veniens, congregatisque omnibus, Quoniam, inquit, superni muneris largitate mihi contigit deuictis hostibus Regni solium adipisci, nunc cordi est meum vestræ Regnum fidei commendare, Burgundiamque patriam veterem visere. cui mox Italienses: Si bonum tibi, inquiunt, videtur, præstò sumus.

Igitur post Rodulfi Regis abscessum, malo Veronenses accepto consilio, vitæ Berengarij insidiari moliuntur: quod Berengarium non latuit; auctor autem ac repertor tam sæui facinoris Flambertus quidam erat: quem sibi, quoniam ex sacrosancto Fonte filium eius susceperat, compatrem Rex effecerat. Pridie verò quàm pateretur, eumdem ad se Flambertum venire præcepit.

Flambertus infidus.

De prudenti Berengarij Regis ad Flambertum sermone, & poculo aureo, quo eum, vt placaret, donauit. CAP. XIX.

CVi & ait: Si mihi tecum hactenus non & multæ & iustæ caussæ amoris essent, & quoquo modo quæ dicuntur credi possent; insidiari te vitæ meæ aiunt; sed non ego credulus illis. Meminisse autem te volo, quantæcumque tibi accessiones & fortunæ & dignitatis fuerunt, eas te non potuisse nisi meis beneficiis consequi; vnde & hoc animo in nos esse debes, vt dignitas mea in amore atque fidelitate tuâ conquiescat. Neque verò cuiquam salutem ac fortunas suas tantæ curæ fuisse vmquam puto, quantæ mihi fuit honos tuus: in quo mea omnia studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem omnem fixi. Vnum hoc sic habeto: Si à te mihi seruatam fidem intellexero, non mihi tam mea salus chara, quàm pietas in referendâ gratiâ iucunda.

His

His expletis, aureum non parui ponderis poculum Rex ei porrexit, atque subiunxit: Amoris salutisque meæ caussâ, quod continetur, bibito; quod continet, habeto. Verè autem & absque ambiguitate post potum introiuit in illum satanas. Beneficij quippe præsentis & præteriti immemor, insomnem illam in Regis necem populos instigando pertulit noctem. Rex autem nocte illâ, quemadmodum & solitus erat, iuxta Ecclesiam, non in domo quæ defendi potest, sed in tuguriolo quodam manebat amœnissimo: sed & custodes nocte eâdem non posuerat, nihil suspicans mali.

De Berengarij cæde perfidiâ Flamberti peractâ; & sanguine eius adhuc in lapide apparente: & de Milone milite, qui Berengarij cædem vltus est. CAPVT XX.

SE primùm quatiens strepit
Gallus, cùm vigiles facit
Mortales, solito sonat
Et pulsata Deo canit
Iam tunc ænea machina;
Inuitatque docens, benè
Lethæum graue spernere;
Laudes huic modò reddere,
Qui vitam tribuit, dedit
Et nobis superam benè
Sanctam quærere patriam.
Hic Rex Ecclesiam petit,
Ac laudes Domino canit:
Flambertus properans volat,
Quo cum multa simul manus,
Vt Regem perimat bonum.
Rex eorum vigil inscius
Audit dum strepitum, nihil
Formidans properat citus
Hoc quid visere sit: videt
Armatas militum manus;
Flambertum vocat eminus:
Quid turbæ est? ait. En bone
Vir, quid nunc populus cupit
Armatas referens manus?
Respondit: Vereare nil,
Te non vt perimat ruit,
Sed pugnare libens cupit
Hac cum parte, tuum petit
Mox quæ tollere spiritum.
Deceptus properat fide
Rex hac in medios, simul
Tunc captus malè ducitur,
A tergo hunc ferit impius
Romphæâ; cadit heu! pius,
Felicemque suum Deo
Commendat piè spiritum.

Berengarius necatur.

Denique quàm innocentem sanguinem fuderit, quamque peruersè peruersi egerint, nobis reticentibus, lapis ante cuiusdam Ecclesiæ ianuam positus sanguinem eius cunctis transeuntibus ostendens insinuat: nullo quippe delibutus aspersusque liquore discedit.

Nutrierat sibi Rex Berengarius familiariter lauteque iuuenem, imò Heroëm quemdam, Milonem nomine, memoriâ satis ac laude dignum. Cuius si Rex fretus consiliis esset, fortunas sibi omnes non tantùm aduersari sentiuisset; nisi quia fortè & hoc diuinæ Prouidentiæ consilium fuit, vt aliter fieri non posset. Is sanè nocte eâ-

dem

dem quâ Rex Berengarius deceptus est, adhibitis sibi copiis, nocturnas ei vigiliarum custodias voluit exhibere; Rex verò promissionibus Flamberti deceptus, Milonem se non solùm custodire non siuit, verùm etiam atque etiam vehementer prohibuit. Milo autem, sicut vir fidelis & rectus, ac beneficij sibi à Rege collati non immemor, quem defendere, quia defuit, non potuit, citò acriter vindicare curauit. Tertiâ quippe post Regis necem die, Flambertum, eique in tam nefario scelere conniuentes vi captos, suspendio vitam finire præcepit. Fuerunt sanè in hoc viro nonnullæ perfectæque virtutes; quæ Deo propitio suis in locis vitâ comite silentio non tegentur.

Milo Berengarium vltus.

LVITPRANDI TICINENSIS DIACONI RERVM GESTARVM AB EVROPÆ IMPERATORIBVS ET REGIBVS LIBER TERTIVS,

Qui Antidosis inscribitur.

OPERIS huius titulum, Pater sanctifice, satis te mirari non ambigo. ais fortè: Cùm virorum illustrium actus exhibeantur, cur Antidosis ei inseritur titulus? ad quod respondeo: Intentio huius Operis ad hoc respicit, vt Berengarij huius, qui nunc in Italiâ non regnat, sed tyrannizat, atque vxoris eius Willæ, quæ ob immensitatem tyrannidis secunda Iesabel, & ob rapinarum insatietatem Lamia proprio appellatur vocabulo, actus designet, ostendat, & clamitet. Tanta enim mendaciorum iacula, tanta rapinarum dispendia, tanta impietatis molimina in me & domum meam, cognationem & familiam gratis exercuere, quanta nec lingua proferre, nec calamus prævalet scribere. Sit igitur eis præsens pagina Antidosis, hoc est retributio, dum pro calamitatibus meis τὴν ἀσέβειαν eorum, id est impietatem, præsentibus futurisque mortalibus denudauero. Nec minùs etiam sanctissimis & fortunatis viris pro collatis in me beneficiis Antidosis erit. Ex memoratis sanè aut memorandis nullus inuenitur, aut rarus, hoc vno Berengario scilicet impio excepto, quorum non beneficiis genitores aut genitus vehementer gratulemur. Denique, quòd in captiuitate, seu peregrinatione, Libellus hic conscriptus dicatur, præsens indicat exulatus: cœptus quippe in Franconouord, qui est viginti milliariis locus à Moguntiâ distans, in Paxu insulâ, non-

Exul hæc scribit Luitprandus.

gentis & eò ampliùs à Conſtantinopoli milliariis, vſque hodie exaratur. Sed redeamus ad rem.

Quomodo, defuncto Berengario, & Rodulfo ab Italiâ diſcedente, Hungari Italiam dilaniauerint: & de Papiæ conflagratione, quæ metro deſcribitur: & quomodo Deo miſerante capta & deleta non ſit.

CAPVT I.

REge Berengario defuncto, atque Rodulfo abſente, Hungarorum rabies Salardo Duce totam per Italiam dilatatur; adeò vt muros Papienſis ciuitatis vallo circumdaret, ac defixis per gyrum tentoriis, exeundi aditum ciuibus prohiberet: qui cùm his viribus reſiſtere non poſſent, peccatis promerentibus, nec munere mulcent.

Clarus ab infuſo diſcedens ſidere Phœbus,
Zodiaci primum ſolito conſcendere ſidus
Incipit, & gelidas diſſoluere colle pruinas,
Æolus atque ſuos bis binos mittere flatus,
Hugrorum furibunda manus cùm gaudet in vrbem
Flatibus Æoliis adiuta infundere flammas.
Spiritibus validis paruus diffunditur ignis:
Nec iuuat Hungarios ſolis hos vrere flammis;
Vndique conueniunt, mortemque inferre minantur:
Confodiunt telis, calidus quos terruit ignis.
Papiæ conflagratio.
Vritur infelix olim formoſa Papia;
Vulcanusque ſuos attollens flatibus artus,
Templa Dei patriamque ſimul conſcendit in omnem:
Extinguunt matres, pueri innuptæque puellæ.
Sancta cateruatim moritur cathecumena plebs: tunc
Præſul in vrbe ſuâ hac moritur ſanctusque Sacerdos,
Nomine qui proprio bonus eſt dictusque Ioannes.
Quod fuerat longo thecis in tempore clauſum,
En iacet, hoc aliena manus ne tangeret aurum;
Atque per immenſas diſſoluitur igne cloacas.
Vritur infelix olim formoſa Papia;
Cerneret argenti riuos paterasque micantes,
Corpora maiorum paſſim combuſta virorum.
Iaſpidis hîc pretium viridis rutilique topazi
Spernitur, & ſapphirus, onyx, pulcherque beryllus.
Inſtitor, heu! faciem nullus deflectit ad aurum.
Vritur infelix olim formoſa Papia.
Lucidus immenſas ſeruat nec fonte carinas
Ticinus, ſentina ſimul diffunditur igne.

Vſta

Vſta eſt infelix olim formoſa Papia anno Dominicæ Incarnationis DCCCC. XXIIII. IV. Idus Martij, Indictione XII. Feriâ VI. horâ III. Quorum memoriam qui ibidem combuſti ſunt, vos, & quicumque legeritis, faciatis, vehementer exoro.

Verùm piiſſimi omnipotentiſque Dei ira, cuius Propheta miſericordiam & iudicium concinit, cuiuſque miſericordiâ plena eſt terra, vſque ad conſummationem non deſæuit. Nam etſi peccatis promerentibus eſt exuſta, non tamen inimicorum manibus tradita. impleturque quod Rex & Propheta canit: Numquid in æternum proijciet Deus? aut non apponet vbi complacitior ſit adhuc? aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet, à generatione in generationem? aut obliuiſcetur miſereri Deus? aut continebit in irâ ſuâ miſericordias ſuas? itemque & alius Propheta dicit: Cùm iratus fueris, miſericordiæ reminiſcaris. Reliquiæ igitur quæ ſupererant, Hungaris non inuiriliter reſiſtebant; adeò vt lætabundi canerent cum Prophetâ: Hæc eſt mutatio dexteræ Excelſi.

Quòd Papia beati Syri eiuſdem Patroni meritis ſit liberata: & quòd idem beatus Syrus Papiam veniens, in ſpiritu prophetico eius affluentiam & Aquileiæ caſum denuntiarit. Et cur Ermegarda, poſt Adelberti mariti ſui obitum, tam potens extiterit. CAP II.

ACceſſit ad hoc, magnumque iuuamen præbuit ſanctiſſimi Patris noſtri Doctoriſque egregij beati Syri, cuius in præfatâ vrbe requieſcunt exuuiæ, interceſſio glorioſa. Ac ne eius vaticinium falleretur, prædicta vrbs Papia vt caderet eſt impulſa; verùm miſericorditer à Domino eſt liberata. Miſſus ſiquidem prædicationis gratiâ à beato Hermagorâ, Euangeliſtæ Marci diſcipulo, Papiam, beatiſſimus Pater huiuſmodi eam Prophetiæ ſpiritu præſagio honorauit:

B. Syrus.

Vaticinium eius de Papiâ.

Delectare gaudiis vrbs Papia; quia veniet tibi ab æternis montibus exultatio: non vocaberis minima, ſed copioſa in ciuitatibus. Et vt hoc eius vaticinium firmius crederetur, Aquileiæ non ignotæ ciuitatis caſum hac eâdem horâ ſermone huiuſmodi nuntiauit: Væ tibi Aquileia, quia cùm impiorum inceſſeris manus, deſtruêris, nec vltrà reædificata conſurges. Quod ita eſſe completum viſibus patens ratio manifeſtat. Aquileia namque prædiues, atque olim ciuitas immenſa, ab impijſſimo Hunnorum Rege Attilâ capitur, atque funditus diſſipatur, nec vlteriùs, vt inpræſentiarum cernitur, eleuatur; Papia verò, vt vir ſanctiſſimus dixerat, copioſa & appellatur & cernitur: non ſolùm quippe vicinas, ſed & longè poſitas præcellit opibus ciuitates. Quid alias memorem, cùm ipſa inſignis & toto orbe notiſſima Roma hac inferior eſſet, ſi pretioſa

item de Aquileiæ caſu.

beatissimorum Apostolorum corpora non haberet? Patet igitur, quòd hanc interceſſio beatiſſimi patroni noſtri Syri eripuit, qui eam tam veridico ac pretioſo præſagio honorauit. Exuſtâ denique Papiâ, factaque per Italiam non modicâ prædâ, Hungari ad propria reuertuntur.

Ermegardæ incontinentia.

Hoc eodem tempore, defuncto Adelberto Eporegiæ ciuitatis Marchione, vxor eius Ermegarda, Adelberti præpotentis Tuſciæ Marchionis & Bertæ filia, totius Italiæ Principatum obtinebat. Cauſſa autem potentiæ eius hæc erat; quoniam, quod dictu etiam fœdiſſimum eſt, carnale cum omnibus non ſolùm Principibus, verùm etiam cum ignobilibus commercium exercebat.

Quòd Regi Rodulfo à Burgundiâ regreſſo Ermegarda paulò pòſt rebellis extiterit, ita vt cum Italienſibus Papiam tenuerit: & quomodo Rodulfus illuc tetenderit. Et quomodo aſtu Ermegardæ Rodulfus ſuos deſerens, ad eam noctu transfuga venerit; & quomodo manè à ſuis quæſitus ſit: & re cognitâ, Mediolanum milites eius fugerunt. Item quomodo Italienſes Hugonem acceſſerunt. CAP. III.

PEr idem tempus Rex Rodulfus è Burgundiâ rediens, in Italiam venit; defunctoque Berengario Regnum potenter obtinuit. Poſt autem aliquot dies, Italienſes omnes cœperunt inter ſe diſſidere: zelo quippe non modico, propter Ermegardæ pulchritudinem, iuxta carnis huius putredinem trahebantur; eò quòd ea ſtuprum aliis præbebat, aliis denegabat. Vnde factum eſt, vt prædiues Mediolanenſis Epiſcopus nonnullique alij Regis Rodulfi partibus fauerent. Cum Ermegardâ verò tot ſimul rebelles aderant, quot ipſam etiam Regni caput Papiam non inuiriliter defenderent.

Factum eſt autem, vt Rex Rodulfus collectis copiis Papiam tenderet, caſtrametatus quinto milliario ab vrbe, eo in loco quò Ticinus ſimul & magnus ille Padus conueniunt: in cuius laudibus Maro ſic canit:

Fluuiorum Rex Eridanus. ——

Idem:

Corniger Heſperidum fluuius regnator aquarum.

Ermegarda, vt non incallida, Rodulfo Regi huiuſmodi noctu per memorati alueum fluuij mandata tranſmiſit: Si te perdere vellem, iam longo tempore extinctus eſſes. Tui quippe omnes te deſerere, meque ardenter adire, ſi meum modò adſit velle, contendunt: in his enim es locis, in quibus captus vinctuſque eſſes, ſi eorum iamdudum conſiliis paruiſſem. Talibus Rex legationibus non ſolùm credulus, verumetiam territus, nuntiis remiſſis, ſe acturum

rum quidquid ea conſuleret, remandauit. Nec mora, ſequenti nocte Rodulfus clam cuſtodibus, dimiſſis omnibus, dimiſſo tentorio, lecto etiam benè compoſito, lintrem ingreſſus ſuos deſeruit, atque ad Ermegardam quantocyùs properauit.

Igitur manè facto, magno ſilentio Regis milites tentorium circuibant; venientibus verò Principibus, non parua inter eos admiratio erat, cur, præter ſolitum, Rex horâ huiuſmodi dormitaret. Cumque ſtrepitu, vt ſpadones quondam Holofernem, euigilare niterentur, nullum, quemadmodum ipſe, dabat reſponſum. Introeuntibus autem tentorium, nihilque reperientibus, raptum hunc alij, interfectum alij clamitabant: nemo tamen, quòd transfuga fieret, animaduertere poterat. Verùm dum hac admiratione fluctuarent, nuntius venit qui diceret, Rodulfum Regem ſuper eos cum aduerſariis eorum velle irruere: qui mox animo conſternati, tam celeri fugâ cœperunt diſcedere, vt non hos currere, ſed, ſi videres, diceres tranſuolare.

Cumque Mediolanum, tutum ſcilicet ad locum, peruenissent, conſenſu omnium Lanthbertus Archiepiſcopus Hugoni potentiſſimo & ſapientiſſimo Prouincialium Comiti mandat, Regnum vt Rodulfo auferat, ſibique potenter obtineat. Erat enim longo ex tempore multis argumentis & ipſe periclitans, ſi fortè Regnum poſſet obtinere Italicum. Hic enim Berengarius iam nominati Regis tempore cum multis in Italiam venerat: ſed quia regnandi tempus nondum ei aduenerat, à Berengario territus eſt, atque fugatus.

Quomodo Rodulfus in Burgundiam reuerſus, Burchardum ſocerum ſuum ad auxilium adduxerit: & quâ ratione idem Burchardus ſit Mediolanum profectus, & ibidem honorificè ſuſceptus; & de eius morte tractatum. Qui Mediolano rediens, Nouariam venit; vbi & ab Italienſibus cum omnibus ſuis occiſus eſt. Et Rodulfus Burgundiam repetiit: Hugo verò Comes Prouinciæ Piſas appulſus eſt, vnde Papiam venit, & Rex Longobardorum fit; VVido autem Bertæ filius Tuſciæ præficitur. CAP. IV.

ROdulfus denique cùm infidelitate ſuorum prænominatos aduerſarios ſuperare non poſſet, in Burgundiam profectus, Burchardo Sueuorum Duci, cuius ſibi filiam coniugio copulauerat, denuntiat, vt ſibi in auxilium veniat. Qui collectis copiis, cum Rodulfo confeſtim conuenit in Italiam. Cumque peruenisſent Eporegiam, Rodulfum Burchardus ita conuenit: Ipſe ego vt legationis obtentu Mediolanum proficiſcar, non abſurdum videtur: hac occaſione vrbem explorare, atq; eorum potero cognoſcere voluntatem.

Profectus itaque cùm iam Mediolanum peruenisset; priusquam vrbem ingrederetur, ad beati pretiosique martyris Laurentij Ecclesiam orationis gratiâ declinauit: sed, vt aiunt, non tantum petitionis gratiâ, quantum alterius rei caussâ. Dicunt enim, quia prope ciuitatem est Ecclesia miro atque pretioso opere fabricata, eum ibidem munitionem construere velle; quâ non solùm Mediolanenses, sed & plures Italiæ Principes coërcere decreuisset. Inde verò exiens, cùm iuxta murum ciuitatis equitaret, linguâ propriâ, hoc est Teutonicâ, suos ita conuenit: Si Italienses omnes vno vti tantummodò calcari, informesque non fecero equas caballicare, non sum Burchardus; fortitudinem siquidem muri huius seu altitudinem, quâ se muniri confidunt, nihili pendo: iactu quippe lanceæ meæ aduersarios de muro mortuos præcipitabo. Hoc autem eò dicebat, quoniam neminem aduersariorum suæ ibi linguæ gnarum esse putabat. Verùm suo omine non bono quidam istic aderat, quamquam pannosus & despectus, eius tamen loquelæ scius; qui omnium horum Lanthberto Archipræsuli celer factus est nuntius: qui, vt erat ingenio pollens, Burchardum non despexit; sed eum alio animo suscipiens, mirabiliter honorauit. Sed & inter cetera, quasi hoc esset priuilegium amoris, concessit ceruum, quem is suo in brolio venaretur: quod nulli vmquam nisi charissimis magnisque concessit amicis. Lanthbertus intereà Papienses omnes nonnullosque Italiæ Principes ad Burchardi necem inuitat; eumque tamdiu tenuit, donec congregatos esse omnes sperarét, qui eum occidere deberent.

Teutonicè Burgundiones locuti.

Factum est igitur, vt, Burchardo Mediolano discedente, Nouariam die peruenirét eâdem: cumque istic nocte transactâ diluculo surgeret, Eporegiam tendens ciuitatem, Italicæ super eum irruentes subitò apparuere phalanges: quas contra non vt vir bellicosus properat, verùm mox fugam inceptat. Et quoniam, secundùm beati Iob sententiam, terminus eius constitutus præteriri non poterat; & fallax equus ad salutem; in fossam, quæ muros circuit ciuitatis, equus decidens eum proiecit: vbi & ab irruentibus Ausoniis confossus lanceis, vitam morte commutauit. Sui denique hoc videntes, quoniam aliò non poterant, intra Ecclesiam sanctissimi confessoris Gaudentij confugiunt. Ausonij itaque, vt ex Burchardi minis non mediocriter inflammati atque indignati, Ecclesiæ fores frangunt, omnesque in eâ repertos, sub ipso etiam altari confodiunt.

Quod Rodulfus vt audiuit, Italiam dereliquit, & Burgundiam percitus venit. Hæc itaque dum aguntur, Hugo, Arelatensium seu Prouincialium Comes, nauim conscenderat, & per Tyrrhenum mare in Italiam festinabat. Deus itaque, qui hunc in Italiâ regnare

regnare cupiebat, prosperis eum flatibus breuî Alpheam, hoc est Pisam, quæ est Tusciæ prouinciæ caput, duxerat. de quâ sic Maro: *Alphea.*

Alpheæ ab origine Pisæ.

Cumque eódem perueniisset, affuit Romani Papæ, Ioannis scilicet Rauennatis, nuntius: affuerunt etiam pænè omnes Italienses nuntij, qui hunc, vt super eos regnaret, inuitabant. Is autem, vt erat longo ex tempore hæc cupiens, percitus venit Papiam, cunctisque conniuentibus Regnum suscepit; post paululum Mantuam abiit, vbi & Ioannes Papa ei occurrens, fœdus cum eo percussit.

Quo tempore, Bertâ matre Hugonis Regis mortuâ, VVido filius eius, quem ex Adelberto genuerat, sicut prædiximus, Tusciæ Marchiam tenebat; qui Maroziam, scortum Romanum, sibi vxorem acceperat.

De plurimis Regis Hugonis virtutibus luxuriâ fœdatis. De duobus filiis eius. De amicitiâ eius cum Henrico Imperatore. De patre Luitprandi huius Operis Auctoris ad Imperatorem Græcum ab Hugone missô. De duobus canibus Imperatori missis, qui eum dilaniare parabant. Et de patre, cur tam magnificè sit ab Imperatore susceptus.

CAPVT V.

FVit autem Rex Hugo non minoris scientiæ quàm audaciæ, nec inferioris fortitudinis quàm calliditatis, Dei etiam cultor, sanctæque Religionis amatorum amator; in pauperum necessitatibus curiosus, erga Ecclesias sollicitus, Religiosos Philosophosque viros non solùm amabat, verùm etiam fortiter honorabat. Qui etsi tot virtutibus clarebat, mulierum tamen illecebris eas fœdabat. *Hugonis Regis laus.*

Hic ex Francorum genere, ex genere Teutonicorum vxorem acceperat nomine Aldam, quæ filium ei genuerat nomine Lotharium. Habuerat sanè tunc temporis ex quadam muliere nobilissimâ, vocabulo VVandelmodâ, filium nomine Hubertum; qui nunc vsque supereſt, & Tusciæ Prouinciæ potens Princeps habetur. Cuius acta, Domino propitio, suis in locis exponentur. *Alda.* *Hubertus.*

Hugone igitur Rege constituto, sicut vir prudentissimus quocumque terrarum cœpit nuntios suos dirigere, multorumque Regum ac Principum amicitiam quærere, Henrici præsertim famosissimi Regis: qui, vt suprà memorauimus, Baioariis, Sueuis, Lotharingis, Francis atque Saxonibus imperabat. Hic etiam Sclauorum gentem innumeram subiugauit, sibique tributariam fecit. Primus etiam hic Danos subiugauit, sibique seruire coëgit: ac per hoc nomen suum multis nationibus celebre fecit. *Henricus Imperator.* *Dani subiugatio.*

Rex igitur Hugo cùm Reges ac Principes amicos circumcirca acqui-

acquireret, ſtuduit nomen ſuum etiam Achiuis longè à nobis poſitis notum facere. Imperabat verò his tunc temporis memoriâ ſatis & laude dignus Romanus Imperator liberalis, humanus, prudens ac pius: cui tum propter morum probitatem, tum propter linguæ vrbanitatem genitorem meum direxit nuntium.

Romanus Imperator Pater Luitprandi.

Qui cùm eódem perueniſſet, inter cetera quæ Imperatori Romano Rex Hugo miſerat munera, duxit duos canes, quales in eadem patriâ non ſunt alicui viſi. Qui cùm ante eius præſentiam adducti fuiſſent, niſi multorum brachiis conſtricti fuiſſent, eum protinus morſibus laniaſſent. Puto enim, quòd dum hunc Græcorum more * cheriſtro opertum, habituque inſolito viderunt indutum, non hominem, ſed monſtrum aliquod putauerint.

Canes magni.

* *Lege* theriſtro *S. Hieronym. in cap. 3. Iſa.* Theriſtra, quæ nos palliola poſſumus appellare, quibus obuoluta eſt Rebecca. *Geneſ.* 24. Et hodie quoque Arabiæ & Meſopotamiæ operiuntur feminæ: quæ Hebraicè dicuntur Reddim, & Græcè θέριστρα, ab eo, quòd ἐν θέρει, hoc eſt in æſtate & caumate corpora protegant feminarum. *Vide Iacob. Greſ. lib.* 1. *inter poſtumos, Rerum variarum c.* 7. *p.* 76. *& adde Tertullianum de Pallio c.* 4. *à Greſero præteritum.*

Denique magno cum honore ab eodem ſuſceptus eſt Imperatore. Nec tam pro rei nouitate, aut munerum magnitudine, quantum quoniam, dum præfatus genitor Theſſalonicam veniſſet, Slauorum quidam, qui rebelles Imperatori Romano extiterant, terramque eius depopulabantur, ſuper eum irruerunt: verùm Dei actum eſt pietate, vt eorum Principes viui, nonnullis mortuis, caperentur. Quos dum præſentaret Imperatori, immensâ affectus eſt lætitiâ, magnoque ab eo genitor munere donatus, ad Hugonem Regem, qui ſe illuc tranſmiſerat, rediit lætus. Poſt reditum verò eius, paucis interpoſitis ſolibus, languore correptus Monaſterium petiit, ſanctæque conuerſationis habitum ſumpſit: in quo poſt dies quindecim mortuus, me paruulo derelicto, migrauit ad Dominum. Nunc autem, quoniam Imperatoris Romani mentio facta eſt, quis fuerit, qualitérve ad Imperij culmen peruenerit, hîc non abſurdum mihi videtur referre.

Romanus. Romani

De leone ferociſſimo, quem Romanus, qui poſteà imperauit, fortiſſimè peremit; & de ſocij eius pauore. CAP. VI.

IMperante quoque Leone Conſtantini huius genitore, Romanus iſte Imperator quamquam πτωχὸς, id eſt pauper, ab omnibus tamen χρήσιμος, id eſt vtilis, habebatur. Erat autem ex mediocribus ipſis, qui nauali pugnâ ſtipendia ab Imperatore acceperant. Qui cùm ſæpiùs & iterùm εἰς τὴν μάχην, id eſt in pugnâ, nonnulla χρήματα, id eſt vtilia, faceret, à ſibi præpoſito adeò honoratus eſt, vt primus nauium fieri mereretur. Quadam autem nocte, dum Saracenos exploratum abiret, eſſetque in eodem loco palus, atque arundinetum non modicum, contigit leonem ferociſſimum ex arundineto proſilire, ceruorumque multitudinem in paludem demergere, vnumque eorum capere, ſicque rabiem ventris mitigare. Ῥωμαῖος δὲ ὁ τῶν ὠτῶν, id eſt, Romanus autem eorundem, ſonitum audiens,

audiens, timuit valdè: putauit enim multitudinem Saracenorum eſſe, qui conſpectum ſe fraude aliquâ vellent perimere. Manè autem primo exurgens, cùm diligentiſſimè omnia conſideraret, conſpectis veſtigiis εὐθέως, id eſt confeſtim, quid hoc eſſet agnouit. Leone itaque in arundineto commorante, Romanus Græcum ignem, qui nullo præter aceti liquore extinguitur, vndique per arundinetum præcepit iactari. Erat autem in arundineto aceruus arundinibus plenus; in quem leo confugiens illo ab igne eſt ſaluatus: ventus quippe contrariâ ex parte flans, ignem, ne ad aceruum vſque perueniret, amouit. Romanus prætereà poſt ignis extinctionem, vno tantùm cum aſſeclâ, enſem ſolum dexterâ, ſiniſtrâ autem pallium geſtans, locum omnem peragrans luſtrat, ſi fortè os ex eo vel ſignum aliquod reperiret. Iam verò cùm in eo eſſet, vt nihil inueniens repedaret, quid hoc monſtri eſſet, quòd aceruus ille ſit ab igne ſaluatus, ſtuduit viſere. Cumque duo propè aſſiſterent, ſecumque rebus ex nonnullis fabularentur, leo hos tantùm audiuit; quoniam quidem ob caligantes oculos διὰ τὸ καπνῷ, id eſt, ob fumum, videre non potuit. Volens igitur leo animi ſui feritatem quam ab igne conceperat in hos euomere, ſaltu rapidiſſimo, quà illorum voces audierat, inter eos proſiliit. Romanus verò, non vt ſuus aſſecla pauitans, ſed eâ potiùs mente conſiſtens, vt, etſi fractus caderet orbis, impauidum ruinæ ferirent, pallium quòd manu geſtabat, inter brachia miſit: quod dum pro homine leo diſcerperet, Romanus hunc à tergo totis viribus inter clunium iuncturas enſe percuſſit: qui diſſociatis diuiſiſque cruribus, quia ſtare non poterat, penitus cecidit. Leone igitur interfecto, Romanus ſeminecem aſſeclam ſuum ſolo ſtratum eminus vidit; quem & vocare voce præcipuâ cœpit: ſed cùm nullum daret omnino reſponſum, idem Romanus propter eum aſtitit, pedeque pulſans, Surge, inquit, miſer: qui conſurgens, præ admiratione, dum leonis immanitatem conſpiceret, non habuit vltrà ſpiritum. Stupebant autem omnes de iſto Romano hæc audientes; vnde factum eſt, vt tam pro ceteris quàm pro præclaro hoc præſenti facinore, non multò pòſt à Leone Imperatore tanto donaretur honore, vt omnes naues ipſius eſſent in manibus, eiuſque iuſſionibus obedirent.

Grœcus ignis.

Romani facinus.

De iis qui Leoni Imperatori ſucceſſerunt, & Conſtantini morte, ac Romani per ſtratagema & aſtum ad Imperium euectione. CAP. VII.

LEo denique Græcorum piiſſimus Imperator, cuius ſuprà fecimus mentionem, corporis humani debitum ſoluens, viamque carnis vniuerſæ ingrediens, Regni ſui heredem, Alexandrum fratrem germanum, vnicumque filium Conſtantinum, qui nunc

Leonis ſucceſſores.

vsque supereſt, & feliciter regnat, paruulum, &, vt Græci aiunt, ἄλαλον, id eſt mutum & infantem, dereliquit. Quibus, ad tuendum palatium, tutandamque rem priuatam, vt iſtic moris eſt, eunuchum officio Parachimmenon dedit; Phocam verò Domeſticum maiorem, hoc eſt terreſtris Ducem exercitus, fecit; Romanum autem non claro natalium ortu, ſed cordis magnanimitate nobilem, naualis exercitus Principem ordinauit. Alexander poſt modicum defunctus, ſoli Conſtantino paruulo Imperium dereliquit. Denique tempore quo magnus Imperator Leo migrauit ad Chriſtum, Phocas præfatus Domeſticus terreſtris Dux exercitus, contra Simeonem Bulgarorum Regem copias duxerat, eique Conſtantinopolim venire cupienti non inuiriliter repugnabat; Romanus verò, vt non incallidus, audito Imperatorum, hoc eſt Leonis atque Alexandri, interitu, haud longè ab vrbe collecto claſſium exercitu, fugit, atque in inſulam paruam iuxta Conſtantinopolim, ita vt è palatio videri pænè poſſet, ratibus collectis aduenit; ad palatium autem minimè transfretauit, laudeſque iuxta conſuetudinem Porphyrogenito minimè decantauit. Quæ res eunucho Parachimmeno cunctiſque Conſtantinopoleos Principibus ſtuporem timoremque non paruum attulit: internuntiis itaque, quid hoc monſtri ſit, quòd Regem non adierit, laudeſque debitas non ſoluerit, ſciſcitantur. His à Romano reſpondetur, quòd propriæ vitæ timens palatium declinarit; & adiecit, quòd ſi Parachimmenos ceteris cum Principibus ſe non adiret, vitamque iureiurando promitteret, mox ſe ad Cretenſium Saracenorum Regem conferret, Regnumq; Argiuorum ſui auxilij fortitudine debellaret. Quod quàm callidè dixerit, exitus declarabit. Igitur quo præfati ſumus Principes terrore compulſi, ignoranteſque quòd lateret anguis in herbâ, omnes hunc fiducialiter adeunt, quod mandauerat gratanter cupientes implere. Quos omnes, non malo conſilio accepto, proiectos in ſentinam ligat; ſicque ſecurus ad vrbem magno cum comitatu feſtinat, hiſque quos ſuſpectos habuerat, palatium purgat, ſuæ parti parentes ibi collocat: Rectorem, Magiſtros, Patricios, Logotheum, Eparchon, κοιτωνίτας Cubicularios, Protoſpatharios, Spatharios, Spatharocandidatos, ὠδηθαλασίους ſuos facit; ceteros, vt diximus, abdicat. Quj etiam, vt cœptum opus firmiùs patraret, cum Porphyrogeniti matre, Zoizone nomine, venereâ eſt dulcedine iunctus. Tota mox ciuitas coronatur, & Romanus Pater Baſileos appellatur.

Romani doloſi mina.

Imperium occupat.

Magiſtratus conſtituit.

De Phocâ altero ex Principibus aulæ: qui, audito quod Romanus eſſet ad Imperium euectus, victoriam Bulgaris ſponte conceſſit, cum multâ ſuorum ſtrage fugiens; quocircà ab Romano captus, oculis priuatur. De Simeone Bulgarorum Rege ex Monacho: cuius filius Baianus magicâ arte homines in lupos vertit. Item de Helenâ, ſeu Irenâ, quæ Conſtantino Imperatori nupſit. CAP. VIII.

CVm Bulgaris prætereà pugnanti Phocæ Domeſtico, qui & ipſe Pater Baſileos ardenter fieri cupiebat, in ipſo bello iam de hoſtibus triumphum tenenti, quid à Romano actum ſit nuntiatur: qui mox animo conſternatus, nimio dolore compulſus, victoriæ ſignum quo hoſtes inſequebatur proiecit, terga vertit, fugam ſuos inire fecit. Reparant itaque Bulgari Simeonis hortatu animos; & quos priùs aduerſo Marte fugarat, proſpero poſtmodum inſequuntur; tantaque tunc Argiuorum ſtrages efficitur, vt longo pòſt tempore campus plenus oſſibus videretur.

Bulgari pernicaciâ Phocæ vincunt Græcos.

Omni denique cum feſtinatione iam nominatus Phocas Domeſticus Conſtantinopolim redit, palatium ingredi cupit, & arte fieri Pater Baſileos ſatagit. Sed quia conſilij vis expers mole ruit ſuâ, &, vt Flaccus dicit, Dij rem temperatam prouehunt in maius; à Romano Domeſticus iſte capitur, atque vtroque lumine priuatur. Bulgaris non minima vis augetur; iiſque Græcos depopulandi viciſſitudo dupla rependitur.

Phocas capitur, & oculis priuatur.

Tunc etenim Simeonem ἡμίαρσον, id eſt ſemigræcum, eſſe aiebant; eò quòd à pueritiâ Byzantij Demoſthenis Rhetoricam Ariſtoteliſque ſyllogiſmos didicerit. Poſt hæc autem, relictis artium ſtudiis, vt aiunt, conuerſationis ſanctæ habitum ſumpſit: verùm paulò pòſt regnandi cupiditate deceptus, ex placidâ Monaſterij quiete ad ſæculi procellam tranſijt; elegitque potiùs apoſtatam Iulianum, quàm beatiſſimum Petrum cæleſtis regni clauigerum imitari. Qui duos filios habuit, vnum nomine Baianum, alterum, qui nunc vſque ſupereſt, potenterque Bulgaris principatur, nomine Petrum. Baianus autem adeò fertur didiciſſe Magicam, vt ex homine fieri lupum & quamcumque vellet aliam cerneres feram.

Simeon ex Monacho fit Rex.

Romanus prætereà eodem quo Pater Baſileos conſtitutus eſt anno, filiam ſuam Helenam Imperatori paruulo ſuo Domino Conſtantino Porphyrogenito coniugem dedit. Porphyrogenitum autem non in purpurâ, ſed in domo quam Porphyram ſuperiùs diximus nominatam, appello, vt videre eſt Libro primo pluribus Capitibus. De æde autem ſacrâ quam ædificauit, hoc addi poteſt, quòd ipſam νέαν, hoc eſt nouam, alij vocant; alij verò ἀνακτόρειον, quod linguâ

Helena, ſeu Irena, Conſtantino nubit.

guâ noſtrâ nouennalem ſonat, appellant; eò quòd ibidem horarum Eccleſiaſticarum machina nouem pulſata ictibus ſeu vocibus ſonet.

De oratione Romani ad Principes Romanos, poſtquam Imperator conſtitutus eſt. De humilitate proſapiæ Romani, qui Chriſtophorum filium ſuum iniquè Conſtantino Imperatoris filio in Imperij aditione prætulit: quam iniuriam Deus morte Chriſtophori vltus eſt. De Conſtantini Porphyrogeniti religione & exercitatione, paceque cum Bulgaris per Irenam factâ. CAP. IX.

Concio Romani ad Principes Romanos.

SEcundo itaque quo Pater Baſileos conſtitutus eſt anno, Romanus conuocatos ad ſe Principes ita conuenit: Romanæ dignitatis Ἄρχοντες, id eſt Principes, quoniam vobis conſultis non ſolùm inquam Pater Baſileos ſum conſtitutus, verùm etiam ſanctiſſimi Imperatoris fidelitati γλαυκώπιδος Helenæ, id eſt virides oculos habentis, coniunctione ſociatus; hîc aliquo imperialis ornatus indicio monſtrari dignum in corpore reor, quod celebratur à populis ex nomine dignitatis. Iudicatum denique à populo, communique decretum eſt conſilio, vt quia tantæ erat dignitatis, & λευκώλενον filiam ſuam Helenam Imperator ei copularat, rubricatarum pellium caligis, vt iſtic Imperatorum moris eſt, vteretur. Sed ne hoc quidem ſatis ei viſum fuit: ſiquidem poſt vnius anni ſynaxin, cùm amplioris iam potentiæ eſſet, talibus aggreditur eoſdem Principes ſermonibus: Quoniam communi veſtro iudicio definitum eſt imperialibus me vti caligis, περίφανοι Ἥρωες, id eſt nobiliſſimi Heroës, veſtræ auctoritatis beneuolentiâ quæ contuliſtis, mihimet videntur pretioſa; diligentiùs verò conſideranti riſum mouere videntur: illi enim facilè ad riſum turbas illiciunt, qui variis ſeſe depingunt coloribus. Denique, riſum non ſolùm aliis, ſed & mihi ipſi mouent, dum pedibus Imperatorem, capite communem videor imitari plebem. Nam quæ comœdia? mimus quis melior? Igitur aut coronam præbete, aut caligas, quibus ridiculus populo videar, auferte. Hoc planè dicto, magis autem quâ cunctis præerat poteſtatis auctoritate, omnium iudicio coronam recepit, & caligarum decorem minimè perdidit. Huius miretur prudentiam nemo, ſed laudes referat Deo cordis ex intimo, qui erigit eliſos, ſoluit compeditos; cuius in manu calix vini meri plenus mixto, inclinans ex hoc in hoc.

Is autem humili erat proſapiâ, ex Armeniorum ſcilicet gente oriundus: neque ſolùm mente conceperat futurum, ſe Regis in aulâ eſſe, nedum imperialia ſceptra tenere; ſed, quod Prophetis Anna dicit, Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & ſubleuat,

leuat, ſuſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem, vt ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat. Domini enim ſunt cardines terræ, &c. Regi itaque immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria per cuncta ſæculorum ſæcula, Amen.

Denique Romano Imperatore conſtituto, Chriſtophorum, quem ante Imperij dignitatem habuerat, Imperatorem conſtituit. Poſt Imperij verò ſui ordinationem, vxor eius filium ei peperit nomine Stephanum: rurſus concepto fetu, alium ei peperit nomine Conſtantinum. Quos omnes Imperatores conſtituens contra ius faſque, & ſecum Chriſtophorum primogenitum Domino ſuo Imperatori Conſtantino Porphyrogenito præpoſuit; adeò planè, vt procedentes ad publicum, ad ſanctam Sophiam ſcilicet, vel ad Vlachernas, ſeu ad ſanctos Apoſtolos, Romanus cum Chriſtophoro primogenito præcederent, Conſtantinus Porphyrogenitus & duo ceteri ſequerentur. Quod quàm indignè iuſtus Iudex pertulerit, vltio ſubſequens declarauit. Nam poſt modicum Chriſtophorus defunctus eſt. Conſtantinus itaque Porphyrogenitus tum oratione tum lectionibus vacans, totum ſe Domino commendabat, opere manuum victum quæritans; ſanè τὴν ζωγραφίαν, id eſt picturam, perpulchrè exercebat. *Conſtantini religio & exercitatio.*

Eodem tempore Simeon cum Bulgaris Argos cœpit vehementer affligere: quem Romanus, filij ſui Chriſtophori filiâ filio illius Petro, qui nunc vſque ſupereſt, vxore datâ, ab incœpto furore compeſcuit, ſibique fœdere placido ſociauit. Vnde & puella mutato nomine Εἰρήνη, id eſt Pax, eſt vocata; eò quòd per eam inter Bulgaros & Græcos pax ſit firmiſſima conſtituta. *Simeon in Argos.*

De VValberto & Gezone Papienſibus, qui ſeditionem contra Hugonem Regem concitauerunt; & de Hugonis concione. CAP. X.

HIs temporibus Walbertus, & Gezo prænomine Euerhardus, Papiæ præpotentes Iudices erant. Cauſſa autem potentiæ Walberti hæc erat: quoniam Cumis ditiſſimo in loco filium ſuum Petrum Epiſcopum fecit; Razam verò natam ſuam Gileberto Comiti Palatij coniugio ſociauerat. Eâ tamen tempeſtate vterque defunctus erat. Ticinenſis itaque, qui & Papienſis, populus omnis ad hunc conuenerat; cauſſaſque omnes & controuerſias ante eum decidebat. Participatione denique huius potentiæ memoratus Gezo prænomine Euerhardus, quoniam affinitate quadam ei iungebatur, præpotens habebatur: qui nobilitatem ſuam prauis moribus deturpabat. Fuit enim ambitioſus nimis, cupidus, inuidus, ſeditioſus, iuris corruptor, præceptorum Dei immemor. Quod Deus non paſſus eſt abire inultum. Et, ne diutiùs protra- *VValberti & Gezo.* *Gezonis vitia.*

ham ſermonem, Catilinæ omnino ſimilis: qui ſicut Conſulem & Reipublicæ defenſorem Marcum Tullium Ciceronem conabatur occidere; ita & hic Regem Hugonem morti molitus eſt tradere.

Hugoni parantur inſidiæ.

Quadam enim die, dum nihil mali ſuſpicans Rex Hugo, Papiæ cum paucis degeret; hic ſeditione factâ voluit ſuper eum irruere: ſed Walberto (qui non tam ferocis animi erat) remorante tardatus eſt.

Necminùs etiam eos Rex Hugo ſuis rhetoricis ac melle dulcioribus eloquiis ab incepto furore compeſcuit. Dum enim ſeditionem ſuper ſe exortam, atque in domum Walberti congregatam eſſe cognoſceret, huiuſmodi omnes per internuntios ſermone conuenit:

Hugonis mandata.

Quid eſt, viri fortes, quòd tam ſubitò tamque inſperatè contra Dominum, imò & Regem veſtrum, commoti eſtis? Si quidpiam quod diſpliceat actum eſt, conſolidetur. Neque enim ſera emendatio reprehendi poteſt; præſertim ſi nulla negligentia prætermiſſa eſt. His auditis, cuncti animi furorem mitigarunt. Solus Gezo, in quâ priùs fuerat proteruiâ manens, operam dabat, vt omnes ſuper Regem irruerent, eumque turpiſſimâ morte trucidarent: verùm, diſponente Deo, affectus eius prauus effectum habere non potuit. Reuerſi igitur ad Regem nuntij, prout viderant & audierant, enarrauerunt.

De VValberti & Gezonis captorum ſuppliciis, prudentiâ Hugonis, & virtute Samſonis, & fabulâ Tireſiæ, cur cæci vitales ſint; & de Hilduini & Ratherij Epiſcoporum ambitione. CAP. XI.

VErùm Rex Hugo hæc omnia quaſi pro nihilo mente ſubdolâ ducens, Papiâ egreſſus, longè aliò properare feſtinat; miſſiſque circumcircà litteris, milites ſuos ad ſe venire præcepit. Quos inter Samſon præpotens Comes aduenerat, qui iam dicto Gezoni inimiciſſimus erat. Is denique, vt Regem vidit, ita eum conuenit:

Samſonis oratio.

Sollicitum te equidem de vrbanis rebus contra te tumultuosè & moleſtè his diebus actis intueor; verùm ſi me audis, mihique obtemperas, ſuis ipſi capientur laqueis. Alter enim, qui melius conſilium dare poſſit quàm ego, non facilè poteſt inueniri: tibi verò ipſi nemo certè melius dabit. Vnum tamen peto, vt dum capti fuerint meâ operâ, Gezo cum omni ſuâ ὑποστάσει, id eſt ſubſtantiâ, meis tradatur in manibus. Quem dum dari ſibi à Rege audiuit, adiecit: Leo Ticinenſis Epiſcopus ciuitatis Walberto & Gezoni non habetur amicus: hi ſanè quibuſcumque poſſunt ei modis aduerſantur. Scitis denique moris eſſe, Regi ab aliis locis Papiam tendenti ciues fortiores extra vrbem occurrere. Mandate itaque clàm Epiſcopo, vt dum ſtatuto tempore Papiam veneritis, & ipſi nobis

nobis extra vrbem obuiàm venerint, portas ciuitatis omnes ſerari faciat, claueſque ſibi ipſe retineat; vt dum capere eos cœperimus, nec in vrbem confugere, nec ab vrbe auxilium poſſint expectare. Quod & factum eſt. Nam dum ſtatuto tempore Rex Papiam tenderet, & memorati ei obuiàm exirent, Epiſcopus libenter, vt ei imperatum fuerat, fecit. Rex itaque omnes capere, vt Samſon conſilium dederat, fecit. Confeſtim igitur Gezo Samſoni traditus, vtroque lumine priuatur, & lingua, quæ in Regem blaſphemiam dixerat, ei abſcinditur. O factum benè, ſi ſicut cæcus, ita & mutus cunctis extitiſſet temporibus. Sed ô ſcelus! Quoniam lingua abſciſſa loquelam non perdidit, ſecundùm Græcorum fabulas, oculorum priuatione vitam ſibi protelauit: quæ multis ad perniciem vſque in præſentem diem eſſe non deſinit. Fabulam verò, cur cæci plurimùm viuant, ſecundùm Græcorum ineptiam, his inſeramus; quæ talis eſt: Ζεὺς & Ἥρα, &c. hæc eſt interpretatio: Iupiter & Iuno contenderunt de amoribus, vter plures libidines haberet in coitu. Et tunc Tireſiam Euri filium quæſiuerunt. Ille enim in vtraſque naturas tranſmutatus erat, quia draconem calcauerat. Hic ergo contra Iunonem pronuntiauit: Iuno irata, cæcauit eum; Iupiter autem donauit ei multos viuere annos, & quæcumque diceret diuinando dicere. Sed redeamus ad rem. Gezone, vt prædiximus, membris defœdato, ſubſtantia illius diripitur. Ceteri complures cuſtodiæ mancipantur. VValbertus poſtridie capite truncatur; theſaurus eius infinitus diripitur. Vxor eius capitur; & vt theſauros occultos tradat, diuerſis cruciatibus laniatur. Creuit ex tunc non ſolùm Papiæ, ſed & per omnes Italiæ fines Regis timor. Neque hunc vt Reges ceteros flocci pendere, verùm modis omnibus honorauere.

Gezonis ſupplicium.

Caci cur plurimùm viuant.

Tireſiæ fabella.

VValberti ſupplicium.

Eodem tempore Hilduinus, Laudocienſis Eccleſiæ Epiſcopus, propriâ Sede expulſus, ad Hugonem Regem, cui affinitatis lineâ iungebatur, in Italiam venit. Qui honorificè ab eo ſuſceptus, Veronenſem ei Epiſcopatum ad ſtipendij conceſſit vſum. Factum eſt autem, vt poſt paululum Lambertus Archiepiſcopus moreretur, & hic loco eius Mediolani Epiſcopus ordinaretur. Venerat autem cum præfato Hilduino Monachus quidam Ratherius nomine; qui ob religionem ſeptemque liberalium artium peritiam Veronæ Epiſcopus conſtituitur: vbi & Milo, de quo ſuprà commemorauimus, Comes habebatur.

Hilduinus expellitur.

Ratherius.

Qualiter Ioannes Papa sit captus, custodiæque, in quâ moriturus erat, traditus. Quâ munitione vrbs Roma munitur: & quomodo Hugo per Albericum vrbe sit eiectus: quod Diuinæ dispositioni adscribendum censet, ob peccatum Hugonis Regis. CAP. XII.

VVido, id est Guidò.

VVido interea, Tusciæ Prouinciæ Marchio, cum Marozià vxore, de Ioannis Papæ deiectione cœpit vehementer tractare; atque hoc propter inuidiam quam in Petrum fratrem Papæ habebant: quoniam quidem illum Papa quasi fratrem proprium honorabat. Contigit itaque, Petro Romæ degente, VVidonem clàm multos habuisse milites congregatos. Cumque die quadam Papa cum fratre pauciscque aliis in Lateranensi palatio esset, VVidonis & Marozìæ milites super eos irruentes, Petrum fratrem ipsius ante oculos interfecerunt; eumdem verò Papam comprehendentes custodiæ manciparunt: in quâ non multò pòst defunctus. Aiunt enim, quòd ceruical super os eius posuerint, sicque eum pessimè suffocarint. Quo mortuo, ipsum Marozìæ filium nomine Ioannem, quem ex Sergio Papâ meretrix ipsa genuerat, Papam constituunt. VVido verò non multò pòst moritur, fraterque eius Lambertus ipsi Vicarius ordinatur.

Ioannes Papa.

Ioannes ex meretrice genitus fit Papa.

Marozia verò, scortum impudens nimis, suos nuntios post VVidonis mariti sui mortem Hugoni Regi dirigit; eumque inuitat vt se adeat, Romamque nobilissimam ciuitatem sibi assumat. Hoc autem non aliter posse fieri testabatur, nisi eam sibi Rex Hugo vxorem faceret.

In Marozìæ libidinem.

Quid Veneris facibus compulsa Marozia sæuis?
Coniugis ecce tui spectas tu suauia fratris:
Nubere germanis satagens Herodia binis,
Immemor aspiceris præcepti cæca Ioannis,
Qui fratri vetuit fratris violare maritam.
Hæc tibi Moyseos non præstant carmina Vatis,
Qui fratri sobolem fratris de nomine iussit
Edere, si primus nequeat sibi gignere natum.
Nostra tuo peperisse viro te sæcula norunt.
Respondes, scio, tu: Nihil hoc Venus ebria curat.
Aduenit optatus ceu bos tibi ductus ad aram
Rex Hugo, Romanam potiùs commotus ob vrbem.
Quid iuuat ô scelerata virum sic perdere sanctum?
Crimine dum tanto satagis Regina videri,
Amittis magnam Domino tu iudice Romam.

Quod rectè esse actum non solùm sensata, verumetiam insensata animaduertunt. In ingressu Romanæ vrbis quædam est miri operis

ris miræque fortitudinis constituta munitio: ante cuius ianuam pons est pretiosissimus super Tiberim fabricatus, qui primus Romam ingredientibus atque egredientibus est; nec est alia nisi per eum transeundi via. Hoc tamen nisi consensu munitionem custodientium fieri non potest. Munitio autem ipsa, vt cetera desinam, tantæ altitudinis est, vt Ecclesia, quæ in eius vertice videtur, in honore summi & cælestis militiæ Principis Archangeli Michaëlis fabricata, dicatur Ecclesia sancti Angeli vsque ad cælos. Rex denique ob munitionis confidentiam, relicto longè exercitu, cum paucis Romam aduenit. Qui decenter à Romanis susceptus, in prædictam munitionem ad prædictæ Marozìæ meretricis thalamum declinauit. Cuius incesto dum potitus esset concubitu, Romanos quasi iam securus despicere cœpit. Habuerat sanè Marozia filium nomine Albericum, quem ex Alberico Marchione ipsa genuerat. Qui dum matris hortatu Regi Hugoni, vitrico scilicet, aquam funderet, vbi manus ablueret, ab eo pro correctione in faciem cæsus est, eò quòd non moderatè & prudenter aquam effunderet: is verò vt illatam sibi posset vlcisci iniuriam, congregatis in vnum Romanis, huiusmodi eos sermone conuenit: Romanæ vrbis dignitas ad tantam èst stultitiam ducta, vt meretricum etiam imperio pareat. Quid enim fœdius, quídve turpius, quàm vt vnius mulieris incestu Romana ciuitas pereat? Romanorum aliquando serui, scilicet Burgundiones, Romanis imperent? Si meam, priuigni scilicet sui, faciem cecidit, cùm præsertim nouus habeatur hospes, quid vobis iam inueteratum facturum creditis? An Burgundionum voracitatem atque superbiam ignoratis? Ipsam enim nominis saltem etymologiam dispicite: Burgundiones ideò dictos, quoniam dum Romani orbe deuicto ex gente hac captiuos ducerent multos, constituerunt eis vt extra vrbem domos sustollerent, à quibus & paulò pòst à Romanis ob superbiam expulsi: & quoniam ipsi domorum congregationem, quæ muro non clauditur, Burgum vocant, Burgundiones, quod est à Burgo expulsi, à Romanis appellati sunt. Ceterùm, secundùm naturale nomen, Galli Allobroges nuncupantur. Ego autem πρὸς φρόνησιν, id est per sapientiam, Burgundiones eos quasi gurguliones appello, vel quòd ob superbiam toto gutture loquantur; vel, quod verius est, quòd edacitati, quæ per gulam exercetur, nimis indulgeant. Nec mora, his auditis, Hugonem Regem cuncti deserunt, atque eumdem Albericum sibi Dominum eligunt; &, ne spatium quidem milites introducendi suos Rex Hugo haberet, munitionem confestim oppugnant.

Hugonis vecordia.

Alberici in Hugonem concio.

Burgundiones vnde dicti.

Allobroges.

Hugo depellitur.

Liquet diuinæ dispensationis esse hoc consilium, vt quod Rex Hugo tam nefario turpiter cœperat scelere, id eum omni modo

Hugonis fuga.

obtinere non posse. Tanto quippe est terrore coactus, vt præsertim seipsum eâ ex parte quâ ciuitatis muro munitio inhærebat deponens, eam desereret, atque ad suos confugeret. Expulsus igitur est Rex Hugo; & cum præfatâ Maroziâ Romanæ vrbis Monarchiam Albericus tenuit, fratre Ioanne suo summi atque vniuersalis Præsulatus Sedi præsidente.

Qualiter, & cur Hugo Rex Lambertum fratrem suum ceperit, & consilio Bosonis eum excæcauerit. Et quòd Rex Hugo iusiurandum à Rodulfo Rege acceperit, & Henricum Regem sibi amicum muneribus effecerit. Et de Danorum subiectione. CAP. XIII.

Nota suppositos Bertæ.

AIunt Bertam, Hugonis Regis matrem, Adelberto Marchioni viro suo nullum filium peperisse, sed ab aliis mulieribus clàm acceptos simulato partu VVidonem & Lambertum sibi suposuisse; quatenus post mortem Adelberti Bertæ non deessent filij, quorum adiutorio omnem viri sui potentiam possideret. Hoc autem mendacium mihi ideò videtur esse inuentum, quatenus incestum suum Rex Hugo tegeret, & infamiæ ὄνειδος, id est contumeliam & vituperium, euaderet; ea tamen quæ nunc narranda est, cur hoc dictum sit, verisimilior mihi videtur assertio. Lambertus, qui post VVidonis fratris sui mortem Tusciæ Marchiam tenebat, vir erat bellicosus, & ad quodlibet facinus audax: quem ob Regnum Italicum Rex Hugo suspectum nimis habebat. Timebat enim, ne

Boso.

Italienses se desererent, & Lambertum Regem constituerent. Boso denique ex eodem patre Regis Hugonis frater, insidiarum huic laqueos parauerat; eò quòd ipse Marchio Tusciæ fieri vehementer ardebat. Consilio igitur huius, Lamberto Rex Hugo comminando denuntiat, ne se fratrem suum ampliùs dicere audeat. Is verò, vt erat animi ferocis atque indisciplinati, non moderatè, vt

Prouocatio ad singulare certamen.

debuit, sed effrænatè ita respondit: Ne inficiari Rex possit me fratrem suum esse, nos vno ex corpore eumdem per aditum in lucem prodisse, duello cupio cunctis cernentibus comprobare. Quod Rex vt audiuit, iuuenem quemdam Teduinum nomine elegit; qui cum eo hanc ob rem pugnam singularem commisit. Deus autem qui iustus est, & rectum est iudicium eius, in quo non est iniquitas, vt amphibologiam dirumperet, ac veritatem cunctis ostenderet, fecit, vt Teduinus citissimè caderet, & Lambertus victoriam obtineret. Quamobrem Rex Hugo non mediocriter est confusus: consilio autem accepto, eumdem Lambertum tenuit, & custodiæ tradidit. Timuit enim, ne si illum dimitteret, Regnum sibi auferret. Hoc igitur capto, Bosoni fratri suo Tusciam contra-

Lambertus lumine priuatur.

didit; & non multò post Lambertum lumine priuauit.

His

Rodulfus.

His temporibus Italienses in Burgundiam ad Rodulfum mittunt, vt adueniat. Quod Hugo Rex vt cognouit, nuntiis ad eumdem directis, omnem terram, quam in Galliâ ante Regni susceptionem tenuit, Rodulfo dedit; atque ab eo iusiurandum, ne aliquando in Italiam veniret, accepit. Nec minùs etiam Henricum, quem suprà memorauimus, Regem fortissimum, multis collatis muneribus, amicum sibi effecerat: cuius ex hoc apud Italos nomen maximè tunc clarebat, quòd Danos nulli antè subiectos solus ipse debellaret, ac tributarios faceret. Est enim gens indomita sub Septemtrione in Oceano degens; cuius sæuitiam multarum sæpè gentium nobilitas luxit. Hi aliquando classibus per Rheni fluminis alueum conscendentes, ferro & igne cuncta miserè laniarunt. Ipsas insuper nobilissimas ciuitates, Agrippinam, quæ nunc Colonia vocatur, atque Treueros, non longè à Rheno positas, nonnullasque alias in Regno Lotharij debellantes vi ceperunt; cunctisque ablatis, ea quæ secum deferre non poterant, combusserunt. Thermas etiam Grani palatij atque palatia combusserunt. Verùm his omissis, ad narrandi seriem redeamus.

Dani ab Henrico subiecti.

Danorum sæuitia.

Thermæ Grani; quæ nunc Aquæ Grani.

De Arnoldo Duce Baioariorum in Italiam irrumpente, & Hugone illi occurrente, & Baioariorum strage, & Arnoldi fugâ. De Veronâ Hugoni restitutâ; & de Ratherio capto, & opere quod ipse in carcere de se composuit. CAP. XIV.

ARnoldus Baioariorum & Carentanorum Dux, cuius superiùs fecimus mentionem, cùm non multùm ab Italiâ longè distaret, collectis copiis, quatenus Hugoni Regnum auferret, aduenit. Qui Tridentinam eâ ex parte primam Italiæ Marchiam pertransiens, Veronam vsque peruenit: in quâ à Milone Comite atque Ratherio Episcopo libenter, vt qui eum inuitarant, suscipitur. Quod Rex Hugo vt audiuit, collecto exercitu ei obuiàm tendit.

Arnoldus Bauarus Italiam inuadit.

Cumque eódem perueniisset, & caballicatas, vt vulgò aiunt, circumcirca dirigeret, Baioariorum quædam pars non minima de castro vocabulo Gauseningo egrediens, cum Italiensibus pugnare cœpit: à quibus grauiter confossa, vix ex eâ vel qui hoc ceteris nuntiaret euasit. Quâ ex re Arnoldus Dux non paruâ est confusione repletus. Vnde factum est, vt consilio accepto, Milonem Comitem vellet capere; atque Italiâ derelictâ, fecit illum in Baioariam ducere, quatenus reparato exercitu cum eo iterùm redire posset: quod Milonem non latuit.

Caballicatæ, id est equitatus.

Qui diuersis cogitationibus æstuans, quid ageret penitus ignorabat. Hugonem Regem planè vt meruerat adire timebat; cum

Arnoldo verò in Baioariam duci, non ſolùm mortem, ſed infernum putabat. Hac itaque in ambiguitate, quoniam Regem Hugonem citò miſericordiâ nouerat inclinari, Arnoldum fugere, & ad eum deliberat tendere.

Arnoldus verò quò citiùs potuit in Baioariam eſt regreſſus. Munitionem autem, quæ in eâdem ciuitate erat, priùs oppugnans, fratrem Milonis, militeſque eius, qui eam defendere conabantur, ſecum in Baioariam duxit.

Ratherius capitur.

Quo diſcedente, Hugoni Regi mox ciuitas redditur; & Ratherius eiuſdem ciuitatis Epiſcopus ab eo captus, Papiæ exilio relegatur: in quo facetâ ſatis vrbanitate de exilij ſui ærumnâ librum componere cœpit. Quem ſi quis legerit, nonnullas ibi hac ſub occaſione res expolitas inueniet, quæ legentium intellectui non minùs placere poſſunt quàm prodeſſe.



LVITPRANDI TICINENSIS DIACONI RERVM GESTARVM AB EVROPÆ IMPERATORIBVS ET REGIBVS LIBER QVARTVS.

Pro Proœmio quarti Libri, dicit ſe deinceps quæ vidit ſcripturum: quomodo videlicet Hugo Lotharium filium ſuum Regem conſtituit, & Romam cum exercitu perrexit: vbi Aldam filiam ſuam Alberico per dolum deſpondet; voto tamen non potitur. CAPVT I.

HACTENVS quæ dicta ſunt, Sacerdos ſanctiſſime, ſicut à grauiſſimis, qui ea creuerant, viris audiui, expoſui: ceterum quæ narranda ſunt, vt qui interfuerim, explicabo. Eâ ſiquidem tempeſtate tantus eram, qui Regis Hugonis gratiam vocis mihi dulcedine acquirebam. Is enim euphoniam magnoperè diligebat, in quâ me coæqualium puerorum nemo vincere poterat. Igitur Rex Hugo dum proſperè ſibi cuncta proſpiceret, filium ſuum Lotharium, quem ex Aldâ vxore ſuâ genuerat, cunctis conniuentibus, poſt ſe Regem poſuit. Quo conſtituto, qualiter Romam, ex quâ eiectus turpiter fuerat, poſſet acquirere, cogitabat. Collectâ itaque multitudine, proficiſcitur Romam: cuius quamquam loca & Prouincias circumcircà miſerè deuaſtaret, eamque ipſam quotidiano impetu impugnaret, ingrediendi eam tamen effectum obtinere non potuit.

Lotharius aſſumitur in Regnum.

Sperans denique calliditate ſuâ Albericum poſſe decipere, ei denuntiat, vt filiam ſuam Aldam, Lotharij Regis nati ſui germanam, ſibi coniugio tollat; ſicque pace habitâ, vt ſuus ipſius filius ſecurus permaneat. Albericus igitur, vt vir haud fatuus, filiam ipſius

Alda.

ſius ſibi coniugio iunxit; Romam autem, quam nimis ardebat, non tradidit, ſeque ei minimè credidit. Verè tamen Albericum Rex Hugo ineſcaſſet, & cepiſſet, niſi illius hoc cauiſſet aſtutia militum, qui eum aliquando pacem cum ipſo habere non cupiebant. Si quem enim Rex ſuorum vellet corripere, ad Albericum mox ſtuduit fugere: à quo ob Regis metum gratanter ſuſceptus, Romæ vixerat honoratus.

De Saracenis, qui Fraxineto relicto, Aquas venerunt: vbi commiſſâ pugnâ omnes perierunt. Et de prodigioſo ſanguinis fluxu apud Genuam; quæ eodem anno ab Afris capta eſt. CAP. II.

DVm hæc aguntur, Fraxinetum Saraceni inhabitantes, collectâ multitudine, Aquas (qui eſt locus quinquaginta milliariis à Papiâ diſtans) vſque peruenerant. Horum πεζαρχος, id eſt *Primus phalangis.* prædux, Sagitus Saracenus peſſimus impiuſque extiterat; Deo tamen propitio pugnâ commiſſâ, ἡλαίπωσε, id eſt miſer, cum omnibus ſuis interiit.

Genua rectiùs quàm Ianua dicatur. Per idem tempus in Ianuenſi vrbe, quæ eſt in Alpibus Cocciis octingentis ſtadiis à Papiâ diſtans, ſupra Africanum mare conſtituta, fons ſanguinis largiſſimè fluxit, ſubſecuturam cunctis patenter ruinam inſinuans. Eo quippe anno Pœni cum multitudine *Prodigium* claſſium illò perueniunt; ciuibuſque ignorantibus, ciuitatem in- *Genua ab Afris capta.* grediuntur, cunctos, pueris exceptis & mulieribus, trucidantes; cunctoſque ciuitatis & Eccleſiarum Dei theſauros nauibus imponentes, in Africam ſunt reuerſi.

De Manaſſis Arelatenſis Epiſcopi cauillo, & friuolâ ratione, quâ ſe ad exemplum diui Petri Epiſcopatus Sedem mutaſſe dictitabat: & de argutâ Luitprandi in eum reſponſione. CAP. III.

Manaſſis Arelatenſis ambitio. HOc in tempore Manaſſes, Arelatenſis ciuitatis Epiſcopus, agnitâ Regis Hugonis potentiâ, à cuius ipſe ſanguine affinitatis lineam traxerat, deſertâ commiſsâ ſibi Eccleſiâ, ambitionis ſpiritu, multas violaturus, imò laceraturus Eccleſias, Italiam petiit. Hugo autem Rex ſe Regnum ſecuriùs obtinere ſperans, ſi affinitate ſibi coniunctis Regni officia largiretur, contra ius faſque, Veronenſem, Tridentinam, Mantuanam, commendauit illi, ſeu, quod verius eſt, in eſcam dedit Eccleſias. Ac ne his quidem contentus, Tridentinam adeptus eſt Marchiam: quo honore impellente, cùm miles eſſe inciperet, Epiſcopus eſſe deſinit. Libet autem Pater ἅγιε, id eſt ſancte, aliquantulùm immorarier, ſuaque ipſius ipſum ſententiâ, cur hoc ageret, Deo largiente, propriâ iugulare.

re. Beatus, inquit, Petrus, Antiochenâ dimiſsâ Eccleſiâ, ad Ro- *Petrum ſe ſimulat imitari.* manam vrbem (quæ potentiæ magnitudine cunctis tunc nationibus imperabat) poſtmodum tranſuolauit: vbi cùm diſponente Deo ſanctam toto orbe venerandam fundaret Eccleſiam, diſcipulo ſuo beato Euangeliſtæ Marco priſtinam Antiochenam ſimul commendauit; ita tamen vt Aquileienſem & ipſe primò inſtitueret, atque Alexandriam concitè peteret. Quod ita factum eſſe, neminem eorum, qui Actus Apoſtolicos legerit, neſcire cognouimus.

Sed vt nobis reſpondentibus, ô Manaſſes, vera te ſuper his non ſentire cognoſcas, ex nominis tui etymologiâ parentes tuos videntes fuiſſe intelligas. Manaſſes quippe obliuioſus, ſeu obliuio Do- *Manaſſis interpretatio.* mini, interpretatur. Quid enim verius aut apertius parentes tui hoc nomine vaticinari potuerunt? ita, inquam, es oblitus tui, vt nec hominem quidem te eſſe reminiſcare. Diabolus quippe Scripturas nouit; & tamen vt peruerſus eſt, peruersè eas interpretatur; & cùm his vtitur, ad perniciem, non ad ſalutem vtitur. Scíſne hunc, cùm tentationum iaculis Dominum & Redemptorem noſtrum Ieſum Chriſtum auſu nefario ſauciare conaretur, his propheticis malè vſum verbis? Quoniam Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne vmquam offendas ad lapidem pedem tuum. Hoc ſanè ita eſſe ſcriptum, ac de eo dictum, nullus fidelium ambigit. Sed quàm fraudulenter vera hæc Leuiathan ille proferat, ipſius, qui non ſolùm mortalium, ſed & Angelorum ſenſus exuperat, reſponſione animaduertere poteris: Non tentabis, inquit, Dominum Deum tuum. Vides igitur, quòd & tu veris quidem, ſed fraudulentis aſſertionibus vteris; quemadmodum & apoſtata Iulianus reſpondiſſe dicitur Chriſtianis, quos auiditate rapinæ cenſu proprio defraudauit: Nolite, inquit Magiſter veſter, poſſidere au- *Iuliani cauillum.* rum, neque argentum. & illud: Facilius eſt introire camelum per foramen acus, quàm diuitem intrare in Regnum cælorum. & item: Qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Cedo igitur: quid peruerſius ille quídve fœtidius te dixiſſe credendum eſt? Quod enim Petrus ad iuſtitiam, tu transfers ad culpam. Credo enim te Actus Apoſtolorum non intellexiſſe, aut, quod credibilius eſt, minimè legiſſe. Ibi planè ſic ſcriptum reperies: Quoniam fideles vendebant prædia ſua, & ponebant pretium ante pedes Apoſtolorum; quibus erant omnia communia, nec quiſquam aliquid ſuum eſſe dicebat: diuidebatur autem ſingulis prout cuique opus erat. Si igitur quod in humano cenſu eſt pretioſius, tibique animâ tuâ charius, Petrus aurum, quaſi quiddam peſtiferum, tangere noluit; quâ ratione eum, Antiochenâ deſertâ, ad Romanam aſſeris Eccleſiam tranſuolaſſe? Si latras, illum, quod omnino falſum eſt, quæſiuiſſe cenſum; ego animarum lucrum & glorio-

glorioſum comprobo martyrium. Prædictum quippe ipſi à Magiſtro, imò Creatore & Redemptore omnium fuerat: Quoniam cùm eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas; cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit, ſignificans quâ morte clarificaturus eſſet Deum. Denique & alio in loco, poſt reſurrectionem Petro ſe quò iret interroganti, reſpondiſſe Dominus dicitur, Romam, iterùm crucifigi. Venit igitur Romam Petrus non ambitione inflammatus, ſed martyrio animatus, non quærens aurum, ſed animarum lucrum. O felicem, imò beatum, ſi talem te tua conſcientia teſtaretur! Nec inficiari quidem potes, te Veronenſem Epiſcopatum vendidiſſe; quod Petro non cuilibet, ſed Apoſtolo illi numquam didicimus contigiſſe. Quare non ſolùm ſpirituali, verùm etiam corporali honore *cenſus animatione te priuatum eſſe cognouimus. Hæc autem interim dicta ad propoſitum redeundo ſufficiant, quoad largiente Deo latiùs differere ſuis in locis, qualiter Mediolanenſem vſurpaueris cathedram, veniamus.

* cenſus alienatione

De Berengario, & eius vxore, & fratre Anſcario. Et de Theobaldo Marchione, qui Græcos à ſe in prælio captos caſtrauit. Et de muliere, quæ feſtiuo commento marito virilia ſeruauit.

CAPVT IV.

Berengarius tyrannus.

EO tempore Berengarius ille, cuius tyrannidem nunc luget tota Italia, Eporegiæ ciuitatis Marchio habebatur. Cui Rex Hugo neptem ſuam nomine Willam, quam ex Willâ vxore ſuâ Boſo Tuſciæ Prouinciæ Marchio Regis frater genuerat, coniugem dedit. Anſcarius verò Berengarij frater, quem ex Adelberto Ermegarda Regis Hugonis genuit ſoror, virium audaciâ potentiaque clarebat.

VVilla.

Anſcarius

Theobaldus etiam Heros quidam proximâ Regi Hugoni affinitate coniunctus, Camerinorum & Spoletinorum Marchio erat. Hic in auxilium Beneuentani Principis contra Græcos, qui eum vehementer oppreſſerant, abiit. Quibus cùm bellum inferret, victoriâ eſt potitus. Contigit denique multos Græcorum, iam non arua ſed caſtra obtinentium, hunc cepiſſe: quibus dum virilia amputaret, talia σατραπῶ, id eſt qui eis præerat, nuntiauit: Quoniam quidem viro ſancto Imperatori ſpadonibus nil pretioſius eſſe cognoui, hos ſtudui paruulos ſibi verecundè tranſmittere; plures quamprimum, Deo propitio, tranſmiſſurus.

Theobaldus Græcos vincit.

Muliebre lepidum commentum.

Ludibrium autem, imò ſapientiam, quam quædam tunc mulier geſſit, his inferamus. Dum enim quadam die Græci cum ipſius terræ hominibus extra caſtrum quoddam ad pugnam aduerſus

ſus Theobaldum memoratum exirent, nonnulli ab eodem ſunt capti: quos cùm eunuchizaret, eoſque in caſtellum dirigeret, mulier quædam mariti ſuccenſa amore, eius pro membris non parum ſollicita, ſparſis crinibus de caſtello exiit furibunda: quæ cùm cruentis vnguibus ora diſcerperet, atque ante Theobaldi tentorium clamoſis vocibus fleret: Quid cauſæ eſt, inquit, mulier, quòd tam ſonoris vocibus quereris? Quæ, quia ſtultitiam ſimulare loco prudentia ſumma eſt, ita reſpondit: Nouum inauditumque facinus eſt, Heroës, vt bellum non repugnantibus mulieribus inferatis: noſtrarum nulla ex Amazonum ſanguine proſapiam ducit; Mineruæ quippe ſolùm operibus deditæ, armorum penitus ſumus ignaræ. Cui cùm Theobaldus diceret: Quis vmquam ſani capitis Heros, præter Amazonum temporibus, bellum mulieribus intulit? ea reſpondit: Quod cedo crudelius mulieribus bellum inferre, quídve incommodius his poteſtis auferre, quàm vt ea viris certetis ὀρχίδια, id eſt teſticulos, amputare? in quibus noſtri corporis refocillatio, & quòd omnium potiſſimum eſt, naſcituræ ſpes extat prolis. Dum enim eos eunuchizatis, non quod illorum, ſed quod noſtrum eſt, tollitis. Numquam armentorum ſeu ouium copia, quam mihi ante hos dies abſtuliſtis, veſtra me caſtra adire coëgit. Animalium quæ mihi feciſtis diſpendia laudo, iacturam hanc tantam, tam crudelem, tam irrecuperabilem, modis omnibus horreo, fugio, nolo. Sancti Dei omnes talem à me auertite peſtem. His auditis, nimio ſunt omnes cachinno commoti, totiuſque in eam populi fauor excreuit, vt non ſolùm virum ſuum integrum, verùm etiam cuncta quæ ſibi animalia ablata fuerant, recipere mereretur. Quæ cùm his receptis abiret, directo Theobaldus poſt eam nuntio, interrogauit, Quid viro ſuo auferret, ſi ad pugnam ampliùs contra ſe de caſtello exiret? Oculi, inquit, ſunt illi, nares, manus, & pedes. Si hoc egerit, illi quæ illius ſunt auferat; quæ mea ſunt, ſuæ ancillulæ derelinquat. Verùm quia fauorem populi primâ ſibi locutione adeſſe per riſum & mariti donum intellexit, hæc poſtmodum per directum nuntium remandauit.

De Boſonis, qui conſilio vxoris perfidus extiterat, ab Hugone captiuitate, & vxoris eius VVillæ ab Italiâ eiectione. Et de balteo pretioſo impudenter à ſeruo in loco pudendo comperto. CAP. V.

Boſo capitur.

PEr idem tempus Regis Hugonis frater Boſo, Willâ vxore ſuâ cupidiſſimâ ſtimulante, aduerſus Regem noua quædam & peruerſa molitus eſt agere. quod Hugonem minimè latuit. Quâ ex re captus, cuſtodiæ eſt continuò traditus. Cauſſa deiectionis eius hæc fuit. Dum Lamberto, quem ſuprà memorauimus, lu-

mine priuato, idem Boſo Marchiam Tuſciæ obtineret, coniunx eius Willa φιλαργυρία, id eſt amore pecuniæ, cœpit flagrare, adeò, vt totius Tuſciæ Prouinciæ nulla Nobilium matronarum quantiuis ſe pretij ornamentis excoleret. Hæc cùm prolem virilem non haberet, quatuor habuerat natas, Willam, Bertam, Giſlam, Richildam. Harum Willa, Berengarij huius qui nunc ſupereſt verè marita, hoc effecit, ne genitrix ſua omnium mulierum eſſet nequiſſima. Vt autem non per longas ambages eius acta ponamus, vno turpiſſimo deſcripto, quæ & quanta fuerit in ceteris, animaduertere poteris.

Balteus Boſonis.

Vir eius Boſo miræ longitudinis & latitudinis aureum habebat balteum, qui multarum & pretioſarum ſplendebat nitore gemmarum. Hunc, cùm Boſo caperetur, ſuper omnes gazas eius diligenter Rex iuſſit inquiri: ſumptiſque diuitiis, vxorem eius quaſi profanam, & ſceleris totius auctricem, turpiter de Regno Italico præcepit expelli, atque in Burgundiam, de quâ oriunda fuerat, duci. Verùm cùm diligenter omnia perſcrutati, balteum non reperirent, cetera nuntij reportantes, ad Hugonem ſunt reuerſi. Tum Rex, Reuertentes, inquit, phalerarum eius omnem apparatum, puluinar etiam, quod equitando premit, euertite. Et ſi nec ibi quidem balteum poteritis reperire, veſtimentis omnibus eam exuite, ne alicubi ſuper ſe poſſit occulere: noui enim quàm callida, quamque ſit cupida. Igitur illis redeuntibus, Regiſque iuſſioni parentibus, cùm requiſitis omnibus nil inueniſſent, veſtimentis eam omnibus nudauerunt. Hoc denique tam turpe facinus atque inauditum, cùm auertentibus oculis proborum nemo conſpiceret, ſeruorum quidam directo obtutu, purpuream ſecus natium ſperoidem, id eſt curuaturam, vidit dependere corrigiam: quam impudenter arripiens, fœditerque trahens è ſecretiori parte corporis, eam ſecutus balteus eſt egreſſus. Seruus itaque idem non ſolùm inuerecundus, ſed eo ipſo facinore turpi hilarior redditus: Ha, ha, he, ait, quàm peritus obſtetricandi miles. Rufus puer eſt natus heræ, quæſo vt ſit ſuperſtes. O me fortunatum, imò omnibus feliciorem, ſi tales ſaltem duos vxor mea mihi pareret natos, hos Conſtantinopolim dirigerem nuntios: quoniam quidem, vt inſtitoribus narrantibus agnoui, huiuſmodi libenter Imperator ſuſcipit. Talibus præterea Willa confuſa ſermonibus, lacrymis effuſis, latentem ſub corde cunctis aperit dolorem. Seruus autem, vt ſeruorum proprium eſt, eius deiectione non ſolùm non inclinatus, verumetiam animatus, hæc ad exaggerandum doloris vulnus adiecit:

Scurrile dicterium.

VVilla quid inſanis? aurum cur condere cæcis
Incipis in membris? proh non audita cupido!
Allecta à furiis, gemmas in corpore condis?

Matri-

Matribus inſolitum tales producere partus:
Hinc tibi nulla decem tulerunt faſtidia menſes.
Alma parens tales nobis haud deſine fœtus
Edere, qui nati ſuperent te ætate parentem.
Talia cunctanti collum percuſſerat vnus
Impiger, ac verbis illum culparat amaris.

His ita peractis, balteus Regi adducitur, eaque in Burgundiam deſtinatur. Verumtamen quæ abſcondit, an qui eum inquirere iuſſit, fœdiùs egerit, mihi quidem videtur amphibolum. Liquet tamen, quòd vterque auri gemmarumque nimiâ ſit cupidine animatus.

De morte Rodulfi Regis Burgundionum; cuius vxorem Rex Hugo duxit; & filiam filio ſuo tradidit: & quomodo ob pellices vxoris vxorem ſuam deſpexerit. CAP. VI.

BVrgundionum præterea Rex Rodulfus mortem obiit: cuius viduam nomine Bertam Rex Hugo, Aldâ Lotharij Regis filij ſui matre defunctâ, maritali ſibi coniugio ſociarat. Sed & filio ſuo Regi Lothario, Rodulfi & ipſius Bertæ natam nomine Adhelheidam, tum formâ honeſtiſſimam, tum morum probitate gratioſam, coniugem tulit. Quod Græcis omnibus non videtur idoneum: ſcilicet, vt ſi pater matrem, cùm ſint duo vnum, vxorem accipiat, filius filiam non ſine reatu valeat ſibi coniugio ſociare.

Vtrùm filius filiam, cuius patermatrem duxit, ducat.

Hugo denique multarum concubinarum deceptus illecebris, præfatam coniugem ſuam Bertam maritali non ſolùm non cœpit amore diligere, verùm modis omnibus execrari. Quòd quàm Deus iuſtè punierit, ſuis in locis ponere non pigebit. Verùm cùm nonnullæ eſſent concubinæ, in tres ſupra ceteras turpiſſimo ardebat amore, Bezolam viliſſimorum Sueuorum ſanguine cretam: ex quâ & natum genuit nomine Boſonem; quem in Placentinâ poſt VVidonis obitum Epiſcopum ordinauit Eccleſiâ: Rozam deinde, VValberti ſuperiùs memorati filiam decollati; quæ ei miræ pulchritudinis peperit natam: tertiam Stephaniam genere Romanam; quæ ei filium peperit nomine Theobaldum: quem poſtmodum in Eccleſiâ Mediolanenſi Archidiaconum eâ ratione conſtituit, vt defuncto Archiepiſcopo, eius ipſe Vicarius poneretur. Quid autem fuerit, quòd effectum Deus habere hæc non ſiuerit, vitâ comite, ſcribendus ordo nudabit. Sed & has tres, ob turpis impudicitiæ facinus, dearum nominibus, Bezolam videlicet Venerem, Rozam Iunonem, ob ſimultatem & odium perpetuum; quandoquidem ea ſecundùm pulchritudinem carnis, hæc ſpecio-

Concubinæ Hugonis.

Concubinis nomina indita.

ſior videbatur; Stephaniam verò Semelen appellabat. Et quoniam non Rex ſolus his abutebatur, earum nati ex incertis patribus originem ducunt.

De morte Henrici Regis, & vbi ſit ſepultus; & de prudentiâ eius, qui filium ſuum Othonem Regem conſtituit: qui Otho ante Regni ſuſceptionem ſororem Regis Anglorum duxerat. CAP. VII.

Henrici obitus. EO in tempore Rex Henricus in caſtello, quod eſt inter Thuringorum & Saxonum confinia, & dicitur Himeleuna, grauiſſimâ valetudine correptus migrauit ad Dominum. Cuius corpus in Saxoniam deportatum, in nobiliſſimarum ac religioſiſſimarum Monaſterio puellarum (quod in ipſius Regis prædio, vocabulo Quintelingaburch, ſitum liquet) intra Eccleſiam cum immensâ eſt veneratione repoſitum. Vbi & venerabilis eius coniunx, Regnique conſors, ex eâdem gente, nomine Mathildis, vltra omnes quas viderim & audierim matronas, pro delictorum expiatione celebre exequiarum officium, viuamque Deo hoſtiam offerre non deſinit. Hæc ante Regni ſuſceptionem viro ſuo filium peperit, quem vocauit Othonem. Iſtum inquam, cuius mundi partes Aquilonaris & Occidua potentiâ reguntur, ſapientiâ pacificantur, religione lætantur, iuſtique iudicij ſeueritate terrentur. Poſt regiam autem dignitatem duos peperit, vnum, quem patris nomine vocauit Henricum, facetiâ ſatis ornatum, conſiliis prouidum, vultus nitore gratioſum, oculorum vigilantiâ placidum: cuius pro recenti funere non mediocres lacrymas adhuc fundimus. Tertium deinde Brunonem nomine: quem Pater ſanctus, quoniam Nortmanni Traiectenſem deſtruxerant omnino Eccleſiam, ob eiuſdem recuperationem voluit militare. Verùm iſtorum actus ſuis in locis latiùs explicemus.

Otho primus.

Quantæ fuerit prudentiæ, quantæque Rex Henricus ſcientiæ, hinc probari poteſt, quòd optimum, & potiſſimum, & religioſiſſimum natorum ſuorum Regem conſtituit. Imminebat enim, Rex prudentiſſime, obitu tuo totius populi caſus, ſi tantus regiæ dignitati non ſubiret Vicarius. Quâ ex re in amborum laudem hos pangimus verſus:

Ipſe qui quondam ſuperare gentes
Impias bello ſolitus cruento,
Nouimus nunc, Rex, dederis popello
Morte quàm magnas propriâ ruinas.
Turba certatim viduata charo
Rege iam ceſſet lacrymare, quando
Alter exurgit ſimilis cluenti

Filius

Filius patri, venerandus orbi
Rex Otho, gentes ditione magnâ
Qui premet, pacemque feret beatam.
Quidquid Henrici periit receſſu,
Præſtitit claro populis hic ortu,
Blandus & mitis, patienſque ſanctis,
Peſtifer duris, rabidusque ſæuis.
Bella nonnullis tibi ſunt gerunda:
Ex quibus nomen referens in aſtra,
Cuncta calcabis pedibus per orbem,
Quæ premit tardus radians Bootes,
Et quibus nomen dedit Heſper almus,
Lucifer rurſus vocitatus idem,
Surgit Eoo properans coruſco.

Duxerat idem Rex Otho, ante Regni ſuſceptionem, ex Anglorum gente nobiliſſimâ Regis Adelſtani fratris filiam ſibi vxorem nomine Otgit: ex quâ & filium genuit nomine Liutolphum. Cuius ob recentem iacturam quoties memoriam agimus, lacrymis ſinum replemus. O ſi numquam natus, aut non tam maturè eſſet defunctus!

De Henrico peruerſorum conſilio Othoni rebellante, & exclamatione Auctoris in eum. CAP. VIII.

QVo in tempore Regis eiuſdem frater Henricus, quorumdam peruerſorum inſtinctu, eidem eſt nimiùm aduerſatus. Is enim, qui poſt creationis ſuæ mox clariſſimam dignitatem Creatori ſuo ſe ſimilem facere voluit, per auditores ſuos talibus Henricum contra fratrem, imò Regem & Dominum, ſermonibus inſtigauit: Recténe patrem egiſſe rere, in Regiâ tibi dignitate genito, non in eâdem genitum proponendo? Planè non diſcretionis hoc cenſurâ ponderauit, verùm paſſionis magnitudine aberrauit. Ergo age, neque tibi deerunt copiæ, fratrem deijce, Regnum accipe; ſitque tibi regnandi facultas, cui accidit, Deo largiente, & in eâdem dignitate natiuitas.

Regnandi tibi quid iuuenum tam dira cupido
Optime Saxigenum? prohibet Deus.
Haud pater Henricus dedit his: quia ſceptra mouebat
Aſtripotens bonus ipſe Deus pius;
Quo ſine, nec Regnum capitur, nec tempora ſiſtunt.
Quidquid in orbe, Deus, geritur, iubet:
Per quem iura Duces cernunt, Regesque triumphant.
Fraternas acies nunc nunc malè

Conflictare cupis, fallax, crudelis, inique,
Impie Leuiathan Beemoth paras
Antiquum renouare tuâ iam fraude duellum.
Crimine pro cuncto pœnas lues;
Hîc reprobum numeris culpans quod peccat, in æuo
Improbe supplicium referes simul:
Et quæcumque malis debentur flammea cunctis
Vincula, parta tibi misero: neque
Ignicomas Erebi iustè demersus ad vndas,
Perpetuò tecum arsuros trahes
Christicolas: quia siqua sacro Baptismate loti
Debita pòst traxere, Dei manet
Gratia, quæ lapsos erexit Sanguine gratis.

De Euerhardo, qui Henricum adhuc Regi Othoni fratri suo fidelem cepit, & in Franciam abduxit. Item, quâ ratione Euerhardus dictus Gilibertum à Regis fidelitate seiunxerit; & quomodo Gilibertus & Euerhardus Henricum carcere emiserint. CAP. IX.

TAnti huius ac tam pernicioſi facinoris illex Euerhardus extitit comes: huius enim primæ rebellionis tempore Henricus fratri suo Regi & Domino, prout debuerat, adminicula dederat, nisuque omni aduersarios fatigabat. Verùm quia incuria non solùm temporalibus rebus, sed etiam æternis deditis, atque in ipsâ internæ contemplationis visione constitutis, lapsum nonnumquam parat; quod, vt Vegetius Renatus in libro Rei militaris ait, necessariò amplior securitas grauius solet habere discrimen; Henricum in quodam oppido manentem, incautiusque se tuentem, prædictus Euerhardus collectâ multitudine obsedit; ac priusquam ei frater Rex adminiculari posset, expugnauit, secumque illum & gazam non paruam in propria transportauit. Rex igitur tantum fratris, imò suum, cupiens dedecus vindicare, præfatum Euerhardum sibique conniuentes toto cœpit conamine persequi.

Euerhardus Henricum cepit.

Euerhardus sanè Gilibertum Lotharingorum Ducem à Regis fidelitate seiunxerat: cuius adiutorio Regi non modicè resistebat. Quamquam idem Gilibertus Regis sororem haberet vxorem; maluit tamen suscipiendi Regni spe animatus Regi obsistere, quàm eum, vt debuerat, contra suos æmulos adiuuare.

Sed cùm se Regi nec sic conspicerent posse resistere, non incallido secundùm hominem, sed fatuo secundùm Deum accepto consilio, huiusmodi verbis Henricum conueniunt: Si consiliis nostris te parere nobis iuramento promittis; non solùm quia captus es te dimittimus, sed, quod maius est, si tamen Rex velis fieri, nostrum te

te Dominum constituimus. Hoc autem non eò dicebant, vt facerent, sed vt eius auxilio Regem debellarent.

Quâ calliditate Euerhardus Henricum & Gilibertum in acquirendo Regno decipere voluerit; & quomodo id iactanter coniugi dixerit. CAPVT X.

HAbuerat planè Rex nonnullas maximas & fortissimas copias, & earum Duces, Hermannum scilicet Sueuorum Ducem, fratremque eius Vdonem, atque Conrardum cognomine Sapientem. Qui quamquam affinitatis lineâ Euerhardo iungerentur; maluerunt tamen iustè, si necessitas incubuisset, iusto cum Rege occumbere, quàm cum consanguineo iniustè triumphare. Henricus igitur præmissâ iam promissione deceptus, propriis mox collectis copiis, totis viribus ipsos adiuuare, Regemque cœperat debellare. Verùm quia scriptum est, Mentita est iniquitas sibi: libet paululùm immorari; &, quemadmodum tunc mentita sit iniquitas sibi, explicare. Euerhardus haud prius Gilibertum à Regis fidelitate seiungere valuit, donec Regem eum se facturum esse promisit. Gilibertus autem arte hac Henricum decipere voluit, vt dum suo adiutorio Regem deuinceret, ipsum deponeret, sibique Regni solium obtineret. Verùm Euerhardus longè aliter disposuerat. Voluit enim Regem posse deuincere, Regnoque priuare vtrosque, sibique vsurpare, quemadmodum ex verbis ipsius, quæ, paulò antequam moreretur, vxori suæ dixit, conijcere possumus. Quam dum foueret in sinu; Iucundare, inquit, in gremio Comitis, breuî lætatura in amplexibus Regis. Quod non ita accidisse, & iniquitatem sibi mentitam esse, tempestas indicat præsens.

De admirabili victoriâ, quam Rex Otho orando obtinuit: & de Henrico in brachio vulnerato in eo prælio. CAP. XI.

IGitur, vt præfati sumus, huiusmodi Henricus promissione animatus, imò deceptus, collecto exercitu, cum Giliberto pariter atque Euerhardo, Regi præparat bellum. Quos contra Rex properat lætus, non eorum multitudine territus, sed de Dei pietate confisus. Sed vt scias, quàm facile est Deo in paucis plures vincere, & quòd quisque in abundantiâ virtutis suæ non saluabitur, audi antiquum à Domino renouatum miraculum: Regis milites supra Rhenum ad locum vocabulo Bierzuni peruenerant, Rhenique alueum transire cœperant, ignorantes quòd Henricus cum præfatis Comitibus tantâ vicinitate eis iam esset proximus. Perpaucis denique è nauibus egressis, vix equos ascendere, seseque armis induere

duere poterant, cùm prænominatorum legiones non nuntiantur properantes, ſed intuitu ipſo cernuntur præſentes. Tali igitur ſeſe mutuo ſunt ſermone aggreſſi: Fluminis huius, vt cernitis, magnitudo ſocios noſtros nobis ſuccurrere, noſq́ue etiam quamuis volentes redire non ſinit; nec clam nobis eſt, quàm ridiculum noſtris præſertim ſit nationibus, fortes viros ſe hoſtibus tradere, & non reſiſtendo mortem fugere, vitamq́ue ſempiternis opprobriis comparare. Quamquam enim euadendi (quæ numquam hoſtibus obeſt) oblata deſperatio, & ſupplicandi opprobrium ſempiternum, pugnandi nobis fiduciam præſtent; ea tamen eſt, quæ nos præſertim veritatis ſcilicet & iuſtitiæ cauſsâ pugnare compellit. Si enim terreſtris domus noſtra reſiſtendo iniuſtitiæ diſſoluatur, æternam non manu factam recipiemus in cælis. His itaque dictis accenſi, hoſtes inter præcipiti curſu tranſeunt. Rex denique ſuorum tantam conſtantiam non ſine diuino inſtinctu conſiderans; quoniam fluuio intercedente corporali præſentiâ ſubuenire ſuis non poterat, recordatus populi Domini, qui repugnantes ſibi Amalecitas orationibus Moyſi ſerui Dei deuicerat; protinus de equo deſcendit, ſeſeq́ue cum omni populo lacrymas fundens ante victoriferos clauos manibus Domini noſtri Ieſu Chriſti affixos, ſuæq́ue lanceæ impoſitos, in orationem dedit: quantumq́ue iuſti viri (ſecundùm iuſti viri ſententiam Iacobi) tunc valeret oratio, res manifeſta probauit. Eo namque orante, cùm ex ſuis nullus occumberet, hoſtes ſunt omnes in fugam conuerſi; nonnulliq́ue eorum cur fugerent, penitus ignorabant, quoniam quidem præ paucitate ſeſe inſequentes hoſtes videre non poterant. Cæſis igitur plurimis, Henricus eſt vehementer in brachio percuſſus; & quamquam loricæ triplicis fortitudo ad carnem vſque enſis aciem non admitteret, pondere tamen percuſſionis acerbæ brachium eſt adeò in liuorem conuerſum, vt nullis Medicorum curis ita mederi poſſet, quin ſubſequente anno dolorem permagnum ſentiret. Vnde & paulò pòſt huius facinoris occaſione ipſum faſſi ſunt hominem exuiſſe. Sed quia lanceæ ipſius ſanctæ memoriam fecimus hîc; qualiter ad eum peruenerit, inſeramus.

Henrici contuſio.

Mors.

De lanceâ Dominicâ per Henricum inuentâ, & ad Othonem perlatâ. CAPVT XII.

Lanceæ Dominicæ ad Othonem perlatio.

BVrgundionum itaque Rex Rodulfus, qui nonnullis annis Italicis imperauit, lanceam illam à Samſone Comite dono acceperat. Erat enim, exceptâ ceterarum ſpecie lancearum, nouo quodammodò opere nouaq́ue elaborata figurâ, habens iuxta limbum medium vtrobique feneſtras. Hæ pro pollicibus perpulchrè duæ acies

acies vſque ad decliuum medium lanceæ extenduntur. Hanc igitur Conſtantini Magni, ſanctæ Helenæ filij viuificæ Crucis inuentricis, fuiſſe affirmant: quæ mediâ in ſpinâ, quam limbum ſuperiùs memoraui, ex clauis, manibus pedibuſq́ue Domini & Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti affixis, cruces habet. Henricus itaque Rex, vt erat Domini timens, totiuſq́ue religionis amator, audito, Rodulfum tam inæſtimabile donum habere cæleſte, nuntiis directis tentauit, ſi præmiis aliquibus id poſſet acquirere, ſibiq́ue aduerſus viſibiles inuiſibileſq́ue hoſtes arma inuictiſſima, triumphumq́ue perpetuum præparare. Quod cùm Rex Rodulfus modis omnibus ſe numquam facturum ediceret, Rex Henricus, quia mollire hunc muneribus non potuit, minis terrere magnopere curauit: omne quippe Regnum eius cæde atque incendiis ſe depopulaturum eſſe promiſit. Quia verò quod petebatur munus erat, quo cæleſtibus terrea Deus coniunxerat, lapis ſcilicet angularis faciens vtraque vnum, Rodulfi Regis emolliuit cor, iuſtoq́ue Regi iuſta iuſtè petenti cominus dedit. Neque enim pace præſente ſimultati locus erat. Nam & eo, qui his crucifixus eſt, à Pilato ad Herodem properante, facti ſunt amici in illâ die, qui priùs inimici erant ad inuicem. Quanto autem amore Rex Henricus præfatum inæſtimabile donum acceperit, tum in nonnullis rebus, tum in hoc præſertim claruit, quod non ſolùm eo donantem ſe auri argentiq́ue muneribus, verùm etiam Sueuorum Prouinciæ parte non minimâ honorauit. Deus autem, qui quo quiſque quid animo peragat intuetur, non muneris quantitatis, ſed bonæ voluntatis inſpector ac retributor, quantâ ob prælibatam rem mercede æterno in ſæculo pium donauerit Regem, indiciis quibuſdam hoc etiam in tempore prodidit, dum contra ſe inſurgentes hoc victorifero præeunte ſigno ſemper hoſtes terruit, atque fugauit. Hac igitur occaſione, imò Dei voluntate, ſanctam Rex Henricus adeptus eſt romphæam, quam filio, vnde inpræſentiarum nobis ſermo eſt, decedens cum Regno hereditario dereliquit. Qui quantâ donum inæſtimabile veneratione coluerit, victoria non ſolùm indicat præſens, verùm etiam diuinorum, vt prompturi ſumus, admiranda largitio munerum. His itaque perterritis atque fugatis, Rex rediit non tantum de victoriâ lætus, quantum de diuinâ miſeratione magnificus.

Probat auctoritate ſanctæ Scripturæ, victoriam Othonis non fuiſſe fortuitam, ſed Deo ita diſponente proueniſſe. CAP. XIII.

LIbet autem paululùm immorari, & quod non fortuitò, ſed Deo diſponente hæc ita acciderint, enarrare. Quod luce nobis

bis clarius constabit, si Domini ac Saluatoris nostri Iesu Christi apparitionem, quæ post resurrectionem mulieribus & discipulis facta est, in medium proferamus. Fidem Petri, dilectionem Ioannis supra pectus Domini in cœnâ recumbentis, Thomas firmiter nouerat, eosque ad sepulchrum cucurrisse, nihilque præter linteamina inuenisse audierat; Angelorum etiam visiones, qui eum viuere assererent, mulieribus apparuisse cognouerat. Sed esto, fortè mulierum infirmitatem considerans, mulieribus non credebat. Cedo, inquam, sancte Thoma, si duobus discipulis ad castellum Emmaus properantibus, quibus non solùm apparuit, sed etiam Scripturas quæ de se erant, aperuit, imò etiam secundùm consuetum morem panem benedixit, & fregit, ac dedit, non credis; omnibus tamen condiscipulis, quibus ianuis clausis appāruit, quid fidem non adhibere contendis? Meministine, inquam, eumdem Dominum & Præceptorem tuum, cui te commoriturum promittebas ante passionem, hæc omnia prædixisse? ait namque: Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur; & postquam flagellauerint, occident eum, & tertiâ die resurget. Cur itaque eum dubitas resurrexisse, cùm gentibus traditum, flagellatum, conspurum, crucifixum, sicut prædixerat, videas? Haud ab re est, quòd Dominum tuum manibus propriis tractare contendis. Ipse Dominus namque Rex noster, qui operatus est salutem in medio terræ, qui nouit omnia antequam fiant, multos præuidens hoc errore perituros, vt est misericors & clemens, Infer, ait, digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus meum; & noli esse incredulus, sed fidelis. Confitere, Thoma sancte, & tuâ dubietate omne nostrum exclude amphibolum. Dominus, inquit, meus, & Deus meus. O ambiguum omni laude dignissimum! ô dubium cunctis sæculis prædicandum! Si tu non dubitares, ego non tam firmiter crederem. Si mulierum credentium, si condiscipulorum fidem, hæreticis, qui non vero corpore Dominum Iesum Christum resurrexisse latrabant, diceremus, multa nobis argumenta diabolicâ calliditate opponerent. Sed cùm dubitantem Thomam corpus tractasse, vulnerum cicatrices tetigisse, ac mox dubitatione remotâ, Deum & Dominum exclamasse audiunt, qui priùs erant multisoni, mox vt pisces videntur insoni; cognoscentes quia & vera caro est, quæ tractari potuit, & Deus, qui ianuis clausis intrauit. Et quòd Thomas dubitauit, non fors, sed Dei omnipotentis dispensatio fuit. Sic itaq; sic, Rex piissime, insperata ob militum paucitatem victoria diuinæ consilium prouidentiæ fuit, volens mortalibus indicare quàm charus Deo esset, qui orando tam immensum cum paucis triumphum obtinere promeruit.

ruit. Fortè enim, imò certè & tu priùs ignorabas quàm charus existeres; quod pòst te cognoscere fecit, cùm tantâ victoriâ honorauit. Sancti etenim viri quid virtutis habeant, & quanti in conspectu diuini examinis existant, nisi probauerint, ignorant. Quod in facto Abraham filium immolare cupientis ex verbis Angeli dicentis colligere possumus. ait enim: Ne extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam: nunc cognoui quòd timeas Dominum. id est, teipsum & posteros cognoscere feci. Nouerat enim Dominus, etiam antequam filium immolare vellet, quantâ Abraham Patriarcha sanctus eum charitate diligeret: sed is qui diligebat, quàm perfectè diligeret, non nouit, donec per dilecti filij immolationem apertissimè cognouit. Possumus & hanc ex beati Petri promissione approbare: Domine, inquit, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire. cui Dominus, Dico, ait, tibi Petre, non cantabit in hac nocte gallus, donec ter abneges nosse me. O sancte Petre, meliùs quàm tu, nouit te, qui fecit te. Tu profiteris, quemadmodum putas, veram fidem; sed qui, priusquam fiant, omnia nouit, ter se negaturum te esse prædixit. Huius quippe sententiæ non immemor, cùm postmodum te, an se diligeres, interrogaret, magis ipsi credens quàm tibi, amorem tuum hac temperatâ responsione declarasti, dicens: Domine tu omnia nosti; tu scis quia amo te. Conscientiâ quidem meâ plus diligo te quàm me, nisi quia te diligendo diligo me. Vtrùm autem, vt existimo, ita se veritas habeat, ipse quàm ego meliùs nosti, qui me vt essem fecisti, & vt te diligerem amore iustissimo inflammasti. Bone itaque Rex, non ob tuam hoc, sed ob infirmorum actum est fidem, qui victoriam nonnisi in multitudine putant consistere, & humanas res nonnisi fortuitò prouenire. Scimus enim, quia si cum duodecim legionibus transires, ac victoriam obtineres, non eam Domino, sed tibi imputares. Et hæc ratio est, quòd cum paucis orando voluit te Deus vincere, vt & in se sperantes ad amorem sui magis accenderet, & te quantum diligeret, nescientibus indicaret. Sed his omissis, ad alia festinemus.

De iis qui in Alsatiâ Othonem Regem fraude Frederici Archiepiscopi deseruerunt: & de animoso Othonis ad suos responso.

CAPVT XIV.

EST in Alsatiæ partibus castellum Brisecgaune patrio vocabulo nuncupatum; quod & Rhenus in modum insulæ cingens, & naturalis ipsa loci asperitas munit. In hac itaque suorum Euerhardus posuerat multitudinem militum: quorum terrore, non solùm sibi magnam partem præfatæ Prouinciæ vendicabat, verùm

rùm etiam circumcirca Regis fideles miserè laniabat. Rex denique bonus, non quæ sua, sed quæ suorum erant considerans, collecto exercitu, in Alsatiam, vt præfatum castrum obsideat, proficiscitur. Cumque eódem peruenisset, Frederici, qui cum eo tunc aderat, Moguntiæ Sedis Archiepiscopi exhortatione, Episcoporum quamplurimi, defixis noctu per gyrum amissis tentoriis, cœperunt Regem deserere, clamque ad ciuitates proprias confugere, Frederico cum eodem subdolè permanente. Quod Regis milites considerantes, huiusmodi Regem sunt aggressi sermone: Consule Rex saluti tuæ loca hæc deserens, & Saxoniam petens; nec clam te est, quòd Henricus frater tuus bellum tibi inferre conatur: qui si tam paruas tecum esse copias senserit, ita repentinus irruet, vt nec fugiendi quidem locus sit. Melius est igitur reparato exercitu redire, quàm aut mori miserè, aut turpiter fugere. Quibus Rex imperterritus, vt quondam suis Iudas cognomento Machabæus, Nolite, ait, nolite talia loqui. Et si appropinquauit tempus nostrum, moriamur omnes in virtute, & non inferamus crimen gloriæ nostræ. Melius est enim pro verâ iustitiâ mortem subire, quàm eam fugiendo turpiter viuere. Denique si illos Dei ordinationi resistentes, auxilium à multitudine solâ & non à Deo sperantes, iniustè præliari, mori, & ad irremissibiles Erebi pœnas descendere iuuat, nihilominùs nos imò acriùs pugnare delectet; qui & præliari pro iustitiâ securi, &, si sors carnis vniuersæ acciderit, securiùs possumus mori. Nam pro iustitiâ pugnatores ob copiarum paucitatem ante pugnæ experimentum terga dare, Deo diffidere est. His dictis, non solùm eos à fugæ proposito reuocauit, verùm etiam, vt vehementer pugnarent, animauit.

Militum cohortatio.

Animosum Othonis responsum.

De animoso & prudenti responso Othonis, quo confutauit impudentiam Comitis Abbatiam in præmium auxilij petentis. CAP. XV.

VNum autem, vnum, Pater egregie, velim diligenter attendas: quod cùm audieris, plus eum animi passiones quàm hostes vicisse miraberis. Huiusmodi vincere aduersarios permittente Deo nonnumquam & peccatores possunt; inconcussam autem animi tenere virtutem, prosperis scilicet non extolli, & aduersis non frangi, perfectorum solummodò est. Audi igitur in tantâ hac fluctuante procellâ, quo fidei supra petram, qui Christus est, sit ardore fundatus. Comes quidam tunc prædiues cum eo erat; cuius multitudo militum Regis aciem condecorabat. Hic itaque videns, quamplurimos ex Regis acie desertores ac transfugas fieri, non interiorem, sed exteriorem considerans hominem, tacitus hæc secum voluere cœpit: Quidquid à Rege in hac turbatione constituto

tuto petiero, sine dubio impetrabo; præsertim cùm & acre nobis bellum immineat, ac se ne deseram timeat. Nuntiis itaque directis, Regi supplicat, vt Abbatiam quamdam, Lauresheim dictam, prædiis ditissimam, sibi concedat: cuius possessionibus, quod sibi deerat, militibus suis ministrare præualeat. Rex autem columbinâ non solùm, sed vt erat viperinâ calliditate suffarcinatus, non hoc quid portenderet minimè aduertere potuit; vnde & huiusmodi nuntiis apologeticum dedit: Illi quid super hac re sentiam verbis ipse potiùs explicabo quàm nuntiis. Quod qui hos direxerat audiens, immensâ est affectus animi lætitiâ, sperans se quod popposcerat impetrasse. Vnde & moræ impatiens, Regem adiit; eumque sententiam super hac re promere postulauit. Cui Rex, populo circumstante, Obedire, inquit, magis oportet Deo quàm hominibus. Quis enim sanum sapiens ignorat, te hæc non humilitate petitionis, sed comminationis auctoritate dixisse? scriptum est enim: Nolite sanctum dare canibus. Quod quamuis à Doctoribus spiritualiter intelligendum esse prædicetur; ego tamen satis me dare canibus sanctum censeo, si Monasteriorum prædia, quæ à religiosis viris Deo sunt militantibus tradita, tulero, & sæculo militantibus dedero. Tibi verò tam procaciter iniusta petenti, sub testimonio totius populi nec hoc nec aliud vmquam te à me accepturum esse testificor. Si cordi tibi est cum ceteris infidelibus auolare, quantò citiùs, tantò meliùs. His auditis, quia facies speculum est mentis, cordis verecundiam vultus rubore nudauit; concitusque Regis ad pedes corruens, se peccasse, se grauiter deliquisse confessus est. Perpende itaque, quâ constantiâ Dei athleta non solùm visibiles, verùm etiam inuisibiles conterat hostes. Antiquus etenim hostis non ei se nocuisse putauit, dum tot fortissimos Principes contra illum surgere persuasit; fratrem etiam, qui ei Regnum auferret, instigauit, quoniam hæc exteriora esse damna cognouit: quin & præfatum Comitem ad expetendam sanctorum hereditatem incitauit, quatenus Rex eò velociùs offensam Dei incurreret, quò seruorum Dei stipendia suis iniustè militibus traderet. Verùm quia nequiuit, nunc quantum Rex sanctus ob tentationis huius constantiam Deo pro se pugnante creuit, in medium proferamus.

Quomodo, Deo pro Othone Rege pugnante, Gilibertus & Euerhardus apud Andernacum sint occisi. CAP. XVI.

DAuid sanctus ex personâ Domini dicit: Si populus meus audisset me, Israël si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam. Quod in Rege hoc Dominum audiente,

atque in viis eius ambulante, esse completum, quam prompturus sum ratio declarabit. Euerhardus atque Gilibertus, audito Regem in Alsatiâ esse, quoniam neminem qui eis resisteret verebantur, permagno collecto exercitu, Rheni alueum ad Andernacum pertranseunt, Regisque fideles circumquaque demoliri procedunt. Vdo sanè, Hermanni Ducis Sueuorum frater, necnon & Conradus cognomento Sapiens, quos superiùs Regi diximus esse fideles, ipsius in partibus erant; sed quia eorum copiæ istorum copiis impares extiterant, his occurrere trepidabant. Verùm iubente Deo, non locutionis sed inspirationis modo, hos cum multis spoliis redeuntes ponè sequuntur. Cumque paululùm processissent, quidam eis flens & eiulans obuiàm venit Sacerdos: qui rogatus ab eis quò iret, cur fleret? Ab istis, inquit, prædonibus ego venio, qui paupertatis meæ ærumnam, vno quod solum possederam iumento ablato, dilatarunt. Quòd cùm præfatus Vdo ac Conradus audirent, an Gilibertum atque Euerhardum viderit examussim sunt sciscitati. Quo respondente, quoniam cum prædâ cunctis pænè trans Rhenum missis, ipsi soli cum eorum electis militibus (quod nec benè vertat) capiunt cibum; tantâ celeritate super eos irruunt, vt si videres, non eos currere, sed diceres transuolare. Quid plura? Euerhardus gladiis occiditur, Gilibertus Rheni vndis submergitur: quas quoniam exorbere præ multitudine non potuit, animâ recedente defecit. Ceterorum verò nullus aufugit, qui non aut viuus caperetur, aut gladio truncaretur. Vides igitur, quemadmodum super Regem tribulantes Dominus manum miserit, quem in viis suis ambulantem cognouit.

De nuntio qui Othoni cædem Giliberti & Euerhardi nuntiauit, cùm templum peteret; & de pietate eius. CAP. XVII.

DVm hæc aguntur, Rex in Alsatiâ horum insçius, mori potiùs quàm aduersarios fugere est paratus. Accidit itaque, vt, quemadmodum ei moris erat, manè primo, quoniam Ecclesia longè aberat, super equum consideret, eoque se munitum orationibus iret, dum directis procul oculis obuiare sibi sub nimiâ celeritate hominem vidit; quem illicò nuntium esse intellexit, eò quòd subsecuturam lætitiam quodam præludio hilaritatis ostendit. Hoc igitur indicio, quia secunda eum nuntiare qui aderant intelligunt, arrectis auribus vt eum audiant currunt. Quibus moderata huius processio, capillorum ac vestium compositio, honesta salutatio annuerat. Vidit Rex populum anhelare, & quòd dicendi moram nuntius faceret, grauiter ferre. Age ait, ad quod missus es fare, præpostero ordine rem priùs exprime, circumstantium metus adime, eorumque animos gaudio exple, dehinc per longa exorsa & Rhetorum procœmia salutationibus nos demulce. Non qualiter, sed quid dicas præsens tempus expectat. Malumus enim rusticanâ simplicitate lætari, quàm Tullianâ eloquentiâ periclitari. His auditis, Euerhardum atque Gilibertum hominem exutos esse primo impetu nuntiauit, volentemque qualiter hoc acciderit prosequi, Rex manu compescuit; ac mox de equo descendit, sesequæ cum lacrymis Deo gratias agens in orationem dedit. Quâ expletâ, surrexit, atque itinere quo cœperat, Deo se commendaturus ad Ecclesiam tendit.

Quomodo Otho Rex Bertholdo Baioariorum Duci amico suo res lætas denuntiauit, & nuptias sororis aut filiæ eius obtulit: & de Friderici Episcopi inani contra Regem factione. CAP. XVIII.

HOc in tempore Bertholdus Baioariorum Dux, Arnulfi Ducis frater, vir strenuus, Regis partibus toto fauebat conamine. Volens itaque Rex, vt quemadmodum tribulationis præteritæ, ita & lætitiæ præsentis fieret particeps, sequenti die, quanta erga eum Dominus beneficia egerit, nuntiis directis aperuit. Cui etiam in augmentum lætitiæ, quoniam coniugali minimè connubio tenebatur, demandauit, ac iuramento promittere fecit, vt, si sororem suam, scilicet Giliberti vxorem, habere posset, eam illi coniugio copularet: quod si minùs procederet, ipsius Giliberti ex eâdem sorore genitam, quam penes se habuerat, ferè iam nubilem maritali ei coniugio traderet. Quo audito, Bertholdus immenso est gaudio affectus; elegitque nondum nubilem potiùs filiam expectare, quàm matrem quæ iam nupserat tollere.

Fridericus denique Moguntiacensis Ecclesiæ Archiepiscopus, cuius consilio nonnulli Episcoporum Regem dimiserant, vt quam occultè gestabat infidelitas cunctis pateret, decem fermè diebus ante prænominatorum interitum Regem deseruit, ac Moguntiam concitus venit: in quâ nihil moratus, Metensem vrbem adiit. Dispositerat enim Regis frater Henricus, redeuntibus Euerhardo atque Giliberto, cum eodem Friderico illic exercitum congregare, sicque Regi in Alsatiâ degenti bellum maximum præparare. Cumque illò peruenisset nominatus Archiepiscopus, insperatè & non opportunè ei nuntij occurrerunt; qui iam prælibatos Principes morte intercedente non viuere dicunt. Is autem animo consternatus, quid faceret penitus ignorabat.

De

De eiusdem Friderici Archiepiscopi captiuitate. Et de sorore Henrici, prohibente ne in munitiones quasdam contra Regem se recipiat. Et quomodo Henricus tandem ad misericordiam Regis fratris sui se submiserit. CAP. XIX.

REx interea Alsatiam deserens, Franciam occupabat. Cuius ob metum, Moguntiæ ciues redeuntem Archiepiscopum intra vrbis mœnia non suscipiunt: vnde factum est, vt non multò pòst à Regis fidelibus captus, & ante eius præsentiam adductus, custodiæ sit in Saxoniam traditus: in quâ aliquamdiu commoratus, miseratione Regis dignitati pristinæ est restitutus.

Fridericus Episcopus capitur.

Henricus denique Regis sui atque fratris terrore compulsus, in castellum Capræmons vocabulo, non solùm ingeniis hominum, verùm naturâ ipsâ munitum, ingredi voluit: quod eius soror, vidua scilicet Giliberti, prænoscens, non solùm ne id facere posset prohibuit, verùm huiusmodi eum sermonibus conuenit: Proh! non tete miseriarum mearum tædet, quas interempto Giliberto marito perpetior, ni etiam meis in munitionibus te occludendo Regis iram super regionem velut aquam effundas? Non feram, non sinam, non patiar; non tanta mihi vecordia innata erit, vt ex meis incommodis tua compares commoda.

His Henricus auditis, cùm aliud quid faceret ignoraret, assumptis secum, quorum auxilio iuuaretur, quibusdam Episcopis, die quadam nudis pedibus Regis ad pedes ignorante ipso peruenit, supplexque misericordiam implorauit. Cui Rex, Indignum, inquit, facinus tuum misericordiam non meretur: verùm quia video te humiliatum coram me, non inducam malum super te. Iussit itaque Rex eum ad palatium suum, quod in Franciâ, in loco qui dicitur Inglinheim, constitutum est, proficisci, solertique illum vigilantiâ custodiri; quoad iræ remotâ paululùm ægritudine, quid super eum faceret, consilio sapientium definiret.

LVITPRANDI TICINENSIS DIACONI RERVM GESTARVM AB EVROPÆ IMPERATORIBVS ET REGIBVS LIBER QVINTVS.

Qualiter Hermannus Sueuorum Dux Liuthulfo filio Regis Othonis Idam filiam suam coniugem obtulerit. Et de eclipsi solis ante victoriam Radamiri in Hispaniâ: & de apparitione cometæ. Item, qualiter Rex Hugo Romam vexauerit. CAPVT I.

EACTVM est, vt post mortem Euerhardi atque Giliberti, necnon & Henrici fratris Regis inclusionem, concurrentibus vndique ad Regem congratulationis caussâ Proceribus, veniret etiam vir ditissimus Sueuorum Dux Hermannus: qui post congratulationis satietatem, talibus est Regem aggressus sermonibus: Non clam Domino meo est, tum prædiorum latitudine, tum pecuniarum immensitate prædiuitem me absque liberis esse; nec est præter vnam paruulam natam, quæ mearum rerum, me redeunte, heres existat. Placeat itaque Domino meo Regi filium suum paruulum Liuthulfum mihi adoptare filium; quatenus vnicę filiæ meæ maritali commercio sociatus, me migrante, mearum fiat hereditate rerum magnificus. Hoc itaque quia placuit Regi consilium, quod poposcerat, sine dilatione compleuit.

Hermanni Sueui oratio.

Hoc in tempore, vt ipse Pater benè nosti, sol magnam & cunctis terribilem passus est eclipsim sextâ feriâ, horâ diei tertiâ. Quâ etiam die Abdaram Rex noster à Radamiro Rege Christianissimo Galitiæ in bello superatus est. Sed & in Italiâ octo continuis noctibus miræ magnitudinis cometa apparuit, nimiæ proceritatis, igneos

Eclipsis solis. Radamirus vincit. Cometa.

Fames. igneos ex ſeſe radios fundens, ſubſecuturam non multò pòſt famem portendens, quæ magnitudine ſuâ miſerè vaſtabat Italiam.

Albericus ab Hugone obſidetur. Eâdem tempeſtate, Hugone Rege turpiter expulſo, Albericus, vt præfati ſumus, Romanæ ciuitatis Monarchiam obtinebat. Quem Rex Hugo quotannis grauiter opprimebat, gladio & igne quæ poterat vniuerſa conſumens, adeò vt ciuitates, præter Romam, in quâ ipſe confederat, omnes auferret. Sed & ipſam ſine dubio tum depopulando, tum ciues muneribus corrumpendo conquiſiuiſſet, niſi occulta & iuſta iuſti Dei ſententia illi prohibuiſſet.

De Berengario & Anſcario fratribus: quorum poſterior Marchio Camerinorum & Spoletinorum ab Hugone conſtituitur. Item de Sarlio, ſeu Harlio, quem Rex Hugo contra Anſcarium noua molientem miſerit: & de Anſcarij verbis. Item de bono conſilio VViberti, & malo Archodi Regi dato. CAP. II.

PEr idem tempus Berengarius atque Anſcarius in Italiâ fratres clarebant, vno quidem patre, Adelberto ſcilicet Eporegiæ ciuitatis Marchione, ſed non vnâ matre, progeniti. Berengarium namque, vti præfati ſumus, Gilla, Berengarij Regis filia; Anſcarium autem Ermegarda, Adelberti Tuſciæ Prouinciæ Marchionis, quam ex Bertâ Regis Hugonis filiâ habuerat, peperit. Quorum Berengarius conſiliis prouidus, ingenio callidus; Anſcarius verò ad quodlibet facinus promptus. Quem & Rex Hugo nimis ſuſpectum habuerat, ne ſe occideret, ac Regnum ſibimet obtineret. Conſilio itaque accepto, quia Theobaldus Marchio hominem exuerat, Spoletinorum eum ac Camerinorum conſtituit Marchionem, quatenus eò ſecuriùs viueret, quò longiùs hunc ab ſeſe eſſe ſequeſtratum cognoſceret. Quò dum profectus eſſet, vti animi impatiens erat, quidquid ex Rege mali mens ei cogitando ſuggeſſerat, rerum ſignis continuò declarabat. Quod Regem Hugonem minimè latuit.

Anſcarius fit Marchio.

Igitur quod remedium huic ægritudini dare poſſet excogitans, Sarlionem ad ſe Burgundionum ex gente progenitum aduocat. cui & ait: Camerinorum ac Spoletinorum hominum non eſt mihi fides incognita: eſt enim calamo ſimilis; cui ſi inniſus fuerit homo, perforabit manum ſuam. Vade itaque, atque acceptâ à me pecuniâ mentes eorum corrumpe, ab Anſcarij dilectione eos amoue, tibiq́ue coniunge. Te nemo eſt qui poſſit facere tum meliùs, tum commodiùs. Habes enim illius Theobaldi nepotis mei defuncti optimi Marchionis vxorem; cuius auxiliis fretus, cunctus ad te veniet populus. Profectus itaque eſt; & eo annitente, haud ſecùs atque Rex prædixerat, Camerinorum ac Spoletinorum

rum populus egit. Congregatâ itaque multitudine, ad eam, in quâ Anſcarius erat, ciuitatem properare feſtinat. Quod cùm audiſſet Anſcarius, anteſignanum ſuum nomine Wibertum talibus adorſus eſt verbis:

Sarlius imbellis multorum fiſus in armis
Pugnaturus adit; cui fortes pectore & armis
Occurſare decet, bellumq́ue inferre cruentum.
Lecta manus iuuenum, bellis exercita multis,
Poſt huc tendentem, quæ me comitata patronum,
Protinus adueniet fuluo decorata metallo.

His auditis, Wibertus, vt erat vir non audaciâ ſolùm, verùm etiam ſcientiâ fretus; Manè, ait, copias prout potis es congregato. Pergraue eſt enim cum paucis, innumeris occurrere. Sed & ſi quibuſcum res agitur animaduertis, Heroës ſunt, haud ſegniùs atq; nos bello aſſuefacti. Iam Anſcarius Wiberto recta ſibi conſulenti conniuere decreuerat, directiſq́ue vſquequaque nuntiis congregare exercitum cupierat, cùm Archodus, Burgundionum ſanguine ortus, Wibertum ſibi conſulentem dictis increpabat amaris: Chremeti, inquit, ſimilis es; qui ob Thraſonis metum Thaidi de occludendis ædibus conſilium, quo ad uocatos ſibi à foro duceret, dedit: quem cùm Thais prohiberet; Quod cum ſalute tuâ, ait, cauere poſſis, ſtultum eſt admittere. Malo ego vos proſpicere, quàm vlciſci acceptâ iniuriâ. Optimè, Wibertus inquit, Thraſonis feciſti memoriam militis, qui priùs ore deſæuiens, cùm ad rem veram ventum eſſet, Syriſcum in dextro cornu, Simalionem in ſiniſtro conſtituens, ipſe ſibi locum poſt principia elegit. Burgundiones enim garrulos eſſe, voraces ac imbelles, nullus qui eos nouerit, ambigit. Sed & quàm fortiter ſæpè feceris, quas fugiendo declinaſti, cicatrices indicant corporis.

De primâ pugnâ inter Sarlionem & Anſcarium: in quâ VVibertus letaliter vulneratus eſt, & Archodus fugit. Item de ſecundo prælio, in quo Anſcarius ſtrenuè pugnans Hattonem Comitem haſtâ occidit; ac poſtmodum de equo per dolum decidens, ab hoſtibus occiſus eſt.

CAPVT III.

HIuſmodi Anſcarius atque Wibertus excitati dictis, vbi Sarlionem cum multis eſſe audiunt, quàm mox cum paucis properare contendunt. Sex Sarlio acies habuerat: quarum tres contra Anſcarij vnam, in quâ ipſe Anſcarius erat, direxerat; ipſe verò, fluuio interiecto, rei ſpectans euentum, cum tribus remanſerat. Verebatur enim quòd nec tanta eum multitudo quiret defendere, ſi ſuos in eum Anſcarius poſſet obtutus inducere. Haud mo-

Sarlio ſex aciebus præerat.

Archodus fugit. ra, bellum incipitur: in quo Archodus, quia fugerat, non videtur. *VVibertus vulneratur.* Wibertus morte tenus vulneratur; quoniam quidem mori satius quàm fugere duxit. His itaque omnibus ab Anscario debellatis, duas in eum iterùm Sarlius mittit acies, vnâ solummodò secum retentâ. Cumque Anscarius, quis suorum occumberet, inquirere vellet, non suo tantùm quàm aliorum sanguine cruentatus, Wibertus ei occurrit. cui & ait: Duæ contra nos acies perpulchrè armis instructæ adueniunt; quas te potiùs declinare quàm expectare, etiam atque etiam rogo. Archodus, vt ipse benè nosti, pugnæ huius incensor, qualiter aufugerit vides: ego verò positus in extremis, *VVibertus moritur.* non cogito iam de pugnâ, sed misericordem Dominum rogo pro animâ, ne mihi imputet quæ ob dilectionem tui hodie commerui crimina, multa hominum neci dando corpora. His expletis expirauit.

Anscarij strenuitas. Collectis itaque Anscarius quos potuit, duabus phalangis occurrens eas inter furibundus insiliit, stragemque innumeram dedit. Comes quidem Hatto nomine duabus illis præerat aciebus; qui hac occasione & fiduciâ Anscario occurrit, quoniam confractâ iam lanceâ solam in manu eius viderat hastam. Quem dum intuitus esset Anscarius; Túne es, infit, qui contempto Crucis & Sanctorum iuramento periurus in nomine Dei tui me tuum Dominum deserüisti, & ad vulpem Sarlium transfuga ac desertor abisti? Esse aliquos manes & subterranea regna, in quibus periuri puniantur, Cocitum & Stygio ranas in gurgite nigras, qui vsque modò somniasti, re ipsâ experiere. Hæc dicens, hastam, quam sine ferro gestabat, per os illius validè iaciens, sanguine cerebroque respersam per occipitium duxit; ensèque abstracto, quoniam multi super se irruerant, dimicare vehementer cœpit. Cumque nullis sibi adminiculantibus, omnium pænè hostium solus impetum sustineret, huc illucque discurrens, sonipes quo insederat adeò in scrobem cecidit, vt collo suppositò, cruribusque & pedibus sursum *Anscarij casus, & cædes.* erectis, eousque super Anscarium iaceret, donec ab irruentibus hostibus missilibusque directis occideretur. Quo mortuo, Sarlius Marchiâ securè potitur, & Rex Hugo gaudio immenso afficitur.

De missis ab Hugone Constantinopolim ad Imperatorem pro nauibus & igne Græco contra Saracenos. Item de Berengarij fugâ, qui acceperat Regem Hugonem oculis suis insidias parare, & se velle excæcare: & de vxoris eiusdem fugâ. Item de imprecationibus Auctoris in montes qui illis peruij fuerunt. Item, qualiter Hermannus Dux Berengarium susceperit, & Othoni Regi commendauit. CAP. IV.

Saraceni grassantur. DVm hæc aguntur, montana quibus ab Occiduâ seu Septentrionali parte cingitur Italia, à Saracenis Fraxinetum inhabitan-

bitantibus crudelissimè depopulantur. Quamobrem, Hugo Rex consilio accepto, nuntios Constantinopolim dirigit, rogans Imperatorem Romanum, vt naues sibi cum Græco igne transmittat, quas chelandria patrio sermone Græci cognominant. Hoc autem eò fecit, vt, dum terrestri itinere ipse ad destruendum tenderet Fraxinetum, eam partem quâ mari munitur, Græci obsiderent nauigio, eorumque naues exurerent; ac ne ex Hispaniâ victus eis aut copiarum subsidia prouenirent, diligentissimè prouiderent.

Intereà Berengarius memorati frater Anscarij, atque Eporegiæ ciuitatis Marchio, occultè quædam in Regem cœpit moliri. Quod dum Regi compertum foret, simulatâ beniuolentiâ, dissimulatâque irâ, dum ad sese veniret, luce eum priuare disposuit. Filius verò eius nomine Lotharius, Rex & ipse paruulus, & necessariarum sibi rerum adhuc ignarus, quoniam consiliis his interfuit, celare quemadmodum puer haud potuit; verùm destinato ad Berengarium nuntio, quod pater illi suus facere vellet, aperuit. Hoc itaque Berengarius vt audiuit, Italiam quàm mox deseruit, ac per *Berengarij fuga.* montem Iouis in Sueuiam ad Hermannum Ducem properauit; vxorem verò suam VVillam per aliam viam ad eamdem Prouinciam venire præcepit. Quæ itinere digressionis suæ per montem auium feta, partuique vicina, qualiter montes tam asperos atque inuios transire pedibus potuerit, satis nequeo mirari; nisi quia fortunas omnes aduersas mihi fuisse certò scio. Sed ô! quòd sibi decipulam Lotharius præparauerit, futuri ignarus videre non potuit. Dum enim Berengario consuluit, qui Regnum & vitam auferret, sibimet præparauit. Imprecor itaque mala plurima non Lothario, qui leuitate peccauit pueritiæ, idque amarè postmodum pœnituit; verùm montibus illis crudelibus, contra insuetum omnibus morem facile eis iter præbentibus. Itaque libet mihi in eorum contumeliam nunc exclamare:

Improbe mons auium, tali
Neque tu nomine dignus;
Conseruas quoniam pestem,
Nunc quam perdere possis:
Inuius esse soles etiam,
Cùm sol igneus ardet,
Tempore quo Cererem messor
Curuâ falce reposcit,
Tempore quo radiis Phœbi
Cancri sidus adurit.
Pessime nunc es inaudito
Rigidæ tempore brumæ
Peruius: atque vtinam possent
Mea nunc vota valere,
Protinus in barathrum vulsus
Aliis montibus isses.
Ecce Berengarium seruat,
Sinit & tramite recto
Mons transire Iouis, mirum,
Haud suetos perdere sanctos,
Et seruare malos, vocitant
Heu quos nomine Mauros.
Sanguine qui gaudent hominum,
Iuuat & viuere rapto.

Quid loquar? ecce Dei cupio *Conſciſſuſque chaos cunctis*
Tete fulmine aduri, *Fias tempore cuncto.*

Igitur Hermannus Sueuorum Dux venientem ad ſe Berengarium benignè ſuſcepit; eumque cum magno honore ante pijſſimi Regis præſentiam duxit. Quem quantâ Rex deuotione ſuſceperit, quantiſve muneribus eum donauerit, quantumque honorauerit, ſtilus meus ſe ſcribere poſſe diffidit: verùm quantum poterit deſignatis, cuius ſanctitatis, quantæ humanitatis Rex fuerit, quantæque etiam Berengarius improbitatis extiterit, facilè prudens Lector animaduertere poterit.

Berengarius Othoni commendatur.

De legatione Hugonis ad Othonem, vt Berengarium non ſuſcipiat: & de pecuniâ illi fruſtrà oblatâ. Item de legatione Romani Græcorum Imperatoris poſtulantis nepoti ſuo Hugonis filiam coniugem.

CAPVT V.

REx Hugo, auditâ Berengarij fugâ, nuntios ſuos Regi Othoni direxit, promittens ſe ſecundùm voluntatis eius deliberationem auri argentique copiam ei daturum, ſi Berengarium non ſuſciperet, eique adminicula non conferret. Quibus Rex *apologeticum huiuſmodi dedit: Berengarius non ob dominij veſtri deiectionem; verùm, *ſi potis eſt, ob reconciliationem, noſtram adiit pietatem, ſi quâ in re adminiculari illi penes dominium veſtrum potero. Gazas mihi ab illo promiſſas non ſuſcipio, verùm illi meas libentiſſimè tribuo; Berengario verò, ſeu cuilibet noſtræ pietatis clementiam imploranti, ſubſidium non præbere, ſummæ dementiæ eſt. Perpende itaque quantâ eum Rex pius charitate dilexerit, qui promiſſum non ſolùm non accipere, ſed propriam pro illo voluit dare pecuniam.

*apologeticum, *id eſt* reſponſum.

*ſi potis eſt, *id eſt* ſi fieri poteſt.

Dum hæc aguntur, Conſtantinopolitanus Imperator cum Regis Hugonis nuntiis ſuos dirigit, mandans, naues & omnia quæ deſideraret, ſe ei daturum, ſi nepoti ſuo filiam ſuam coniugem daret. Conſtantinum autem Leonis Imperatoris, non ipſius Romani filium dico. Tres enim cum Romano hoc imperabant ſimul; eius videlicet duo filij, Stephanus atque Conſtantinus, & Conſtantinus Leonis Imperatoris filius. Rex Itaque Hugo, auditâ hac legatione, directis iterùm nuntiis, Romano denuntiat, ſe legitimam ex coniugio natam non habere; ſed ſi ex concubinarum filiabus vellet, egregiam ei formâ poſſe præſtare. Et quoniam Græci in geneſeos nobilitate, non quæ mater, ſed quis pater fuerit, inquirunt, Imperator Romanus naues continuò cum Græco igne præparauit, munera maxima miſit, atque, vt illam nepoti ſuo coniungeret, mandauit. Quoniam meus vitricus, vir grauitate ornatus,

tus, plenus ſapientiæ, Regis Hugonis fuerat nuntius; pigrum non ſit mihi inferere, quod eum de Imperatoris ſapientiâ & humanitate, & qualiter Ruſſos vicerit, audiui ſæpiùs dicere.

De Nordmannis Ruſſis: & de pugnâ nauali Romani cum Ingero Rege Ruſſorum ſeu Nordmannorum, quem mirabiliter vicit, injiciendo ignem.

CAPVT VI.

GEns quædam eſt ſub Aquilonis parte conſtituta, quam à qualitate corporis Græci vocant Ruſſos; nos verò à poſitione loci vocamus Nordmannos. Linguâ quippe Teutonum *Nord* Aquilo, *man* autem mas ſeu vir dicitur; vnde & Nordmannos Aquilonares homines dicere poſſumus. Huius denique gentis Rex Inger vocabulo erat: qui collectis mille & eò ampliùs nauibus Conſtantinopolim venit. Quod Romanus Imperator vt audiuit; quoniam naualem exercitum ſuum directum contra Saracenos & ad Inſularum cuſtodiam habuit, æſtuare cœpit cogitationibus. Cumque cogitationibus non paucas inſomnes noctes duceret, & Inger cuncta mari vicina diriperet, nuntiatum eſt Romano, quindecim ſemifracta ſe habere chelandria, quæ populus ob vetuſtatem ſola reliquerat. Quod vt audiuit, τὺς ναυπηγὲς, hoc eſt nauium fabricatores, ad ſe venire præcepit; quibus ait: Properantes ſine dilatione ea quæ remanſerunt chelandria præparate. Sed & argumentum non ſolùm in prorâ quò ignis proijcitur, verùm etiam in puppi, inſuper in vtriſque lateribus ponite. Compoſitis itaque ſecundùm iuſſionem ſuam chelandriis, ſapientiſſimos in eis viros collocat; atque, vt Regi Ingero occurrant, denuntiat. Profecti denique, cùm in pelago eos impoſitos Rex Inger aſpiceret, exercitui ſuo præcepit, vt viuos illos caperet, & non occideret. Deinque miſerator & miſericors Dominus, qui ſe colentes, ſe deprecantes, ſe adorantes, non ſolùm protegere, verùm etiam victoriâ voluit honorare, ventis tunc placidum reddidit mare: ſecùs enim ob ignis emiſſionem Græcis erat incommodum. Igitur in Ruſſorum medio poſiti, ignem circumcircà proijciunt. Quod dum Ruſſi conſpiciunt, è nauibus confeſtim ſeſe in mare proijciunt; eliguntque potiùs aquis ſubmergi quàm igni cremari. Alij tunc loricis & galeis onerati, numquam viſuri ima pelagi petunt; nonnulli verò natantes inter ipſos maris fluctus vruntur: nulluſque die illâ euaſit, qui fugâ ſeſe ad terram non liberauit. Ruſſorum etenim naues ob paruitatem ſui, vbi aquæ minimum eſt, tranſeunt; quod Græcorum chelandria ob profunditatem ſui facere nequeunt. Ingenti Inger confuſione poſtmodum ad propria eſt reuerſus; Græci verò victoriâ potiti, viuos ſecum multos ducentes, Conſtantinopolim regreſſi ſunt

Nordmanni Ruſſi.

Inger Rex Nordmannorum Conſtantinopolim vexat.

Græci ignem injiciunt.

sunt læti. Quos omnes Romanus in præsentiâ Hugonis nuntij, vitrici scilicet mei, decollari præcepit.

Vt Hugo Rex Fraxinetum tendens, Græcos eò cum nauibus miserit: qui, cùm Fraxinetum destruere potuerit, noluit, sed cum Saracenis fœdus icit. CAP. VII.

REx itaque Hugo, congregatò exercitu, classibus per Tyrrhenum mare directis ad Fraxinetum, terrestri ipse eò itinere pergit. Quò dum Græci peruenirent, igne proiecto Saracenorum naues mox omnes exurunt. Sed & Rex Fraxinetum ingressus, Saracenos omnes in montem Maurum fugere compulit: in quo eos circumsedendo capere posset, si res hæc, quam prompturus sum, non impediret.

Saraceni pelluntur è Fraxineto.

Rex Hugo Berengarium, ne collectis & ex Sueuiâ & ex Franciâ copiis super se irrueret, sibique Regnum auferret, maximè timuit: vnde non bono consilio accepto, ad propria Græcos mox remisit; ipseque cum Saracenis hac ratione iniit fœdus, vt in montibus, qui Sueuiam atque Italiam diuidunt, starent, vt, si fortè Berengarius exercitum per eos ducere vellet, transire eum omni modo prohiberent. Eo verò loco constituti, quàm multorum Christianorum ad beatorum Apostolorum Petri & Pauli limina transeuntium sanguinem fuderint, ille scit solus numerum, qui eorum nomina tenet scripta in Libro viuentium. Perquam iniquè tibi Rex Hugo Regnum defendere conaris. Herodes, ne terreno Regno priuaretur, innocentes multos occidit; tu vt obtineas, nocentes & morte dignos dimittis; atque vtinam eâ ratione nocentes illi viuerent tunc, ne postmodùm innocentes interimerent. Puto, seu, quod verius est, credo, te non legisse, imò nec audiuisse, qualiter iram Domini incurrerit Rex Israël Achab, dum Regem Syriæ, morte dignum, fœderatum dimitteret Benadad. Vnus enim de filiis Prophetarum dixit ad Achab: Hæc dicit Dominus: Quia dimisisti virum dignum morte de manu tuâ, erit anima tua pro animâ eius, & populus tuus pro populo eius. Quod & factum est: verùm quantum tibi in hac re obfueris, stilus noster suis in locis opportuniùs enarrabit.

Hugonis cum Saracenis fœdus.

De Amedeo Berengarij milite astuto, qui explorator in Italiam venit: & de Hungaris ab Hugone in Hispaniam ablegatis. CAP. VIII.

TEmpore quo Berengarius ab Italiâ fugit, quemdam secum Amedeum nomine militem duxit apprimè nobilem, &, vt postmodum claruit, non Vlysse calliditate ac temeritate inferiorem.

rem. Fortissimus Rex Otho, cùm nonnullis impeditus rebus, tum quotannis ab Hugone Rege muneribus immensis delinitus, Berengario copias parare non posset, ipse quem præfatus sum Amedeus Berengarium ita conuenit: Nec clam te est, inquit, Domine, quòd inuisum se imperio duro Rex Hugo cunctis Italicis effecerit, præsertim cùm & concubinarum filiis ac Burgundionibus dignitates sit largitus; nec vllus inuenitur Italicus, qui non aut expulsus, aut dignitatibus omnino sit priuatus: & quòd in Regem non aliquid moliuntur, hæc caussa est; quoniam quidem quem sibi constituant Principem, non habent. Si itaque nostrûm aliquis mutato habitu, ne agnosceretur, eò tenderet, eorumque voluntatem inquireret, consilium proculdubio nobis bonum exculperet. Cui Berengarius; Te, inquit, tum commodiùs, tum nemo potest facere meliùs. Igitur Amedeus, mutato habitu, cum pauperibus, qui orationis gratiâ Romam tendunt, Romam quasi profecturus, Italiam petiit, Principes conuenit; & quid vnusquisque cordi haberet, inquisiuit: neque enim eodem se omnibus habitu ostendebat. Nunc niger aliis, subniueus aliis, maculosus aliis videbatur. Verùm fama, malum quo non aliud velocius vllum mobilitate viget, eum in Italiâ esse auribus Regis indicauit. Quem dum diligenter iuberet inquiri, ipse prolixam & pulcherrimam barbam pice adeò defœdauit, capillos subaureos nigredine immutauit, faciem deturpauit, debilem finxit, adeò vt inter pauperes Regis in præsentiâ comedentes se Regi nudum ostenderet, & vestem ab eo quâ indueretur acciperet; & quidquid Rex de Berengario & ipso loqueretur, audiret. Hoc denique modo cunctis diligentissimè perscrutatis, non eodem modo quo venerat cum Oratoribus est regressus. Præceperat enim Rex clausarum custodibus, ne quempiam transire permitterent, nisi priùs quis esset diligenti inuestigatione inquirerent. Quod Amedeus audiens, per inuia quædam & aspera nulli custodita pertransiit, atque ad Berengarium cum eâ quâ voluit legatione peruenit.

Amadei oratio fraudulenta.

Amadei calliditas.

Hoc in tempore Rex Hugo, datis decem nummorum modiis, pacem cum Hungaris fecit: quos ab Italiâ acceptis obsidibus expulit, atque in Hispaniam dato eis præduce direxit. Quòd verò & ad Hispaniam & ad ciuitatem ipsam, in quâ Rex morabatur, Cordubam non venerint, hæc caussa fuit; quoniam triduo per inaquosam & asperam viam ducti, cùm timerent se siti perituros, præduce sibi ab Hugone concesso morte tenus vulnerato, celeriori cursu reuersi sunt.

De Bertâ, Hugonis ex concubinâ filiâ, Constantinopolim missâ nuptum Romano iuniori. De fortitudine palatij Constantinopolitani: & qualiter Stephanus & Constantinus filij Romani patrem suum è palatio & Imperio eiecerint. CAP. IX.

Bertа. HAc etiam eâdem tempestate idem Rex Hugo Bertam filiam suam, quam ex meretrice Bezolâ ipse genuerat, per Sigefredum, venerabilem Parmensis Ecclesiæ Antistitem, Constantinopolim direxit, Romano paruulo, Constantini Porphyrogeniti filio, copulandam coniugio. Tenebatque summum Imperium Romanus maior, eiusque filij duo Constantinus & Stephanus: quibus post Romanum præstabat Constantinus Leonis Imperatoris filius: cuius paruulus ex Helenâ Romani maioris filiâ natus, iam nominatam Bertam, quam mutato nomine Græci Eudoxiam dixerant, vxorem duxerat. His itaque quatuor imperantibus, Stephanus atque Constantinus fratres, ignorante Constantino Leonis Imperatoris filio, aduersus Romanum patrem suum quædam dolosa machinabantur. Tædebat enim eos patris seueritate oppositâ quæcumque vellent facere non licere: vnde & malo mox accepto consilio, quatenus patrem deijcerent, pertractabant.

Palatij Constantinopolitani excellentia. Constantinopolitanum palatium non pulchritudine solùm, verùm etiam fortitudine omnibus quas vmquam viderim munitionibus præstat: quod etiam iugi militum stipatione non minimâ obseruatur. Moris itaque est, hoc post matutinum diluculum mox omnibus patere; post tertiam verò diei horam, emissis omnibus dato signo quod est *Mis*, vsque in horam nonam cunctis aditum prohibere. In hoc igitur Romanus aureo triclinio, quæ præstantior est pars, potentissimè degens, ceteras partes palatij genero Constantino, filijsque suis Stephano & Constantino distribuerat.

Stephanus & Constantinus patrem eijciunt. Hi denique duo, vt prædiximus, non ferentes patris iustam seueritatem, in cubiculis suis multis copiis congregatis, diem constituerunt, quando patrem deijcere, soliique ipsi possent regnare. Cumque dies adueniret optata, cunctis de palatio iuxta morem egressis, Stephanus & Constantinus factâ congressione super patrem irruunt, eumque de palatio omnibus ignorantibus deponunt, & ad vicinam insulam, in quâ Cœnobitarum multitudo philosophabatur, tonso ei, vt moris est, capite, ad philosophandum transmittunt. Fit quàm mox multirumiger Constantinopoli sonitus, Romanum quidem eiectum; Constantinum verò eius generum alij interfectum clamitabant. Nec mora, totius populi ad palatium fit concursus. Romanus quasi Imperator abusiuus non requiritur; verùm, an superstit Constantinus, ab omnibus percontatur.

tur. Cùm seditio inquisitionis non modica fieret pro Constantino, rogantibus Stephano & Constantino; ex eâ parte quâ Zucanistrij magnitudo portenditur, Constantinus per cancellos crines solutus caput exposuit; suâque ostensione populi mox tumultum sedauit, ac in propria quemque repedare coëgit. Quod factum grauem duobus fratribus ingessit dolorem. Quid profuit, inquit, quòd, abdicato patre, alium, qui non pater est, Dominum sustinemus? Tolerabilius enim decentiusque paternam quàm exteram pateremur dominationem. Quid illud, aiunt, quòd in huius auxilium non solùm propriæ, sed exteræ venêre nationes? Sigefridus quippe Episcopus, Regis Hugonis nuntius, assumptis secum suæ linguæ nationibus, à Melfatinis, Romanis, Caietanis, nobis ad interitum, huic præsidio fuit.

De eisdem Stephano & Constantino, qui Constantinum Leonis filium conati sunt eijcere: à quo & ipsi sunt capti fraude Diabolini; atque in Monasterium apud patrem, qui eos lepidè redarguit, missi.

CAPVT X.

HIs dictis, armatorum manibus cubicula pro parte complent. Quibus Diabolinus præfuit, qui & eorum animorum incensor, & post paululum proditor extitit. Constantinum denique libris incumbentem ita conuenit: Quæ tibi incommoda & à Stephano & à Constantino fratribus, imò inimicis tuis, præparentur, isthæc quæ in te vetus permanet religio, ignorat. Si enim infortunia tibi parata cognosceres, quatenus posses viuere, cogitares. Vxoris tuæ fratres, Stephanus & Constantinus, armatorum manibus congregatis, atque in cubiculis iam conclusis, te non vt patrem de palatio expellere, verùm hîc cogitant interficere. Occasio autem tui interitus hæc erit: Cœnatum te post triduum Constantinus & Stephanus inuitabunt; cumque sessionis tuæ medium Excellentiæ tuæ, quatenus moris est, obtinere tentabis, percusso mox scuto inclusi de cubiculo exilient, tuamque fuso sanguine vitam finient. Fidem autem si relatis exposcis, vsque inpræsentiarum affirmo argumentis; quoniam concluforum tibi personas rimis ostendo, deinde, quod saluti solemnius est tuæ, ostiorum tibi claues trado. *Diabolinus*

His auditis Constantinus; Age, in fit, vt coniuratorum prodidisti perfidiam, quatenus deuincam hanc, exprime sententiam. Non enim tam mihi salus mea chara, quàm pietas erit in referendâ gratiâ iucunda. Cui Diabolinus; Non enim, inquit, clam te est, Macedones tum tibi deuotos, tum bello duros existere: mittito itaque, ac cubilia propria, Stephano & Constantino ignorantibus, eis suffarcinato. Cumque designata dies conuiuij aduenerit, atque ob

seſſionis faſtum ſi tumultus irrepſerit, dato ſigno, vt præfatus ſum, percuſſo ſcilicet clypeo, cùm illorum manus armatorum præſidio eis eſſe non poterit, tui mox ex improuiſo proſiliant, eoſque tantò commodiùs quantò inſperatiùs capiant; atque ad vicinum Monaſterium, ad quod patrem ſuum, ſocerum tuum, miſerant, tonſis, vt moris eſt, capitibus philoſophatum tranſmittant. Diuinæ ſiquidem rectitudo iuſtitiæ tuum negotium ſecundabit; cuius recompenſatio, ne in patrem peccarent, illos non terruit, & te, ne offenderes, cuſtodiuit. Quod iuſto Dei iudicio ita accidiſſe, non ſolùm Europa, ſed & Aſia nunc cantat & Africa. Deſignato etenim die, dum ſimulatâ pace Conſtantinum hunc & Stephanus & Conſtantinus fratres ad conuiuium inuitarent, & ob seſſionis faſtum tumultus inſurgeret, percuſſo, vt dictum eſt, ſcuto Macedones ex inſperato proruunt, duoſque fratres, Stephanum & Conſtantinum, quàm mox comprehenſos, capite tonſos, ad vicinam inſulam, ad quam patrem ſuum ablegarant, philoſophatum mittunt.

De Romani in filios irriſione, & oratione ac prece, quam contra eos egit, gratias agens Deo, quòd impietatis pœnas darent: & quomodo filij eius cuſtodiæ addicti fuerint. CAP. XI.

Romani in filios irriſio.

QVorum pater Baſileus Romanus aduentum vt audiuit, gratiarum actiones Deo exhibuit; eiſque extra Monaſterij fores lætâ facie obuians, Feſtiuum, inquit, tempus, quod humilitatem noſtram imperium veſtrum viſitare coëgit. Charitas puto, quæ me de palatio expulit, filiationem veſtram non ibi diu permanere permiſit. O factum benè, quòd me pridem præmiſiſtis. Confratres enim mei & commilitones mei, ſupernæ tantùm Philoſophiæ incumbentes, qualiter Imperatores ſuſciperent, ignorarent, ſi non me iamdudum imperialibus inſtitutis tritum haberent. Parata iam frigidior occiduis aqua decocta pruinis, dulces adſunt fabæ, lachana, porrique recentes. Non hîc marinæ deliciæ morbos, ſed crebra potiùs ieiunia creant. Turbam verò hanc tantam, tam ſumptuoſa modicitas noſtra non recipit, veſtrum ſolummodò imperium ſuſcipit, quod, ne paternam deſerat ſenectutem, aduenit. Romano hæc & huiuſmodi perſtringente, Stephanus & Conſtantinus filij pudibundo contuentes lumine terram, quàm inuitè Monaſterium peterent, non eſt percontari neceſſe, ſed credere. Expanſis itaque poſt hæc manibus ad altare, Romanus ante crepidinem fuſus, huiuſmodi cum lacrymis Deo preces effudit:

Chriſte Pater, cum quo Pater eſt & Spiritus vnum,
Iure Patris Verbum, per quod Pater omnia mundo

Oſten-

Oſtendit ſecreta poli, ſeu myſtica pandens,
Reſpice figmentum propriâ bonitate creatum:
Ne patiare, precor, me dæmonis arte perire,
Sanguine quem ſacro voluiſti reddere vitæ.
Da Deus, vt mundi pompas calcare ſuperbas
Iam valeam, ſiſtatque procul corruptor iniquus,
Cui labor eſt animas ſemper fœdare beatas.
Imperium libuit, cùm ſceptra tuli; haud placet: ergo
Gratia ſit tibi, dignatus quòd pellere iniquos,
Imperij teneant ſolium ne fortè paternum.

His ita geſtis, Stephanus atque Conſtantinus cuſtodiâ iugi obſeruantur, patre ea quæ acciderant æquanimiter perferente. Aiunt enim hunc, & ſub atteſtatione confirmant, dum à fratribus lentis ob purgationem culparetur, reſpondiſſe, quòd luculentiùs regnaret, qui ſeruorum Dei humilitatibus deſeruiret, quàm qui potentibus mundi peccatoribus imperaret. *Pium Romani dictum.*

De aduentu Berengarij deſiderati in Italiam: & cur Manaſſes Arelatenſis eius partibus fauit. Et de Milone ac aliis, qui, deſerto Hugone, ad Berengarium transfugerunt; & Berengarij in Regnum reſtitutione.

CAPVT XII.

DEſideratus intereà Berengarius, ex Sueuorum partibus, paucis ipſum comitantibus, à Sueuiâ per venuſtam vallem Italiam petiit; applicuitque caſtra ſecus munitionem vocabulo Formicariam, quæ à Manaſſe, vt iam prædiximus, Sedis Arelatenſis Archiepiſcopo, tuncque Tridentinæ, Veronenſis atque Mantuanæ Sedium inuaſore, Adelhardi eius clerici erat vigiliæ commendata. Cumque Berengarius nullius machinamenti apparatu, nulliuſque belli impetu hanc ſe capere poſſe conſpiceret, Manaſſis ambitionem & κενοδοξίαν, id eſt vanam gloriam, cognoſcens, Adelhardum ad ſe venire coëgit; cui & ait: Si munitionem hanc poteſtati meæ tradideris, Dominumque tuum Manaſſen ad adiutorium meum inflectere potueris, illum in Cathedram promoueo Mediolani Archiepiſcopatus; te verò Cumani Epiſcopatus dignitate poſt acceptam Regni poteſtatem donabo. Et vt promittenti mihi fidem admittas, quod verbis ſpondeo, iuramentis affirmo. Hæc dum Manaſſi ab Adelhardo narrantur, tum ille munitionem non ſolùm Berengario dari iuſſit, verùm etiam Italos omnes in eius auxilium inuitauit.

Fama igitur, malum quo non aliud velocius vllum mobilitate viget, Berengarij aduentum quàm mox omnibus nuntiauit. Cœperunt mox nonnulli, Hugone deſerto, adhærere Berengario. Ho-

rum Milo præpotens primus; qui dum Hugoni ſuſpectus, appoſitis clàm cuſtodibus, obſeruaretur, ſimulans ſe non intelligere cuſtodiri, fermè cœnam vſque ad noctis protraxit medium. Cumque omnes tum vino tum ſomno aggrauati corpora quieti traderent, ſolo ſe eo qui portauerat clypeum comitante, Veronam percitus peruenit, directiſque nuntiis Berengarium exciuit; quem & in Veronâ, quò Hugoni firmiùs reſiſteret, ſuſcepit. Sanè nulla hunc infidelitas ab Hugone diuiſit; verùm illata ipſi ab eodem nonnulla incommoda, quæ iam diu ſuſtinere non potuit. Proſequitur hunc Wido Præſul Mutinenſis Eccleſiæ, non iniuriâ laceſſitus, ſed maximâ illâ Abbatiâ Nonantulâ, quam & tunc acquiſiuit, animatus. Qui Hugonem non ſolùm deſeruit, verùm etiam multorum multitudinem ſecum abſtulit. Quod Hugo vt audiuit, congregatis copiis ad eius caſtrum * Niueolam venit; idque viriliter, ſed inutiliter, oppugnauit. Quod quàm mendacij alienum ſit, ſententia ſubſequens declarabit. Nam dum eodem loco degeret, Berengarius ab Harderico Archiepiſcopo accitus, Veronam deſeruit, ac Mediolanum concitus venit. Quo audito, Rex Hugo Papiam triſtis venit. Cœperunt intereà omnes Italiæ Primates omine non bono Hugonem deſerere, & egenti Berengario adhærere: egentem autem, non nihil poſſidentem, ſed cui numquam quidquam ſatis eſt, aio. Quoniam improbi & auari, qui incertas atque in caſu poſitas poſſeſſiones habent, & plus ſemper appetunt (nec eorum quiſquam adhuc ſibi ſufficiens inuentus eſt, cui quod haberet eſſet ſatis) non modò non copioſi diuites, ſed etiam pauperes & inopes exiſtimandi ſunt. Soli enim ſunt diuites, & fructuoſas ac ſempiternas poſſeſſiones poſſidentes, qui ſuis rebus contenti, ſatis eſſe putant quod eſt. Non eſſe cupidum, vera pecunia eſt; non eſſe * edacem, vectigal eſt. Fateamur ergo, vter eſt ditior, cui deeſt, an cui ſuperat? qui eget, an qui abundat? cui poſſeſſio quò eſt maior, eò plus requirit ad ſe tuendum, an qui ſe ſuis viribus ſuſtinet? Contentum etenim ſuis rebus eſſe, maximæ ſunt certiſſimæque diuitiæ. Verùm de hoc nunc id dictum eſſe ſufficiat. Ad Berengarium ſtili initium redeat: cuius in aduentum aureum omnes ſæculum promittebant, & felicia, quæ talem extulerant, tempora clamitabant.

Milo ab Hugone ad Berengarium transfugit.

**aliàs* Vineolam

Diuites qui.

**emacem,*

Berengarius Regno reſtituitur.

Quomodo Rex Hugo Lotharium filium ſuum Mediolanum miſit, ad concitandam miſerationem Italorum. De Berengarij aſtutiâ. De Ioſeph Brixiano Epiſcopo, & de VValdonis Epiſcopi iniquitate.

CAPVT XIII.

EO namque Mediolani degente, ac Italicas dignitates ſibi adhærentibus diſpenſante, Rex Hugo Lotharium filium ſuum

ſuum non ad Berengarium ſolùm, verùm ad totius populi præſentiam dirigit, petens, quia ſe eis non morigerum abdicauerunt, filium, qui nil in eos deliquerat, ſaltem pro Dei amore ſuſcipiant, ac voluntatibus eorum morigerum reddant. Lothario denique Mediolanum petente, Rex Hugo Papiâ omni cum pecuniâ egreſſus, Italiam deſerere atque in Burgundiam ire cogitauit. Sed res iſta eum retinuit; quoniam dum miſericordiâ inclinati, Lotharium in Eccleſiâ beatorum Confeſſoris & Martyrum Ambroſij, Geruaſij & Protaſij, ante crucem proſtratum erigerent, & Regem ſibi conſtituerent, quamprimum ad Hugonem dirigunt nuntium, per quem illum iterùm ſuper ſe regnare promittunt. Hoc planè conſilium, imò deceptionem, non omnes, ſed Berengarius, vt erat calliditate ſuffarcinatus, adinuenit, non quò hos regnare diſponeret, ſed, vti pòſt claruit, ne Hugo diſcederet, atque immensâ pecuniâ, quam habebat, Burgundionum atque aliarum gentium ſuper ſe populos inuitaret.

Humilis petitio Hugonis.

Berengarij aſtutia.

Hoc in tempore Ioſeph quidam moribus ſenex, diebus iuuenis, ciuitatis Brixianæ clarebat Epiſcopus: quem Berengarius, vt erat Dei tironi vehemens, ob morum probitatem Epiſcopatu priuauit; eiuſque loco Antonium, qui nunc vſque ſupereſt, nullo conſilio habito, nullâ Epiſcoporum deliberatione, conſtituit. Sed & Cumis tunc non Adhelhardum, vt iurauerat, verùm ob Mediolanenſis Epiſcopi amorem, Waldonem quemdam ordinauit. Quod quàm benè fecerit, ſubditorum depopulatio, vitium inciſio, arborum decorticatio, multorum oculorum excuſſio, ſimultatis ſæpiſſima repetitio, tum ſignis, tum gemitibus narrant. Adhelhardum autem Regienſi præfecit Eccleſiæ.

Ioſeph Brixianus Epiſcopus.

VValdonis Epiſcopi iniquitas.

Cur Berengarius Placentinum & Papienſem Epiſcopos dimiſerit: & cur Luitprandum, ſeu Luitbrandum, Auctorem huius Operis, parentes ſui Berengario commendarint, factusque ſit eiuſdem à Secretis. Item, quomodo Hugo deſperans de victoriâ, cum omni pecuniâ in Prouinciam aufugerit; & quomodo ad eum Raimundus Aquitanorum Princeps venerit, eidem militaturus. Et de Hugonis obitu. CAP. XIV.

BOſonem verò Hugonis Regis ſpurium, Placentinæ Sedis, & Liutefredum, Papienſis Eccleſiæ, expellere Epiſcopos cogitauit: verùm intercedente pretio, ob Dei amorem eos ſe dimiſiſſe ſimulauit. Quàm immenſum tunc Italis gaudium! alterum Dauid veniſſe latrabant; ſed & magno Carolo hunc cæcâ mente præferebant. Quamquam enim iteratò Reges Hugonem atque Lotharium Italici ſuſciperent: Berengarium tamen nomine ſolùm Marchionem, poteſtate verò Regem; illos vocabulo Reges, actu autem neque

neque pro Comitibus habebant. Quid plura? Tantâ hac Berengarij famâ, humanitate, liberalitate, parentes acciti mei, ei ad ſeruiendum me tradunt. Cui etiam immenſis oblatis muneribus, Secretorum eius conſcium, ac epiſtolarum conſtituunt ſignatorem. Cui cùm fideliter longo tempore deſeruirem, hac me, quam proſecuturus ſum ſuis in locis, mercede donauit. Verùm hæc retributio pænè me ad deſperationem vſque pertraheret, ſi in re conſimili conſocios plurimos non excuderet. De iſto enim pulchrè dictum accipimus: Pennæ ſtruthionis ſimiles ſunt pennis accipitris & herodij: cùm tempus aduenerit, in altum alas erigit, deridet equitem & aſcenſorem eius. Hic enim ſuperſtitibus Hugone & Lothario, magnus voraxque ſtruthio, non bonus, ſed bono ſimilis eſt viſus. Eis autem decedentibus, & ad Regni faſtigia omnibus illum promouentibus, quantum alas erexerit, quantisque diludiis nos omnes irriſerit, non tam verbis quàm ſuſpiriis ac gemitibus narro. Sed his omiſſis, ad narrandi ſeriem redeamus.

Luitprandus ſit Berengarij à Secretis.

Berengarij ingratitudo.

Rex Hugo cùm diuinam animaduerſionem declinare, ac Berengario præeſſe non poſſet, relicto Lothario, & ſimulatâ pace, Berengarij fidei tradito, in Prouinciam omni cum pecuniâ properauit. Quo audito, Raimundus Aquitanorum Princeps eum adiit, & pro minis mille ſe in militem dedit, fidemque ei iuramento ſeruaturum affirmauit: etiam congregatis copiis Italiam ingreſſurum, ac Berengarium debellaturum eſſe promiſit. Quod quanto nos omnes cachinno affecerit, gentis illius vilitas palàm facit: quæ etſi præſidio eſſe poſſet, ad effectum tamen haudquaquam perduceret. Quoniam quidem vocante Domino, Hugo Rex breuî eſt viam vniuerſæ carnis ingreſſus, Bertæ nepti ſuæ, Boſonis Arelatenſis Comitis viduæ, pecuniâ derelictâ. Quam etiam breui ſpatio intercedente memoratus Raimundus, impudentiſſimæ gentis Princeps impurior, ſibi maritam effecerat: cuius non ſolùm concubitu, verùm etiam oſculo, indignum elegantes formarum inſpectores eum eſſe confirmant.

Hugonis obitus.

De vxore Berengarij accuſatâ crimine inceſti; & quomodo ſit purgata. Item de pecuniâ, quam Berengarius cauſsâ Hungarorum pauperibus & Eccleſijs Dei extorſit. CAP. XV.

HVius hoc in tempore ſoror, Berengarij ſcilicet vxor Willa, paſſa eſt crimen inceſti. Quod ita verum eſſe non ſolùm aulici vel cubicularij, verùm aucupes & cupedinarij clamant. Habuit etiam ea presbyterulum capellanum nomine Dominicum, ſaturâ breuem, colore fuligineum, ruſticum, ſetigerum, indocilem, agreſtem, barbarum, durum, villoſum, petulcum, inſanum, rebellem,

VVilla inceſti arguitur.

Dominici ſacellani forma.

lem, iniquum: cuius magiſterio duas Willa commendarat natas, Giſlam ſcilicet atque Gerbertam, vt eas litterarum ſcientiâ epotaret. Occaſione itaque puellarum, quas presbyter Dominicus hirſutus, illotus, facetè docebat, mater ei propitiauerat, vt viſa ingrata ac tenax, hinc exiſteret larga. Sententia tamen Veritatis, quæ ait, Nihil opertum quod non reueletur, & occultum quod non in publicum veniat; diu ignorare homines paſſa non eſt. Nam cùm nocte quadam, Berengario abſente, ad cubile dominicum, more ſolito, hirſutus idem vellet accedere, canis hunc morſu vehementi laniauit. Conſurgentes denique qui in domo erant, cùm eum comprehenderent, & quò iret interrogarent, apologeticum iſtud anticipando Domina dedit: Ad mulieres noſtras ibat perditus. Sperans itaque presbyterulus ſibi leuius fore, ſi teneret ſententiam Dominæ ſuæ; Ita eſt, inquit. Cœpit itaque Domina vitæ eius inſidiari, pretiumque promittere, ſi eſſet qui vitam ei auferret. Sed cùm timerent omnes Deum, & mors eius differretur, peruenit ad Berengarium ſermo. Willa verò cœpit aruſpices maleficosque inquirere, quò eorum carminibus iuuaretur. Vtrùm autem horum carminibus, an Berengarij adiuta ſit mollitie, neſcio. adeò mens eius eſt inclinata, vt ſponte maritali ſubmitteret ora capiſtro. Presbyterulus itaque, quia ad Dominæ aſſeclas adhinniuit, virilibus amputatis dimittitur; Domina verò magis à Berengario diligitur. Dixerunt autem qui eum eunuchizauerunt, quòd meritò illum Domina amaret, quem Priapeia arma portare conſtaret.

Reſponſio mulieris callidæ.

Presbyter caſtratur.

Per idem tempus Taxis Hungarorum Rex magno cum exercitu in Italiam venit: cui Berengarius non ex propriâ pecuniâ, ſed ex Eccleſiarum ac pauperum collectione decem modios nummorum dedit. Fecit autem hoc, non vt populi curam haberet, ſed vt hac occaſione magnam pecuniam congregaret. Quod & fecit. In omni enim ætate vtriuſque ſexus, tamque ablactatus quàm lactens, pro ſe nummum dedit: quibus æs commiſcens, ex paucis decem modios fecit; ceteram verò partem, & quidquid ex Eccleſijs tulit, ſibi retinuit.

Taxis Rex.

Tributum immenſum dolo exactum.

LVITPRANDI TICINENSIS DIACONI RERVM GESTARVM AB EVROPÆ IMPERATORIBVS ET REGIBVS LIBER SEXTVS.

PRÆFATIO.

TEMPORIS instantis qualitas Tragœdum me potiùs quàm Historiographum quæreret, nisi pararet Dominus in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Explicare enim non possum, quot peregrè profectus quatiar incommoditatibus; iuuatque hominem exteriorem potiùs lugere, quàm scribere. Interior verò Apostolicis confirmatus institutis, in huiusmodi tribulationibus gloriatur, sciens quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem; spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Pareat itaque interiori exterior, suaque infortunia non solùm non exhorreat, verùm in his potiùs conquiescat: dumque scribendo operam dans, Fortunæ rotâ hos extolli, illos deprimi dixerit, præsentem incommoditatem minùs sentiet; eiusque mutabilitati congaudens, deteriora quotquot fuerint, nisi mors aut membrorum debilitatio intercedat, iam non metuat, sed fortunata semper expectet. Instantia enim si maturauerit, salutem quæ deest afferet; infortunatum quod adest, expellet. Scribat itaque, & superioribus veris hæc quæ sequuntur vera adiungat.

De

De Oratore à Constantino Imperatore ad Berengarium misso cum litteris, quibus illi Lotharij custodiam commendabat, Oratoremque ab eo petebat: quem vt sine sumptu mitteret, Luitprandum impensis vitrici sui misit. CAPVT I.

REge Hugone Prouinciæ in partibus defuncto, Berengarij nomen celebre apud nonnullas, præsertim apud Græcas, extitit nationes. Is enim Italicis omnibus principabatur virtute, Rex verò Lotharius solo nomine. Constantinus itaque, qui, deiectis Romano filijsque eius, Constantinopoleos regebat Imperium, audito Berengarium potentiâ præstare Lothario, per Andream, qui ab officio Comes curiæ dicebatur, litteras Berengario dirigit: in quibus continebatur, vehementer se Berengarij nuntium velle videre; cuius in reditu cognosceret, quantâ eum charitate diligeret. Scripsit etiam & commendatitias litteras eidem pro Lothario, vt fidelis ei esset administrator, cui, Deo largiente, extiterat gubernator. Constantinus namque sollicitudinem non paruam Lotharij pro salute habebat; religiosè ob amorem nurus suæ cogitans, quæ Lotharij soror extiterat.

Berengarius itaque calliditate suffarcinatus, cogitans quem potissimùm mitteret, cui nil impensæ ob itineris longinquitatem præberet, vitricum meum, cuius tunc sub curâ degebam, conueniens; Quanti, inquit, esset priuignum tuum Græcas litteras non ignorare? cui cùm diceret: Vtinam diuitiarum mearum eâ gratiâ partem mediam distributam haberem; Non necesse, inquit, habes, neque centesimam impartiri. Constantinopolitanus Imperator litteris, vt meum ad se nuntium dirigam, orat. Quod tum ob animi constantiam nemo meliùs, tum ob dicendi copiam nemo commodiùs facere potest. Quid dicam, quàm facilè doctrinas ebibet Græcas, qui tam puerilibus in annis epotauit Latinas? Hac spe quàm mox vitricus animatus, impensas omnes distribuit; meque magnis cum muneribus Constantinopolim direxit.

Quo tempore Luitprandus tamquam Orator Berengarij Constantinopolim venerit, Papiâ egressus: & de mirabili Imperatoris domo, quæ Magnaura, aut potiùs Megaula, aut Megaron dicta est; & susceptione nuntiorum; & miris ibidem ostensis in arborâ & solio Imperatoris.

CAPVT II.

DIe quippe Kalendarum Augustarum Papiâ exiens, per Eridani alueum triduo Venetias veni: vbi & Salomonem comitem Græcorum, nuntium κοιτωνίτην eunuchum reperi ab Hispa- *Profectio Luitprandi in Græciam.*

niâ & Saxoniâ regreſſum, Conſtantinopolim verſus tendere cupientem, ſecumque ducentem Domini noſtri tunc Regis, nunc Imperatoris, magnis cùm muneribus nuntium, Liutfredum ſcilicet Maguntinum, inſtitorem digniſſimum. Octauo autem Kalendarum Septembris die Venetiis egreſſi, decimoquinto Kalendarum Octobris Conſtantinopolim venimus: vbi quàm inaudito miroque modo ſimus excepti, ſcribere non pigebit.

*Magnaura, *alij* Megaron *legunt.*

Eſt Conſtantinopoli domus palatio contigua miræ magnitudinis ac pulchritudinis, quæ à Græcis ρ loco λ poſitâ * Megaura, quaſi magna aura, pro aula, dicitur. Hanc itaque Conſtantinus, tum ob Hiſpanorum nuntios, qui tunc nouiter eò venerant, tum ob me & Liutefredum hoc modo parari iuſſit. Ærea, ſed deaurata, quædam arbor ante Imperatoris oculos ſtabat; cuius ramos itidem æreæ diuerſi generis deauratæque volucres replebant, quæ ſecundùm ſpecies ſuas diuerſarum auium voces emittebant. In primis verò ſolium huiuſmodi erat arte compoſitum, vt in momento humile, excelſius modò, quàm mox videretur ſublime. Sed ſedile, quod erat immenſæ magnitudinis, incertum vtrùm ærei an lignei, verùm auro tecti leones quaſi cuſtodiebant. In hac igitur duorum eunuchorum humeris incumbens, ante Imperatoris præſentiam ſum deductus. Cumque in aduentu meo leones rugitum emitterent, aues ſecundùm ſpecies ſuas perſtreperent, nullo ſum terrore, nullâ admiratione commotus; quoniam quidem ex his omnibus eos qui benè nouerant, fueram percontatus. Tertiò itaque Imperatorem pronus adorans, caput ſuſtuli: & quem priùs moderatâ menſurâ à terrâ eleuatum ſedere vidi, mox aliis indutum veſtibus pene domus laquear ſedere proſpexi. Quod qualiter fieret, cogitare non potui, niſi fortè eo ſit ſubuectus ergalio, quo torcularium arbores ſubuehuntur. Per ſe autem tunc nihil locutus; quoniam etſi vellet, intercapedo maxima indecorum faceret; de vitâ Berengarij & ſoſpitate per * logothetam eſt percontatus. Cui cùm conſequenter reſpondiſſem, interprete ſum innuente egreſſus, & in datum mihi hoſpitium mox receptus.

Arbor mirè effigiata.

Solium Imperatoris mirabile.

Luitprandi præſentatio.

* logothe-ta, *id eſt* interpres.

Quæ dona Luitprandus propriis impenſis, licet nomine Berengarij, Imperatori Conſtantino obtulerit; & quæ ab Imperatore vicißim munera ſuſceperit, & in domum imperatoriam, quæ decaennea cubita dicuntur, admiſſus, miranda dona ac poma viderit.

CAPVT III.

SEd nec hæc pigeat memorare, quid tunc pro Berengario egerim; ſcilicet vt agnoſcatur, quantâ eum charitate dilexerim, & cuiuſmodi recompenſationem pro benè geſtis acceperim. Hiſpanorum

norum nuntij, & nominatus Liutfredus, Domini noſtri tunc Regis Othonis nuntius, magna ex eorum parte Dominorum munera Imperatori Conſtantino detulerant; ego Berengarij ex parte nihil præter epiſtolam, & hanc mendacio plenam, detuleram. Æſtuabat itaque non parum hac pro verecundiâ animus, & quid ſuper hac re faceret, cogitabat attentus. Æſtuanti autem mihi, & nimiùm fluctuanti, meus animus ſuggeſſit, quatenus dona quæ Imperatori meâ ex parte detuleram, Berengarij ex parte conferrem, paruumque munus, prout poſſem, verbis ornarem. Obtuli autem loricas optimas nouem, ſcuta optima cum bullis deauratis, ſeptem cuppas argenteas, deauratas duas, enſes, lanceas, verua, mancipia, quatuor carſamatia, Imperatori nominatis omnibus pretioſiora. Carſamatium autem Græci vocant, amputatis virilibus & virgâ puerum eunuchum: quod Verdunenſes mercatores ob immenſum lucrum facere ſolent, & in Hiſpaniam ducere.

Dona Luitprandi, nomine, non impenſis Berengarij.

Carſamatium.

His itaque geſtis, Imperator me poſt triduum ad palatium vocari præcepit, proprioque mecum ore locutus, ad conuiuium inuitauit: poſtque conuiuium magno me meoſque aſſeclas munere donauit. Verùm quia narrandi ſe occaſio intulit, qualis eius menſa feſtis præcipuè diebus, qualeſque ad menſam ludi celebrentur, bonum opinor non ſilere, ſed ſcribere.

Dona Imperatoris.

Eſt domus iuxta Hippodromum Aquilonem verſus miræ & altitudinis & pulchritudinis, quæ decaennea cubita vocatur. Quod nomen non ab re, ſed ex apparentibus cauſſis ſortita eſt: Δέκα enim Græcè, Latinè decem, ἐννέα nouem; cubita aut à cubando inclinata, vel curuata poſſumus dicere. Hoc autem ideò, quoniam quidem nouemdecim menſæ, in eâ quæ ſecundùm carnem eſt Domini noſtri Ieſu Chriſti Natiuitate, apponuntur. In quibus Imperator pariter & conuiuæ non ſedendo, vt ceteris diebus, ſed recumbendo epulantur. Quibus in diebus non argenteis, ſed tantùm aureis vaſis miniſtratur. Poſt cibum autem aureis vaſis tribus ſunt poma delata, quæ, ob immenſum pondus, non hominum manibus, ſed purpurâ tectis vehiculis ſunt allata. Apponuntur autem duo hoc modo: In menſâ per foramina laquearis tres ſunt funes pellibus deauratis tecti, cum annulis aureis depoſiti, qui anſis quæ in ſcutulis prominent poſiti, adiuuantibus inferiùs quatuor aut eò ampliùs hominibus, per vertibile quod ſupra laquearium eſt ergalium in menſam ſubuehuntur, eodemque modo deponuntur. Ludos denique quos ibi perſpexerim, quia nimis longum eſt ſcribere, prætermitto; vnum ſolummodò ob admirationem hîc inſerere non pigebit.

Decaennea cubita.

Menſæ nouemdecim.

Poma immenſa.

De mirabili ſpectaculo ligni in fronte portati, & puerorum ſuper ipſum ludentium, & de familiari Imperatoris cum Luitprando ſuper eâ re diſquiſitione. CAP. IV.

VEnit quidam vigintiquatuor & eò ampliùs pedum longitudinis lignum ſine manuum adminiculis in fronte gerens, quod cubitum à ſummitate inferiùs, bicubitum tranſuerſum in fronte habuerat. Adducti ſunt autem duo pueri nudi, ſed campeſtrati, id eſt ſuccinctoria habentes; qui per lignum aſcendentes, ita ſeruauerunt immobile, ac ſi radicitus terræ eſſet affixum: denique poſt vnius deſcenſum, alter qui remanſerat, eodemque ſolus luſerat, ampliori me admiratione attonitum reddidit. Quoquo modo enim quoaduſque luſerant, lignum per quod aſcenderant gubernabant. Vnus verò qui in ligni ſummitate remanſit, quia ita ſe æqualiter ponderauit, vt & luſerit ac ſanus deſcenderit, ita me ſtupidum reddidit, vt ipſum etiam Imperatorem mea admiratio non lateret. Vnde & accerſito interprete, quid mihi ceteris mirabilius videretur, ſciſcitatus eſt: Puérne, qui ſe adeò moderatè rexerat, vt immobile eſſet lignum, an is, qui ipſum in fronte tam argumentosè tenuerat, vt puerorum neque pondus neque ludus illud vel modicum flecteret. Cumque me ignorare, quid mihi θαυμαστότερον, id eſt mirabilius, videretur, edicerem, magno inflatus cachinno, ſe ſimiliter neſcire reſpondit.

Ligni portandi mira ratio.

De erogatione numiſmatum & aliorum donorum pro veteri Imperatoris Græci more ante diem Palmarum in Magiſtratus & clientes Imperatorios. CAP. V.

SEd neque hoc ſilentio prætereundum eſſe arbitror, quid nouî mirique aliud ibidem perſpexerim. In eâ quæ eſt ante βαϊοφόρον, quod nos Palmarum ramos dicimus, hebdomade, tam in militibus quàm in diuerſis conſtitutis officiis numiſmatum aureorum erogationem, prout cuiuſque meretur officium, Imperator facit. Cui erogationi, quia me intereſſe voluit, me venire præcepit. fuit autem huiuſmodi: Erat appoſita decem cubitorum longitudinis ac quatuor latitudinis menſa, quæ numiſmata loculis congregata, prout cuique dabatur, numeris extrinſecus in loculis ſcriptis retinebat. Ingrediebantur denique ad Imperatorem non confuſè, ſed ordinatim, ſecundùm vocantis vocem, quæ ſcripta virorum nomina ſecundùm officij dignitatem recitabat. Quorum primus vocatus eſt Rector domus: cui non in manibus, ſed in humeris poſita ſunt numiſmata cum ſcaramangis quatuor. Poſt quem ὁ domeſti-

βαϊοφόρος.

Munera accipientium ordo.

meſticoſtos Aſcalonas, & ὁ de Longariſtis Ploas, ſunt vocati: quorum alter militibus, nauigantibus præerat alter. Hi itaque paris numeri, quia dignitas par erat, numiſmata & ſcaramanga ſuſcipientes, præ multitudine non iam in humeris portauerunt, ſed adiuuantibus aliis poſt ſe cum labore traxerunt. Poſt hos admiſſi ſunt Magiſtri numero vigintiquatuor: quibus erogatæ ſunt numiſmatum aureorum libræ, vnicuique ſecundùm eumdem numerum vigintiquatuor cum ſcaramangis duobus. Patriciorum deinde ordo hos ponè eſt ſecutus; & duodecim numiſmatum libris cum ſcaramangâ vnâ donatus. Qui ſicut nec Patriciorum, ita nec librarum, niſi quod vnicuique dabatur, numerum neſcio. Turba poſt hos immenſa vocatur, protoſpathariorum, ſpathariorum, candidatorum, & id genus clientum.

Finis de rebus viſis in Graciâ: quibus quia & alias ſuperaddere propoſuerat, nouum de rebus Othonis Auguſti exorſus eſt librum: quem tamen ob breuitatem ſuperiori addidimus.

De Othone primo Imperatore, & Legatis ad eum miſſis; & qualiter Eccleſiam Romanam ac totam Italiam tyrannis liberauit, Imperiique vnctionem & inſignia cum iuramento Ioannis Papæ non diu in fide permanſuri accepit. De Romanorum, de dicti Papæ ſacrilegiis, inceſtis, ſtupris & aliis flagitiis, querimoniâ; & Papæ fictâ promiſſione de emendandâ vitâ, & acri Imperatoris in eum recriminatione, & eius, hoc eſt Papæ, obſtinatione, qui Adelbertum recepit: de vtriuſque eiectione, & Synodo Romæ celebratâ. CAP. VI.

REgnantibus, imò ſæuientibus, in Italiâ, &, vt veriùs fateamur, tyrannidem exercentibus, Berengario atque Adelberto, Ioannes Summus Pontifex & Vniuerſalis Papa, cuius tunc Eccleſia ſupradictorum Berengarij atque Adelberti ſæuitiam erat experta, Legatos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, Ioannem videlicet Cardinalem Diaconum, & Azonem Scriniarium Sereniſſimo atque pijſſimo tunc Regi, nunc Auguſto Cæſari Othoni deſtinauit; ſuppliciter litteris & Regum ſignis orans, quatenus pro Dei amore, ſanctorumque Apoſtolorum Petri & Pauli, quos delictorum ſuorum cupierat eſſe remiſſores, ſe ſibique commiſſam ſanctam Romanam Eccleſiam ex eorum faucibus liberaret, ac ſaluti & libertati priſtinæ reſtitueret. Hæc dum Romani Legati conquerentur, vir venerabilis Walbertus, ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ſemiuiuus ex prædictorum rabie Berengarij atque Adel-

VValbertus Epiſcopus Mediolanenſis conuenit Othonem.

Adelberti liberatus, ſuperiùs memorati Othonis potentiam adiit, indicans, ſe non poſſe pati Berengarij Adelbertiq́ue, nec non Willæ ſæuitiam; quæ Manaſſen Arelatenſem Epiſcopum contra ius faſq́ue Mediolanenſis Eccleſiæ Sedi præfecerat. Aiebat ſanè, hanc Eccleſiæ ſuæ *calamitatem, quæ, quòd ſe ſuoſq́ue capere oporteret, interciperet. Sed Waldo Cumanus Epiſcopus hunc ponè eſt ſecutus, non diſparem à Berengario atque Adelberto & Willâ quàm Walbertum contumeliam ſe eſſe perpeſſum clamitans. Venerant & nonnulli alterius ordinis ex Italiâ viri: quos inter illuſtris Marchio Otbertus cum Apoſtolicis cucurrerat nuntiis, à ſanctiſſimo Othone tunc Rege, vt dixi, nunc Auguſto Cæſare, conſilium auxiliumq́ue expetens. Horum itaque Rex piiſſimus lacrymoſis queſtibus inclinatus, non quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti ſunt cogitans, filium ſuum ſibi cognominem contra morem puerilibus in annis Regem conſtitutum in Saxoniâ dereliquit: ipſe collectis copiis in Italiam percitus venit. Qui tantò Berengarium atque Adelbertum celeriùs Regno expulit, quantò euidentiùs conſtat, quòd commilitones Petrum & Paulum ſanctiſſimos Apoſtolos habuit. Bonus itaque Rex diſperſa colligens, & confracta conſolidans, quod cuique proprium fuit reſtituit. Dehinc Romam ſimilia facturus adiit: vbi miro ornatu miroq́ue apparatu ſuſceptus, ab eodem Summo Pontifice & Vniuerſali Papâ Ioanne vnctionem ſuſcepit Imperij. Cui non ſolùm propria reſtituit, verùm etiam ingentibus gemmarum, auri & argenti muneribus ipſum honorauit. Iuſiurandum verò ab eodem Papâ Ioanne ſupra pretioſiſſimum corpus Petri, atque omnibus ciuitatis Proceribus, ſe numquam Berengario atque Adelberto auxiliaturum, accepit. Poſt hæc in patriam properanter repedauit. Intereà præfatus Papa, iuramenti & promiſſionis oblitus quam fecerat ſancto Imperatori, ad Adelbertum, vt ſe adeat, mittit; iuramento ei affirmans, ſe illum contra ſanctiſſimi Imperatoris potentiam adiuturum. Adeò enim eumdem Adelbertum, Eccleſiarum Dei eiuſdemq́ue Papæ Ioannis perſecutorem, Imperator ſanctus terruerat, vt omnem Italiam deſerens, Fraxinetum adiret, ſeq́ue Saracenorum fidei commendaret. Imperator autem iuſtus, qui cur Adelbertum Ioannes Papa, quem priùs vehementi odio inſequebatur, nunc diligeret, ſatis mirari non potuit; accerſitis quibuſdam familiaribus, an hoc verum eſſet, Romam dirigit percontatum. Cumq́ue illò ijdem nuntij peruenìſſent, huiuſmodi non à quibuſlibet aut paucis, ſed ab omnibus Romanis ciuibus reſponſa ſuſcipiunt. Non diſpar videtur ratio, cur Ioannes Papa ſanctiſſimum Imperatorem, ſuum ſcilicet ex Adelberti manibus liberatorem, & diabolus oderit creatorem. Imperator, quemadmodum re ipsâ experti ſumus, ea quæ Dei ſunt, ſapit,

**VVilla calamitas verbo Terentiano dicitur. VValdonis querela.*

Otho minor fit Rex. Otho maior Italiam adit. Tyrannos expellit.

Otho Imperij ſuſcipit vnctionem. Iuramentum Ioannis Papæ.

Adelbertus Saracenis ſe commendauit.

Romanorum Procerum in Papam querimonia.

ſapit, operatur, diligit, Eccleſiaſtica & ſæcularia negotia armis tutatur, moribus ornat, legibus emendat; Ioannes Papa his omnibus aduerſatur. Non clam eſt populo quod fatemur. Teſtis eſt Rainera ſui ipſius militis vidua, quam cæco captus igne multis præfectam vrbibus, ſacroſanctis beati Petri donauit aureis crucibus atque calicibus. Teſtis eſt Stephana eius amica, quæ in effuſione, quod ex eo conceperat, recèns hominem exiuit. Quòd ſi cuncta taceant, Lateranenſe palatium, Sanctorum quondam hoſpitium, nunc proſtibulum meretricum, non ſilebit amicam coniugem Stephanæ patris concubinæ ſororem. Teſtis omnium gentium, præterquam Romanorum, abſentia mulierum, quæ ſanctorum Apoſtolorum limina orandi gratiâ timent viſere, cùm nonnullas ante dies paucos hunc audierint coniugatas, viduas, virgines, vi oppreſſiſſe. Teſtes ſunt ſanctæ Apoſtolorum Eccleſiæ, quæ non ſtillatim pluuiam, ſed totum intrinſecus, ſupra ipſa etiam ſacroſancta altaria, imbrem admittunt. Quanto nos terrore tigna afficiunt, cùm diuinam opem eódem depoſcimus? Mors in tectis regnat, quæ nos orare multa volentes impedit, atque domum Domini mox linquere cogit. Teſtes ſunt non ſolùm iuncearum curatura, ſed & quotidianarum formarum mulieres. Cui eædem ſunt, & ſilicem pedibus quæ conterunt atrum, & quæ magnorum ſubuehuntur adiutorio iumentorum. Atque hoc rei eſt, quòd tanta ei cum Imperatore ſancto diſcordia eſt, lupis & agnis quanta ſortitò obtigit. Illi hoc, vt impunè liceat, Adelbertum ſibi tutorem & defenſorem parat. Hæc dum à redeuntibus nuntiis Imperator audiret; Puer, inquit, eſt, facilè bonorum immutabitur exemplo virorum. Spero eum obiurgatione honeſtâ, ſuaſione liberali, facilè ex illis ſeſe emerſurum malis; dicemuſq́ue tunc cum Prophetâ: Hæc eſt immutatio dexteræ Excelſi. & adiecit: Quod priùs rerum ordo depoſcit, Berengarium in Feretrato Monte reſiſtentem propulſemus, dein paternâ abdicatione Dominum Papam conueniamus: ſi non voluntate, verecundiâ ſaltem in virum perfectum ſeſe mutet. Sicq́ue forſitan deuictus, benè conſueſcere, ſtudebit his deſueſcere. His expletis, Papiæ nauim conſcendit, ac per Eridani alueum Rauennam vſque peruenit; indeq́ue progrediens, Montem Feretratum (quod oppidum ſancti Leonis dicitur) in quo Berengarius & Willa erant, obſedit. Quò & præfatus Papa Leonem, venerabilem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tunc Protoſcriniarium, nunc in eâdem Sede beati Petri Apoſtolorum Vicarium, nec non & Demetrium Optimatem Romanorum illuſtriſſimum, ſancto Imperatori nuntios dirigit, mandans, haud mirum eſſe, ſi hactenus iuuentutis igne deuictus, quid puerile geſſerit: iam tempus inſtare, cùm alieno cuperet viuere more. Mandauit etiam doloſè, quòd

Papæ ſacrilegia & inceſtus.

Stephana amita, aut potiùs amica, abortum faciens perit.

Mons Feretratus obſidetur.

Papæ ad Imperatorem mandata fraudulenta.

quòd quemdam Leonem Episcopum & Ioannem Diaconum Cardinalem suos infideles suscepisset; & quòd sanctus Imperator promissionis suæ fidem violaret, dum eos, qui eò loci manebant, iuramento non ipsi, sed sibi astringeret. Quibus Imperator: Pro correctione, inquit, ac morum immutatione, quam promittit, gratias ago; de promissis verò fidem mutare, cuius me arguit, an verum sit, ipsi perpendite. Omnem terram sancti Petri, quæ nostræ potestati subiecta est, Ecclesiæ promisimus reddere: atque id rei est, quòd ex hac munitione Berengarium cum omni familiâ pellere laboramus. Quo enim pacto terram hanc ei reddere possumus, si non priùs eam ex violentorum manibus ereptam, potestati nostræ subdamus? Leonem Episcopum, & Ioannem Cardinalem Diaconum, suos infideles, quos nos suscepisse accusat, his temporibus non vidimus, nedum suscepimus: Constantinopolim Domino Papâ eos ad iniuriam nostram proficiscentes dirigente, Capuæ sunt, vt audiuimus, capti. Quibuscum etiam Saleccum, natione Bulgarum, educatione Hungarum, Domini Papæ familiarissimum, & Zachæum vitum reprobatum, diuinarum atque humanarum inscium litterarum, à Domino Papa Episcopum nouiter consecratum, & Hungaris ad prædicandum, vt super nos irruant, destinatum, eodem captos esse loco audiuimus. Hæc Dominum Papam nullis narrantibus fecisse crederemus, nisi litteræ fidem admitterent, quæ plumbo signatæ eius nominis characteres monstrant. His expletis, Landohardum à Saxoniâ Numendensem, & Liudbrandum ab Italiâ Cremonensem, Episcopos, cum præfatis nuntiis Romam dirigit, Domino Papæ se inculpabilem esse satisfacturum. Quorum etiam militibus hoc Imperator iustus imposuit, vt, si secùs Dominus Papa non crederet, duello verum esse approbarent. Præfati igitur Landohardus & Liudbrandus Episcopi Romam ante Domini Papæ præsentiam venientes, tanto sunt in honore susceptí, vt non eos lateret, quanto sanctum Imperatorem tædio fastidiret. Ordinatim tamen, prout eis iniunctum fuerat, enarrantes, non iuramento, non duello satisfactionem Papa recipere voluit, sed in eâdem quâ fuerat duritiâ permansit: subdolè tamen post dies octo Ioannem Episcopum Narnienſem, & Benedictum Cardinalem Diaconum, cum istis Domino Imperatori destinauit, putans hunc suis posse deludere versutiis, cui nimis est verba dare difficile. Ante quorum reditum Adelbertus, inuitante Papâ, à Fraxineto rediens, Centumcellas aduenit; deinde Romam profectus, non, vt debuit, repudiatus, sed à Papâ honorificè est susceptus. Hæc dum aguntur, Phœbi radiis graue Cancri sidus inæstuans Imperatorem Romanis arcibus propellebat. Sed cùm Virginale sidus gratam rediens temperiem ferret, collectis copiis

Recriminatur Imperator Ioannem Papam.

Ioannis Papæ obstinatio.

Adelbertus recipitur.

copiis clàm, Romanis inuitantibus, Romam aduenit. Quid clàm dixerim, cùm maior Romanorum pars Optimatum sancti Pauli castellum inuaserit, sanctumque Imperatorem obsidibus etiam datis inuitauerit? Quid multis morer? iuxta vrbem Imperator castrametatus est. Româ Papa simul atque Adelbertus aufugiunt; ciues verò sanctum Imperatorem cum suis omnibus in vrbem suscipiunt, fidelitatemque promittunt: hæc addentes, & firmiter iurantes, numquam se Papam electuros, aut ordinaturos, præter consensum atque electionem Domini Imperatoris Othonis Cæsaris Augusti, filijque ipsius Regis Othonis. Post triduum, rogantibus, tam Romanis Episcopis quàm plebe, magnus in sancti Petri Ecclesiâ fit conuentus, sederuntque cum Imperatore Archiepiscopi: ab Italiâ pro Engelfrido Aquileiensi Patriarchâ, quem in eâdem vrbe languor repentè, vt fit, ortus arripuerat, Rodulfus Diaconus, Walbertus Mediolanensis, Petrus Rauennas: à Saxoniâ, Adeltac Archiepiscopus, & Landohardus Episcopus Numendensis: à Francia, Otgerius Episcopus Spirensis, Bubtus Parmensis: ab Italiâ, Liudbrandus Cremonensis, Hermenaldus Regensis: à Tuscià, Conradus Lucensis, Euerarius Aricienſis, Pisanus Senensis, Florentius Pestruensis, Petrus Camerinensis, Spoletinus Romanus, Gregorius Albanensis, Spoletinus, Sico Hostiensis, Benedictus Portuensis, Lucidus Canensis, Theophylactus Prænestinus, Wido Siluæ candidæ, Leo Velitriensis, Sico Blebensis, Stephanus Serensis, Ioannes Nepesinus, Ioannes Tiburtinus, Ioannes Foroiulienſis, Romanus Ferentinensis, Ioannes Normensis, Ioannes Berulensis, Martinus Sutrinus, Ioannes Narniensis, Ioannes Sapinienſis, Ioannes Gallacensis, Phalarensis, Alaterensis, Ortanus, Ioannes Anagnienſis, Trebensis, Salibatinus, Tarraconensis, Stephanus Cardinalis Archipresbyter titulo Balbinæ, Dominicus titulo Anastasiæ, Petrus titulo Damasi, Theophylactus titulo Chrysogoni, Ioannes titulo Equitij, Ioannes titulo Susannæ, Petrus titulo Pammachij, Adrianus titulo Calixti, Ioannes titulo Cæciliæ, Adrianus titulo Luciniæ, Benedictus titulo Sixti, titulo Quatuor Coronatorum, Stephanus titulo Sabinæ, Benedictus Cardinalis Archidiaconus, Ioannes Diaconus, Bono filius Diaconus, Cardinalis Primicerius, Georgius Secundicerius, Stephanus Adminiculator, Andreas Arcarius, Sergius Primicerius defensorum, Ioannes Sacellarius, Stephanus, Theophylactus, Adrianus, Stephanus, Benedictus, Azo, Adrianus, Romanus, Leo, Benedictus. Item Leo & Leo Scriniarij, Leo Primicerius scholæ cantorum, Benedictus Subdiaconus & Oblationarius, Azo, Benedictus, Demetrius, Ioannes, Amicus, Sergius, Benedictus, Vrso, Ioannes, Benedictus Subdiaconus, Subpulmentarius, & Stephanus Archia-

Otho Romam redit.

Papa cum Adelberto fuga.

Synodus in vrbe; & qui interfuerint.

chiacoluthus, cum omnibus acoluthis & regionariis. Ex primatibus Romanæ ciuitatis, Stephanus filius Ioannis Superiſta, Demetrius Melioſi, Creſcentius Caballi marmorei, Ioannes cognomento Nuzina, Stephanus de Muza, Theodorus de Ruſina, Ioannes de Primicerio, Leo de Camirzuli, Richardus, Petrus de Canapariâ, Benedictus cum Bulgamino filio ſuo: ex plebe, Petrus, qui & Imperiola eſt dictus, aſtitit cum omni Romanorum militiâ.

Quæ acta ſint in Concilio contra Ioannem Romanum Pontificem; in quem moderato animo & maturo conſilio proceſſit Otho: & quæ illi flagitia obiecta ſint à congregatis in Concilio, enormia certè, & vix credibilia, etiam in ſicario aut pagano. CAP. VII.

HIs itaque reſidentibus, ſilentiumque ſummum tenentibus, ita ſanctus eſt Imperator exorſus: Quoniam decorum eſſet tam claro ſanctoque Dominum Papam Ioannem intereſſe Concilio, cur tantum declinauerit cœtum, vos, ô ſancti Patres, conſulimus, quibus communis labor Eccleſiaſticus ac commune negotium exiſtit. Tunc Romani Pontifices & Cardinales, Presbyteri ac Diaconi cum vniuersâ plebe dixerunt: Miramur ſanctiſſimam Prudentiam veſtram nos hoc velle percontari, quod nec Ibericos, nec Babylonicos, nec Indicos incolas latet. Non hic iam de illis eſt qui veniunt in veſtimentis ouium, intus autem ſunt lupi rapaces: ita apertè ſæuit, ita apertè diabolica pertractat negotia, vt nihil circuitionis vtatur. Imperator reſpondit: Iuſtum nobis videtur, vt accuſationes nominatim exprimantur; deinde quod agendum eſt, communi conſilio pertractetur. Tunc conſurgens Petrus Cardinalis Presbyter, ſe vidiſſe illum Miſſam celebraſſe, & non communicaſſe teſtatus eſt. Ioannes Epiſcopus Narnienſis, & Ioannes Cardinalis Diaconus, ſe vidiſſe illum Diaconum ordinaſſe in equorum ſtabulo non certis temporibus ſunt profeſſi. Benedictus cum ceteris Condiaconis & Presbyteris dixit ſe ſcire, quòd ordinationes Epiſcoporum pretio faceret, & quòd annorum decem Epiſcopum in Tudertinâ ciuitate ordinaret. De ſacrilegio non eſſe neceſſe percontari dixit; quia plus videndo quàm audiendo ſcire potuiſſemus. De adulterio dixerunt, quod oculis non viderant, ſed pro certo ſcirent, viduam Ranierij, & Stephanam patris concubinam, & Annam viduam cum nepte ſuâ abuſum eſſe, & ſanctum palatium lupanar & proſtibulum feciſſe; venationem dixerunt publicè exercuiſſe; Benedictum ſpiritualem patrem ſuum lumine priuaſſe, & mox mortuum eſſe; Ioannem Cardinalem Subdiaconum virilibus amputatis occidiſſe; incendia feciſſe; enſe accinctum, galeâ & loricâ indutum fuiſſe teſtati ſunt. Diaboli in amorem

Cardinales.

Crimina Ioannis Papæ.

Epiſcopus decennis.

amorem vinum bibiſſe omnes tam Clerici quàm laici acclamarunt. In ludo aleæ, Iouis, Veneris, ceterorumque dæmonum auxilium popoſciſſe dixerunt. Matutinas & Canonicas horas eum non celebraſſe, nec ſigno Crucis ſe muniuiſſe profeſſi ſunt. His auditis, Imperator, quia Romani eius loquelam propriam, id eſt Saxonicam, intelligere nequibant, Liudbrando Cremonenſi Epiſcopo præcepit, vt Latino ſermone hæc Romanis omnibus quæ ſequuntur exprimeret. Surgens itaque, ſic cœpit:

De Imperatoris Othonis maturâ in Joannem Pontificem Maximum conſultatione per interpretem factâ: & de Patrum contra eum atteſtatione, etiam cum ſui anathematizatione, ſi minùs vera dicerent: deque conſilio inito, vt in perſonâ citetur ad ſui purgationem.

CAPVT VIII.

PErſæpè contigit, & nobis expertis credimus, vt in dignitatibus conſtituti inuidorum infamiâ maculentur; diſplicet bonus malis, quemadmodum & malus bonis. Atque hoc rei eſt, quòd hanc in Papam accuſationem, quam modò Benedictus Cardinalis Diaconus legit, & vobiſcum fecit, amphibolam retinemus, incerti, vtrùm è zelo iuſtitiæ an impietatis liuore proruperit. Vnde mihi indigno ſecundùm conceſſæ dignitatis auctoritatem omnes obteſtor per Deum, quem fallere, etſi vult, nemo poteſt, ſanctamque eius Genitricem intemeratam Virginem Mariam, perque pretioſiſſimum Apoſtolorum Principis corpus, in cuius hæc recitantur Eccleſiâ, vt nulla in Dominum Papam iaculentur conuicia, quæ non ſint ab ipſo patrata, atque à viris probatiſſimis viſa. Tunc Epiſcopi, Diaconi, Clerus, & cunctus Romanorum Populus quaſi vir vnus dixerunt: Si non & quæ per Benedictum Diaconum lecta ſunt, hiſque turpiora & ampliora Ioannes Papa indigna commiſit facinora, non nos à peccatorum vinculis abſoluat Apoſtolorum Princeps beatus Petrus, qui verbo cælum indignis claudit, iuſtis aperit. Simus anathematis vinculo innodati, atque in die nouiſſimâ in ſiniſtrâ parte poſiti, cum eis qui dixerunt Domino Deo: Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Quòd ſi fidem nobis non adhibetis, exercitui Domini Imperatoris ſaltem debetis credere, cui ante quinque dies enſe accinctus, clypeo, galeâ, loricâ indutus occurrit: ſolus Tiberis, qui interfluxit, ne ſic ornatus ab exercitu caperetur, impediuit. Mox ſanctus Imperator dixit: Tot ſunt huius rei teſtes, quot ſunt noſtro in exercitu bellatores. Sancta Synodus dixit: Si placet ſancto Imperatori, mittantur litteræ Domno Papæ, vt adueniat, ſeque ex his omnibus purget. Tunc eidem ſunt litteræ deſtinatæ.

Patrum in Ioannem Papam obteſtatio.

Diploma, siue exemplum litterarum Imperatoriarum auctoritate Concilij ad Ioannem Papam missarum: quibus vitia à Concilio illi obiecta summatim recitantur; cum humili obsecratione, vt ad se purgandum in Concilium venire non recuset. CAP. IX.

SVmmo Pontifici & Vniuersali Papæ Domno Ioanni, Otho diuinæ respectu clementiæ Imperator Augustus, cum Archiepiscopis Liguriæ, Tusciæ, Saxoniæ, Franciæ, in Domino S. Romam ob seruitium Dei venientes, dum filios vestros Romanos, scilicet Episcopos, Cardinales, Presbyteros, Diaconos, & vniuersam plebem de vestrâ absentiâ percontaremur, & quid caussæ esset, quòd nos Ecclesiæ vestræ vestriqúe defensores videre noluissetis, talia de vobis tamqúe obscena protulerunt, vt, si de histrionibus dicerentur, vobis verecundiam ingererent. Quæ ne Magnitudinem vestram omnia lateant, quædam vobis sub breuitate describimus; quoniam si cuncta nominatim exprimere cuperemus, dies nobis non sufficeret vnus. Noueritis itaque, non à paucis, sed ab omnibus tam vestri quàm alterius ordinis, vos homicidij, periurij, sacrilegij, & ex propriâ cognatione, atque ex duabus sororibus, incesti crimine esse accusatos. Dicunt & aliud auditu ipso horridum, diaboli vos in amorem vinum bibisse; in ludo aleæ, Iouis, Veneris, ceterorumqúe dæmonum auxilium poposcisse. Oramus itaque Paternitatem vestram obnixè, venire, atque ex his omnibus vos purgare non dissimuletis. Si fortè vim temerariæ multitudinis formidatis, iuramento vobis affirmamus, nihil fieri præter sanctorum Canonum sanctionem. Data VIII. Idus Nouembris.

De Ioannis Papæ apologetico, id est responso, vt Auctor accipit, cùm apologiam potiùs dicat, quo excommunicatos pronuntiat, si ad noui Pontificis electionem processerint. Et de rescripto Patrum in Concilio ad eumdem Papam; quod verbis sacris fulcitur. CAP. X.

HAnc epistolam cùm legisset, huiusmodi apologeticum scripsit: Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei omnibus Episcopis: Nos audiuimus dicere, quòd vos vultis alium Papam facere: si hæc facitis, excommunico vos de Deo omnipotente, vt non habeatis licentiam vllum ordinare, & Missam celebrare. Cùm hæc epistola in sanctâ Synodo legeretur, aduenerunt qui priùs defuerant Religiosi à Lotharingiâ, Henricus Treuerènsis Archiepiscopus: ab Æmiliâ & Liguriâ, Wido Muzienſis, Gezo Tertonenſis, Sigulfus Placentinus: quorum consilio Domno Papæ ita rescribunt: Summo Pontifici & Vniuersali Papæ Domno Ioanni, Otho

Otho diuinæ respectu clementiæ Imperator Augustus, sed & sancta Synodus Romæ ob seruitium Dei congregata in Domino, Salutem. Præteritâ Synodo, quæ celebrata est octauo Idus Nouembris, litteras vobis direximus, in quibus accusatorum vestrorum verba atque accusationis caussæ continebantur. Rogauimus etiam eisdem litteris Magnitudinem vestram, quemadmodum iustum est. A vobis, non quales temporis qualitas, sed inconsultorum vanitas exposcit hominum, litteras accepimus. Non veniendi ad Synodum rationabilis esse excusatio debuit: sed & præsentes Magnitudinis vestræ debuerunt nuntij interesse, qui aut ægritudinis, aut certè difficultatis caussâ satisfacerent, sanctam vos Synodum declinasse. Est & aliud vestris in litteris scriptum, quod non Episcopum, sed puerilem ineptiam scribere deceret. Excommunicastis enim omnes, vt non habeamus licentiam canendi Missas, ordinandiqúe Ecclesiasticas dispositiones, si alium Romanæ Sedi constitueremus Episcopum. Ita enim scriptum erat: Non habeatis licentiam vllum ordinare. Nunc vsque putauimus, imò credimus, duo negatiua vnum facere dedicatiuum, nisi vestra Auctoritas priscorum sententias infirmaret Auctorum. Nos verò intentioni vestræ, non verbis, respondeamus. Si ad Synodum venire, & obiecta purgare non differtis, Auctoritati vestræ proculdubiò obediemus: sed si, quod absit, venire, & obiecta vobis capitalia crimina purgare dissimulatis, cùm præsertim vos venire nil impediat, non maris nauigatio, non corporis ægritudo, non itineris longitudo; tunc excommunicationem vestram paruipendemus, eam potiùs in vos retorquebimus; quoniam quidem iustè facere possumus. Iudas Domini nostri Iesu Christi proditor, imò venditor, cum ceteris priùs ligandi atque soluendi potestatem à Magistro in hæc verba acceperat: Amen dico vobis, quæcumque ligaueritis super terram, &c. Quamdiu enim bonus inter discipulos fuit, ligare atque soluere valuit; postquam verò cupiditatis veneno homicida factus, Vitam occidere voluit, quem posteà ligatum soluere, atque solutum ligare potuit; nisi seipsum, quem infelicissimo laqueo strangulauit? Data decimo Kalendas Decembris, & missa per Adrianum Cardinalem Presbyterum, & Benedictum Cardinalem Diaconum. Qui cùm ad Tiberim peruenissent, eum non inuenerunt: pharetratus enim in campestria iam abierat. Nec quisquam erat qui his, vbi ipse esset, indicare posset. Cumqúe eum inuenire non possent, cum eisdem litteris ad sanctam Synodum, quæ tunc tertiò est habita, sunt reuersi. Mox Imperator ait: Exspectauimus aduentum eius, vt præsente eo quod nobis egerit quereremur; verùm quoniam eum non affuturum certò scimus, quàm perfidè nobiscum egerit, vt diligenter agnoscatis, etiam atque

Imperatoris prudens oratio.

etiam

etiam flagitamus. Notum itaque vobis facimus Archiepiſcopis, Presbyteris, Diaconis, reliquoque Clero, nec non & Comitibus, Iudicibus, omnique Plebi, quòd idem Ioannes Papa oppreſſus à Berengario atque Adelberto rebellibus noſtris, miſit nobis in Saxoniam nuntios, rogans vt pro amore Dei in Italiam veniremus, & Eccleſiam ſancti Petri ac ſeipſum ex faucibus eorum liberaremus. Nos verò, adiuuante Deo, quantum fecerimus, non eſt neceſſe dicere, vt inpræſentiarum videtis. Ereptus verò meâ operâ ex eorum manibus, & honori debito reſtitutus, oblitus iuramenti & fidelitatis, quam mihi ſupra corpus ſancti Petri promiſit, eumdem Adelbertum Romam venire fecit, & contra me defendit, ſeditiones fecit, & videntibus noſtris militibus, dux belli factus, loricâ & galeâ eſt indutus. Quid ſuper hoc ſancta Synodus decernat, edicat. Ad hæc, Romani Pontifices, reliquuſque Clerus, & cunctus Populus dixerunt: Inauditum vulnus inaudito eſt cauterio exurendum. Si corruptis moribus ſibi ſoli, & non cunctis obeſſet, quoquo modo tolerandus eſſet. Quot priùs caſti huius facti ſunt imitatione inceſti? Quot probi huius exemplo conuerſationis ſunt reprobi? Petimus itaque Magnitudinem imperij veſtri, monſtrum iſtud nullâ virtute redemptum à vitiis, à ſanctâ Romanâ Eccleſiâ pelli, aliumque loco eius conſtitui, qui nobis exemplo bonæ conuerſationis præeſſe valeat, & prodeſſe ſibi; rectè viuat, ac benè viuendi nobis exemplum præbeat. Tunc Imperator; Placet, inquit, quod dicitis, nihilque gratius nobis quàm vt talis, qui huic ſanctæ & vniuerſali Sedi præponatur, inueniri poſſit.

Papa accuſatur, quòd armatus fuit

De Leonis Protoſcriniarij in Summum Pontificem electione, & Ioannis depoſiti largitione, quâ Romanos in cædem Imperatoris & noui Papæ ſollicitauit; ſed, Imperatore vincente, fruſtrà conati ſunt. Leonis tamen indulgentiâ obſidibus remiſſis, cùm Imperator abeſſet, meretricularum illecebris populus Romanus rurſum Ioannem recipit, qui in Leonis aſſeclas mirè ſæuit, donec à diabolo enectus eſt. Poſt quem Romani Benedictum Papam declarant; ſed Leoni Sedes redditur, Benedicto exulante. CAP. XI.

HIs dictis, omnes vnâ voce dixerunt, Leonem venerabilem, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Protoſcriniarium, virum approbatum, ad Summum Sacerdotij gradum nobis in Paſtorem eligimus, vt ſit Summus & Vniuerſalis Papa Romanæ Eccleſiæ, reprobato ob improbos mores Ioanne apoſtatâ. Cùm hoc omnes tertiò dixiſſent, annuente Imperatore, nominatum Leonem ad Lateranenſe palatium ſecundùm conſuetudinem cum laudibus ducunt,

Leo, reiecto Ioanne, eligitur Papa.

ducunt, & certo tempore in Eccleſiâ ſancti Petri ad Summum Sacerdotium ſanctâ conſecratione attollunt, & fideles ſe ei affuturos iureiurando promittunt. His ita geſtis, ſperans ſanctiſſimus Imperator cum paucis Romæ ſe degere poſſe, ne conſumeretur Romanus populus ob multitudinem exercitus, multis vt redirent licentiam dedit. Cumque hoc Ioannes, qui deiectus eſt, Papa cogno-ſceret, non ignorans quàm facilè Romanorum mentes pecuniâ poſſet corrumpere, clàm Romam mittit nuntios, beati Petri omniumque Eccleſiarum pecuniam repromittentes, ſi ſuper pium Imperatorem & Domnum Leonem Papam irruerent, eoſque impijſſimè trucidarent. Quid multis morer? Romani quàm mox exercitus paucitate confiſi, imò decepti, & pecuniæ promiſſione animati, buccinâ concrepante, ſuper Imperatorem, vt eum occidant, feſtinare contendunt. Quibus Imperator ſuper pontem Tiberis, quem Romani plauſtris impeditum habebant, occurrit. Cuius fortes milites aſſuefacti bello, pectore & armis intrepidi, eos inter proſiliunt, & quaſi accipitres auium multitudinem nullo reſiſtente proterunt. Non latibula, non corbes, non concaua ligna, non cryptæ, ſordium receptacula, fugientibus tutelæ eſſe poſſunt. Occiduntur itaque, &, vt aſſolet contingere viris fugientibus, paſſim à tergo vulnerantur. Quis tunc Romanorum cladis huius ſuperſtes fieret, ſi non Imperator ſanctus miſericordiâ, quæ eis nulla debebatur, inclinatus, ſuos adhuc interficere ſitientes retraheret, & reuocaret? Itaque, deuictis omnibus, atque ijs qui ſupererant obſidibus acceptis, Venerabilis Papa Leo pedibus Imperatoris prouolutus orat, vt Romanis obſides reddat, ſeque eorum fidei commendet. Rogatu denique Venerabilis Papæ Leonis Imperator ſanctus Romanis obſides reddit, non incertus, quod proſecuturus ſum, incepturos. Igitur Romanorum fidei eumdem Papam quemadmodum lupis agnum commiſit. Deinde Româ exiens, Camerinum Spoletumque verſus, vbi Adelbertum eſſe audierat, properauit. Interea mulieres quibuſcum Ioannes, qui dictus eſt Papa, voluntatis ſuæ ludibrium exercebat, non ignobiles & plures concitauerunt Romanos, vt Leonem Summum & Vniuerſalem Papam à Deo & ipſis electum perderent, & Ioannem in vrbem ſuſciperent. Quod cùm feciſſent, Deo miſerante ex eorum manibus eſt Venerabilis Papa Leo liberatus; pauciſque ipſum concomitantibus, ad pijſſimi Imperatoris miſericordiam eſt profectus. Imperator denique ſanctus tantum dedecus ægrè ferens, tum ex Domni Papæ Leonis deiectione, tum ex Ioanne Cardinali Diacono, & Azone Protoſcriniario; quorum alterum manu dexterâ, alterum linguâ, duobus digitis naribuſque abſciſſis, Ioannes abdicatus defœdauerat;

Ioannes depoſitus molitur Romanos in cædem Imperatoris & Leonis Papæ per pecuniam concitare.

Romanorum fuga, & cædes.

Leo conſilio meretricum eijcitur, & Ioannes recipitur.

Sæuitia Ioannis in Leoni obedientes.

reparato exercitu, Romam redire disposuit. Priusquam tamen sancti Imperatoris copiæ essent congregatæ, volens cunctis sæculis innotescere Dominus, quàm iustè esset Ioannes Papa à suis Episcopis & omni plebe repudiatus, quamque postmodum iniustè receptus, quadam nocte extra Romam, dum se cum cuiusdam viri vxore oblectaret, in temporibus adeò à diabolo est percussus, vt intra dierum octo spatium eodem sit vulnere mortuus. Sed Eucharistiæ Viaticum, ipsius instinctu qui eum percusserat, non percepit; quemadmodum à suis cognatis & familiaribus qui præsentes erant, persæpè sub attestatione audiuimus. Quo mortuo, Romani omnes iuramenti quod sancto Imperatori promiserant immemores, Benedictum Cardinalem Diaconum Papam constituunt; insuper & iuramento numquam se eum dimissuros, sed eum contra Imperatoris potentiam defensuros promittunt. Quo audito, Imperator vrbem vallauit, neminem qui non membris truncaretur exire permisit; machinis & fame vsque adeò afflixit, donec Romanis nolentibus vrbem reciperet, Leonem virum venerabilem debitæ Sedi restitueret, ac Benedictum Summæ Sedis inuasorem eius præsentiæ præsentaret. Residentibus itaque Domno Leone Summo & Vniuersali Papâ in Ecclesiâ Lateranensi, necnon & Imperatore sanctissimo Othone, & Episcopis Romanis, Italicis, à Lotharingiâ & Saxoniâ, Archiepiscopis, Presbyteris, Diaconis, omnique Romanorum plebe, quorum nomina superiùs ascribuntur, aduenit Benedictus Apostolicæ Sedis inuasor, eorum qui se elegerant manibus adductus, Pontificalibus vestibus indutus. Quem Benedictus Cardinalis Archidiaconus tali est sermone aggressus: Quâ tibi auctoritate, quáve lege, ô inuasor, hæc Pontificalia indumenta vsurpasti, superstite hoc præsenti Domno nostro Venerabili Papâ Leone, quem tu nobiscum, accusato & reprobato Ioanne, ad Apostolicatus culmen elegisti? num inficiari potes, præsenti Domno Imperatori iuramento promisisse, numquam te cum ceteris Romanis Papam electurum aut ordinaturum, absque illius filijque sui Regis Othonis consensu? Benedictus respondit: Si quid peccaui, miseremini mei. Tunc Imperator effusis lacrymis, quàm misericors esset ostendens, rogauit Synodum, ne Benedicto præiudicium fieret. Si vellet & posset, ad interrogata responderet; quòd si non posset, aut nollet, ac se culpabilem redderet, tamen pro timore Dei misericordiam aliquam inueniret. Quo audito, ad Domni Leonis Papæ pedes ipsiusque Imperatoris idem Benedictus concitè procidens, se peccasse, seque sanctæ Romanæ Sedis inuasorem esse acclamauit. Post hæc, pallium sibi abstulit, quod simul cum Pontificali ferulâ, quam manu

Ioannes Papa à diabolo necatur.

Benedictus Antipapa.

Romæ obsidio dura. Captio.

Benedicti pœnitentia.

manu gestabat, Domno Papæ Leoni reddidit. Quam ferulam idem Papa fregit, & fractam populo ostendit. Deinde Benedictum in terrâ sedere præcepit: cui casulam, quam planetam vocant, cum stolâ pariter abstulit. Pòst autem omnibus Episcopis dixit: Benedictum, sanctæ & Apostolicæ Sedis Romanæ inuasorem, omni Pontificatus & Presbyteratus honore priuamus; ob eleëmosynam verò Domini Imperatoris Othonis, cuius sumus operâ in Sedem debitam restituti, Diaconatus eum Ordinem habere permittimus, & non iam Romæ, sed in exilium destinamus.

Benedicti exilium.

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI.

CAPVT I. *De Fraxineti oppidi in confinio Italiæ situ, & eius à viginti Saracenis piratis occupatione, & munitione cum Mauro monte; deq; Saracenorum incrementis per inuidiam & factionem vicinorum Christianorum inter se.* pag. 5.

CAP. II. *Quis eâ tempestate Papa, & qui Principes terrarum fuerint; & quid gesserint Leo & Basilius, quem Michaël Imperator ex famulo Monachi in socium assumpsit Imperij; & quomodo ab eo interemptus est: &* CHRISTVS *Basilio apparuit minabundus; qui in pœnitentiam ædem diuo Michaëli extruxit.* 6.

CAP. III. *De Constantinopolis nominibus, situ, & circumhabitantibus; deq; vigiliâ nocturnâ ibidem constitutâ ab Leone Imperatore: cuius vt fidem & diligentiam experiretur, in habitu iuuenis lasciui illapsus in duas custodias, eas muneribus corrupit, à tertiâ in carcerem ductus: priores exilio mulctauit, posteriores opibus & honore extulit.* 8.

CAP. IV. *De altero Leonis Imperatoris sagaci ludo, quo vigiliam vnius è duodecim palatij & corporis sui custodibus dignè remuneratam voluit; ceteris elusis ob somnolentiam.* 11.

CAP. V. *De Arnulfi, qui per Hungaros Zuentebaldum vicit, stolidâ temeritate, cùm genti perniciosæ ad Christianos subiugandos aditum munierit.* 12.

CAP. VI. *De VVidonis (quem alij Guidonem, alij Hugonem vocant) & Berengarij Ducum confœderatione; ita vt, mortuo Carolo Caluo, VVido se Franciæ Romanæ Regem inungi curauerit, Berengarius Italiæ. Franci autem iam Odonem Regem constituerant. Et de causâ leui, cur Franci VVidonem reiecerint.* 13.

CAP. VII. *Berengarius Arnulfum in auxilium pollicitationibus pellicit in VVidonem: qui cùm alteram fluuij ripam teneret, & congredi nequirent, Baioarius quidam Arnulfi eques Italos ad certamen insolentiùs prouocauit, & ab Hubaldo quodam victus occubuit; Arnulfiq; nothus bello decessit. Berengarius autem Arnulfum rursum promissis onerat; qui rediens multas vrbes subiugauit.* 15.

CAP. VIII. *De VVidonis à facie Arnulfi fugâ, Arnulfi metricâ ad suos concione, postquam vrbs Roma capta est; & de Formosi Papæ ab Romanis persecutione, & causâ simultatis. Sergij Antipapæ postmodum intrusi in eum defunctum immanitas; & miraculosa Formosi sepultura.* 16.

CAP. IX. *De Firmi per Arnulfum obsidione, & per æstum vxoris VVidonis, quæ potionem soporiferam Arnulfo propinandam curauerat, solutione: de causâ mali in Arnulfo, eius insolentiâ & templorum profanatione. De Arnulfi consilio in Berengarium cæcandum, eiusq; deinde contemptu: de seditione & cæde Ticini, quæ nunc Papia dicitur, factâ. De Anscarij metu, & Arnulfi tetro exitu.* 18.

CAP. X. *De VVidonis obitu, Berengarij in Regnum receptione, sed mox Lanthberti filij VVidonis coronatione, populi in eum fauore & Principum odio. Nam Magnifredus Mediolanensis Comes in eum grassabatur; sed victus, capite punitus est: & Adelbertus Diues in eum mouit.* 20.

CAP. XI.

CAP. XI. *De Lanthberti strenuâ victoriâ in Hildebrandum, quem fugauit, & Adelbertum, quem cepit, & cauillo illusit, post multorum stragem.* 21.

CAP. XII. *De mortis Lanthberti duplici opinione: quarum veriorem putat, quòd ab Hugone Mediolanensi cæsus sit; quod conqueritur.* 22.

LIBRI SECVNDI.

CAP. I. *De Ludouico Arnulfi filio: cuius tempore Hungari Baioariam inuadentes, eam immanissimè vastauerunt. In quos Ludouicus bellum parat iuxta Lemanum lacum.* 24.

CAP. II. *Hungari positis insidijs Ludouici copias vincunt, & delent; votiq; compotes, Francorum, Saxonum, Sueuorumq; terras deprædantur.* 25.

CAP. III. *De Adelberti Comitis rebellione, & capitali sententiâ in eum circumuentum Hattonis Archiepiscopi insidijs latâ.* 26.

CAP. IV. *De Hungaris collecto innumerabili exercitu Italiam petentibus & exploratoribus eorum, quale consilium dederint: & quare territi ab Italiæ ingressu sunt reuersi; sed mox reparatis viribus Italis occurrerint.* 27.

CAP. V. *Cur Rex Berengarius contra Hungaros non ierit; & cur Hungari Italos fugerint, & quomodo fugientes pacem petierint: & de præludio prælij, in quo priùs vicerunt Hungari, pòst fugerunt. Et quomodo, propter defatigatos equos, ad Brennam fluuium à Christianis deprehensi, pacem ab eis petierunt, quam non obtinuerunt.* 28.

CAP. VI. *De consilio Hungarorum ex desperatione inito, & victoria eorum in Christianos per insidias circumuentos: quam victoriam docet ob Christianorum peccata, non illorum merita, adeptos.* 29.

CAP. VII. *De Ludouici obitu & Conradi coronatione: & qui Principes sub eo fuerint; inter quos Henricus dux Saxoniæ: qui Regi rebellantes, ab eo victi sunt, fugiente Arnoldo Baioario in Hungariam. Et quomodo Conradus moriturus, Principes omnes de pace inter se, & vt Henricum Saxonem Regem constituant, exhortatur, transmissis ad eum regalibus ornamentis. De Arnoldi Baioarij ex Hungariâ reditu, & bellico in Henricum apparatu; sed suorum exhortatu Henrico deditus, eidem militat.* 31.

CAP. VIII. *De Hungaris, auditâ morte Conradi, Saxoniam inuadentibus: quibus Henricus quamuis infirmus occurrit, & suos exhortatus est, votumq; vouit.* 33.

CAP. IX. *De nuntio, qui Hungaros in Meresburgo esse nuntiabat omnia deuastantes. Et de exploratoribus, quos Hungari à captiuis moniti mittebant. Item de pugnâ commissâ cum Hungaris; & de bono consilio Henrici Regis & victoriâ: & vbi sit ipsa victoria depicta.* 34.

CAP. X. *De Ludouico quodam, quem Itali super se regnare inuitabant: & cur Adelbertus Marchio hoc fecerit, qui gener erat Berengarij. De Adelberti ex bono in malum mutatione. De eodem Ludouico in verba Berengarij iurante, & Adelberto eumdem instinctu vxoris ad rebellionem sollicitante: qui contra iusiurandum reuersus, Berengarium Veronâ expulit; & Lucam profectus, honorificè ab Adelberto illic suscipitur: cuius conspectâ potentiâ, inuidiæ stimulis agitatur; ob quam rem ab eius fide Adelbertus mox discessit.* 36.

CAP. XI. *Descriptio Veronensis oppidi, & Athesis fluuij, & pontis super eum. Vbi Ludouicus corruptis à Berengario ciuibus traditus, & Regno & lumine priuatur, Hungaris Italiam lantantibus.* 37.

CAP. XII. *De Maurorum Saracenorum irruptione in Calabriam, Apuliam, Beneuentum, qui Garelianum montem, quem alij Garganum scribunt, pro muni-*

munitione habebant : & quâ occasione ab Africâ exierint, Domino id permittente. 39.

CAP. XIII. *De Ioanne Rauennate, qui per nefas Summum Pontificatum inuaserat, per Theodoram videlicet meretriculam. Item de quodam iuuene Africano, qui ad Papam venit, eiq; consuluit, quomodo cum Africanis feliciter pugnare posset : quod eodem Duce factum est.* 40.

CAP. XIV. *De consilio Landulfi Beneuentanorum Principis Ioanni Papæ dato, vt Imperatorem in auxilium aduocaret : cuius auxilijs fretus, feliciter cum Saracenis pugnatum est, diuis Petro & Paulo opitulari visis.* 41.

CAP. XV. *De Adelberti Tusciæ Marchionis obitu, & filij eius VVidonis Præfecturâ, & matris eius à Berengario captione : & quot suspicati sint Bertam peperisse liberos Adelberto. De rebellione Mediolanensium, & causâ eius. De Comite Palatij capto, & Lanthberto non opportunè commendato; quem Berengarius frustrà requisiuit.* 42.

CAP. XVI. *De Rodulfo Burgundione ad Regnum ab Italis accito : & qualiter Hungari Odelricum Berengarij aduersarium occiderint, & Adelbertum ac Gilebertum ceperint; sed Adelbertus, æstu quodam pro gregario milite redemptus, elapsus sit.* 44.

CAP. XVII. *De Gileberto humaniter à Rege Berengario dimisso, sed perfidè ad Rodulfum profecto : quem in Berengarium sic reduxit, vt eum, præter Veronam, Regno spoliauerit; deq; pugnâ in Berengarium & Rodulfum.* ibid.

CAP. XVIII. *De victoriâ quam Rodulfus per Bonifacium cognatum suum obtinuit, & Rodulfi in Italiâ Regno : & de Flamberto Veronensi, qui Berengarium occidere tentauerat.* 45.

CAP. XIX. *De prudenti Berengarij Regis ad Flambertum sermone, & poculo aureo, quo eum, vt placaret, donauit.* 46.

CAP. XX. *De Berengarij cæde perfidiâ Flamberti peractâ, & sanguine eius adhuc in lapide apparente : & de Milone milite, qui Berengarij cædem vltus est.* 47.

LIBRI TERTII.

CAP. I. *Quomodo, defuncto Berengario, & Rodulfo ab Italiâ discedente, Hungari Italiam dilaniauerint : & de Papiæ conflagratione, quæ metro describitur : & quomodo Deo miserante capta & deleta non sit.* 50.

CAP. II. *Quòd Papia beati Syri eiusdem Patroni meritis sit liberata : & quòd idem beatus Syrus Papiam veniens, in spiritu prophetico eius affluentiam, & Aquileiæ casum denuntiarit. Et cur Ermegarda, post Adelberti mariti sui obitum, tam potens extiterit.* 51.

CAP. III. *Quòd Regi Rodulfo à Burgundiâ regresso Ermegarda paulò pòst rebellis extiterit, ita vt cum Italiensibus Papiam tenuerit : & quomodo Rodulfus illuc tetenderit. Et quomodo æstu Ermegardæ Rodulfus suos deserens, ad eam noctu transfuga venerit; & quomodo manè à suis quæsitus sit : & re cognitâ, Mediolanum milites eius fugerunt. Item quomodo Italienses Hugonem accesserunt.* 52.

CAP. IV. *Quomodo Rodulfus in Burgundiam reuersus, Burchardum socerum suum ad auxilium adduxerit : & quâ ratione idem Burchardus sit Mediolanum profectus, & ibidem honorificè susceptus; & de eius morte tractatum. Qui Mediolano rediens, Nouariam venit; vbi & ab Italiensibus cum omnibus suis occisus est. Et Rodulfus Burgundiam repetijt : Hugo verò Comes Prouinciæ Pisas appulsus est, vnde Papiam venit, & Rex Longobardorum fit;*

fit; VVido autem Bertæ filius Tusciæ præficitur. 53.

CAP. V. *De plurimis Regis Hugonis virtutibus luxuriâ fœdatis. De duobus filijs eius. De amicitiâ eius cum Henrico Imperatore. De patre Luitprandi huius Operis Auctoris ad Imperatorem Græcum ab Hugone misso. De duobus canibus Imperatori missis, qui cum dilaniare parabant. Et de patre, cur tam magnificè sit ab Imperatore susceptus.* 55.

CAP. VI. *De leone ferocissimo, quem Romanus, qui posteà imperauit, fortissimè peremit; & de socij eius pauore.* 56.

CAP. VII. *De ijs qui Leoni Imperatori successerunt, & Constantini morte, ac Romani per stratagema & æstum ad Imperium euectione.* 57.

CAP. VIII. *De Phocâ altero ex Principibus aulæ : qui, audito quòd Romanus esset ad Imperium euectus, victoriam Bulgaris sponte concessit, cum multâ suorum strage fugiens; quocirca ab Romano captus, oculis priuatur. De Simeone Bulgarorum Rege ex Monacho : cuius filius Baianus magicâ arte homines in lupos vertit. Item de Helenâ, seu Irenâ, quæ Constantino Imperatori nupsit.* 59.

CAP. IX. *De oratione Romani ad Principes Romanos, postquàm Imperator constitutus est. De humilitate prosapiæ Romani, qui Christophorum filium suum iniquè Constantino Imperatoris filio in Imperij aditione prætulit : quam iniuriam Deus morte Christophori vltus est. De Constantini Porphyrogeniti religione & exercitatione, paceq; cum Bulgaris per Irenam factâ.* 60.

CAP. X. *De VValberto & Gezone Papiensibus, qui seditionem contra Hugonem Regem concitauerunt; & de Hugonis concione.* 61.

CAP. XI. *De VValberti & Gezonis captorum supplicijs, prudentiâ Hugonis, & virtute Samsonis, & fabulâ Tiresiæ, cur cæci vitales sint; & de Hilduini & Ratherij Episcoporum ambitione.* 62.

CAP. XII. *Qualiter Ioannes Papa sit captus; custodiaq;, in quâ moriturus erat, traditus. Quâ munitione vrbs Romæ munitur : & quomodo Hugo per Albericum vrbe sit eiectus : quod Diuinæ dispositioni adscribendum censet, ob peccatum Hugonis Regis.* 64.

CAP. XIII. *Qualiter, & cur Hugo Rex Lambertum fratrem suum ceperit, & consilio Bosonis eum excæcauerit. Et quòd Rex Hugo iusurandum à Rodulfo Rege acceperit, & Henricum Regem sibi amicum muneribus effecerit. Et de Danorum subiectione.* 66.

CAP. XIV. *De Arnoldo Duce Baioariorum in Italiam irrumpente, & Hugone illi occurrente, & Baioariorum strage, & Arnoldi fugâ. De Veronâ Hugoni restitutâ; & de Ratherio capto, & opere quod ipse in carcere de se composuit.* 67.

LIBRI QVARTI.

CAP. I. *Pro Proœmio quarti Libri, dicit se deinceps quæ vidit scripturum : quomodo videlicet Hugo Lotharium filium suum Regem constituit, & Romam cum exercitu perrexit : vbi Aldam filiam suam Alberico per dolum despondet; voto tamen non potitur.* 69.

CAP. II. *De Saracenis, qui, Fraxineto relicto, Aquas venerunt : vbi commissâ pugnâ omnes perierunt. Et de prodigioso sanguinis fluxu apud Genuam; quæ eodem anno ab Afris capta est.* 70.

CAP. III. *De Manassis Arelatensis Episcopi cauillo, & friuolâ ratione, quâ se ad exemplum diui Petri Episcopatus Sedem mutasse dictitabat : & de argutâ Luitprandi in eum responsione.* ibid.

CAP. IV. *De Berengario, & eius vxore, & fratre Anſcario. Et de Theobaldo Marchione, qui Græcos à ſe in prælio captos caſtrauit. Et de muliere, quæ feſtiuo commento marito virilia ſeruauit.* 72.

CAP. V. *De Boſonis, qui conſilio vxoris perfidus extiterat, ab Hugone captiuitate, & vxoris eius VVillæ ab Italiâ eiectione. Et de balteo pretioſo impudenter à ſeruo in loco pudendo comperto.* 73.

CAP. VI. *De morte Rodulfi Regis Burgundionum; cuius vxorem Rex Hugo duxit, & filiam filio ſuo tradidit: & quomodo ob pellices vxoris vxorem ſuam deſpexerit.* 75.

CAP. VII. *De morte Henrici Regis, & vbi ſit ſepultus; & de prudentiâ eius, qui filium ſuum Othonem Regem conſtituit: qui Otho ante Regni ſuſceptionem ſororem Regis Anglorum duxerat.* 76.

CAP. VIII. *De Henrico peruerſorum conſilio Othoni rebellante, & exclamatione Auctoris in eum.* 77.

CAP. IX. *De Euerhardo, qui Henricum adhuc Regi Othoni fratri ſuo fidelem cepit, & in Franciam abduxit. Item, quâ ratione Euerhardus dictus Gilibertum à Regis fidelitate ſeiunxerit; & quomodo Gilibertus & Euerhardus Henricum carcere emiſerint.* 78.

CAP. X. *Quâ calliditate Euerhardus Henricum & Gilibertum in acquirendo Regno decipere voluerit; & quomodo id iactanter coniugi dixerit.* 79.

CAP. XI. *De admirabili victoriâ, quam rex Otho orando obtinuit: & de Henrico in brachio vulnerato in eo prælio.* ibid.

CAP. XII. *De lanceâ Dominicâ per Henricum inuentâ, & ad Othonem perlatâ.* 80.

CAP. XIII. *Probat auctoritate ſanctæ Scripturæ, victoriam Othonis non fuiſſe fortuitam, ſed Deo ita diſponente prouenisſe.* 81.

CAP. XIV. *De ijs qui in Alſatiâ Othonem Regem fraude Frederici Archiepiſcopi deſeruerunt: & de animoſo Othonis ad ſuos reſponſo.* 83.

CAP. XV. *De animoſo & prudenti reſponſo Othonis, quo confutauit impudentiam Comitis Abbatiam in præmium auxilij petentis.* 84.

CAP. XVI. *Quomodo, Deo pro Othone Rege pugnante, Gilibertus & Euerhardus apud Andernacum ſint occiſi.* 85.

CAP. XVII. *De nuntio qui Othoni cædem Giliberti & Euerhardi nuntiauit, cùm templum peteret; & de pietate eius.* 86.

CAP. XVIII. *Quomodo Otho Rex Bertholdo Baioariorum Duci amico ſuo res lætas denuntiauit, & nuptias ſororis aut filiæ eius obtulit: & de Friderici Epiſcopi inani contra Regem factione.* 87.

CAP. XIX. *De eiuſdem Friderici Archiepiſcopi captiuitate. Et de ſorore Henrici, prohibente ne in munitiones quaſdam contra Regem ſe recipiat. Et quomodo Henricus tandem ad miſericordiam Regis fratris ſui ſe ſubmiſerit.* 88.

LIBRI QVINTI.

CAP. I. *Qualiter Hermannus Sueuorum Dux Liuthulfo filio Regis Othonis Idam filiam ſuam coniugem obtulerit. Et de eclipſi ſolis ante victoriam Radamiri in Hiſpaniâ: & de apparitione cometæ. Item, qualiter Rex Hugo Romam vexauerit.* 89.

CAP. II. *De Berengario & Anſcario fratribus: quorum poſterior Marchio Camerinorum & Spoletinorum ab Hugone conſtituitur. Item de Sarlio, ſeu Harlio, quem Rex Hugo contra Anſcarium noua molientem miſerit: & de Anſcarij verbis. Item de bono conſilio VViberti, & malo Archodi Regi dato.* 90.

CAP. III. *De primâ pugnâ inter Sarlionem & Anſcarium: in quâ VVibertus letaliter vulneratus eſt, & Archodus fugit. Item de ſecundo prælio, in quo Anſcarius ſtrenuè pugnans Hattonem Comitem haſtâ occidit; ac poſtmodum de equo per dolum decidens, ab hoſtibus occiſus eſt.* 91.

CAP. IV. *De miſſis ab Hugone Conſtantinopolim ad Imperatorem pro nauibus & igne Græco contra Saracenos. Item de Berengarij fugâ, qui acceperat Regem Hugonem oculis ſuis inſidias parare, & ſe velle excæcare: & de vxoris eiuſdem fugâ. Item de imprecationibus Auctoris in montes qui illis peruij fuerunt. Item, qualiter Hermannus Dux Berengarium ſuſcepit, & Othoni Regi commendauit.* 92.

CAP. V. *De legatione Hugonis ad Othonem, vt Berengarium non ſuſcipiat: & de pecuniâ illi fruſtrà oblatâ. Item de legatione Romani Græcorum Imperatoris poſtulantis nepoti ſuo Hugonis filiam coniugem.* 94.

CAP. VI. *De Nordmannis Ruſsis: & de pugnâ nauali Romani cum Ingero Rege Ruſſorum ſeu Nordmannorum, quem mirabiliter vicit, injiciendo ignem.* 95.

CAP. VII. *Vt Hugo Rex Fraxinetum tendens, Græcos eò cum nauibus miſerit: qui, cùm Fraxinetum deſtruere potuerit, noluit, ſed cum Saracenis fœdus icit.* 96.

CAP. VIII. *De Amedeo Berengarij milite aſtuto, qui explorator in Italiam venit: & de Hungaris ab Hugone in Hiſpaniam ablegatis.* ibid.

CAP. IX. *De Bertâ, Hugonis ex concubinâ filiâ, Conſtantinopolim miſſâ nuptum Romano iuniori. De fortitudine palatij Conſtantinopolitani: & qualiter Stephanus & Conſtantinus filij Romani patrem ſuum è palatio & Imperio eiecerint.* 98.

CAP. X. *De eiſdem Stephano & Conſtantino, qui Conſtantinum Leonis filium conati ſunt ejicere: à quo & ipſi ſunt capti fraude Diabolini; atque in Monaſterium apud patrem, qui eos lepidè redarguit; miſſi.* 99.

CAP. XI. *De Romani in filios irriſione, & oratione ac prece, quam contra eos egit, gratias agens Deo, quòd impietatis pœnas darent: & quomodo filij eius cuſtodiæ addicti fuerint.* 100.

CAP. XII. *De aduentu Berengarij deſiderati in Italiam: & cur Manaſſes Arelatenſis eius partibus fauit. Et de Milone ac alijs, qui, deſerto Hugone, ad Berengarium transfugerunt; & Berengarij in Regnum reſtitutione.* 101.

CAP. XIII. *Quomodo Rex Hugo Lotharium filium ſuum Mediolanum miſit, ad concitandam miſerationem Italorum. De Berengarij aſtutiâ. De Ioſeph Brixiano Epiſcopo, & de VValdonis Epiſcopi iniquitate.* 102.

CAP. XIV. *Cur Berengarius Placentinum & Papienſem Epiſcopos dimiſerit: & cur Luitprandum, ſeu Luitbrandum, Auctorem huius Operis, parentes ſui Berengario commendarint, factuſq; ſit eiuſdem à Secretis. Item, quomodo Hugo deſperans de victoriâ, cum omni pecuniâ in Prouinciam aufugerit; & quomodo ad eum Raimundus Aquitanorum Princeps venerit, eidem militaturus. Et de Hugonis obitu.* 103.

CAP. XV. *De vxore Berengarij accuſatâ crimine inceſti; & quomodo ſit purgata. Item de pecuniâ, quam Berengarius cauſſâ Hungarorum pauperibus & Eccleſijs Dei extorſit.* 104.

LIBRI SEXTI.

CAP. I. *De Oratore à Conſtantino Imperatore ad Berengarium miſſo cum literis, quibus illi Lotharij cuſtodiam commendabat, Oratoremq; ab eo petebat:*

petebat: quem vt sine sumptu mitteret, Luitprandum impensis vitrici sui misit. 107.

CAP. II. *Quo tempore Luitprandus tamquam Orator Berengarij Constantinopolim venerit, Papiâ egressus: & de mirabili Imperatoris domo, quæ Magnaura, aut potiùs Megaula, aut Megaron dicta est; & susceptione nuntiorum; & miris ibidem ostensis in arbore & solio Imperatoris.* ibid.

CAP. III. *Quæ dona Luitprandus propriis impensis, licet nomine Berengarij, Imperatori Constantino obtulerit; & quæ ab Imperatore vicissim munera susceperit, & in domum imperatoriam, quæ decaennea cubita dicuntur, admissus, miranda dona ac poma viderit.* 108.

CAP. IV. *De mirabili spectaculo ligni in fronte portati, & puerorum super ipsum ludentium, & de familiari Imperatoris cum Luitprando super eâ re disquisitione.* 110.

CAP. V. *De erogatione numismatum & aliorum donorum pro veteri Imperatoris Græci more ante diem Palmarum in Magistratus & clientes Imperatorios.* ibid.

CAP. VI. *De Othone primo Imperatore, & Legatis ad eum missis; & qualiter Ecclesiam Romanam ac totam Italiam tyrannis liberauit, Imperijq; vnctionem & insignia cum iuramento Ioannis Papæ non diu in fide permansuri accepit. De Romanorum, de dicti Papæ sacrilegijs, incestis, stupris & alijs flagitijs, querimoniâ; & Papæ fictâ promissione de emendandâ vitâ, & acri Imperatoris in eum recriminatione, & eius, hoc est Papæ, obstinatione, qui Adelbertum recepit: de vtriusque eiectione, & de Synodo Romæ celebratâ.* 111.

CAP. VII. *Quæ acta sint in Concilio contra Ioannem Romanum Pontificem; in quem moderato animo & maturo consilio processit Otho: & quæ illi flagitia obiecta sint à congregatis in Concilio, enormia certè, & vix credibilia, etiam in sicario aut pagano.* 116.

CAP. VIII. *De Imperatoris Othonis maturâ in Ioannem Pontificem Maximum consultatione per interpretem factâ: & de Patrum contra eum attestatione, etiam cum sui anathematizatione, si minùs vera dicerent: deq; consilio inito, vt in personâ citetur ad sui purgationem.* 117.

CAP. IX. *Diploma, siue exemplum litterarum Imperatoriarum auctoritate Concilij ad Ioannem Papam missarum: quibus vitia à Concilio illi obiecta summatim recitantur; cum humili obsecratione, vt ad se purgandum in Concilium venire non recuset.* 118.

CAP. X. *De Ioannis Papæ apologetico, id est responso, vt Auctor accipit, cùm apologiam potiùs dicat, quo excommunicatos pronuntiat, si ad noui Pontificis electionem processerint. Et de rescripto Patrum in Concilio ad eumdem Papam; quod verbis sacris fulcitur.* ibid.

CAP. XI. *De Leonis Protoscriniarij in Summum Pontificem electione, & Ioannis depositi largitione, quâ Romanos in cædem Imperatoris & noui Papæ sollicitauit; sed, Imperatore vincente, frustrà conati sunt. Leonis tamen indulgentiâ obsidibus remissis, cùm Imperator abesset, meretricularum illecebris populus Romanus rursum Ioannem recipit, qui in Leonis asseclas mirè sæuit, donec à diabolo enectus est. Post quem Romani Benedictum Papam declarant; sed Leoni Sedes redditur, Benedicto exulante.* 120.

LEGATIO LVITPRANDI

CREMONENSIS EPISCOPI

AD

NICEPHORVM PHOCAM

IMP. CONSTANTINOPOLITANVM

PRO

OTTONIBVS AVGVSTIS

ET ADELHAIDA:

Ad illorum temporum vsum, & Græcorum cùm fastum, tum insolentiam plus quàm barbaricam intelligendam; iam pridem in lucem edita studio & operâ HENRICI CANISII Nouiomagi I.C. & SS. Canonum in Academiâ Ingolstadiensi Professoris ordinarij.

HENRICI CANISII AD LECTOREM PRÆFATIO.

LEGATIONEM *hanc Luitprandi Cremonenſis Epiſcopi deſcripſit ex codice manuſcripto Bibliothecæ primariæ ædis Trevirenſis, R.P. Chriſtophorus Brouuerus Societatis* IESV *Sacerdos, antiquitatis illuſtrandæ ſtudioſiſſimus, eamq; ad communem illum omnium eruditorum amicum Marcum Velſerum VIIuirum Auguſtanum miſit; inde huc perlata, nunc tandem poſt tot ſæcula ex tenebris in publicum exit. Quis Luitprandus hic fuerit, certò affirmare non auſim. Fuiſſe Ticinenſis Eccleſiæ Leuitam & Diaconum (cuius extant libri ſex rerum ab Europæ Imperatoribus & Regibus geſtarum) ſuadent cùm alia, tum idem prorſus dicendi genus. Deinde, quod opinionem hanc veriſimillimam reddit, Luitprandus noſter bis ſe Conſtantinopoli legationem obiiſſe aſſerit; primam, cùm adhuc Diaconus eſſet, auctoritate Berengarij, tempore Conſtantini Græcorum Imperatoris: poſteà alteram, mandato Ottonis Magni & filij eius, & uxoris Adelheidæ ad Nicephorum Phocam; qui mortuo Romano, filio prædicti Conſtantini, Imperium Conſtantinopolitanum inuaſerat. At Luitprandus Ticinenſis Diaconus & Hiſtoricus, ab eodem Berengario Italiæ tyranno potiùs quàm Rege, ſe Conſtantinopolim ad Conſtantinum Imperatorem Legati nomine miſſum teſtatur*

lib. VI. *Hist. cap.* 1. *& seq. Vbi fusè describit, quomodo à Constantino Constantinopoli exceptus fuerit, & quæ spectacula ibidem viderit. Vnde conijcere licet, vnum & eundem esse, hunc nostrum, & qui historiam conscripsit: cùm & Historicus sub Ottonibus claruerit; & temporis diuersitas non obstet. Et fortè si Luitprandi libri integri extarent, inueniremus non minùs posteriorem sub Ottone legationem, quàm illam priorem sub Berengario; nec dubitarem pro certo & explorato affirmare, nisi ipse Luitprandus scrupulum injiceret, qui cap.* VI. *lib.* VI. *mentionem facit Luitprandi Cremonensis Episcopi, eumq; ait, cum Landoardo Saxone, Episcopo Numedensi, ab Ottone Magno Romam missum esse ad Ioannem Pontificem: & in Concilio Romæ in causâ eiusdem Ioannis celebrato, cùm Otto Romam occupasset, fugato Joanne & Adelberto, inter Episcopos Italiæ, qui Concilio interfuerunt, numeratur Luitprandus Episcopus Cremonensis, qui & eiusdem Ottonis in eodem conuentu interpres fuit: nam quæ Otto Saxonicâ linguâ loquebatur, hæc Luitprandus Cremonensis Episcopus Latinè reddebat ceteris Episcopis. Adeò, vt vix credibile videatur, Luitprandum Historicum de se, quasi de alio locuturum fuisse, si ipsemet fuisset: cùm longè minutiora de se, rebusq; à se gestis, absque ambagibus commemorare soleat.*

LEGATIO LVITPRANDI AD NIÇEPHORVM PHOCAM.

OTTONES Romanorum inuictissimos Imperatores Augustos, glorioſissimamque Adelheidem Imperatricem Augustam, Luitprandus sanctæ Cremonensis Ecclesiæ Episcopus semper valere, prosperari, triumphare, anhelat, desiderat, optat.

Quid causſæ fuerit, quòd priùs litteras siue nuntium meum non susceperitis, ratio subsequens declarabit. Pridie Nonas Iunij Constantinopolim venimus, & ad contumeliam vestram turpiter susceptì, grauiterque turpiterque sumus tractati; palatio quidem satis magno & aperto, quod nec frigus arceret, sicut nec calorem repelleret, inclusi sumus: armati milites appositi sunt custodes, qui meis omnibus *exitium, ceteris prohibierent ingressum. Domus ipsa solis nobis inclusis peruia, à palatio adeò sequestrata, vt eò nobis non equitantibus, sed ambulantibus anhelitus truncaretur. Accessit ad calamitatem nostram, quòd Græcorum vinum, ob picis, tædæ, gypsi commixtionem nobis impotabile fuit. Domus ipsa erat inaquosa, nec sitim saltem aquâ extinguere quiuimus, quam datâ pecuniâ emeremus. Huic magno væ, væ aliud appositum est, homo, * Sciliorum custos, qui quotidianos sumptus præberet; cui simi- lem si requiras, non terra, sed infernus forsan dabit: is enim quidquid calamitatis, quidquid rapinæ, quidquid dispendij, quidquid luctus, quidquid miseriæ excogitare potuit, quasi torrens inundans, in nos effudit. Nec in centum viginti diebus vna saltem præteriit, quæ non gemitus nobis præberet & luctus.

*f. exitum

* *al.* Siciliorum

Pridie Nonas Iunij, vt superiùs scripsimus, Constantinopolim ante portam * Caream venimus, & vsque ad vndecimam horam cum equis, non modicâ pluuiâ, expectauimus. Vndecimâ verò horâ non ratus Nicephorus nos dignos esse, tam ornatos vestrâ misericordiâ equitare, venire iussit, & vsque in præfatam domum marmoream, inuisam, inaquosam, patulam sumus deducti: O-

f. Aucream

*f. Idus
* Curopalatæ
Corrip. libro 2. Factus mox cura palatî. & libro 1. Vocitatus cura palatî.

ctauo autem, id * est, Sabbato primo dierum Pentecostes, ante fratris eius Leonis *Coroplati & Logothetæ præsentiam sum deductus, vbi de Imperiali vestro nomine magnâ sumus contentione fatigati. Ipse enim vos, non *Imperatorem*, id est, βασιλέα, suâ linguâ; sed ob indignationem ῥῆγα, id est *Regem*, nostrâ, vocabat. Cui cùm dicerem, quod significatur idem esse, quamuis quod significat diuersum; me, ait, non pacis, sed contentionis caussâ veniss̃e. sicque iratus surgens, vestras litteras, verè indignans, non per se, sed per interpretem suscepit, homo ipse ad personam satis procerus, falsò humilis: cui si innisus homo fuerit, manum eius perforabit.

* Idus

Septimo autem, id * est, ipso videlicet sancto die Pentecostes, in domo, quæ dicitur Στεφάνα, id est, *Coronaria*, ante Nicephorum sum deductus, hominem satis monstruosum, pygmæum, capite pinguem, atque oculorum paruitate talpinum, barbâ curtâ, latâ, spissâ & semicanâ fœdatum, ceruice digitali turpatum, prolixitate & densitate comarum satis * Iopam, colore Æthiopem, cui per mediam nolis occurrere noctem: ventre extensum, natibus siccum, coxis ad mensuram ipsam breuem longissimum, cruribus paruum, calcaneis pedibusque æqualem, * villino, sed nimis veternoso, vel diuturnitate ipsâ fœtido & pallido ornamento indutum, Sicyoniis calceamentis calceatum, linguâ procacem, ingenio vulpem, periurio seu mendacio Vlyssem. Semper mihi domini mei Imperatores Augusti, formosi, quantò hinc formosiores visi estis? Semper ornati, quantò hinc ornatiores? Semper potentes, quantò hinc potentiores? Semper mites, quantò hinc mitiores? Semper virtutibus pleni, quantò hinc pleniores? Sedebant ad siniſtram, non in eâdem lineâ, sed longè deorsum duo paruuli Imperatores, eius quondam domini, nunc subiecti, cuius narrationis initium hoc fuit:

* *al.* hirtum
* *al.* byssino
Basilius & Constantinus Romani Imperatores Constantinopolitani filij.

Debueramus, imò volueramus te benignè magnificeque suscipere, sed domini tui impietas non permittit, qui tam inimicâ inuasione Romam sibi vendicauit, Berengario & Adelberto contra ius fasque vitam abstulit, Romanorum alios gladio, alios suspendio interemit, oculis alios priuauit, exilio alios relegauit, & Imperij nostri insuper ciuitates homicidio aut incendio sibi subdere tentauit: & quia affectus eius prauus effectum habere non potuit, nunc te malitiæ huius suggestorem atque impulsorem, simulatâ pace, quasi * ἄσκοπον, id est, exploratorem, ad nos direxit.

* *f.* κατάσκοπον

Cui inquam ego: Romanam ciuitatem dominus meus non vi aut tyrannicè inuasit, sed à tyranni, imò tyrannorum iugo liberauit. Nónne effeminati dominabantur eius? & quod grauius, siue turpius, nónne meretrices? Dormiebat, vt puto, tunc potestas

tua, imò decessorum tuorum, qui nomine solo, non autem re ipsâ Imperatores Romanorum vocantur.

Si potentes, si Imperatores Romanorum erant, cur Romam in meretricum potestate sinebant? Nónne sanctissimorum Paparum alij sunt relegati, alij à te afflicti, vt neque quotidianos sumptus, nec eleëmosynam habere quirent? Nónne Adelbertus contumelioſas litteras Romano & Constantino, decessoribus tuis Imperatoribus, misit? Nónne sanctissimorum Apostolorum Ecclesias rapinis expoliauit? Quis ex vobis Imperatoribus, zelo Dei ductus, tam indignum facinus vendicare, & sanctam Ecclesiam in statum proprium reformare curauit? Neglexistis vos, non neglexit dominus meus; qui à finibus terræ surgens, Romamque veniens, impios abstulit, & sanctorum Apostolorum Vicariis potestatem & honorem omnem contradidit. Postmodum verò insurgentes contra se & dominum Apostolicum, quasi iurisiurandi violatores, sacrilegos, dominorum suorum Apostolicorum tortores, raptores, secundùm decreta Imperatorum Romanorum Iustiniani, Valentiniani, Theodosij, & ceterorum, cecîdit, iugulauit, suspendit, & exilio relegauit: quæ si non faceret, impius, iniustus, crudelis, tyrannus esset. Palàm est, quòd Berengarius & Adelbertus sui milites effecti, Regnum Italicum sceptro aureo ex eius manu susceperunt, & præsentibus seruis tuis, qui nunc vsque supersunt, & hac in ciuitate degunt, iureiurando fidem promiserunt. Et quia, suggerente diabolo, hanc perfidè violarunt, iustè illos quasi desertores, sibique rebelles, Regno priuauit: quòd ita subditis tibi & postmodum rebellibus faceres.

Sed non, ait, Adelberti hoc profitetur miles. Cui inquam: Si secùs dixerit, meorum aliquis militum, si iubes, cras ita rem esse duello declarabit.

Esto, inquit, fecerit hæc, vt ais, iustè. Nunc cur Imperij nostri * terminos bello incendioque aggressus sit, expedi. Amici eramus, societatemque indissolubilem, nuptiis interpositis, facere cogitabamus.

* *al.* terram

Terram, inquam, quam Imperij tui esse narras, gens, incola, & lingua, Italici Regni esse declarat. Tenueruntque illam potestatiuè Langobardi; quam & Ludouicus Langobardorum seu Francorum Imperator, de manu Saracenorum, multitudine prostratâ, liberauit. Sed & Landulphus Beneuentanorum & Capuanorum Princeps septennio potestatiuè eam sibi subiugauit. Nec à seruitutis eius seu successorum suorum iugo vsque ad præsens exiret, si non, immensâ datâ pecuniâ, Romanus Imperator nostri Regis Hugonis amicitiam emeret. Et hæc caussa fuit, quòd nepoti suo, & æquiuoco Regis nostri, eiusdem Hugonis spuriam coniugio copulauit.

Et vt conſidero, domino meo non gratiam, ſed impotentiam adſcribis, quòd poſt Italiæ ſeu Romæ acquiſitionem, tot annis eam tibi dimiſerit. Societatem verò amicitiæ, quam te parentelâ voluiſſe facere dicis, fraudem nos dolumque tenemus: *pauſanas exigis, quas nec te exigere, neque nos concedere ratio ipſa compellit. Verùm vt fallacia exſculpatur, veritas non reticeatur, miſit me dominus meus ad te, vt, ſi filiam Romani Imperatoris & *Theophanæ Imperatricis, domino meo, filio ſuo Ottoni Imperatori Auguſto, in coniugium tradere volueris, iuramento mihi affirmes, & ego pro gratiarum recompenſatione, hæc & hæc dominum meum tibi facturum, & obſeruaturum, iureiurando affirmabo. *Sed & *optimam amicitiæ arabonam fraternitati tuæ nunc dominus meus contulit, cùm Apuliam omnem poteſtati ſubditam, meo interuentu, cuius hoc ſuggeſtione malum factum eſſe dicis. Cuius rei tot ſunt teſtes, quot ſunt totius Apuliæ habitatores.

*al. inducias

Filia hæc fuit Anna. Vide Cedren.

**Aly vocant Theophaniam.*

**Hic deeſt aliquid.*

**al.* optimum arrhabonem

Secunda, inquit Nicephorus, hora iam tranſiit: θεοφάνειος, id eſt, proceſſio nobis eſt celebranda. Quod nunc inſtat, agamus. Contra hæc, cùm opportunum fuerit, reſpondebimus.

Non pigeat me θεοφάνειον ipſam deſcribere, & dominos meos audire. Negotiatorum multitudo copioſa ignobiliumque perſonarum, eâ ſolemnitate, collecta, ad ſuſceptionem & laudem Nicephori, à palatio vſque ad ſanctam Sophiam, quaſi pro muris, viæ margines tenuit, clypeolis tenuibus ſatis & ſpiculis vilibus dedecorata. Acceſſit & ad dedecoris huius augmentum, quòd vulgi ipſius potior pars, ad laudem ipſius, nudis proceſſerat pedibus. Credo ſic eos putaſſe, ſanctam ipſam potiùs exornare θεοφάνειον. Sed & optimates ſui, qui cum ipſo per plebeiam & diſcalceatam multitudinem ipſam tranſierunt, magnis & nimiâ vetuſtate rimatis tunicis erant induti. Satis decentiùs quotidianâ veſte induti procederent. Nullus eſt cuius atauus hanc nouam haberet. Nemo ibi auro, nemo gemmis ornatus erat, niſi ipſe ſolus Nicephorus, quem Imperialia ornamenta ad maiorum perſonas ſumpta & compoſita, fœdiorem reddiderant. Per ſalutem veſtram, quæ mihi meâ charior extat, vna veſtrorum pretioſa veſtis procerum, centum horum & eò ampliùs pretioſior eſt. Ductus ergo ad θεοφάνειον ipſam, in eminentiori loco, iuxta pſaltas, id eſt cantores, ſum conſtitutus.

**Codinus Curopal. lib. De offi. aulæ Conſtantinop.* Ἅμα οὖν τῷ τὸν βασιλέα φανῆναι, ὁι ψάλται αὐτίκα ψάλλουσι τὸ πολυχρόνιον: Simul atque apparet Imperator, cantores ſtatim canunt, Ad multos annos.

Cumque quaſi reptans monſtrum illud procederet, clamabant adulatores pſaltæ: Ecce venit ſtella matutina, ſurgit Eous, reuerberat obtutu ſolis radios: pallida Saracenorum mors, Nicephorus μέδλων, id eſt, Princeps. Vnde & cantabatur: Μέδλωνι, id eſt Principi Nicephoro, *πολλὰ ἔτη, id eſt, plures anni ſint. Gentes hunc adorate, hunc colite, huic tanto colla ſubdite. Quantò tunc veriùs canerent: Carbo exſtincte veni, μέλαν, anus inceſſu, Siluanus vultu, ruſti-

ruſtice, luſtriuage, capripes, cornute, bimembris, ſetiger, indocilis, agreſtis, barbare, dure, villoſe, rebellis, Cappadox. Igitur falſidicis illis inflatus næniis ſanctam Sophiam ingreditur, dominis ſuis Imperatoribus ſe à longè ſequentibus, & in pacis oſculo ad terram vſque adorantibus. Armiger huius ſagittâ calamo immiſsâ *Æram in Eccleſiâ ponit, quæ proſequitur, quo nimirum tempore imperare cœperit, & ſic Æram, qui id non viderunt, intelligunt.

Quod Curopalata vocat πολυχρονίζειν, & ipſam actionem ſeu cantionem multos annos precandi, πολυχρόνια.

**al.* Aram

Hac eâdem die conuiuam me ſibi eſſe iuſſit. Non ratus autem me dignum eſſe cuipiam ſuorum præponi Procerum, quintuſdecimus ab eo abſque gauſape ſedi; meorum nemo comitum non dico ſolùm menſæ non aſſedit, ſed neque domum, in quâ conuiua eram, vidit. Quâ in cœnâ temporis ſatis, & obſcœnâ, ebriorum more, oleo delibutâ, alioque quodam deterrimo piſcium liquore aſperſâ, multa ſuper potentiâ veſtrâ, multa ſuper Regnis & militibus me rogauit. Cui cùm conſequenter & verè reſponderem: Mentiris, ait: domini tui milites equitandi ignari, pedeſtris pugnæ ſunt inſcij, ſcutorum magnitudo, loricarum grauitudo, enſium longitudo, galearumque pondus neutrâ parte eos pugnare ſinit; ac ſubridens, Impedit, inquit, eos & gaſtrimargia, hoc eſt, ventris ingluuies. quorum Deus venter eſt; quorum audacia, crapula; fortitudo, ebrietas; ieiunium, diſſolutio; pauor, ſobrietas. Nec eſt in mari domino tuo claſſium numerus. Nauigantium fortitudo mihi ſoli ineſt, qui eum claſſibus aggrediar, bello maritimas eius ciuitates demoliar; & quæ fluminibus ſunt vicina, redigam in fauillam. Quis, cedo, mihi etiam in terrâ copiarum paucitate reſiſtere poterit? filius non affuit: vxor non defuit; Saxones, Sueui, Baioarij, Italici omnes cum eo affuerunt: & cùm ciuitatulam vnam ſibi reſiſtentem capere neſcirent, imò nequirent, quomodo mihi reſiſtent venienti? quem tot copiæ proſequentur, Gargara quot ſegetes, quot habet Methymna racemos, quot cælum ſtellas, quot mare in flatibus vndas.

**Ex Nicetâ Choniate, Curopalatâ & aliis notum eſt, Græcos nomen Romanorum ſibi proprium fecisse. Hinc factum, vt Græcorum hoſtilibus nomen Romanorum tam hoſtile fuerit: quippe cùm Græci ſe ſolos Romanos, reliquos verò Latinos vocarent.*

Cui cùm reſpondere, & Apologeticum dignum inflatione hac euomere vellem, non permiſit; ſed adiecit quaſi ad contumeliam: *Vos non Romani, ſed Langobardi eſtis. Cui adhuc dicere volenti, & manu, vt tacerem innuenti, commotus inquam: Romulum fratricidam, ex quo & Romani dicti ſunt, porniogenitum, hoc eſt, ex adulterio natum chronographiâ innotuit; aſylumque ſibi feciſſe, in quo alieni æris debitores, fugitiuos, ſeruos, homicidas, ac pro reatibus ſuis morte dignos ſuſcepit, multitudinemque quamdam talium ſibi adſciuit, quos Romanos appellauit: ex quâ nobilitate propagati ſunt ipſi, quos vos Koſmocratores, id eſt, Imperatores appellatis: quos nos, Longobardi ſcilicet,

Saxones, Franci, Lotharingi, Baioarij, Sueui, Burgundiones tanto dedignamur, vt inimicos noſtros commoti, nil aliud contumelia rum, niſi, Romane, dicamus; hoc ſolo, id eſt, Romanorum nomine, quidquid ignobilitatis, quidquid timiditatis, quidquid auaritiæ, quidquid luxuriæ, quidquid mendacij; immò quidquid vitiorum eſt, comprehendentes.

Imbelles verò nos & equitandi inſcios quia dicis, ſi Chriſtianorum peccata promerentur, vt in hac auſteritate perdures, quales vos eſtis, quámve pugnaces nos ſimus, bella proxima demonſtrabunt.

Talibus Nicephorus exacerbatus dictis, manu ſilentium indixit, menſamque ſine latitudine longam auferri, meque in inuiſam domum, ſeu, vt veriùs fatear, carcerem reuerti præcepit. Vbi poſt biduum cùm indignatione, tum æſtu & ſiti, magno ſum languore affectus. Sed & aſſeclarum meorum nemo extitit, qui non eodem ebriatus poculo, diem ſibi vltimum imminere formidaret. Cur quæſo non ægrotarent, quibus erat potus pro optimo vino ſalſugo; pro culcitrâ, non fœnum, non ſtramen, non ſaltem terra, ſed durum marmor, pro ceruicali lapis? quibus patula domus non calorem, non imbrem, non frigus arcebat. Ipſa ſi vellet Salus his circumfuſa, vt vulgò loquimur, eos ſaluare non poſſet. Proprio ergo atque meorum debilitatus angore, conuocato ad me cuſtode, imò perſecutore meo, non precibus ſolùm, ſed pretio obtinui, vt epiſtolam meam hunc modum continentem Nicephori fratri deferret:

Logothetæ δρόμε Ioannes Zimiſca fuit Nicephori ſucceſſor. de quo Zonaras: Τῆς σεφτωπῆς ἀρχῆς παύσας αὐτὸν (*Nicephorus*) εἰς πολετικὴν μετατίθησι λογοθέτην τῦ δρόμε. * Παρακοιμώμενον, *id eſt* Cubicularius.

Leoni Coroplati, & Logothetæ τῦ δρόμε Luitprandus Epiſcopus. Si Imperator ſereniſſimus petitionem, ob quam veni, perficere cogitat, non fatigant me, quas hîc ſuſtineo, paſſiones: litteris ſolummodò meis & nuntio, vt inſtruatur dominus meus, me hîc moram ab re non facere. Quòd ſi ſecùs res ſeſe habet, nauis & hîc Venetiorum, onerariaque proficiſci feſtinat, hanc me ægrotum ingredi ſinat, vt ſi diſſolutionis meæ tempus aduenerit, cadauer meum genitale ſaltem ſolum ſuſcipiat. Quas cùm legiſſet, ſe poſt quatriduum me iuſſit adire. Sederunt cum eo ad diſceptationem veſtram, ſecundùm eorum traditionem, ſapientiſſimi viri, Attico pollentes eloquio, Baſilius * Parakimomenos, Proto à ſecretis, Protoueſtiarius, & duo Magiſtri, quorum hoc fuit narrationis initium:

Quid cauſſæ ſit, quare te huc fatigaſti, frater, ediſſere. Quibus cùm parentelæ gratiâ, quæ eſſet occaſio infinitæ pacis, edicerem; inquiunt: Inaudita res eſt, vt Porphyrogeniti Porphyrogenita, hoc eſt, in purpurâ nati filia, in purpurâ nata, gentibus miſceatur. Verùm quia tam excellentem rem petitis, ſi datis quod decet, accipietis quod libet; Rauennam ſcilicet & Romam cum his omnibus continuatis, quæ ab his ſunt vſque ad nos. Si verò amicitiam abſque parentelâ deſideratis, Romam liberam eſſe dominus tuus permittat:

mittat: Principes autem, Capuanum ſcilicet & Beneuentanum, ſancti noſtri Imperij olim ſeruos, nunc rebelles, ſeruituti priſtinæ tradat.

Quibus, dominum meum, inquam, potentiores habere Schlauos Petro Bulgarorum Rege, qui Chriſtophori Imperatoris filiam in coniugium duxit, etiam ipſi non ignoratis. Sed Chriſtophorus, aiunt, non Porphyrogenitus fuit.

Roma verò, inquam, quam vos liberam eſſe velle perſtrepitis, cui ſeruit? cui tributa perſoluit? Nónne priùs meretricibus ſeruiebat? & vobis dormientibus, imò non valentibus, dominus meus Imperator Auguſtus à tam turpi ſeruitute liberauit? Conſtantinus Imperator Auguſtus, qui hanc ex ſuo nomine condidit ciuitatem, ſanctæ Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, vt erat Koſmocrator, multa donaria contulit, non in Italiâ ſolùm, ſed in omnibus pænè Occidentalibus Regnis, necnon de Orientalibus atque Meridianis, Græciâ ſcilicet, Iudæâ, Perſide, Meſopotamiâ, Babyloniâ; Ægypto, Libyâ, vt ipſius teſtantur priuilegia, quæ penes nos ſunt. Sanè quidquid in Italiâ, ſed in Saxoniâ, Baioariâ, omnibus domini mei Regnis eſt, quod ad Apoſtolorum beatorum Eccleſiam reſpicit, ſanctiſſimorum Apoſtolorum Vicario contulit. Et ſi eſt, vt dominus meus ex his omnibus ciuitates, villas, milites aut familiam obtineat, Deum negaui. Cur Imperator verò non itidem facit, vt ea, quæ ſuis inſunt Regnis, Apoſtolorum Eccleſiæ reddat, & per laborem atque munificentiam domini mei ditem & liberam, ditiorem ipſe ac liberiorem reddat?

Sed hoc, ait Baſilius Parakimomenos, faciet, cùm ad nutum ſuum Roma & Romana Eccleſia ordinabitur. Tum, homo, inquam, quidam, multam ab alio paſſus iniuriam, his Deum aggreſſus eſt verbis: Domine, vindica me de aduerſario meo. Cui Dominus, Faciam, inquit, in die cùm reddam vnicuique ſecundùm opera ſua. At ille, Quàm tardè, infit.

Tunc omnes, præter fratrem, cachinno commoti, diſceptationem dimiſerunt, meque in inuiſam domum reduci præceperunt, magnâque cuſtodiri cautelâ vſque in ſanctorum Apoſtolorum religioſis cunctis celebrem diem. Quâ celebritate me ſatis ægrotum, necnon & Bulgarorum nuntios, qui pridie venerant, ad ſanctos Apoſtolos ſibi obuiare præcepit. Cumque poſt næniarum garrulitatem, & Miſſarum celebrationem, ad menſam inuitaremur; in citeriori menſæ margine, quæ erat ſine latitudine longa, Bulgarorum nuntium, Vngarico more tonſum, æneâ catenâ cinctum, & vt mens mihi ſuggerit, catechumenum, mihi præponit; ad veſtram planè, domini mei Auguſti, contumeliam. In vobis contemptus, in vobis ſpretus, in vobis abiectus. Sed gratias ago Domino IESV

Christo, cui vos seruitis omni spiritu vestro, quòd habitus sum pro nomine vestro dignus contumelias pati. Verùm, domini mei, meam non considerans, sed vestram iniuriam, mensam reliqui. Cumque indignans abire vellem, Leo Coroplates, Imperatoris frater, & Proto à secretis Simeon, ponè me sequuntur, hæc latrantes: Cùm Christophori filiam Petrus Bulgarorum Vasileus coniugem duceret, symphona, id est, consonantia scripto iuramento firmata sunt, vt omnium gentium apostolis, id est nuntijs, penes nos Bulgarorum apostoli præponantur, honorentur, diligantur. Bulgarorum ille apostolus, quamquam, vt dicis, & verum est, tonsus, illotus, & catenâ æneâ cinctus sit: Patricius tamen est, cui Episcopum præponere, Francorum præsertim, nefas decernimus, iudicamus. Et quoniam te id indignè ferre cognoscimus, non te nunc, vt putas, ad hospitium redire sinimus, sed in diuersorio quodam cum Imperatoris seruis cibum gustare compellimus.

Quibus ob incomparabilem cordis dolorem nil respondi, sed quæ iusserant, feci; * indignum iudicans mensam, quâ non dico mihi, id est, Luitprando Episcopo, sed Bulgarorum nuntius vestro præponitur nuntio. Sed leniuit dolorem meum Imperator sanctus munere magno, mittens mihi ex delicatissimis cibis suis, hœdum pinguem, ex quo ipse comederat, allio, cepe, porris lautè suffarcinatum, garo delibutum; quem vestræ tunc mensæ inesse optaui, vt qui delicias sancti Imperatoris faustas esse non creditis, saltem his perspectis credaretis.

* indignam iudicans caussam

Transactis ergo octo diebus, cùm Bulgari iam abessent, putans me mensam magnificare suam, in eodem loco me satis ægrotum secum conuiuare coëgit. Affuit cum pluribus Episcopis & Patriarcha: quibus præsentibus, plures mihi quæstiones de Scripturis sacris proposuit, quas cùm Spiritu sancto afflante eleganter exposui, nouissimè autem, vt de vobis ludum haberet, quas Synodos haberemus, rogauit. Cui cùm Nicænam, Chalcedonensem, Ephesinam, Antiochenam, Carthaginensem, Ancyranam, Constantinopolitanam edicerem; Ha ha he, ait, Saxonicam dicere es oblitus: quam si rogas, cur nostri codices non habent, rudem esse, & ad nos necdum venire posse respondeo.

Patriarcha hic fuit Polyeuctus.

Cui inquam: In quo membro regnat infirmitas, illud est cauterio exurendum: hæreses omnes à vobis emanarunt, penes vos viguerunt: à nobis, id est, Occidentalibus hîc sunt iugulatæ, hîc sunt occisæ. Romanam siue Papiensem Synodum, quamquam essent sæpè, his non connumeramus. Romanus enim Clericus, postmodum vniuersalis Papa, Gregorius, quia à vobis appellatus est Dialogus, Eutychium Constantinopolitanum Patriarcham hæreticum ab eiusmodi hæresi liberauit. Aiebat idem Eutychius, nec solùm

lùm aiebat, sed etiam docebat, clamabat, scriptitabat, nos in resurrectione non veram, quam hîc habemus, sed phantasticam quamdam carnem assumpturos: cuius erroris liber à Gregorio orthodoxè est combustus. Sed Euodius Papiensis Episcopus, propter aliam quamdam hæresim huc, id est, Constantinopolim, à Romano est Patriarchâ directus; quam compressam, in Catholicam atque orthodoxam reformauit. Saxonum genus, ex quo sanctum lauacrum & Dei accepit notitiam, nullâ est hæresi maculatum, vt ibi Synodus fieret, quâ errorem, cùm nullus esset, corrigeret. Rudem quia dicis Saxonibus esse Fidem, idipsum & ego affirmo: semper enim apud eos Christi Fides rudis est, & non vetus, vbi Fidem opera sequuntur. Hîc Fides non rudis, sed vetus est, vbi Fidem opera non comitantur, sed quasi præ vetustate, vt vestis contempta, contemnitur. Sed hanc Synodum factam esse in Saxoniâ certò scio, in quâ tractatum est & firmatum, decentius ensibus pugnare, quàm calamis; & priùs mortem obire, quàm hostibus terga dare: quod vel tuus exercitus experitur; in corde meo dixi, & quàm sint pugnaces re ipsâ experiatur.

Verùm hac eâdem die post meridiem, adeò impotentem & transfiguratum me reuertenti ad palatium sibi præcepit occurrere, vt obuiantes mihi, quæ priùs in stuporem mentis mulieres versæ, * Mana, mana, clamabant; miseriam meam pugnis pectora tunsæ dicerent, παπεψὲ ὦ παλαιπωρε. Cui, Nicephoro scilicet venienti, & vobis absentibus, quid tunc manibus in cælum erectis optauerim, proueniat vtinam. Sed mihi velim credatis, ad risum me non parum illexit. Impatienti enim atque effræni insidens equo, satis paruus, satis magno, puppam ipsum mens sibi depinxit mea, quam Schlaui vestri equino colligantes pullo matrem præcedentem sequi effrænatè dimittunt.

* *Id est,* Mater, mater,

His expletis ad conciues & cohabitatores meos, quinque leones, in prænominatam inuisam domum sum deductus; vbi post hebdomadarum spatium trium, nullius nisi meorum sum colloquio visitatus. Quâ ex re Nicephorum numquam me velle dimittere mens sibi depinxit mea, ac tristitia immodica languorem languori adeò superimposuit, vt vitâ excederem, nisi mihi hanc Dei Genitrix à Creatore & Filio suo precibus obtineret; quemadmodum non phantasticâ, sed verâ est mihi visione monstratum.

His ergo tribus hebdomadibus habuit Nicephorus extra Constantinopolim metastasin, id est, stationem, in loco qui dicitur ἐις πηγὰς, id est, Ad fontes, eôdemque me venire præcepit. Et cùm tamen languidus essem, vt non solùm statio, sed ipsa etiam sessio grauis mihi moræ videretur, discooperto capite, quod malæ valetudini meæ nimis contrarium erat, ante se me stare coëgit; cui & ait:

ait: Domini tui Regis Ottonis nuntij, qui præterito te præcesserunt anno, iuramento mihi promiserunt, & iurisiurandi litteræ inpræsentiarum sunt, numquam illum in aliquo nostrum scandalizare Imperium. Vis maius scandalum, quàm quòd se Imperatorem vocat, Imperij nostri themata sibi vsurpat? Vtraque non sunt ferenda; etsi vtraque importabilia, istud est non ferendum, imò nec audiendum, quòd se Imperatorem nominat. Sed si confirmas eadem, quæ ipsi fecerunt, fortunatum te atque locupletem Imperij nostri maiestas citò dimittet. Id autem eò non dixit, vt vos, si mea hoc stultitia faceret,* conseruatos sperarem, sed voluit habere præ manibus, quod in laudem suam & contumeliam nostram ostenderet futuris temporibus.

*f. seruatutos speraret

Cui inquam: Nuper sanctissimus dominus meus, vt est sapientissimus & spiritu Dei plenus, hæc prænoscens, quæ asseris, ne terminos quos constituit mihi, transscenderem, ἐντέλλω, id est, præceptum, conscripsit, quod & sigillo signauit suo, ne secùs facerem. Scis domine mi Auguste, quâ id fiduciâ dixerim? ἐντέλλω istud in medium proferatur, & quidquid iusserit, iuramento à me tibi firmetur. Sed præteriti nuntij præter iussionem domini mei promiserunt, iurauerunt, conscripserunt, ita est, vt Plato ait: Caussa penes optantem, Deus extra culpam.

His expletis ventum est ad nobilissimos Principes, Capuanum & Beneuentanum, quos ipse seruos nominat, & ob quos intestinus ipsum agitat dolor. Seruos, inquit, meos dominus tuus in tutelam recipit suam; quos si non dimiserit, & in pristinam seruitutem redegerit, nostrâ amicitiâ carebit; ipsi in Imperium nostrum, vt recipiantur, flagitant; sed recusat eos nostrum Imperium, vt cognoscant & experiantur, quàm periculosum sit, seruos à dominis declinasse, seruitutem effugere. Et est decentius domino tuo, vt mihi eos tradat amicus, quàm mihi dimittat inuitus. Experientur planè, vitâ comite, quid sit herum fallere, quid sit seruitutem deserere; &, vt puto, sentiunt nunc, quod dico, operantibus hoc nostris, qui sunt vltra mare, militibus.

Fuit is Bardas, quem Nicephorus Imperium adeptus, Cæsarem salutauit.

Quibus respondere me non permisit, sed abire cupientem, ad mensam suam redire præcepit. Cui pater assedit, homo, vt mihi videbatur, natus centum quinquaginta annis. Cui itidem, vt filio, Græci in laudibus, imò inuentis suis, Deus annos vt multiplicet, conclamant. Quâ in re, quàm sint Græci stulti, quámve huius gloriæ amatores, quámve adulatores, quàm cupidi, hinc colligere possumus: optant soli non sola, sed silicernio, quod naturam ipsam non pati certò sciunt. gaudet & silicernium ea sibi optari, quæ nec Deum facere, nec *tibi prodesse, sed obesse, etiamsi faceret, nouit. Quod quæso Nicephorum gaudere pacis . . . . . illum

*f. sibi

& phosphorum clamabant. Impotentem, virilem; stultum, sapientem; breuem, magnum; nigrum, album; peccatorem, sanctum dicere, mihi credite, non laus, sed contumelia est. Et qui aliena magis gaudet sibi acclamari, quàm propria, auibus omnino est similis, quarum intuitum nox illuminat, dies cæcat.

Sed redeamus ad rem. Hac in cœnâ, quod priùs non fecerat, *voce Latinâ beati Ioannis Chrysostomi homiliam in Apostolorum Actibus legere iussit. Post cuius lectionis terminum, cùm ad vos redeundi licentiam quærerem, capite se ita facturum innuens, recipi me ad conciues & cohabitatores meos leones, persecutori meo indixit. Quod cùm fieret, non sum ab eo visus vsque in tertiumdecimum Kalend. Augusti; sed diligenter custoditus, ne cuiuspiam fruerer sermone, qui suos mihi actus indicaret. Interea Grimizonem Adelberti nuntium se adire iussit, quem cum nauali suo exercitu redire præcepit. fuerunt chelandia vigintiquatuor, Russorum naues duæ, Gallicæ duæ: si plus miserit, quas non viderim, nescio. Vestrorum, domini mei Imperatores Augusti, militum fortitudo non eget, vt aduersariorum impotentia animetur. quod in his sæpè expertum est gentibus, quarum etiam vltimi, & ceterorum comparatione, impotentes, Græcam fortitudinem strauerunt, tributariam fecerunt. Sicut enim vos non terrerem, si fortissimos illos & Alexandro Macedoni similes prædicarem; sic & vos instigo, cùm impotentiam eorum, quæ vera est, narro. Mihi credatis velim, & credetis scio, omnem ipsum exercitum, *quadringentis vestris, si fossa murive non impediant, posse* occidere: cui exercitui, vt puto, ad contumeliam vestram, hominem quamdam (sed quamdam eò dixi, quia mas esse desiit, mulier fieri nequit) præposuit. Adelbertus octo millia loricatorum se habere Nicephoro mandauit, quibus cum Argiuo adminiculante exercitu, vos fugare aut sternere dicit; rogauitque æmulum vestrum, vt pecunia illi mitteretur, quia illos auidiùs ad pugnam instigaret.

*al. vos celatus, *ex quo corrigo*, voce clatâ

*f. à quadringentis vestris *occidi

Sed nunc, domini mei, accipite insidias Danaûm, & crimine ab vno discite omnes: Nicephorus mancipio illi, cui collectitium atque conductitium commendauit exercitum, pecuniam satis magnam hac ratione dedit, vt, si Adelbertus cum septem millibus loricatorum, & eo ampliùs, sicut mandauit, se adierit, tunc donatiuum eis illud distribuat. Cona frater suus cum ipso & Argolico exercitu vos impugnet, Adelbertus verò Bareis diligenter custodiatur, donec potitus victoriâ frater redeat. Quòd si veniens tot hominum millia non duxerit, vt capiatur, vinciatur, vobisque eò venientibus tradatur; insuper & pecunia, quæ ei debebatur, vestras in manus conferatur, edixit. O bellatorem, ô fidelem! prodere cupit, *cui defensorem parat; defensorem parat, quem perde-

*al. qui

re cupit: in neutro fides, in vtroque infidelitas: fecit, quo non eguit; eguit, quod non fecerat. Sed esto, fecerit, vt Græcos decuit; nos ad propositum redeamus.

Quartodecimo Kalendas Augusti collectitium ipsum naualem exercitum, me ab inuisâ domo spectante, dimisit. Decimotertio autem, quo die leues Græci raptionem Eliæ Prophetæ ad cælos ludis scenicis celebrant, me se adire præcepit; cui & ait: Imperium nostrum copias in Assyrios ducere cogitat, non super Christicolas, quemadmodum dominus tuus: præterito quippe anno idipsum facere volui, sed audito, quòd dominus tuus Imperij nostri terram inuadere vellet, dimissis Assyriis, illum versus habenas retorsimus: obuiauitque nobis in Macedoniâ Dominicus Venedicus nuntius suus, qui multo labore & sudore nos, vt reuerteremur, delusit, iureiurando nobis affirmans, numquam dominum tuum esse id cogitaturum, nedum facturum; reuertere ergo (quod cùm audissem, tacitus Deo gratias dixi) & hæc atque hæc tuo domino nuntiato: si me compotem fecerit, ipse redito.

f. Imperium

Cui iubeat, inquam, sanctissimum* Imperatorem tuum me in Italiam citò aduolare, certâ ratione, quòd dominus meus, quæ vult Imperium tuum, compleat, & lætus ego ad te redeam. Quod quâ mente dixerim, nec ipsum, proh dolor, latuit. Nam subridens, simul capite innuit, meque contra tenus se adorantem, atque abeuntem extrà, foris manere, atque ad cœnam allio & cepâ benè olentem, oleo & garo sordidam venire præcepit; magnisque die illâ effeci precibus, vt munus meum, quod sæpè aspernatus erat, dignaretur accipere.

al. pallij, *vel* palmi

Residentibus itaque nobis ad mensam sine latitudine longam pallingi* latitudine tectam, longitudine seminudam, ex Francis, quo nomine tam Latinos, quàm Teutones comprehendit, ludum habuit: rogauitque me, vt, quo in loco Episcopatus mei ciuitas esset, quóve nomine frueretur, edicerem. Cui, Cremona, inquam, Eridano fluuiorum Italiæ Regi satis vicina; & quia Imperium tuum chelandia eò mittere properat, prosit mihi te vidisse, prosit agnouisse, da pacem loco, vt per te saltem possit subsistere, qui tibi non potest resistere. Sed vafer ille hæc εἰρηνικῶς me dixisse cognouit, submissoque vultu se ita facturum promisit, iurauitque mihi per sancti sui virtutem Imperij, nil me mali passurum, sed prosperè suis cum chelandiis vsque in Anconitanum portum citò peruenturum; & mihi id tunso digitis pectore iurauit.

Verùm quàm impiè peierauerit, animaduertite. Hæc acta, hæc dicta sunt decimotertio Kalendas Augusti, secundâ feriâ, quo ex die vsque in nonum stipendiorum nihil ab eo recepi, cùm tanta esset Constantinopoli fames, vt vigintiquinque asseclas meos, & quatuor

quatuor custodes Græcos tribus aureis vnâ cœnâ nequirem reficere. Quartâ feriâ ipsius hebdomadæ, Nicephorus Constantinopolim egreditur, in Assyrios profecturus.

Quintâ feriâ frater suus me accersiuit, quem ita conuenit: Sancto Imperatore præmisso, domi hodie dispositionis eiusdem caussâ substiti; nunc si te sanctum Imperatorem visendi desiderium obtinet, & si quidquam, quod necdum prodideris habes, edissere. Cui inquam: Nec sanctum Imperatorem videndi, nec rei nouæ narrandæ habeo caussam. vnum hoc peto, secundùm sancti Imperij promissionem, vt chelandijs in Anconitanum portum vsque deducar. Quo audito (vt sunt Græci per caput alterius semper iurare parati) per Imperatorium caput, per vitam propriam, per liberos, quos Deus ita, vt verum dixit, conseruet, se id completurum iurare cœpit. Cui cùm, quando? dicerem; Mox discedente, inquit, Imperatore: Delongaris enim, sub cuius manu nauium est omnis potestas, recedente sancto Imperatore, curam tui aget. Hac spe ludificatus, lætus ab eo recessi.

Post sequentem verò diem, Sabbato scilicet, in Vmbriam, qui est locus decem & octo milliaribus Constantinopoli distans, Nicephorus me accersiri iubet. cui & ait: Putabam te quidem virum magnum & honestum eâ gratiâ huc venisse, vt completâ omnimodò voluntate meâ, perpetuam inter me & dominum tuum constitueres amicitiam. Et quoniam ob cordis tui duritiem id facere nolis, vnum saltem, quod facere iustâ ratione possis, efficito; scilicet dominum tuum Principibus Capuano & Beneuentano, seruis meis, quos oppugnare dispono, nullum consilium collaturum. Sua qui non largitur, nostra saltem dimittat. Noua res est, quòd eorum patres & aui nostro Imperio tributa dederunt: at id istos breui tempore facturos, Imperij nostri exercitus laborabit.

Cui inquam: Principes isti apprimè nobiles, & domini mei sunt milites; qui si senserint exercitum tuum super eos irruere, eis copias mittet, quibuscum tuos conterere, & duo illa themata, quæ vltra mare habes, tibi præualebunt auferre.

Tunc bufonis in modum tumefactus & commotus, Discede, inquit. Per me, per qui me talem genuere parentes, faciam, vt aliud dominus tuus, quàm desertores seruos defendere cogitet. Cumque abirem, iussit interpreti, me sibi conuiuam fieri: accitisque eorumdem Principum fratre, & Byzantio Barisiano, magnas in vos gentemque Latinam & Teutonicam contumelias euomere iussit. Verùm cùm à sordidâ cœnâ ipse discederem, nuntijs interpositis, clàm mihi mandauerunt & iurauerunt, se quæ latrauerant, non sponte, sed Imperatore volente & comminante, dixisse.

Sed & idem Nicephorus in eâdem cœnâ me interrogauit, si vos

Περιβόλεια, *German.* Thiergart. periuolia, id est, brolia, vel si in periuolijs onagros vel cetera animalia haberetis. Cui cùm vos brolia, & in brolijs animalia, onagris exceptis, habere affirmarem: Ducam te, inquit, in nostrum periuolium, cuius magnitudinem, & onagros, id est, siluestres asinos, te vidisse miraberis. Ductus itaque in periuolium satis magnum, montuosum, fructuosum, minimè amœnum, cùm pileatus equitarem, meque Coroplates à longè prospiceret, filio celeriter directo, mihi mandauit, fas non esse quempiam, vbi Imperator esset, pileatum, sed teristratum incedere. Cui, Mulieres, inquam, nostræ tiaratæ & teristratæ, viri equitant pileati. Nec decet vos compellere patrium me hîc mutare morem: cùm vestros, nos adeuntes, patrium morem tenere sinamus: manicati enim, fasciati, * fibulati, criniti, talari tunicâ induti penes nos equitant, incedunt, mensæ assident: &, quod nostris omnibus nimis turpe videtur, ipsi soli capite operto Imperatores nostros deosculantur. Quod non ampliùs fieri Deus permittat, tacitus dixi.

* *al.* vipolati

Reuertere ergo, inquit: quod cùm facerem, occurrunt mihi commisti capreis, quos ipsi dicunt, onagri. Sed quæso quales onagri? Quales sunt Cremonæ domestici. color idem, forma eadem, auriti itidem, vocales similiter cùm rudere incipiunt, magnitudo non dispar, velocitas vna, dulces lupis æquè. quos cùm viderem, coëquitanti Græco inquam: Huiusmodi numquam in Saxoniâ vidi. Si, inquit, dominus tuus sancto Imperatori morigeratus fuerit, multos illi huiusmodi dabit, eritque illi non parua gloria, cùm ipse possidebit, quod nemo dominorum decessorum suorum vidit. Sed mihi credite, domini mei Augusti, confrater & Coëpiscopus meus dominus Antonius potest non inferiores dare, vt commercia testantur quæ fiunt Cremonæ: atque ipsi non onagri, sed domestici; non vacui, sed onerati procedunt. Sed cùm ea superiùs scripta verba idem Nicephoro nuntiasset, transmissis mihi duabus capreis, vt abirem, licentiam dedit. In crastinum autem Syriam versus profectus.

Sed cur exercitum nunc in Assyrios duxerit, quæso aduertite. Habent Græci & Saraceni libros, quos θεάσεις, siue visiones Danielis vocant; ego autem Sibyllinos: in quibus scriptum reperitur, quot annis Imperator quisque viuat: quæ sint futura, eo imperante, tempora, pax, an simultas; secundæ Saracenorum res, an aduersæ. Legitur itaque, huius Nicephori temporibus Assyrios Græcis non posse resistere, huncque septennio tantùm viuere: post cuius obitum Imperatorem isto deteriorem (sed timeo quòd inueniri non possit) & magis imbellem debere surgere: cuius temporibus præualere debent adeò Assyrij, vt in Chalcedoniam vsque, quæ distat Constantinopoli haud longè, potestatiuè cuncta debeant obtinere.

Consi-

Considerant enim vtrique tempora, vnâ eâdemque re Græci animati insequuntur, Saraceni desperati non resistunt: tempus expectantes, cùm & ipsi insequantur, Græci * iterùm non resistunt.

* *al.* interim non resistant

Sed Hippolytus quidam Sicilienſis Episcopus eadem scripsit & de Imperio vestro, & gente nostrâ, nostram nunc dico omnem, quæ sub vestro Imperio est gentem: atque vtinàm verum sit, quod de præsentibus scripsit iste temporibus. Cetera, vt scripsit, sunt vsque huc completa, quemadmodum per ipsos, qui horum librorum scientiam habent, audiui: & ex multis eius dictis vnum id proferamus in medium. Ait enim nunc completum iri scripturam, quæ dicit: Λέων καὶ σκύμνος ὁμοδιώξουσιν ὄναγρον. Græcè ita. Latinum autem sic: Leo & catulus simul exterminabunt onagrum. Cuius interpretatio secundùm Græcos: Leo, id est, Romanorum siue Græcorum Imperator, & catulus, Francorum scilicet Rex, simul his præsentibus temporibus exterminabunt onagrum, id est, Saracenorum Regem Africanum. Quæ interpretatio eò mihi vera non videtur, quoniam leo & catulus, quamuis disparis magnitudinis, vnius tamen sunt naturæ & speciei seu moris: atque, vt mihi mea scientia suggerit, si leo Græcorum Imperator, inconueniens est vt catulus sit Francorum Rex: quamuis enim vtrique homines sint, sicut leo & catulus vterque animalia; distant tamen moribus tantum, non dico solùm quantum species speciebus, sed quantum sensibilia insensibilibus. Catulus à leone nil nisi tempore distat, forma eadem, rabies vna, rugitus idem. Græcorum Rex crinitus, tunicatus, manicatus, teristratus, mendax, dolosus, immisericors, vulpinus, superbus, falsò humilis, parcus, cupidus, allio, cepe & porris vescens, balnea bibens: Francorum Rex contrà pulchrè tonsus, à muliebri vestitu veste diuersus, pileatus, verax, nil doli habens, satis vbi competit misericors, seuerus vbi oportet: semper verè humilis, numquam parcus, non allio, cepis, porris vescens, vt possit animalibus eò parcere, quatenus non manducatis, sed venumdatis pecuniam congreget. Audistis differentiam, nolite hanc interpretationem suscipere: aut enim futura est, aut hæc vera non est: impossibile est enim, vt Nicephorus, sicut ipsi mentiuntur, sit leo, & Otto sit catulus, qui simul exterminent aliquem. Antè enim pererratis amborum finibus, exul, aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim, quàm Nicephorus & Otto amicitiâ coëant & fœdera iungant.

Audistis Græcorum, audite nunc Luitprandi Cremonensis Episcopi interpretationem: Dico autem, & non solùm dico, sed affirmo, si scriptura hæc præsentibus est implenda temporibus, leo & catulus, pater & filius, Otto & Otto in nullo dispares, tempore distantes tantùm, simul hoc præsenti tempore exterminabunt onagrum,

grum, id est, siluestrem asinum Nicephorum: qui non incongruè siluestri asino comparatur, ob vanam & inanem gloriam, incestumque dominæ & commatris suæ coniugium. Si onager iste nunc à leone & catulo nostro Ottone & Ottone, patre scilicet & filio, Augustis Romanorum Imperatoribus exterminatus non fuerit, nec quod Hippolytus scripsit verum erit: Græcorum enim illa superior abijcienda interpretatio est.

Theophanonin namque Romanus affinitate à Baptismo iunctus, eam denique in thalamum rapuit, inuito quoque Patriarchâ. Compatriatus ergo & tunc impedimentum matrimonij.

Sed, ô IESV bone, Deus æterne, Verbum Patris, qui nobis indignis loqueris non voce, sed inspiratione, nullam aliam interpretationem quàm meam in hac sententiâ velis. Iube, vt leo & catulus isti hunc exterminent & humilient onagrum corpore, quatenus in se reuersus, dominisque suis Basilio & Constantino Imperatoribus subditus, in die Domini spiritus sit saluus.

Sed Astronomi hoc idem de vobis & Nicephoro prænuntiant. Res, inquam, mira. Cum quodam sum locutus Astronomo, qui vestram, domini mei Augusti, æquiuocique vestri Augusti, formam, mores, vt sunt, verè dixit; cunctaque mea præterita, quasi præsentia dixit. Nec præterijt quisquam amicorum vel inimicorum, de quibus mens mihi suggessit, vt interrogarem, cuius habitum, formam & mores non diceret. Quidquid calamitatis mihi hoc in itinere accidit, futurum esse prædixit. Sit mendacium *omen quod dixit; vnum, quæso, solummodò sit verum, quod vos esse facturos Nicephoro prædixit, fiat vtinam, vtinam fiat, & tum nil me mali passum esse intelligam.

* *f.* omne

Scribit etiam præfatus Hippolytus, Græcos non debere Saracenos, sed Francos conterere: quâ lectione Saraceni animati, ante triennium cum Manuele Patricio, Nicephori nepote, iuxta Scyllam & Charybdim in mari Siculo, bellum parant; cuius immensas copias cùm prostrauissent, ipsum comprehenderunt, capiteque *truncum suspenderunt: cuius socium & commilitonem cùm caperent, qui neutrius erat generis, occidere sunt dedignati, sed vinctum ac longâ custodiâ maceratum tanti vendiderunt, quanti nec vllum huiusmodi mortales sani capitis emerent.

* *f.* truncatum *Fuit is Nicetas Eunuchus τῶ σάκε δρουγγάριος.*

Nec infirmiori animo, eâdem confirmati lectione, haud multò pòst Magistro Exarchontæ occurrunt, quem dum in fugam verterent, eius copias omnibus modis contriuerunt.

Est & aliud, quod nunc Nicephorum compulit copias in Assyrios ducere: Argorum enim omnem regionem, instans tempus, Deo iubente, eò vsque fames attriuit, vt neque tritici duo Papienses sextarij aureo comparentur, hocque vbi vbertas quasi regnat. Hanc pestem, muribus cooperantibus, ita dilatauit, vt messionis tempore, quidquid vbique terrarum annonæ erat, minimo dato pretio, possessoribus eiulantibus, congregarit. Quod cùm iuxta Meso-

Mesopotamiam faceret, vbi frugum copia muribus absentibus creuerat, arenæ maris multitudini annonæ multitudinem coæquauit. Igitur cùm vili hoc commercio turpiter fames vbi vbi desæuiret, octoginta millia mortalium, obtentu militiæ, secum congregauit; quibus per contiuuum mensem, quod vno emerat aureo, duobus vendidit. Hæ sunt, domine mi, res, quæ Nicephorum copias in Assyrios nunc ducere compulerunt. Sed quales, quæso, copias? verè, inquam, non homines, sed hominibus similes: quibus lingua tantùm procax, sed frigida bello dextera. Non inspicit in his Nicephorus qualitatem, sed solam quantitatem: quod quàm periculosum illi sit, tum serò pœnitebit eum, cùm imbelles plurimi, multitudine animati, à nostris perpaucis bella scientibus, imò sitientibus, conterentur.

Cùm obsideretis Bareas, trecenti tantummodò Vngari iuxta Thessalonicam quingentos Græcos comprehenderunt, & in Vngariam duxerunt. Quæ res, quia prosperè successit, compulit ducentos Vngariorum haud longè Constantinopoli in Macedoniâ similiter facere: ex quibus, cùm incautè per angustam redirent viam, quadraginta sunt capti; quos nunc Nicephorus de custodiâ eductos, pretiosissimisque vestibus ornatos, patronos sibi & defensores parauit, secum in Assyrios ducens. Verùm qualis sit eius exercitus, hinc potestis conijcere, quoniam qui ceteris præstant, Venetici sunt & Amalphitani.

Nunc his omissis, quid mihi acciderit animaduertite. Sexto Kalend. Augusti extra Constantinopolim in Vmbriâ à Nicephoro licentiam accepi ad vos redeundi: cumque Constantinopolim venirem, Christophorus Patricius eunuchus, qui Nicephori vicem eodem gerit, mihi mandauit, non posse me tunc recedere, quia Saraceni tunc occupauerunt mare, & Vngarij terram: expectandum mihi esse, donec ipsi discederent: sed vtrumque, proh dolor, fuit mendacium. Tunc appositi sunt custodes, qui mihi & meis à domo meâ exitum prohiberent. Latinæ linguæ pauperes, qui me eleëmosynarum gratiâ adierunt, comprehendentes cecideruntcustodiæ tradiderunt: Græcolonon meum, id est, Græcæ linguæ gnarum, non permittebant egredi, saltem vt sumptus emeret, sed cocum solum Græcæ linguæ ignarum: qui non signorum signis, sed digitorum seu capitis nutibus cum venditore emptor loquebatur; tantique nummis emebat quatuor, quanti Græcolonus obsonium vno.

Et cùm amicorum quidam aromata, panes, vinum, poma mitteret; solo cuncta fundentes, nuntios colaphis satis oneratos dimiserunt. Et nisi diuina pietas parasset in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me, vna mihi parata mors foret accepta.

Sed

Sed qui permiſit tentari, dedit tunc miſericorditer pati. Huiuſcemodi me periculum ſecundo Nonarum Iunij vſque ad ſextum Nonas Octobris, Conſtantinopoli diebus ſcilicet centum viginti macerauit.

Verùm vt augerentur calamitates meæ, in Aſſumptione ſanctæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ, meo omine non bono venerunt domini Apoſtolici & vniuerſalis Papæ Ioannis nuntij cum litteris, quibus rogabant Nicephorum Imperatorem Græcorum, vt parentelam, firmamque amicitiam faceret cum dilecto ſpiritualique filio ſuo Ottone Romanorum Imperatore Auguſto. Quæ vox, quæ inſcriptio ſecundùm Græcos peccatrix & temeraria, quomodo latorem non occiderit; cur, priuſquam læderetur, non oppreſſerit, qui in aliis rebus ſæpè videor ſpermologus & multiſonus, in hac, vt piſcis, videor inſonus. Obiurgabant Græci mare, imprecabantur æquori, plus iuſto mirantes, cur peccatum illud portare potuerit, cur fretum dehiſcens nauim non abſorbuerit.

Imperatorem, inquiunt, vniuerſalem Romanorum, Auguſtum, magnum, ſolum Nicephorum ſcripſiſſe Græcorum, hominem quemdam barbarum, pauperem Romanorum non piguit. O cælum, ô terra, ô mare! Sed quid, inquiunt, faciemus hominibus iſtis ſceleratis, criminoſis? Pauperes ſunt, & ſi eos occidimus, manus noſtras ſanguine vili polluimus; pannoſi ſunt, ſerui ſunt, ruſtici ſunt; ſi eos flagellamus, non ipſos, ſed nos dedecoramus, qui nec Romanâ ſcuticâ deauratâ, nec huiuſmodi ſunt crucibus digni. O vtinam alter Epiſcopus, alter Marchio eſſet: culeis enim ſuti poſt acerbos virgarum ictus, poſt barbæ ſeu capillorum diſtractionem, in mare demergerentur. Sed ſeruentur, inquiunt, & quouſque ſanctiſſimus Imperator Romanorum Nicephorus hæc reſciſcat mala, graui cuſtodiâ macerentur.

Dum hæc reſciſcerem, felices eos, quoniam pauperes; me infelicem, quia diuitem, iudicaui. Cùm domi eſſem, mea me voluntas pauperem excuſabat; Conſtantinopoli verò poſitus, Crœſi me habere diuitias timor ipſe dicebat. Semper mihi pauperies grauis, tunc viſa eſt leuis, tunc accepta, tunc amplectenda. Amplectenda vtique, quæ ſuos perimi, ſubiectos ſibi flagellari non patitur. Et quia hæc paupertas Conſtantinopoli ſolùm ſuos ita defendit, eodem ſit ſolummodò diligenda.

Igitur Apoſtolicis nuntiis in carcerem traditis, publicana illa epiſtola Nicephoro in Meſopotamiam mittitur; vnde vſque ad quintum Idus Septembris non eſt reuerſus, qui afferret apologeticum nuntium. Quâ die cùm rediret, & me lateret, poſt biduum, decimooctauo ſcilicet Kalend. Octobris, precibus muneribuſque effeci, vt viuificum atque ſalutiferum adorarem lignum: vbi tanto

to in tumultu populi clam cuſtodibus quidam me adierunt, qui mentem meam lugubrem, furtiuis ſermonibus hilarem reddiderunt.

Decimoquinto autem Kal. Octobris, mortis vitæque medius, ad palatium ſum conuocatus. Cumque ad Chriſtophori Patricij Eunuchi præſentiam venirem, benignè me ſuſcipiens, mihi cum tribus aliis aſſurrexit: quorum huiuſmodi fuit narrationis initium:

Oſtendunt pallor in ore ſedens, macies in corpore toto, crinitum caput, prolixa contra morem barba, immenſum cordi tuo ineſſe dolorem, eò quòd redeundi ad dominum tuum terminus eſt dilatatus. Verùm ne ſancto Imperatori, néve nobis ſuccenſeas, oramus. Reddimus autem tarditatis tuæ cauſſam. Papa Romanus (ſi tamen Papa eſt vocandus, qui Alberici filio apoſtatæ, adultero, ſacrilego, communicauit, comminiſtrauit) litteras noſtro ſanctiſſimo Imperatori ſe dignas, illoque indignas miſit, Græcorum illum & non Romanorum Imperatorem vocans: quod tui domini conſilio actum eſſe non eſt ἀμφίσβητον.

Quod, inquam mecum, verbum audio? perij: haud dubium eſt, quin in prætorium rectâ proficiſcar viâ. Sed Papa, audi, aiunt, omnium hominum ſtolidior, ſcimus dicere, dicere vis, noſque id profitemur. At ego non id aio. Audi ergo: Sed Papa fatuus, inſulſus, ignorat Conſtantinum ſanctum Imperialia ſceptra huc tranſuexiſſe, Senatum omnem, cunctamque Romanam militiam. Romæ verò vilia mancipia, piſcatores ſcilicet, cupediarios, aucupes, nothos, plebeios, ſeruos tantummodò dimiſiſſe. Numquam ille hoc niſi tui ſuggeſtione ſcriberet Regis: quod quàm periculoſum ambobus fuerit, niſi reſipuerint, proxima tempora declarabunt.

Sed Papa, inquam, ſimplicitate clarus, ad laudem hoc Imperatoris, non ad contumeliam ſcribere putauit. Conſtantinum Romanum Imperatorem cum Romanâ militiâ huc veniſſe, ac ciuitatem iſtam ſuo ex nomine condidiſſe certò ſcimus. ſed quia linguam, mores veſteſque mutaſtis, putauit ſanctiſſimus Papa, ita vobis diſplicere Romanorum nomen, ſicut & veſtem: quod in futuris, vitâ comite, oſtendetur epiſtolis; quarum ſuperſcriptio hæc erit: Ioannes Papa Romanus Nicephoro, Conſtantino, Baſilio, magnis Romanorum Imperatoribus atque Auguſtis. quod quiánam dixerim, quæſo, aduertite.

Nicephorus periurio atque adulterio Regni apicem eſt adeptus. Et quoniam Chriſtianorum omnium ſalus ad Romani Papæ pertinet ſolicitudinem, mittat Nicephoro Dominus Papa epiſtolam ſepulchris omnino ſimilem, quæ foris ſunt dealbata, intus plena ſunt oſſibus mortuorum: improperet illi intrinſecus, qualiter periurio

iurio & adulterio acceperit ſuper dominos ſuos monarchiam: inuitet eum ad Synodum, &, ſi non venerit, anathemate feriat. Si ſuperſcriptio huiuſmodi non fuerit, nec ad ipſum vſque feretur.

Nunc ad propoſitum redeamus. Superſcriptam ex ſuperſcriptione promiſſionem à me memorati Principes cùm audiſſent, nil ineſſe doli putantes, Grates tibi perſoluimus, aiunt, ô Epiſcope: decet enim ſapientiam tuam tantis mediatricem intercedere rebus. ſolus es ex Francis, quem nunc diligamus; ſed cùm deprauata, te hortante, correxerint, & ipſi diligentur: tuque iterùm ad nos cùm veneris, non indonatus abibis. Coronâ aureâ ſceptroque, cùm huc vltrà rediero, me Nicephorus donabit, tacitus dixi.

Sed dic, inquiunt: vult dominus tuus ſanctiſſimus cum Imperatore firmare amicitiam fœdere nuptiarum? Cùm huc venirem, voluit, inquam; ſed quia me diu hîc morante litteras non recepit, σφάλμα, id eſt, vitium à vobis, meque captum putat & vinctum, æſtuatque animus eius totus, vt leænæ, catulis raptis, donec vindictam iuſtâ faciat acerbitate, & nuptias abhorreat, atque iram in vos euomat.

Si ceperit, inquiunt, non dicimus Italiam, ſed nec ipſa capiet eum, in quâ ortus eſt, pauper & gunnata, id eſt, pellicea Saxonia: pecuniâ, quâ pollemus, omnes nationes ſuper ipſum inuitabimus, & quaſi * keramicum, id eſt, vas fictile, quod confractum reformari nequit, confringemus. Et quoniam te in decorem ſuum quædam pallia emiſſe putamus, vt in medium proferantur, edicimus: quæ ſunt vobis digna, plumbeâ notentur bullâ, vobiſque ſinantur; quæ verò κωλύομενα, id eſt, nationibus omnibus, præ nobis Romanis, prohibita, pretio reddito auferantur. Quod cùm fieret, quinque mihi pretioſiſſimas purpuras abſtulerunt: indignos vos, omneſque Italos, Saxones, Francos, * Bagoarios, Sueuos, imò cunctas nationes huiuſmodi veſte ornatos incedere indicantes. Quod quàm indecorum, quamque contumelioſum ſit, molles, effeminatos, manicatos, tiaratos, teriſtratos, mendaces, * neutros, deſides, purpuratos incedere; heroas verò, viros ſcilicet fortes, ſcientes bellum, fidei charitatiſque plenos, Deo ſubditos, virtutibus plenos non: quid eſt, ſi non hæc contumelia eſt?

Sed vbi eſt, inquam, Imperatorius ſermo? vbi Imperialis promiſſio? cùm enim illi valedicerem, rogaui, vt in Eccleſiæ honorem quantiuis pretij me permitteret pallia emere. Qui ait, Qualia vis & quanta? ποιότητα καὶ ποσότητα, id eſt, qualitatem & quantitatem ponens, differentiam planè non poſuit, vt diceret his & illis exceptis. Teſtis eſt Leo Coroplates frater eius; teſtis eſt & interpres Euodiſius, Ioannes, Romanus. teſtis ſum ipſe, qui quod Imperator diceret, etiamſi interpres abeſſet, intellexi. Sed κωλύομενα, id

*κεραμὸν

*al. Baioarios

*Eunuchos intelligit.

id eſt, prohibita ſunt hæc, inquiunt. Et cùm, quæ aſſeris, Imperator diceret, de talibus ſaltem, vt ſomniares, non potuit cogitare: vt enim diuitijs, ſapientiâ; ita & ceteris nationibus præſtare veſte debemus: vt quibus eſt ſingularis in virtutibus gratia, ſit ſingularis & in pulchritudine veſtis.

Haudquaquam ſingularis, inquam, hæc veſtis fieri poteſt, cùm penes nos obolariæ mulieres, & mandrogerontes his vtantur. Vnde, inquiunt, vobis? A Veneticis & Amalphitanis inſtitoribus, inquam, qui noſtris ex victualibus, hæc ferendo nobis, vitam nutriunt ſuam. Sed non ampliùs hoc facient, aiunt. Scrutabuntur planè, & ſi quid huiuſmodi inuentum fuerit, verberibus cæſus, crine tonſus, pœnas dabit.

Temporibus, inquam, beatæ memoriæ Conſtantini Imperatoris huc veneram, non Epiſcopus, ſed Diaconus; nec ab Imperatore aut Rege, ſed à Berengario Marchione miſſus, & multò plura ac pretioſiora pallia emi: quæ neque ſcrutata, nec à Græcis viſa, nec plumbo ſunt ſignata. Nunc, Deo miſerante, Epiſcopus, & à magnificis Imperatoribus Ottone & Ottone, patre & filio miſſus, tantò inhoneſtior, vt Veneticorum more pallia mea notentur, & quæ, quantiuis pretij videntur, auferantur, cùm in Eccleſiæ mihi commiſſæ vſus ferantur. Non tædet vos contumeliarum mearum, imò dominorum meorum, in quibus contemnor? quòd ſum cuſtodiæ traditus, quòd fame ſitique cruciatus, quòd non ad ipſos redirem hucuſque retentus, niſi etiam, ad cumulum dedecoris eorum, proprijs expolier rebus? Auferte ſaltem, quæ ſunt empta; dimittite, quæ ſunt dono ab amicis donata.

Conſtantinus, inquiunt, Imperator, homo lenis, in palatio manens perpetuò, huiuſmodi rebus amicas ſibi nationes effecerat: Nicephorus verò Baſileus homo παχύχειρ, id eſt, militiæ deditus, palatium ceu peſtem abhorret; & vocatur à nobis propè ſimultatis amator, atque argumentoſus, qui non pretio ſibi gentes amicas, ſed terrore & gladio ſibi ſubditas facit. Atque, vt cognoſcas, quanti dominos tuos Reges habeamus, quæ data ſunt coloris huiuſmodi, & quæ empta, viâ eâdem ad nos reuertentur.

Vnde & Zonaras: Τῇ σεσηπυκῇ μετακειρίσει ἐπιγραφόμενον.

His dictis atque completis, χρυσοβύλλιον, id eſt, epiſtolam auro ſcriptam & ſignatam mihi dederunt, vobis deferendam; ſed non vobis dignam, vt mens credit mea. Tulerunt autem & alias litteras argento ſignatas, atque dixerunt: Papam veſtrum Imperiales recipere litteras, indignum eſſe diiudicamus. mittit autem illi Coroplates, Imperatoris frater, non per ſuos pauperes nuntios, ſed per te epiſtolam, ſe ſatis dignam, vt, niſi reſipuerit, funditus ſe perijſſe cognouerit.

Hanc cùm accepiſſem, vale mihi dicentes, dimiſerunt, oſcula

in vos abundat, Constantinopolitano Patriarchæ præcepit, vt Hydruntinam Ecclesiam in Archiepiscopatus honorem dilatet, nec permittat in omni Apuliâ seu Calabriâ Latinè ampliùs, sed Græcè diuina mysteria celebrari. Mercatores dicit fuisse præteritos Papas, & Spiritum sanctum vendidisse, quo viuificantur & reguntur omnia, qui replet orbem terrarum, qui scientiam habet vocis, qui est cum Deo Patre & Filio eius IESV Christo coæternus & consubstantialiter, sine initio, sine fine, permanens verus, qui pretio non æstimatur, sed à mundis corde tanti emitur, quanti habetur. Scripsit itaque Polyeuctus Constantinopolitanus Patriarcha priuilegium Hydruntino Episcopo, quatenus suâ auctoritate habeat licentiam Episcopos consecrandi in Acirentilâ, Turcico, Grauinâ, Maceriâ, Tricario, qui ad consecrationem domini Apostolici pertinere videntur.

Sed quid hoc memorem, cùm ipsa Constantinopolitana Ecclesia nostræ sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ meritò sit subiecta? Scimus, imò videmus, Constantinopolitanum Episcopum pallio non vti, nisi sancti Patris nostri permissu. Verùm cùm impijssimus Albericus, quem non stillatim cupiditas, sed velut torrens impleuerat, Romanam ciuitatem sibi vsurparet, dominumque Apostolicum, quasi seruum proprium in conclaui teneret; Romanus Imperator filium suum Theophylactum eunuchum, Patriarcham constituit: cumque eum Alberici cupiditas non lateret, missis ei muneribus satis magnis, effecit, vt ex Papæ nomine Theophylacto Patriarchæ litteræ mitterentur: * quâ auctoritate cùm ipse, tum successores eius absque Paparum permissu pallijs vterentur. Ex quo turpi commercio vituperandus mos inoleuit, vt non solùm Patriarchæ, sed etiam Episcopi totius Græciæ pallijs vtantur. Quod quàm absurdum sit, censore opus non est.

* *f.* quatum

Est ergo meum consilium, sanctam fieri Synodum, & ad eamdem vocari Polyeuctum. quòd si venire, & σφάλματα sua, id est, vitia superiùs scripta, canonicè emendare noluerit; quod sanctissimi Canones decreuerint, fiat.

Vos interim, præpotentes Augusti, vt cœpistis, laborate: efficite, vt, si nolit vobis Nicephorus, quem canonicè arguere disponimus, obedire, audiat vos, quorum copijs non audet cadauerosus occurrere. Hoc, inquam est, quod nos apostoli domini & commilitones nostri facere volunt. Non est à Græcis Romanus vilis tenendus locus, quia recessit inde Imp. Constantinus; verùm eò magis colendus, venerandus, adorandus, quia venerunt illuc Apostoli doctores sancti Petrus & Paulus. Ac de his satis me scripsisse sufficiat, donec Deo largiente, sanctissimorumque Apostolorum orationibus, ex Græcorum ereptus manibus, vos adeam. Et tunc non tædeat

tædeat dicere, quod hîc nunc piguit scribere. nunc ad propositum redeamus.

Octauo Idus Decembris Leucatem venimus, vbi ab Episcopo ipsius loci Eunucho, sicut & vbique ab alijs, inhumanissimè susceptì & tractati sumus. In omni Græciâ, veritatem dico, non mentior, non reperi hospitales Episcopos. Diuites sunt, pauperes sunt: diuites, aureis quibus plena luditur arca: pauperes ministris seu vtensilibus. Soli mensulæ assident nudæ, * paximacium sibi apponentes, balneaque tunc vitro permodico non bibentes, sed forbillantes. Ipsi vendunt, ipsi emunt; ostia ipsi claudunt, ipsi aperiunt; ipsi dapiferi, ipsi agasones, ipsi capones; sed, ha, caupones volui scribere; verùm res ipsa, quæ vera est, veritatem etiam nolentem compulit scribere: dicimus enim, quia capones sunt, id est, eunuchi, quod canonicum non est: sunt & caupones, id est, tabernarij, quod contra Canones est: quorum Incipit & claudit cœnam lactuca tenacem, Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum. Felices eos, si paupertatem Christi hæc imitaretur, pauperes iudicarem. facit hoc asper nummus & auri sacra fames. Verùm parcat illis Deus. Hoc eò illos puto facere, quoniam eorum Ecclesiæ sunt tributariæ. Leucatensis mihi iurauit Episcopus, quotannis Ecclesiam suam debere Nicephoro aureos centum persoluere, similiter & ceteras plus minúsve, secundùm vires suas. Quod quàm iniquum sit, sanctissimi patris nostri Ioseph acta demonstrant; quia cùm Ægyptum totam famis tempore tributariam Pharaonis faceret, sacerdotum terram à tributo liberam esse permisit.

* *Id est,* panem nauticum

Igitur decimonono Kal. Decembris Leucatem exeuntes, ipsique quoniam, vt superiùs scripsimus, nautæ effugerant, nauigantes, decimoquinto ad Coriphus peruenimus, vbi ante nauis egressionem, occurrit nobis strategos quidam Michaël nomine, Chersionitis, à loco scilicet Chersonâ: homo ipse canus capite, facie hilaris, sermone bonus, risu semper iucundus, sed, vt pòst patuit, mente diabolus: quod & Deus apertis mihi monstrauit indicijs, si mea tunc mens hoc potuisset conijcere. mox enim, vt pacem, quam corde non ferebat, mihi osculo dedit, tota Coriphus magna scilicet insula tremuit: nec solùm semel, sed ter eâdem die pertremuit. Postque triduum autem, decimoquinto scilicet Kalendas Decembris, dum in mensâ positus panem comederem, qui ampliabat super me calcaneum suum, verecundatus sol facinus tam indignum, lucis suæ radios abscondit, & * eclipsin passus, Michaëlem illum terruit, sed non immutauit.

* *Fuisse hoc anno solis eclipsin 22. Decemb. Curopalates testatur.*

Dicam ergo, quid illi causâ amicitiæ fecerim, quidnam ab eo pro recompensatione perceperim. Dum Constantinopolim ascenderem, illud vestrum pretiosissimum scutum miro opere deauratum

tum & fabricatum, quod mihi domini mei Augusti dedistis, ceteris cum muneribus, vt amicis meis Græcis darem, filio ipsius contuli. Nunc Constantinopolim rediens patrem pallio donaui pretiosissimo; pro quibus omnibus gratias distribuit eiusmodi. Scripsit Nicephorus, vt quacumque horâ se adirem, absque morâ chelandio impositum Leoni Kitonitæ dirigeret. quod ipse non fecit: verùm diebus viginti me retentum non suis, sed proprijs me stipendijs aluit, donec à præfato Leone Kitonitâ nuntius venit, qui illum cur me moraretur, obiurgauit. Verùm cùm obiurgationes meas, lamenta, & suspiria mea ferre non posset, receessit, meque homini tam iniquo & pessimo commendauit, vt sumptus saltem me emere non permitteret, donec à me cortinam, libræ argenti pretio dignam, acciperet: & cùm post viginti dies inde discederem, nuntius ipse, cui cortinam dederam, nauclero iussit, vt post acroteria, id est, promontorium quoddam, me positum fame perire permitteret. Hoc autem eò fecit, quoniam ne purpuras haberem absconditas, mea pallia regyrauit: ex quibus dum vnum vellet accipere, non accepit.

O Michaëles, Michaëles, vbi vos tot simul talesque reperi! Custos meus ille Constantinopolitanus Michaëli suo riuali me commendauit, malus pessimo, pessimus iniquo. Michaël vocatus est & diasostes meus, homo quidem simplex; cuius sancta simplicitas tantum mihi pænè nocuit, quantum & istorum peruersitas. Sed ab his paruulis Michaëlibus impegi in te Michaëlem magnum, semieremitam, semimonachum. Dico, & verum dico; non proderit tibi balneum, quo te assiduè potas in amore B. Ioannis Præcursoris. Qui ênim fictè Deum quærunt, numquam inuenire merentur . . . . . .

Cetera desunt in MS.

LVITPRANDI
TICINENSIS DIACONI
LIBER
DE
PONTIFICVM ROMANORVM VITIS

ex peruetustis MSS. Codicibus membraneis, atque ex editione Moguntinâ anni M. DC. II. desumtus.

AD LECTOREM ANTIQVITATIS STVDIOSVM PRÆFATIO

ex Moguntinâ anni M. DC. II.

PRODIIT, *amice Lector, vernalibus huius anni* M. DC. II. *nundinis, Moguntinis typis expressa peruetusti scriptoris* ANASTASII S.R.E. *Bibliothecarij, de nouem supra centum Pontificum Romanorum Vitis Historia, eaq; variis* MSS. *Codicum lectionibus illustrata; nunc quia aliam eiusdem argumenti, & aquè vetustam, ac nusquam hactenus excusam, clarissimorum quorumdam virorum beneficio nacti sumus, opera pretium nos facturos putauimus, si eam Anastasiano operi nunc adiungeremus.* LVITPRANDO *Ticinensi Diacono, qui sub annum Domini* DCCCC.L. *teste* IOANNE TRITHEMIO, *claruit, inscripsimus; non quòd* MS. *Codex, ex quo eam descripsimus, auctorem prodiderit (nullum enim nomen adscriptum inuenimus) aut quòd firma solidaq; caussa huius nomenclatura suppeterent; sed quòd non pauci* LVITPRANDO, *tamquam germano eius auctori, constanter attribuerint. Quibus autem argumentorum momentis inducti id fecerint, ipsi viderint. Nobis certè non leuis subolet suspicio, primùm Historiographos non alio vsos* MS. *exemplari, quàm hoc ipso membranaceo, ex*

quo præsentem Historiam descripsimus. Deinde non alio persuasos argumento, vt LVITPRANDO *indigitarent, quàm quòd negari non posit extremam Pontificis Romani* FORMOSI *vitam, verbis* LVITPRANDI, *quæ exstant in capite octauo Libri primi rerum per Europam gestarum (cuius constat* LVITPRANDVM *Ticinensem esse auctorem) totam esse comprehensam. Ceterùm hoc argumento labefactari potiùs, quàm stabiliri videtur istorum opinatio. Cùm enim liqueat, totam narrationem de* FORMOSO *verbotenus exscriptam esse ex libro* LVITPRANDI *iam citato, non omissis quidem illis verbis,* Pater sanctissime, *quæ prorsus furtum fucumq; produnt, haud dubium est, quin ab aliquo sciolo, post verba illa,* FORMOSVS Portuensis Episcopus sedit annos V. menses VI. *reliqua narratio fuerit assuta. Vsurparat autem* LVITPRANDVS *in illâ de rebus in Europâ gestis Historiâ verba illa,* Pater sanctissime; *quòd eam ad Regimundum Liberitanæ Ecclesiæ in Hispaniâ Episcopum conscripsisset. Hanc verò de Pontificibus Historiam nulli Episcopo, vel alij Patri sanctissimo, inscriptam vel dedicatam esse manifestum est. Accedit, quòd nec apud Sigebertum, nec Trithemium, nec Gesnerum, vllus de Vitis Pontificum Romanorum liber adscribatur* LVITPRANDO. *Deinde, quia Trithemius scribit* LVITPRANDVM *(licet ille vocet* EVTRANDVM*) claruisse sub annum Domini* DCCCC.L. *imperante* OTHONE I. *Cæsare. Et rectè: nam & Historiam suam Europæam vsque ad Othonem perduxit. At* FORMOSVS, *in quo nostra hæc terminatur Historia, in viuis esse desiit anno* DCCC.XCV. *à quo anno vsque ad dictum* DCCCC.L. *viginti circiter Pontifices Romani numerantur, de quibus nullum in præsenti Pontificum Historiâ verbum. Adhæc, in extremis huius Opusculi vitis particularia quædam commemorantur, quæ non videntur profecta nisi ab eo qui* FORMOSI *decessorúmque eius temporibus floruerit, imò ab eo qui in VVestphaliâ, vel Saxoniâ, vt in monasterio Corbeiensi, Hirsfeldensi, vel Fuldensi tunc florentissimis, vixerit. Nam in* HADRIANO I. *refert* CAROLVM MAGNVM *Romæ in Diui* PETRI *basilicâ vouisse* DEO, *se Osnaburgi in prouinciâ VVestphaliæ, quam recèns ad fidem* CHRISTI *traduxerat, Episcopatum erecturum; quemadmodum & fecit, teste Alberto Krantzio libro* I. *Metropol. cap.* II. *& libro* II. *Saxon. cap.* XI. *Deinde in* HADRIANO II. *ait,* LVDOVICVM *Imperatorem (is fuit Ludouicus* II. *Lotharij Imp. filius) dedisse Ecclesiæ Corbeiensi & Herifordensi quasdam decimales Ecclesias cum ipsis decimis in paræciâ Osnaburgensi constitutas, consentiente Episcopo & omni Clero. Tum Carolum Romanorum Imperatorem honorificatæ Ecclesiæ, & à* DEO *honorificandæ Herfueldensi quasdam decimas in Frisoneuelt & Hassegâ Halberstadensi adiacentes Diœcesi dedisse, quas* STEPHANVS *Papa (*IV. *dictus* III.*) in basilicâ* B. PETRI *die sancto Paschæ suâ auctoritate, & Imperatoris subscriptione, & Hildegrino Halberstadensi Episcopo præsente confirmarit. Præterea in* STEPHANO VI. *scribit, Hermannum Colonienſem Archiepiscopum, & Hadalgarium Hamburgensem Archiepiscopum de Bremensi Ecclesiâ contendentes VVormatiam venire à Summo Pontifice iussos, ibíque Fulconi Rhemensi Episcopo in causâ eorum examinandâ vices suas commisisse. Quam rem accuratè tractat Krantzius lib.*II. *Metropol. cap.* XIX. XX. *&* XXIV. *eiusdemq; meminere Albertus Stadensis in Chron. ad annum* DCCC.XCVI. *& Trithem. in Chronico Hirsaugiensi. Denique in postremorum Pontificum Vitis, nominatim autem* PASCHALIS, BENEDICTI III. NICOLAI I. HADRIANI II. & IOANNIS VIII. *non pauca eorumdem Decreta prolixè recitat, quæ in Tomis Conciliorum non exstant; cùm tamen exstent pleraque*

omnia, quæ antiquioribus Pontificibus hîc tribuuntur. In LEONE *verò* IV. *quadragintaduo capitula è Synodo Romanâ, consilio Impp.* LOTHARII *&* LVDOVICI *coactâ, descripsit; quorum nulla quoque mentio in dictis Tomis. Vnde coniecturam minimè obscuram facere licet, huius Opusculi auctorem vltimorum Pontificum temporibus, hoc est, sub annum Domini* DCCC. LX. *maximè floruisse, & non sub* DCCCC. L. *quo* LVITPRANDVS; *auctoremq; esse non Italum, sed Germanum in Corbeiensi (ex quo aliqui ad Osnaburgensem Episcopatum illo sæculo euecti sunt) vel Hirsfeldensi monasterio degentem. Quid si auctor sit* PASCHASIVS RATBERTVS *Abbas Corbeiensis, quem Trithemius asseuerat* CAROLI CRASSI *floruisse temporibus? Carolus enim Crassus imperauit sub* IOANNE VIII. MARINO, HADRIANO III. *&* STEPHANO VI. *in quibus hæc Historia concluditur.*

Quod demum ad operam nostram in huius Opusculi editione præstitam attinet, non habemus aliud, amice Lector, de quo te commonefaciamus, quàm nos Summorum Pontificum Decreta, quæ in his Pontificum Vitis passim citantur, sedulò cum fonte contulisse, hoc est, cum Decretis quæ exstant in Conciliorum Tomis; & tum varias lectiones ad marginem, si quando occurrebant, tum etiam è Gratiano Canonum Capitula annotauisse. Quam operam nostram non dubitamus omnibus Theologiæ studiosis fore pergratam. Vale.

LVIT-

LVITPRANDI TICINENSIS DIACONI LIBER DE PONTIFICVM ROMANORVM VITIS.

CAPITVLVM I.

S. PETRVS APOSTOLVS.

BEATVS Petrus Apostolus, & Princeps Apostolorum, Antiochenus, filius Ioannis, Prouinciæ Galilææ, vico Bethsaidâ, frater Andreæ, primùm sedit in Episcopali cathedrâ Antiochiæ annos VII. & pòst ad expugnandum Simonem Magum, vt Hieronymus dicit, Romam ingressus II. Claudij anno, in Episcopali cathedrâ sedit annos viginti quinque, menses duos, dies tres. Qui vno eodemque tempore & die, videlicet, post passionem Domini anno XXXVIII. vltimo verò anno Neronis, III. Kalendas Iulij cum Paulo martyrium consummauit. Hic duas Epistolas fecit, quæ Canonicæ nominantur: in quarum primâ, primò generaliter Ecclesiam instruit, explicans beneficia quibus nos diuina pietas ad salutem vocare, vel dona quibus aliquando Iudæos, nunc autem nos honorare dignata est. Postmodum verò diuersas fidelium personas solerter hortatur, ne se tantâ Spiritus gratiâ carnaliter viuendo reddant indignos; ne, qui regali

ANNO CHRISTI XLV.

Hier. de Script. Eccles. in Petro.

DVÆ EPIST. PETRI CANONICÆ.

gali ac ſacerdotali vocabulo ſunt inſigniti, vitiorum malitiâ ſubacti, à condonatæ vel promiſſæ ſibi nobilitatis gloriâ degenerent. Et primò liberos & ſeruos, deinde mulieres & viros ſpecialiter alloquitur: atque poſt interlocutionem generalis exhortationis, ſeniores quoque & adoleſcentes qualiter ſeſe debeant gerere, oſtendit. In ſecundâ verò Epiſtolâ, quam eiſdem ſcripſit, quibus & primam, miſeratus eoſdem, iam vt perfectiores ad maiora & perfectiora multipliciter commonet, & hortatur. Et Euangelium Marci feciſſe dicitur, quia Marcus adiutor eius fuit, & filius de baptiſmo. Ordinauit autem Epiſcopos tres, Linum, & Cletum, & Clementem, & Presbyteros decem, & Diaconos ſeptem.

MARCI EVANGELIVM.

CAP. II.
S. LINVS.

A. LXIX. LINVS natione Italus, regionis Tuſciæ, patre Herculano, ſedit annos vndecim, menſes tres, dies duodecim. Fuit autem temporibus Neronis, à conſulatu Saturnini & Scipionis, vſque ad Capitonem & Rufum Conſules. Sub quibus martyrio coronatur die nono Kalend. Octobr. Hic ex præcepto beati Petri conſtituit, vt mulieres velato capite in Eccleſiam introirent. Hic ordinauit Epiſcopos quindecim, Presbyteros octodecim.

CAP. III.
S. CLETVS.

A. LXXXI. CLETVS, natione Romanus de regione Vico patricij, patre Æmiliano, ſedit annos duodecim, menſem vnum, dies vndecim. Fuit autem temporibus Veſpaſiani & Titi, à conſulatu Veſpaſiani VII. & Domitiani V. vſque ad Domitianum IX. & Rufum Conſulem: ſub quibus martyrio coronatur VI. Kalend. Maij. Hic ex præcepto B. Petri vigintiquinque Presbyteros ordinauit in Româ. Nota hos duos, Linum & Cletum, nihil Pontificale, niſi ex præcepto B. Petri, egiſſe: vnde conſtat eos coadiutores eius, non ſucceſſores fuiſſe.

CAP. IV.
S. CLEMENS.

A. XCIII. CLEMENS, natione Romanus, de regione Cælio monte, ex patre Fauſtino, ſedit annos nouem, menſes duos, dies decem. Fuit

Fuit autem temporibus Galbæ & Veſpaſiani à conſulatu Tragali & Italici, vſque ad Veſpaſiani nonum & Titum. *Hic, quamuis in ordine Catalogi poſt B. Petrum tertius inueniatur; reuerà tamen, ſicut ipſe in Epiſtolâ ſcripſit Iacobo Ieroſolymorum Epiſcopo, poſt beatum Petrum primus, nullo interpoſito, Romanæ Sedis gubernacula procul dubio tenuit: Linus autem & Cletus ideò velut ſucceſſores Petri connumerantur, quia ipſe eos in vitâ coadiutores ſibi fecit, vt tantò meliùs ipſe vacare poſſet orationi. Hanc veritatis ſententiam Tertius Ioannes Papa in epiſtolâ, quam ſcripſit Epiſcopis in Germaniæ & Galliæ prouinciis conſtitutis, manifeſtè confirmat, ita inter cetera dicens: *Si autem Petrus princeps Apoſtolorum adiutores ſibi Linum & Cletum adſciuit, non tamen poteſtatem Pontificij, aut ligandi aut ſoluendi normam eis tradidit, ſed ſucceſſori ſuo Clementi, qui Sedem Apoſtolicam poſt eum, & poteſtatem Pontificalem tradente ſibi B. Petro tenere promeruit. Linus verò & Cletus miniſtrabant exteriora: princeps autem Apoſtolorum Petrus verbo & orationi inſiſtebat.* Item in eâdem Papa Ioannes paulò inferiùs de eiſdem ita ſubiungit: *Linum namque & Cletum nihil legitur vmquam egiſſe ex Pontificali miniſterio poteſtatiuè; ſed quantum eis à beato Petro præcipiebatur, tantum ſolùm agebant.* Hic autem, dum multos libros zelo fidei Chriſtianæ religionis aſſcriberet, martyrio ſub Traiano, tertio anno regni eius, coronatur, IX. Kalend. Decembris.

* *Ad hæc reſpondet Baronius 1. tom. an. 69.*

IOAN. III. PAPA. 8. q. 1. c. *Si autem.*

Hic ſolicitè ac diligenter geſta Martyrum fecit inquiri, & ſcribi. Hic ſcripſit duas Epiſtolas Iacobo Ieroſolymorum Epiſcopo, quæ Catholicæ nominantur. Et primam ſcripſit ei ex præcepto B. Petri: in quâ videlicet, ipſo præcipiente, Iacobo narrat, qualiter ipſe Princeps Apoſtolorum, cùm finem ſibi vitæ imminere præſenſit, ipſum Clementem in conuentu Eccleſiæ Romanæ Sedis Pontificem ordinauit, & ſibi ſucceſſorem eſſe conſtituit, & ei ligandi & ſoluendi poteſtatem à Domino ſibi traditam tradidit: ita vt de his omnibus, quibus ipſe decreuerit in terris, decretum ſit & in cælis. Et quare talem ac tantam poteſtatem ei tradidiſſet, continuò ſubiunxit: *Ita ligabit enim quæ ligari oportet, & ſoluet quæ expedit ſolui, tamquam qui ad liquidum Eccleſiæ regulam nouerit.* In quo notandum eſſe non dubito, illud, quod quilibet Epiſcopus Eccleſiaſticæ regulæ ignarus, vel qualibet iræ aut cupiditatis commotione inductus, ſi aliter, quàm oporteat, ligabit aut ſoluet in terris, irritum fore in cælis.

CLEM. EPIST. QVINQVE I. EPIST. CAPITA.

Narrat etiam in eâdem Epiſtolâ, quòd Princeps Apoſtolorum coram omnibus eum commonuit, qualiter ordinem Eccleſiaſticæ diſpenſationis, tam in ſeipſo, quàm in ceteris ſibi ſubiectis, ſeruare eum oporteat; ita videlicet, vt ipſum irreprehenſibiliter viuere oporteat, & nullâ mundialis negotij occupatione perplexus inue-

niatur. quia nullus Episcopus iudex aut cognitor esse sæcularium negotiorum ordinatur, ne præsentibus hominum curis præfocatus non possit verbo Dei vacare, & bonos à malis secundùm regulam veritatis discernere; quia sic idem ipse Princeps Apostolorum omnibus Episcopis in personâ Clementis paulò inferiùs dicit: *Si enim mundialibus curis fueris occupatus, & te ipsum decipies, & eos qui te audiunt. Non enim poteris, quæ ad salutem pertinent, pleniùs singulis quibusque distinguere: & ex eo fit, vt tu, tamquam non docueris ea quæ ad salutem hominum pertinent, deponaris, & discipuli per ignorantiam pereant.* Item refert eumdem Principem Apostolorum de Episcopis ita docuisse: *Ipsum qui præest ceteris, oportet medici vicem agere, & non feræ bestiæ furore commoueri.* Item in eâdem sic eumdem Clementem instituit: *Si te multi ex fratribus propter rigorem iustitiæ odio habuerint, ex hoc quidem non lædêris, sed ex huiusmodi odiis amor Dei conciliatur tibi: & ideò satage magis, & refuge, ne lauderis ab iniquis, & ne à pessimè agentibus diligaris, sed potiùs propter iustitiæ dispensationem, & æquissimam regulam disciplinæ à Christo collaudari merearis.*

13. q. 3. c. Quicumqué.

PRESBYTERORVM OFFICIVM.

Presbyteros autem sic se habere præcepit, vt ante omnia pudicitiam tam in se quàm in subditis seruare studeant, & caueant, & præueniant, né quod in ipsis adulterij occultum calescat incendium: quia in omnibus peccatis *nil grauius adulterio esse dicit. Secundum namque locum in pœnis obtinere testatur, quoniam primum quidem habent illi, qui à Deo aberrant, etiamsi sobriè vixerint. Adulterij autem primam speciem vocat, virum propriâ vxore non esse contentum, & mulierem non proprio tantùm seruare se viro. Item præcipit, vt si inter se negotia habuerint, non apud sæculares iudicentur, sed quidquid inter illos sit, apud Presbyteros dirimatur. Diaconorum officium esse edocuit actus totius Ecclesiæ diligenter inuestigare, ac solicitè considerare: vt, si quidem vicinum fieri præcipitio, & proximum esse peccato quemlibet viderint, Episcopo notificentur; vt ab eo, qui in præcipitium lapsurus est, commonitus reuocetur, vt non corruat in peccatum. Item, vt negligentes & tardos ad verbum Dei audiendum, ad Episcopi tractatum conuenire commoneant & hortentur. Similiter & eos, qui secundùm carnem ægrotant, solicitè perquirant, & plebi indicentur, vt & ipsi eos visitent, & quæ necessaria sunt præbeant eis: & de omnibus his similibus, quæ ad cultum Ecclesiæ & disciplinam eius pertinent, Diaconis curam debere esse instituit.

* Nihil grauius inter peccata, contra proximum in genere. D. Thom. 2.2. q. 73. art. 3. Aug. Barbosa in Collectan. ad d. c. Quid in omnibus.

DIACON. OFFICIVM. dist. 93. c. Diaconi.

LAICORVM OFFICIVM.

Laicos verò id obsequij præstare debere Episcopis instituit, vt in his quæ ad communis vitæ vsum pertinent, operam fideliter dantes, Episcopum ex omnibus, quibus eum vacare oportet, securum facere omnes communiter elaborent. Adhæc omnium sub Episcoporum curâ degentium necessariam solicitudinem debere esse

esse dixit, vt ab amicitiâ & colloquio, & omni communione omnium eorum se subtrahat, quibus Episcopum inimicari pro actibus suis viderint, nec expectare debent, vt Episcopus eis dicat. Nam si quis amicus fuerit his, quibus Episcopus non loquitur, vnus est ex illis, qui exterminare Ecclesiam Dei volunt, & nequior hostis est, quàm illi qui foris sunt, & euidenter sunt inimici: quia is per amicitiarum speciem, quæ sunt inimica, gerit, & Ecclesiam disperdit ac vastat. Item in eâdem Epistolâ intimat Iacobo, qualiter Princeps Apostolorum per singulas quasque vrbes digrediens verbo Dei omnes fideles instruxit. Inter cetera refert, eum homicidas & adulteros, ac cunctis criminum nexibus alligatos, & qui eis coæquales non sunt, ab Episcoporum vexatione & accusatione prohibuisse. Item asseruit, maiores à minoribus nullatenus posse accusari, aut iudicari. Præcepit etiam, ne vllus Presbyter in alicuius Episcopi parochiâ aliquid agat absque eius permissu, sed omnes Presbyteri propriis Episcopis in omnibus absque morâ obediant.

6. q. 1. c. B. Petr.

Præcipiebat etiam in Sermone suo idem Apostolorum Princeps, vt omnes Principes terræ, & cuncti homines Episcopis obedirent, & capita sua submitterent, &, si ipsi Episcopi aliter, quod absit, quàm debeant, agant, non sunt à subditis reprehendendi aut arguendi, sed portandi, nisi in fide errauerint. Omnes Episcopis contradicentes infames esse monstrabat, &, nisi conuerterentur, à liminibus Ecclesiæ alienos esse præcipiebat. Sed ne de hoc Episcopi se extollant, animaduertant quid de ipsis dicat. Cunctorum sacerdotum vitam superiorem, sanctioremque, ac discretam à sæcularibus & laicis hominibus esse, & spirituales supra carnales, & sacerdotes supra laicos semper constituere & fore debere docebat: carnales autem spiritualibus resistere prohibebat. Ebrietatem opidò prohibebat, quia ebriosos corpore & animâ mortuos esse prædicabat. Homicidarum genera tria esse dicebat, & pœnam illorum parilem fore docebat. Ita enim detractores fratrum, & eos odientes, homicidas esse manifestabat, sicut & eorum interfectores: quia qui occidit, & qui odit fratrem suum, & qui detrahit, pariter homicidæ esse monstrantur.

2. q. 7. c. Sacerdotes. 11. q. 3. c. Si autem. de Pœnit. dist. 1. 1. Ioan. 3.

II. EPISTOLÆ CAPITA.

In secundâ autem Epistolâ, quam supradicto Iacobo Ierosolymorum Episcopo scripsit, eum de Sacramentis, quæ geruntur in sanctis, sicut à Principe Apostolorum fuerat doctus, ex ordine instruit. Dicit enim, diuinorum secretorum Sacramenta tribus gradibus esse commissa, id est, Presbytero, Diacono, Subdiacono. His autem cum timore & tremore reliquias Corporis Dominici custodiendas esse insinuat. In altario autem tanta holocausta offerenda esse præcipit, quanta populo sufficere videatur. Si quid verò inde remanserit, non in crastinum reseruandum, sed cum timore &

de Conse. dist. 2. c. Tribus.

tremore Clericorum diligentiâ consumendum esse edocuit. Consumentes autem ea, quæ sunt residua Corporis & Sanguinis Domini, non statim ad communes cibos accipiendos debent accedere; sed si manè, ieiunent vsque ad sextam: & si tertiâ vel quartâ acceperint, ieiunent vsque ad vesperam. Altaris autem pallia, velum, & cetera, quæ in sanctuario habentur, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur; cineres verò eorum ita recondantur, vt non pedibus introëuntium inquinentur.

de Conſ. diſt. 1. c. Altaris palla.

Ministros autem altaris tales eligendos esse instruit, qui ante ordinationem suas coniuges reliquerint: si verò post ordinationem minister proprium cubile vxoris inuaserit, ministri officio careat. Item, si Presbyter aut Diaconus sindones sacrarij, aut velum cupiditate subtraxerit, & vendiderit; Iudæ traditoris pœnam susceپturum se nouerit. Clericos autem ad feminæ tabernaculum solos accedere, aut cum solâ feminâ solos fabulas miscere, vel cum extraneâ habitare, penitus prohibetur: alioquin, si agnitum fuerit de aliquo, deponatur. Tales autem Clericos ad ministerium iubet eligi, qui Dominica Sacramenta dignè possint tractare. Melius est enim Domini Sacerdoti paucos habere ministros, qui dignè possint opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus graue adducant ordinatori. Item in eâdem iubet, tam Clericos quàm sæculares semper ad Dominum ex toto corde orare, & ab ipso, quæ decent, petere, & ipsi gratias agere, veramque præteritorum gestorum pœnitentiam agere, aliquantulum etiam (si possibile est) per misericordias pauperum iuuare pœnitentiam. Per hæc enim facilior dabitur venia, & indulgenti citiùs indulgebitur. Item iubet, Ecclesias per congrua & vtilia loca fieri, easque diuinis precibus sacrari, & in singulis Sacerdotes poni, quos venerari, non à quoquam grauari, oporteat.

17. q. 4. c. Si fortè.

diſt. 23. c. Tales.

16. q. 7. c. Eccleſias.

III. EPISTOLÆ CAPITA.

Item in tertiâ Epistolâ, quam generaliter omnibus Episcopis, & reliquis Clericis, & cunctis Principibus, omnibusque subditis scripsit; dicit eos, qui sacerdotio Domini fruuntur, & in speculâ sunt positi, plus ceteris scire oportere, vt subditos sibi populos pleniter possint docere, eisque ad cælorum regna ducatum præbere: & ipsorum sit populos docere; populorum verò sit, ipsis Episcopis obedire. Si verò omnes tam Clerici, quàm & laici, eis non obedierint; non solùm infames, sed extorres à regno Dei, & à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alieni erunt: quia arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Qualiter autem cuique sit obediendum, in eâdem Epistolâ docet, ita subinferens: Quapropter cunctis fidelibus, & summoperè omnibus Presbyteris & Diaconis, & reliquis Clericis attendendum est, vt absque Episcopi proprij licentiâ nihil agant. non vtique Missas sine eius iussu quisquam

Matth. 7.

16. q. 1. c. Cunctis.

quam Presbyterorum in suâ parochiâ cantet, non baptizet, nec quidquam sine eius permissu faciat. Similiter & reliqui populi, maiores scilicet & minores, per eius licentiam, quidquid agendum est, agant, nec sine eius permissu à suâ parochiâ abscedant; nec in eâ aduentantes morari præsumant. Item in eâdem paulò inferiùs dicit: Nec in aliis locis sacrificare, & Missas celebrare licet, nisi in his, in quibus Episcopus proprius, aut ab Episcopo regulariter ordinato, tenente videlicet ciuitatem, consecratus fuerit. Item in eâdem dicit: Qui permanet in malo, & seruus est mali; non potest effici portio boni, donec permanet in malo: quia ab initio duo regna statuta sunt à Deo, & apud eum definitum est, non posse vnum hominem vtriusque regni esse seruum; sed illius regni erit portio, cui se ad obediendum ipse subiecerit.

de Conſ. diſt. 1. c. Hic ergo.

IV. EPISTOLÆ CAPITA.

In quartâ autem Epistolâ, quam idem beatissimus Clemens Papa & Martyr Iulio & Iuliano, ac reliquis consodalibus suis scripsit, edocuit Episcopos, qui ad salutem animarum sunt instituti, & ad lucrandas animas consecrati, oportere pro cunctis sollicitudinem gerere, & errantes ad viam veritatis & portum salutis reducere. Viam verò redeundi ad portum salutis, plenissimè saluberrimæ doctrinæ sermone in eâdem monstrauit, videlicet dicens, omnibus necessarium esse, pro his quæ inutiliter ac turpiter gesserint, irasci sibi ipsis quodammodò, & indignari, & postmodum festinare sine morâ per aquam baptismi Deo renasci, & demum ab Episcopo consignari, id est, septiformem Spiritus sancti gratiam percipere: quia aliter, perfectus Christianus esse nequaquam poterit, nec sedem habere inter perfectos, si non necessitate, sed aut incuriâ, aut voluntate permanserit. & ita se à B. Petro accepisse, & ceteros Apostolos ita docuisse, affirmat. Postquam verò quis baptizatus & confirmatus fuerit, agnoscat Dominum honorare. honor autem eius est, vt ita viuat, sicut ille vult. Vult verò Deus vnumquemque viuere, ita vt homicidium & adulterium nesciat, odium & auaritiam fugiat; iram, superbiam, iactantiam respuat & execretur, inuidiam quoque, & cetera his similia, penitus à se ducat aliena.

CONFIRMATIONIS SACRAMENTVM.

V. EPISTOLÆ SVMMA.

Quintam verò Epistolam scripsit prædictus B. Clemens Papa & Martyr, condiscipulis Ierosolymis cum Iacobo fratre Domini habitantibus: in quâ eos communem vitam ducere, sicut ab Apostolis didicerunt, studiosè hortatur. Quam omnibus necessariam esse dicit, & maximè his, qui irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumque discipulorum imitari volunt. Monet etiam in eâdem, propter quosdam, qui sacram Scripturam non iuxta traditionem Petri, sed secundùm suum sensum sanis doctrinis aduersantes exponebant; ab eo oportere Scripturarum intelligentiam accipi, qui eam à maioribus secundùm veritatem

tem sibi traditam seruat, vt & ipse possit ea, quæ rectè suscipit, competenter asserere. Cùm enim ex diuinis Scripturis integram quis & firmam regulam veritatis susceperit; absurdum non erit, si aliquid etiam ex eruditione communi, ac liberalibus studiis, quæ fortè in pueritiâ attigit, assertionem veri dogmatis conferat: ita tamen, vt vbi vera didicit, falsa & simulata declinet. Hic ordinauit Episcopos quindecim, Presbyteros decem, Diaconos quinque.

CAP. V.

S. ANACLETVS.

A. CIII. ANACLETVS natione Græcus, de Athenis, ex patre Antiocho: sedit annos nouem, menses duos, dies decem. Fuit autem temporibus Domitiani, à consulatu Domitiani decimo, & Sabini, vsque ad Domitiani quartumdecimum, & Clementem Consulem. Hic memoriam B. Petri construxit, dum ab eo in Presbyterum consecratus fuisset. Hic ordinauit Episcopos sex, Presbyteros quinque, Diaconos tres. Hic autem III. Idus Iulij solutus est de ergastulo corporis.

*Epist. 1. Hic * in Epistolâ, quam generaliter scripsit omnibus Episcopis, & ceteris cunctis fidelibus, qui coæqualem cum eo sortiti sunt fidem, paternè consolando eos, quibus scripsit, & maximè Episcopos, in tribulationibus, ad patientiam diligenter hortatur. De quorum Episcoporum detractione & accusatione ita in eâdem interserit: * *Beatus prædecessor noster Clemens, vir Apostolicus, & Spiritu sancto Dei plenus, vnà cum reliquis sanctis collegis suis statuit, dicens: Accusandi vel testificandi licentia denegetur his, qui Christianæ religionis & nominis dignitatem, & suæ legis vel propositi sui normam, aut regulariter prohibita, neglexerint. Transgressores enim sponte legis suæ, eiusque violatores, apostatæ nominantur. Omnis autem apostata refutandus est ante reuersionem suam, non in accusatione rectè agentium, aut testimonio suscipiendus: quia vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis.* Et paulò inferiùs subinfert, ita dicens: *Ideò variis detractionibus & accusationibus non oportet labefactari iudices & primates Ecclesiæ; sed magis Apostolorum & Doctorum regulis informari & roborari. Vnde iustum est, omnes in vniuerso Romanorum orbe doctores legis ea quæ legis sunt rectè sapere & operari, & non regulas nascentis Ecclesiæ confundere, aut fidem aut doctrinam Apostolorum variis maculare doctrinis.* Item in eâdem inferiùs: *Nullus ergo præiudicium alteri faciat, neque quod sibi fieri non vult, exerceat. Nemo dictum de aliquo inueniat, quod in eius actibus non agnoscat.* Item in eâdem: *Ego nolo errore meo alienas culpas asserere, vt quod factum doleo, admisisse conuincar.*

* *Epist. 1. ad Iacobum.*

3. q. 4. c. *Beatus.*

Tob. 4.

Item in eâdem propter calumniam malorum Episcopis præcipit,

pit, dicens: *Episcopus Deo sacrificans testes secum habeat, & plures quàm alios Sacerdos: sicut enim maioris honoris fungitur gradu, sic maioris testimonij incremento indiget. In solemnioribus quippe diebus, aut septem, aut quinque, aut tres Diaconos, qui eius oculi dicuntur; & Subdiaconos, & reliquos ministros secum habeat, qui sacris vestimentis induti, in fronte, & à tergo, & Presbyteri è regione dextrâ læuâque, contrito corde, & humiliato spiritu, ac prono stent vultu, custodientes eum à maleuolis hominibus, & consensum præbeant sacrificio. Peractâ autem consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.*

de Cons. dist. 1. c. Episcopus.

Item in eâdem dicit: *Qui malitiam inter homines spargit, & qui fratri suo detrahit, homicida est: & qui aliquid patri vel matri abstulerit, dicens, hoc peccatum non esse, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creauit; mater verò nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo spirituali regenerauit. Ergo qui Christi & Ecclesiæ pecunias rapit, aufert, vel fraudat; homicida est, atque homicida ante conspectum iusti iudicis esse deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam, vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit. Priuilegia enim Ecclesiarum & Sacerdotum sancti Apostoli, iussu Saluatoris, intemerata & inuiolata perpetuis decreuerunt manere temporibus. Et nos leges Ecclesiæ Apostolicâ firmamus auctoritate, & peregrina iudicia submouemus. Vnaquæque enim prouincia tam iuxta Ecclesiasticam, quàm iuxta sæculi leges, suos debet habere iustos, & non iniquos iudices, & non externos, vt Apostolicæ huius Sedis decreuerit auctoritas. Si verò negotium fuerit Ecclesiasticum, apud Episcopos deferatur, interueniente Primate, si maior caussa fuerit; si verò minor, Metropolitano: si autem fuerit sæculare, apud eiusdem ordinis viros, iudicio tamen Episcoporum: cùm Apostolus priuatorum Christianorum caussas magis ad Ecclesias deferri, & ibidem sacerdotali iudicio voluerit terminari. Omnis ergo oppressus liberè, si voluerit, Sacerdotum appellet iudicium, & à nullo prohibeatur, sed ab his fulciatur & liberetur. Si autem difficiles caussæ, aut maiora negotia fuerint orta, ad maiorem sedem deferantur: & si illic facilè discerni, aut iustè terminari, non potuerint; vbi fuerit summorum congregatio congregata, quod per singulos annos bis aut ter fieri solet, & debet, iustè, & Deo placitè, coram Patriarchâ, aut Primate Ecclesiastico, & coram patricio * sæcularia iudicentur negotia in commune. Quòd si difficiliores quæstiones ortæ fuerint, * aut temporum, aut maiorum iudicia, aut maiores caussæ fuerint; ad Sedem Apostolicam, si appellatum fuerit, referantur, quoniam hoc Apostoli statuerunt iußione Saluatoris, vt maiores & difficiliores quæstiones semper referantur ad Apostolicam Sedem.*

12. q. 1. c. Qui abstulerit.

c. Qui Christi.

12. q. 4. c. Qui rapit.

25. q. 2. c. Priuilegia.

3. q. 6. c. Vnaquæque.

1. Cor. 6.

2. q. 6. c. Omnis oppressus.

* sæcularia

* Episcoporum

IDEM ipse B. Anacletus aliam Epistolam scripsit Episcopis in Italiâ constitutis, in quâ eos consultantes de ordinationibus & accu-

II. EPISTOLÆ ANACLETI SVMMA.

accusationibus Episcoporum sic instruit, dicens: *Ordinationes Episcoporum, auctoritate Apostolicâ, ab omnibus qui in eâdem fuerint prouinciâ Episcopis celebrandæ sunt. qui simul conuenientes, scrutinium diligenter agant, ieiuniumque cum omnibus celebrent precibus, & manus cum sanctis Euangeliis, quæ prædicaturi sunt, imponentes, Dominicâ die horâ tertiâ orantes, sacrâ eos vnctione inungant. Quòd si omnes simul minimè conuenire potuerint, assensum tamen suis precibus præbeant, vt ab ipsâ ordinatione animo non desint, quia Iacobus, Iustus, & frater Domini nostri nuncupatus, à Petro, Iacobo & Ioanne Apostolis est ordinatus, datâ videlicet ex hoc successoribus suis formâ, vt nullus Episcopus minùs quàm à tribus Episcopis ceteris consentientibus ordinetur. Reliqui verò Sacerdotes à proprio ordinentur Episcopo, ita vt ciues, & alij Sacerdotes assensum præbeant, & ieiunantes ordinationem celebrent. Similiter & Diaconi ordinentur. Ceterorum autem graduum distributioni trium veracium testium testimonium, cum Episcopi scilicet probatione, sufficere potest. Accusatio quoque eorum, super quâ nos consulere voluistis, non nisi ab idoneis & probatissimis viris, qui & suspicionibus & sceleribus careant, fieri debet.* Et ab illis hoc modo, sicut prædictus Papa inferiùs docet, dicens: *Si quis aduersus eos † recurrat charitatis studio, vt familiari colloquio commoniti, ea sanent, quæ sananda sunt; & charitatiuè emendent ea, quæ iustè emendanda cognouerint. Si autem aliqui priùs, quàm hæc egerint, eos lacerare, accusare aut infestare præsumpserint; excommunicentur, & minimè absoluantur, priusquam satisfaciant, & condignam egerint pœnitentiam.*

dist. 64. c. Ordinationes.

dist. 67. c. Reliqui.

2. q. 7. c. Accusatio.

ITEM idem sanctus & beatissimus Papa Anacletus omnibus Episcopis, & reliquis Christi Sacerdotibus scribit Epistolam, in quâ Sacerdotum ordinem auctoritate Apostolorum bipertitum esse comprobat, Episcoporum videlicet, & Presbyterorum: & hunc ordinem ita à Domino constitutum à nullo perturbari oportet. Episcopi autem non in castellis aut modicis ciuitatibus debent constitui; sed Presbyteri tantùm ab Episcopo, ad qualemcumque locum vel Ecclesiam, quæ in eo constituta sit, sunt præficiendi, & in eâ diebus vitæ suæ duraturi. Et non ampliùs, quàm istos duos ordines Sacerdotum esse dicit: quia licet alij Primates vel Patriarchæ, alij Metropolitani dicantur; ordo tamen vnus est, sed ipsa discretio nominum discretionem indicat maiorum in prælatione iudicij, non in potestate Pontificij. Romanam verò Ecclesiam primam Sedem vocat, quia B. Petrus & Paulus suo martyrio eam ceteris omnibus prætulerunt. Secundam verò Sedem esse apud Alexandriam dicit, quia B. Petri nomine, & à Marco eius discipulo atque Euangelistâ consecrata est. Tertiam verò Sedem apud Antiochiam, quia B. Petrus, antequam Romam veniret, illic habitauit, & Ignatium ibi constituit Episcopum, & illic primùm nomen

III. EPISTOLÆ SVMMA.

TRES PRIMARIÆ SEDES.

nomen Christianorum nouellæ gentis exortum est. Accusatores autem & testes dicit esse non posse, qui ante hesternum diem, aut nudiustertius inimici fuerunt, ne irati nocere cupiant, vel læsi vlcisci se velint. Dicit etiam pro meritis plebis sæpè pastores Ecclesiæ deprauari, vt procliuiùs corruant qui sequuntur, capite videlicet langueſcente faciliùs reliqua corporis membra inficiuntur. Dicit etiam, Si Doctor vel Pastor Ecclesiæ à fide exorbitauerit, erit à fidelibus corrigendus, sed pro reprobis moribus magis est tolerandus, quàm distringendus, quia Rectores Ecclesiæ à Deo sunt iudicandi.

3. q. 5. c. Accusatores.

CAP. VI.

S. EVARISTVS.

EVARISTVS, natione Græcus, ex patre Iudæo, Iudâ nomine, de ciuitate Bethlehem, sedit annos nouem, menses decem, dies duos. Fuit autem temporibus Domitiani & Neruæ, à consulatu Valentis & Veteris, vsque ad Gallum, & * Bradum Consules: sub quibus martyrium passus est VI. Kalend. Nouembr. Hic ordinauit Episcopos quinque, Presbyteros sex, Diaconos duos. Hic in suis decretis præcepit septem Diaconos in vnaquaque vrbe constituendos, ad custodiendum Episcopum, ne ipse in prædicatione ab insidiatoribus infestetur, aut verbum veritatis quolibet genere detractionis pollui possit.

A. CXII.

*Braduam

* Hic etiam scriptum misit vniuersis Episcopis Africæ regionis, quòd coniugium legitimum sit in omni Ecclesiâ habendum, ita dicens: *Aliter non fit legitimum coniugium, sicut à Patribus accepimus, & sanctis Apostolis, eorumque successoribus traditum inuenimus, nisi ab his, qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, vxor petatur, & à parentibus aut propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore sacerdotaliter, vt mos est, cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicatur, & à paranymphis, vt consuetudo docet, custodita & * seruata à proximis, tempore congruo petita * legibus detur, & solemniter accipiatur; & biduo vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant: aliter verò præsumpta, non coniugia, sed aut adulteria, vel* concubia aut stupra, vel fornicationes potiùs, quàm legitima coniugia esse non dubitate, nisi voluntas propria suffragauerit, & * nota succurrerit legitima.*

Epist. 1. ad Episc. Afric. 3. q. 5. c. Aliter.

*consociata

*dotetur

*contubernia

*vota succurrerint

* Hic idem in aliâ Epistolâ, quam omnibus Episcopis per Ægyptum morantibus scripsit, de Episcopo & Ecclesiâ dicens: Ecclesia iungitur Episcopo spiritualiter, velut sponsa carnaliter sponso. Et sicut vir non debet negligere vxorem suam, sed diligere, & ca-

*Epist. 2.

ſtè cuſtodire, & prudenter regere: ita & Epiſcopus debet Eccleſiam ſuam, & Eccleſia in omnibus obedire, ſicut vxor viro ſuo debet. Et ſicut viro non licet dimittere vxorem ſuam, ita & Epiſcopo non licet dimittere Eccleſiam ſuam, abſque inuitabili neceſſitate, aut
1. Cor. 7. Apoſtolicâ vel regulari mutatione, vt alteri ſe ambitus cauſsâ coniungat. Et ſicut vxori non licet dimittere virum, licet ſit fornicatus, vt alterum eo viuente ducat: ita Eccleſia viuente Epiſcopo ſuo non poteſt alium ſuperducere. De Epiſcopis verò infamatis, & à ſedibus pulſis, in eâdem præcepit, vt reuocentur, & integerrimè reſtituantur, & ſuperducti, velut adulteri, eiiciantur. His peractis, ſi quis aduerſus eos querelam habuerit, inquirendum erit, & auctoritate Romanæ Sedis terminandum. Qui non à plebe, aut à vulgaribus hominibus ſunt arguendi, vel accuſandi, licet ſint inordinati: quia pro meritis ſubditorum diſponitur à Deo vita Doctorum.

2. q. 7. c. Si qui. Item inferiùs: *Si qui ſunt vituperatores, aut accuſatores Epiſcoporum, vel reliquorum Sacerdotum, non oportet eos à iudicibus Eccleſiæ audiri, antequam eorum diſcutiatur æſtimationis ſuſpicio vel opinio, quâ intentione, quâ fide, quâ temeritate, quâ vitâ, quâ conſcientiâ, quóve merito, ſi pro Deo, aut pro vanâ gloriâ, aut inimicitiis, vel odio, aut cupiditate iſta præſumpſerint, necne. Hæc omnia ſunt perſcrutanda & diligenter pertractanda.* Deus enim, vt nos à præcipitatæ ſententiæ prolatione compeſceret, cùm omnia nuda ſint & aperta oculis eius; mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare, priuſquam manifeſtè agnoſceret
Hebr. 4. Gen. 18. quæ dicebantur. Hic etiam decretum ſtatuit de non iniuriandis aut lacerandis Epiſcopis.

CAP. VII.

S. ALEXANDER.

A. CXXI. ALEXANDER, natione Romanus, ex patre Alexandro, de regione caput Tauri, ſedit annos decem, menſes ſeptem, dies duos. Fuit autem temporibus Traiani vſque ad Helianum
*Epiſt. 1. ad omnes. & Veterem. Hic martyrio coronatur v. Nonas Maij. * Hic præcepit de Sacerdotibus non vexandis, aut ſcriptis ab eis vi aut metu aut fraude aliquâ non exigendis, ita dicens in Epiſtolâ, quam omnibus orthodoxis Epiſcopis per diuerſas prouincias commo-
3. q. 4. c. Hi qui. rantibus ſcripſit: *Eorum accuſandi Epiſcopos, vel teſtificandi in eos, vocem obſtruimus, quos non humanis, ſed diuinis actibus mortuos eſſe ſcimus.* Et inferiùs: *A prædeceſſoribus noſtris inhibitum legimus, vt nemo conſtringat doctores, neque accuſationem aduerſus eos ſuſcipiat.* Item paulò inferiùs: *Statuentes decernimus, omnes, qui ſanctos Patres perſequuntur, aut amouere vel dilacerare nituntur, manifeſtè infames eſſe, & alienos à limitibus Eccleſiæ vſque ad ſatisfactionem fieri.*

Item

Item in eâdem inferiùs dicit: *Similiter, ſi huiuſmodi perſonis quædam ſcripturæ quoquo modo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, vel vt ſe liberare poſſint quocumque ab eis conſcriptæ vel * laboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præiudicium aut nocumentum prouenire cenſemus: neque vllam eis infamiam, aut calumniam, aut à ſuis ſequeſtrationem bonis, vmquam auctore Domino, & ſuis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, ſuſtinere permittimus; quia confeſſio in talibus non compulſâ, ſed ſpontanea fieri debet.* Peſſimum eſt enim de ſuſpicione aut exortâ confeſſione quemquam iudicare. Præcepit & in eâdem, vt in conſecratione Corporis & Sanguinis Domini eius paſſio ſit commemoranda; & vt aqua cum ſale benedicatur, & in domibus fidelium aſpergatur, & fidem ſanctæ Trinitatis, ſicut à Patribus acceperat, ita ſcripto ſuo nos edocuit. Hic ordinauit Epiſcopos quinque, Presbyteros ſex, Diaconos duos.

15. q. 6. c. Si quandoque. * roboratæ

de Conſ. diſt. 2. c. In Sacramentorum. & c. Aquam.

CAP. VIII.

S. SIXTVS.

A. CXXXII. SIXTVS, natione Romanus, ex patre Paſtore, de regione Viâ latâ, ſedit annos decem, menſes duos, diem vnum. Fuit autem temporibus Adriani, vſque ad Verum & Anniculum: ſub quibus & martyrio coronatur III. Non. Aprilis. * Hic in decretis ſuis monendo præcepit fidem rectam, & ab Apoſtolis traditam inconcuſsè ſeruandam, quâ & ipſe nos ſcribendo inſtruxit. *Præcepit etiam, vt ſacra vaſa non tangerentur, niſi ab hominibus ad hoc officium Deo ſacratis. Hic conſtituit, vt quiſque Epiſcopus aliquâ aduerſitate pulſatus licenter appellet Romanam & Apoſtolicam Sedem; & illuc vocatus, venire non renuat: nec inde abſque Apoſtolicis litteris ad propriam redeat; vt vicini ſui ex hoc intelligant, qualiter ibi ſuam aliorumque cauſſam finierit. Conſtituit etiam, vt nemo Epiſcopum ſuis rebus exſpoliet, aut à propriâ ſede expulſum excommunicare, aut diiudicare præſumat. Hic ordinauit Epiſcopos quatuor, Presbyteros vndecim, Diaconos tres.

*Epiſt. 1. ad omnes.

*Epiſt. 2. ad omnes Epiſcopos. de Conſ. diſt. 15. In ſancta. 2. q. 6. c. Si quis veſtrûm.

CAP. IX.

S. TELESPHORVS.

A. CXLII. TELESPHORVS, natione Græcus, ex Anachoretâ, ſedit annos vndecim, menſes tres, dies viginti duos. Fuit autem temporibus Antonini & Marci. Hic IV. Nonas Ianuarij martyrio coronatur. * Hic in decretis ſuis ſtatuit firmiter, vt om-

*Epiſt. 1. ad omnes.

nes Clerici in sortem Domini vocati septem hebdomadas plenas ante Pascha à carne ieiunent: & vt Clerici nullatenus laicos in suâ pulsatione aut accusatione recipiant; sicut & ipsi laici iuxta sæcularem legem Clericos in suis infamationibus recipere nolunt. Constituit etiam, vt in sanctâ nocte Natiuitatis Domini nostri Saluatoris Missa celebretur, & hymnus angelicus, id est, *Gloria in excelsis Deo*, solemniter decantetur. Reliquis autem temporibus, ante horam diei tertiam Missam celebrari prohibuit; quia & eâ horâ Dominus crucifixus, & Spiritus sanctus super Apostolos descendisse legitur. Præcepit etiam omnes accusationes, quas sæculi leges non admittunt, ad accusationem Ecclesiasticam non admittendas esse. Hic ordinauit Episcopos tredecim, Presbyteros vndecim, Diaconos octo.

c. Statuimus. dist. 4.

de Cons. dist. 1. c. Nocte sanctâ.

3. q. 5. c. Accus.

CAP. X.

S. HYGINVS.

A.CLIV. HYGINVS, natione Græcus, ex Philosopho de Athenis, cuius genealogiam non inueni, sedit annos quatuor, menses tres, dies octo. Fuit autem temporibus * Seueri & Marci, à consulatu Magni & Camerini vsque ad Orfitum & Priscum, qui III. Idus Ianuarij migrauit ad Dominum. Hic composuit Clerum, & distribuit gradus. * Hic in fide Christi nos instruxit multis & firmis documentis diuinæ Scripturæ, ostendens, nec Patrem præcessisse Filium, vt maior sit Filio, nec Filium postea natum, vt Deitate Patris minor esset. Hic etiam constituit, vt nullus Metropolitanus absque ceterorum prouincialium præsentiâ aliquorum audiat causas Episcoporum, quia sic actæ irritæ erunt. Constituit etiam, vt maiorum natu criminationes non per alios fiant, nisi per ipsos qui crimina intendunt. Qui etiam peregrina iudicia habenda prohibuit. Hic ordinauit Episcopos sex, Presbyteros quindecim, Diaconos quinque.

* Veri

* *Epist. 1. ad omnes fideles.*

2. q. 7. c. Criminationes.

CAP. XI.

S. PIVS.

A.CLVIII. PIVS, natione Italus, ex patre Rufino, frater Pastoris, de ciuitate Aquileiâ, sedit annos decem, menses quatuor, dies tres. Fuit autem temporibus Antonini, à consulatu Clari & Seueri. Qui v. Idus Iulij factus est de medio. * Hic firmiter decretis suis statuit, vt omnis, qui prædia diuinis vsibus tradita Deo subtrahere, & suis vsibus applicare præsumpserit, sacrilegus habeatur, & vt sacrilegus proculdubiò iudicetur: nec non & illum, qui Sacerdotes Dei insequitur, sacrilegum esse, & vt sacrilegum iudicandum esse confirmat: quia omne peccatum, quod in Deum committitur, grauius est, quàm illud quod fit in hominem. * Hic etiam instituit, vt, quia Angelus in habitu Pastoris Hermeti doctori fidei & Scripturarum apparens præcepit, Pascha die Dominico ab omnibus Christianis semper celebretur. Hic ordinauit Episcopos duodecim, Presbyteros nouemdecim, Diaconos viginti-duos.

**Ep.2. ad Italicos.*

12. q. 2. c. Prædia.

17. q. 4. c. Sicut.

** Ep. 1. ad omnes fideles. de Cons. dist. 3. c. Nosse vos.*

CAP. XII.

S. ANICETVS.

ANICETVS, natione Syrus, ex patre Ioanne, de vico Vmisâ, sedit annos nouem, menses tres, dies tres. Fuit autem temporibus Seueri & Marci, à consulatu Gallicani & Veteris, vsque ad Præsentem & Rufinum. Hic Martyr obiit XV. Kal. Maij. * Hic suâ auctoritate præcepit, & auctoritate decretorum Anacleti confirmat, ne aliquis Episcopus vllatenus minùs quàm à tribus Episcopis consecretur; & Metropolitanus Episcopus ab omnibus Suffraganeis Sedis Metropolis ad ipsam sedem conuenientibus est eligendus, & consecrandus. Et hoc aliter factum viribus carere non est dubium; quia quidquid contra statuta Patrum præsumptum fuerit, sine dubio licet non apud homines, apud Deum tamen irritum erit. * Constituit etiam, vt nullus Metropolitanus quidquam agat de caussis Suffraganeorum Episcoporum absque præsentiâ & communi eorum consilio. Præcepit etiam, vt Clericis non liceat comam nutrire. Hic ordinauit Episcopos nouem, Presbyteros septemdecim, Diaconos quatuor. A. CLXVII.

* *Ep. ad Galliæ Episc. 66. dist. c. Archiepisc.*

* *ibid. c. 3. 9. q. 3. c. Si autem. dist. 23. c. Prohibete.*

CAP. XIII.

S. SOTER.

SOTER, natione Campanus, ex patre Concordio, de ciuitate Fundis, sedit annos nouem, menses sex, dies vndecim. Fuit autem temporibus Seueri, à consulatu Rustici & Aquilini, vsque ad Cethegum & Clarum. Hic obiit X. Kal. Maij. * Hic constituit, vt nulla mulier sacrata, vel monacha, sacra vasa vel sacratas pallas contingeret, nec incensum circa altare deferret. Hic ordinauit Episcopos vndecim, Presbyteros octodecim, Diaconos nouem. A. CLXXV.

* *Ep. 2. ad Episc. Italiæ.*

CAP. XIV.

S. ELEVTHERIVS.

A. CLXXIX. ELEVTHERIVS, natione Græcus, ex patre Abundio, de oppido Nicopoli, sedit annos quindecim, menses tres, dies duos. Fuit autem temporibus Antonini & Commodi vsque ad Paternum & Braduam. Qui VIII. Kalend. Iunij obiit. Hic accepit Epistolam à Lucio Britannico Rege, vt Christianus efficeretur per eius mandatum. * Hic constitutione suâ firmauit, vt nulla communis esca, quæ rationabilis & humanæ naturæ congruere videretur, à Christianis repudiaretur; * & omnium Episcoporum definitiua sententia, non nisi apud Romanam Sedem terminaretur, reliquorum verò Clericorum causas apud comprouinciales etiam Episcopos licitè terminandas. Idem prædictus Papa de accusationibus Episcoporum inter cetera dicit: * *Nihil absque legitimo & idoneo accusatore fiat. Nam & Dominus noster Iesus Christus Iudam furem esse sciebat; sed quia non est accusatus, ideò non est iectus, & quidquid inter Apostolos egit, pro dignitate mysterij ratum mansit.* De accusationibus comprouincialium ita legitur esse statutum: * *Si quis super quibuslibet criminibus quemlibet Clericum pulsandum credidit, in prouinciâ, in quâ consistit ille qui pulsatur, suas* * *exerat actiones, nec existimet alibi eum ad iudicium pertrahendum. Proditoris nec calumnia, nec vox audiatur.* Hic ordinauit Episcopos quindecim, Presbyteros duodecim, Diaconos octo.

*in Epist. ad Galliæ prouincias, c. 1.

* ibid. c. 2.

* ibid.

* ibid. c. 3.

*exerceat

CAP. XV.

S. VICTOR.

A. CXCIV. VICTOR, natione Afer, ex patre Felice, sedit annos decem, menses duos, dies decem. Fuit autem temporibus Cæsaris Augusti Antonini, qui & Verus dictus est, à consulatu Commodi V. & Glabrionis, vsque ad Lateranum & Rufinum. Hic martyrio coronatur V. Kalend. Augusti. Hic constituit*, vt Pascha die Dominico celebraretur, sicut & priùs fecerat. Constituit enim, si necesse, periculo mortis vrgente, fuerit, quocumque tempore, quocumque in loco, videlicet, vel in mari, vel in flumine, aut in fontibus, quemlibet licitè baptizari; tantùm in nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis fiat. Et hoc decreuit, vt incerta, etiamsi vera sint, nullatenus iudicentur, nisi priùs manifestis indiciis comprobentur, aut manifesto iudicio conuincantur, vel iudiciario ordine publicentur. * Nec alicuius Episcopi caus-

*. Epist. 1. ad Theoph. Alex. de Cons. dist. 3. c. Celebritatem.

* ibid.

causam definiri liceat Romano Pontifice inconsulto. Hic ordinauit Episcopos duodecim, Presbyteros tres, Diaconos septem.

CAP. XVI.

S. ZEPHERINVS.

ZEPHERINVS, natione Romanus, ex patre Abundio, sedit annos octodecim, menses septem, dies decem. Fuit autem temporibus Antonini & Seueri, à consulatu Saturnini & Gallicani vsque ad Præsentem & Strigatum Consules. Qui obiit VI. Kalend. Septembr. * Hic etiam constituit, vt Episcoporum causa non terminetur absque præcepto Romani Pontificis; nec vllatenus Episcopus iudicetur, nisi aut ipse se reum esse confiteatur, aut idoneis testibus, qui non sint minùs quàm septuagintaduo, conuincatur. Constituit etiam, vt quispiam summorum, minorum accusationibus non impetatur, nec in re dubiâ certa iudicetur sententia, nec vllum iudicium, nisi ordinabiliter factum teneatur, nec absens iudicetur, nec aliquem sententia nisi à suo iudice dicta confringat, & Episcopus accusatus duodecim, si necesse fuerit, Episcopos iudices eligat: nec priùs audiatur, aut excommunicetur, vel iudicetur, quàm ipsi per se eligantur; & regulariter vocatus ad suorum primò conuentum Episcoporum per eos eius causa* iterùm audiatur, & rationabiliter discutiatur, cùm de occultis alieni cordis non temerè sit iudicandum, & iniusta iudicia ab omnibus sint cauenda, & Episcopi à plebibus & Clero sint ferendi. * Constituit etiam, vt ordinationes Presbyterorum & Leuitarum congruo tempore, & multis fidelibus coràm astantibus fierent. Hic ordinauit Episcopos tredecim, Presbyteros quatuordecim, Diaconos septem.

A. CCIII.

* *Epist. 1. ad Episc. Siciliæ.*

2. q. 1. c. Primates.

3. q. 4. c. Detractores.

3. q. 9. c. Absens.

* iustè aud.

* *Epist. 2. ad Episc. Ægypt. dist. 83. c. Ordinationes.*

CAP. XVII.

S. CALIXTVS.

CALIXTVS, natione Romanus, ex patre Domitio, de regione Vrberauennarum, sedit annos quinque, menses duos, dies decem. Fuit autem temporibus Macrini & Heliogabali, à consulatu Antonini & Alexandri. Hic ab Alexandro Imp. martyrio consummatur pridie Idus Octobris. * Hic constituit, vt ieiunia quatuor Temporum ab omnibus Christianis celebrarentur. Hic decretis suis firmauit, vt nullum iniustum iudicium, & diffinitio iniusta, regis metu, aut iussu, aut cuiuscumque potentis, à iudicibus ordinata vel acta firmitudinem habeant: quia nulli Imperatori,

A. CCXXI.

* *Epist. 1. ad Bened. Episc.* 11. q. 3. c. Iniustum.

tori, aut cuiquam pietatem cuſtodienti licet aliquid contra diuina mandata præſumere.* Hic conſtituit, vt accuſationem aduerſus Doctorem nemo ſuſcipiat,* nec accuſatio facta per ſcriptum recipiatur, nec abſente accuſato teſtimonium de eo dicatur: nec de aliis cauſſis vel negotiis teſtimonium dicant, niſi de his quæ ſub præſentiâ eorum acta eſſe noſcuntur. Nec accuſatores vel teſtes ſuſpecti, vel infamiæ notâ aſperſi recipiantur, nec excommunicatos à Sacerdotibus ante vtriuſque partis iuſtam examinationem vllus recipiat, nec modo aliquo eis communicet; & vt nemo alterius terminos vſurpet, nec alterius parochianum iudicare aut excommunicare præſumat: quia præſumptum irritum erit. Nec etiam Metropolitanus diœceſani Eccleſiam, vel parochianum, aut aliquid ex eius parochiâ excommunicare, vel iudicare, aliquídve agere præſumat, abſque eius conſilio & iudicio: quia & quod fecerit, irritum erit, & ipſe gradus ſui periculo ſubiacebit. Conſtituit etiam, vt Epiſcopus quilibet ambitus cauſsâ ad aliam ciuitatem non tranſmutetur: ſed ſi fieri debet, fiat ceteris fratribus inuitantibus, & Romanæ Eccleſiæ auctoritate, & illius Eccleſiæ, ad quam tranſmutandus eſt, vtilitate. Præcepit etiam, vt conſanguineorum coniunctiones fieri omnino prohibeantur; quia tales nullum habent pondus teſtimonij.* Confirmauit etiam, & ſaluberrimis exemplis diuinæ Scripturæ oſtendit tam Sacerdotes Domini, quàm reliquos fideles poſt dignam ſatisfactionem poſſe reuocari ad priſtinos honores. Hic ordinauit Epiſcopos octo, Presbyteros quindecim, Diaconos quatuor.

* *in eâdem Epiſt.*
* *Epiſt. 2. ad Epiſc. Galliæ.*
2. *q.* 8. *c. Accuſatorum.*
11. *q.* 2. *c. Excommunicatus.*
9. *q.* 2. *c. Nullus alterius.*
9. *q.* 3. *c. Nullus Primas.*
3. *q.* 4. *c. Conſanguineorũ.*
* *in fine 2. Epiſt.*

CAP. XVIII.

S. VRBANVS.

A. CCXXVI. VRBANVS, natione Romanus, ex patre Pontiano, ſedit annos nouem, menſes decem, dies duodecim. Fuit autem temporibus conſulatus Antonini & Alexandri. Obiit verò confeſſor temporibus Diocletiani VIII. Kal. Iunij. Hic in ſuis decretis confirmat, vt prædia & quæcumque res à fidelibus Eccleſiæ Dei traditæ ſunt, ſemper eſſe debeant in poteſtate & diſpoſitione Epiſcoporum, in quorum parochiâ ipſæ Eccleſiæ ſunt ſitæ; & ipſi Epiſcopi ex ipſis rebus omnibus communem vitam degere volentibus, cuncta neceſſaria miniſtrare; nec quidquam eorum in alios vſus, quàm Eccleſiaſticos, conuertere debeant, quia *vota ſunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum.* Et quæcumque in alios vſus, quàm in prædictos conuerterint, neceſſariò ſacrilegij rei exiſtunt, & ſi non corpore, animâ tamen mortui cadunt.* Et ſedes Epiſcoporum ideò in Eccleſiis excelſæ conſtituuntur; vt ex hoc Epiſcopi prælationem atque poteſtatem ligandi & ſoluendi habere intelligantur, & omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum ſanctum poſt baptiſmum accipere debeant, vt pleni Chriſtiani inueniantur. Hic Valerianum Cæciliæ ſponſum, multosque alios ad fidem Chriſti conuertit, & ad martyrij palmam perduxit. Hic ordinauit Epiſcopos octo, Presbyteros nouemdecim, Diaconos ſeptem.

Epiſt. 1. ad omnes fideles.

* *ibid.*

CAP. XIX.

S. PONTIANVS.

PONTIANVS, natione Romanus, ex patre Calpurnio, ſedit annos nouem, menſes quinque, dies duos. Fuit autem temporibus Alexandri, à conſulatu Pompeiani, & * Peliniani. Eodem tempore prædictus Pontifex cum Hippolyto Presbytero in exilium eſt deportatus ab Alexandro in Sardiniam, in inſulam Bucinam, Seuero & Quintiano Conſulibus, & in eâdem inſulâ afflictus, & maceratus fuſtibus, defunctus eſt III. Kalend. Nouemb. Hic etiam in decretis ſuis mandauit, Sacerdotes non eſſe accuſandos ab inimicis, aut à ſceleratis, aut hominibus alterius ſectæ vel religionis: vel, ſi fortè peccauerint, à reliquis Sacerdotibus arguendos, & à Summis Pontificibus conſtringendos eſſe præcepit, ita vt nullo modo à ſæcularibus, aut malæ vitæ hominibus arguantur vel arceantur. Hic ordinauit Epiſcopos ſeptem, Presbyteros ſex, Diaconos quinque.

AN. CC. XXXIII.

* Pelagini

Epiſt. 1. ad Felicem.

CAP. XX.

S. ANTHERVS.

ANTHEROS, natione Græcus, ex patre Romulo, ſedit annos duodecim, menſem vnum, dies duodecim: fuit autem temporibus Maximini & Africani Coſſ. Hic geſta Martyrum diligenter à Notariis exquiſiuit, & in Eccleſiâ recondidit. Qui III. Nonas Ianuarij martyrio coronatur. Hic ordinauit Epiſcopum vnum. Hic etiam conſultus de Epiſcoporum mutatione, fieri licere in ſuis decretis reſpondit; non tamen cuiuſquam libitu aut dominatione, ſed communi vtilitate aut neceſſitate, ſicut Petrus Apoſtolorum Princeps de Antiochiâ Romam vtilitatis cauſsâ eſt tranſlatus, vt ibi plus proficere poſſet. Et Euſebius etiam de paruâ quadam ciuitate Apoſtolicâ auctoritate mutatus eſt Alexandriam: ſimiliter & Felix de ciuitate quâ ordinatus erat, electione

AN. CC. XXXVII.

Epiſt. ad Epiſcop. Baticæ.
7. *q.* 1. *c. Mutationes.*

ciuium, propter doctrinam & bonam vitam quam habebat, communi Episcoporum & reliquorum Sacerdotum aut populorum consilio translatus est Ephesum. Quia, sicut Episcopi habent potestatem ordinare regulariter Episcopos & reliquos Sacerdotes: sic quotiescumque vtilitas aut necessitas exposcit, supradicto modo & mutare & inthronizare potestatem habent. Non enim de minori ad maiorem ciuitatem transfertur, qui non ambitu, nec propriâ voluntate, sed aut vi à propriâ sede pulsus, aut necessitate coactus, aut vtilitate loci & populi, non superbè, sed humiliter ab aliis transfertur & inthronizatur. Hic eisdem decretis suis sanciuit, vt quisque inobediens spirituali animaduersione truncetur, & eiectus de Ecclesiâ rapido dæmonum ore dilanietur: sicut olim in veteri lege, quicumque sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur à populo, aut gladio ceruice subiectâ contemptum expiabat cruore.

Eâdem Epist.

Deut. 17.

CAP. XXI.

S. FABIANVS.

An. cc. xxxviii. FABIANVS, natione Romanus, ex patre Fabio, sedit annos tredecim, mensem vnum, dies vndecim: fuit autem temporibus Maximini & Africani, vsque ad Decium secundum & Quadratum, qui martyrio coronatur XIV. Kalend. Februarij. Hic ordinauit Episcopos vndecim, Presbyteros vigintiduos, Diaconos septem. Hic septem Diaconos in vrbe Româ in septem regiones ipsius Vrbis diuisit, qui ad peragendum officium illis congruum omni horâ parati inuenirentur. Hic etiam septem Subdiaconos ordinauit, qui septem Notariis imminerent, & gesta Martyrùm veraciter ex integro colligerent. Huius etiam tempore Nouatus hæreticus ex Africâ venit, qui Nouatianum & alios quosdam Christi Confessores de Christi Ecclesiâ separauit, & in doctrinam prauam conuertit.

Epist. 1. ad comministros. 6. q. 1. c. Omnes. 1. Cor. 5. Hic paternè monuit, & decreto salubri, & omnibus Christianis hominibus seruando sanciuit, vt omnes illi, cum quibus Apostolus cibum nos sumere vetat, à Christianorum consortio sequestrati penitus habeantur, nec in cuiuslibet & fidelium accusatione vllatenus suscipiantur, vsque ad satisfactionem, dum dignè venisse non dubitantur.

Epist. 2. Hic etiam in decretis Orientalibus Episcopis destinatis inuiolabiliter seruandum esse præcepit, vt singulis annis nouum Chrisma conficeretur, & vetus in sanctis Ecclesiis cremaretur. quia, sicut ipsius diei solemnitas per singulos annos est celebranda: ita ipsius sancti Chrismatis confectio per singulos annos est agenda, &

& de anno in annum renouanda, & fidelibus tradenda, quia nouum Sacramentum est. Hæc Apostoli docuerunt, hæc eorum successores tenuerunt, & semper tenenda esse, firmiter mandauerunt. Hic in eisdem decretis statuit, & Apostolos, eorumq; successores statuisse inducit, vniuersaliter ad accusationem, id est, ad nullius Christiani hominis Ecclesiasticam accusationem, recipiendos esse suspectos, aut quoslibet inimicos; vel qui non sint bonæ conuersationis, vel quorum vita est accusabilis, vel qui in rectâ fide sunt dubij, aut quorum fides, vita & libertas noscitur, vel qui infamiæ maculis sunt aspersi, aut sceleribus irretiti. Ad Sacerdotum verò accusationem nullos debere vel posse recipi dicit, qui Sacerdotes fieri non possunt, aut qui non sunt sui, id est, Sacerdotum ordinis: quoniam sicut Sacerdotes, vel reliqui Clerici, à sæcularium laicorum accusatione excluduntur; ita illi ab istorum sunt excludendi & alienandi criminatione. Et si in rebus sæcularibus suum cuiusque ius & proprius ordo seruatur, multò magis in Ecclesiasticis dispositionibus ius & ordo seruandus est; & nulla debet induci confusio.

3. q. 5. c. Suspectos.

2. q. 7. c. Sicut.

Item in eisdem præcepit, ne vllus vmquam præsumat accusator simul esse, & iudex vel testis: quoniam in omni iudicio, subaudi Synodali, quatuor personas necesse est semper adesse, id est, electos iudices, accusatores, defensores & testes.

Item statuit, ne oues suum Pastorem reprehendere audeant, nisi ipse in fide errauerit. Si verò in fide errauerit, erit corrigendus priùs secretè à subditis: si autem incorrigibilis apparuerit, tunc erit accusandus apud Primates suos, aut ad Sedem Apostolicam. Pro ceteris verò actibus suis magis est tolerandus à subditis, quàm publicè derogandus, aut accusandus.

Item in aliâ decretali Epistolâ, quam ipse prædictus Papa Hilario Episcopo misit, idem de Sacerdotum & maiorum natu accusatione statuit, quod & in illâ statuerat, quam Orientalibus Episcopis destinauit. Insuper peregrina iudicia, saluâ in omnibus Apostolicâ auctoritate, generali sanctione prohibuit; & ita ordinabiliter in Episcoporum accusatione agi decreuit, vt Episcopus quilibet super certis criminibus accusatus prouinciales Episcopos electos debeat habere iudices, à quibus omnibus in ipsâ prouinciâ audiatur: quia non alibi, quàm in foro suo oportet accusatum audiri, &, si ibi aduersum sibi senserit iudicem, Metropolitanum videlicet, aut Primatem, licenter absque vllâ afflictione, & iniuriosæ detentionis custodiâ vocem appellationis & defensionis habeat. Item statuit, vt quilibet, nisi ante suum iudicem pulsatus, si voluerit, taceat; & vt pulsatis, quoties appellauerint, induciæ dentur. Adhæc statuit, crimen quodlibet cuilibet temerè ex irâ obiectum non esse pro accusatione habendum; & vt quicumque accusationem

Epist. 3.

3. q. 6. c. Si quis Episcopus.

1. q. 6. c. Si quis iudicem.

3. q. 6. c. Pulsatus.

per ſcripturam ſe probaturum eſſe fateatur, & ſi non probauerit quod obiecit, pœnam, quam intulit, patiatur. Probatio autem & cauſſa ibi ſemper agatur, vbi crimen admittitur, niſi ſi Epiſcopus Apoſtolicam Sedem appellauerit. Tunc verò id ſtatuendum eſſe, quod eiuſdem Sedis Pontifex ſtatuerit.

3. q. 6. c. Qui crimen.

CAP. XXII.

S. CORNELIVS.

A. CCLIV. CORNELIVS, nationè Romanus, ex patre Caſtino, ſedit annos duos, menſes duos, dies tres. Hic ideò, quia Epiſtolam à B. Cypriano Carthaginenſi Epiſcopo acceperat, iuſſu Decij capite detruncatur III. Nonas Martij. Hic ordinauit Epiſcopos ſeptem, Presbyteros quatuor, Diaconos quatuor. Hic rogatus à quadam matronâ, Lucinâ nomine, corpora Apoſtolorum Petri & Pauli de Catacumbis noctu leuauit; & primò quidem corpus B. Pauli ſilentio leuatum eſt, ac poſitum in prædio prædictæ matronæ, viâ Oſtienſi, ad latus vbi decollatus eſt. Poſteà verò corpus B. Petri accepit, & condecenter poſuit illud iuxta locum vbi crucifixus eſt, inter corpora ſanctorum Epiſcoporum in templo Apollinis in Monte aureo in Vaticano palatij Neroniani III. Kalend. Iulij. Idem prædictus Papa & Martyr in Epiſtolâ, quam Rufo Coepiſcopo conſultus miſit, iuxta præceptum Domini in Euangelio, & Iacobi Apoſtoli in ſuâ Epiſtolâ, & omnium Apoſtolorum, & ſuorum anteceſſorum præcepta ſequens, & iura confirmans; incauta Sacramenta à Sacerdotibus fieri penitus vetat: quia ante ſuum tempus à ſummis Sacerdotibus, vel à reliquis Sacramenta non eſſe exacta vel exhibita, niſi pro fide rectâ teſtatur. Item in eâdem, ſicut & alij anteceſſores ſui fecerant, prouidendum eſſe affirmat, ne oues ſuum paſtorem, niſi à fide exorbitauerit, reprehendere aut accuſare præſumant; quia tales accuſationes vim non habent, neque paſtoribus nocere poſſunt. Item prohibet, ne vllus Sacerdotum cauſſam ſuam alieno committat iudicio; ſed ſemper habeat comprouinciales, & notos iudices, niſi illic vim temerariæ multitudinis timuerit, aut infeſtos vel ſuſpectos iudices habuerit. Pro his enim cauſſis ad maioris auctoritatis iudices, & ad alias prouincias appellare & venire conceſſum eſt. Item in eâdem affirmat, omnino eſſe vacua omnia illa, quæ in omni negotio aut loco aduerſus abſentes aguntur aut iudicantur; quoniam abſentem nullus * abdicit, nec vlla lex damnat.

Epiſt. 2.

2. q. 4. c. Nos ſanctorum. & c. Nos Sacramentum.

3. q. 6. c. Omnia.

**addicit*

CAP.

CAP. XXIII.

S. LVCIVS.

A. CCLV. LVCIVS, natione Romanus, ex patre Porphyrio, ſedit annos tres, menſes tres, dies tres: fuit autem temporibus Galli & Voluſiani, vſque ad Valerianum tertium, & Gallicanum. Hic primùm fuit in exilio, poſteà ad Eccleſiam incolumis reuerſus eſt: demum à Valeriano capite truncatur I. Nonas Martij. Hic ordinauit Epiſcopos ſeptem, Presbyteros quatuor, Diaconos quatuor. Hic propter maleuolos & Sacerdotum perſecutiones conſtituit, vt duo Presbyteri & tres Diaconi Epiſcopum in omni loco non deſerant, vt, iuxta Apoſtolum, etiam ab his qui foris ſunt, ſtudium habeatur bonum conſeruari teſtimonium; quod in Epiſtolâ quam omnibus Galliæ & Hiſpaniæ Epiſcopis deſtinauit, apud ipſos ſeruari hortatus eſt. Conſtituit in eâdem etiam, vt criminationes maiorum natu per alios non fiant, niſi per eos qui crimina intendunt; & ipſi tales, vt digni ſint & irreprehenſibiles appareant, & actis publicis ſe omni ſuſpicione & inimicitiis carere doceant, & fidem ac conuerſationem irreprehenſibilem ſe ducere oſtendant. Et quia hoc fieri ante quoſlibet iudices interdum difficile animaduertit, ad alios Eccleſiaſticos iudices, vbi maior auctoritas fuerit, poſtulanti audientiam, non negandam eſſe decreuit. Item in eâdem, iuxta ſanctorum Apoſtolorum, & eorum ſucceſſorum, decretum præcipiendo conſtituit, vt, ſi quilibet Metropolitanus Epiſcopus, niſi quod ad ſuam ſolummodò pertinet parochiam, niſi conſilio & voluntate omnium comprouincialium Epiſcoporum extrà aliquid agere tentauerit, gradus ſui periculo ſubiaceat, & quod egerit, irritum habeatur & vacuum. Conſenſu etenim & conſilio ſolummodò omnium prouincialium Pontificum Metropolitano Epiſcopo licere conſtituit agere & diſponere de eorum cauſſis, & Eccleſiis, & Clericis, atque ſæcularium neceſſitatibus, aut de communibus quibuſcumque negotiis agi neceſſe fuerit. Similiter de ipſis prouincialibus ſtatuit, vt nihil eis ſegregatim aut communiter abſque Metropolitano agere liceat, niſi de his ſolummodò quæ ad eorum proprias parochias pertinent. Similiter Apoſtolicâ auctoritate præcepit, vt nullus Metropolitanus Epiſcopus abſque omnium Suffraganeorum ſuorum præſentiâ aliquorum eorum audiat cauſſas; alioquin irritæ erunt, & ipſe cauſſam dabit pro facto. Item præcepit, vt per ſingulas prouincias hoc Epiſcopi obſeruent, ne poſteriores ſe prioribus ſuis præferant; ne eis inconſultis, niſi quantum ad propriam parochiam pertinet, aliquid agant: ſed de communibus eorum cauſſis conſonam ſententiam

1. Tim. 3. de Conſ. d. 2. c. Iubemus. 2. q. 7. c. Criminationes.

9. q. 3. c. Nullus.

proferant, & determinent; quia aliter actæ nullas vires habebunt, nec Eccleſiaſticæ reputabuntur. Item in eâdem Epiſtolâ de expoliatione dotis & oblationum Eccleſiarum conſultus, priùs multis rationibus, & multorum auctoritate hoc genus inuaſionis & rapinæ ſacrilegium eſſe oſtendit; poſtmodum & auctoritate & decreto Prophetarum, Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum, & omnium Catholicorum Patrum exemplis tales præſumptores, & Eccleſiæ raptores, atque ſuarum facultatum alienatores, à liminibus ſanctæ matris Eccleſiæ anathematizat, & damnat, & ſacrilegos eſſe iudicat: & non ſolùm eos, ſed omnes eis conſentientes: quia non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui facientibus conſentiunt, rei ſunt, & iudicantur. Par enim pœna & agentes & conſentientes comprehendet.

17. q. 4. c. Qui rapit. & c. Omnes Eccleſiæ raptores.

Rom. 1.

CAP. XXIV.

S. STEPHANVS.

A. CCLVII. STEPHANVS, natione Romanus, ex patre Lobio, ſedit annos ſeptem, menſes quinque, dies duos: fuit autem temporibus Valeriani, & Gallicani, & Maximi, vſque ad Valerianum tertium, & Gallicanum ſecundum. Hic cum duobus Epiſcopis, & octo Presbyteris, & tribus Diaconis in carcerem miſſus, cum ſingulis tandem iuſſu Valeriani capitali ſententiâ plectitur IV. Nonas Auguſti. Hic ordinauit Epiſcopos tres, Presbyteros ſeptem, Diaconos quinque. Hic in Epiſtolâ, quam Epiſcopo Hilario miſit, infames perſonas ad gradus ſacros promouendas, & ad accuſationem recipiendas eſſe prohibuit: infames verò eas perſonas eſſe deſcripſit, quæ pro aliquâ culpâ qualibet notantur infamiâ, id eſt, omnes, qui Chriſtianæ legis normam abijciunt, & ſtatuta Eccleſiaſtica contemnunt. Similiter fures, ſacrilegos, & omnes capitalibus criminibus irretitos, ſepulchrorum quoque violatores, & Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum, & ceterorum ſanctorum Patrum religioſa ſtatuta libenter violantes, & omnes qui aduerſus Patres armantur, ſimiliter inceſtuoſos, homicidas, periuros, raptores, maleficos, veneficos, adulteros, de bellis fugientes, & qui indigna petunt ſibi loca tenere, aut facultates Eccleſiæ abſtrahunt iniuſtè, & qui fratres calumniantur aut accuſant, & non probant: vel qui contra innocentes Principum animos ad iracundiam prouocant, & omnes anathematizatos, vel pro ſuis ſceleribus ab Eccleſiâ expulſos, & omnes quos Eccleſiaſticæ vel ſæculi leges infames eſſe pronunciant; hos omnes infames eſſe deſcripſit, hos ad ſacros gradus prouehi, & ad accuſationem recipi interdixit. Item ſeruos ante legitimam libertatem pœnitentes, digamos eos qui curiæ deſeruiunt,

Epiſt. 1.

6. q. 1. c. Infames.

uiunt, vel qui non ſunt corpore integri, vel qui ſanam mentem non habent, aut intellectum, aut inobedientes Sanctorum decretis exiſtunt, ad ſacros gradus prouehendos eſſe prohibuit. Nec iſtos, videlicet, ſupradictos, item nec libertos, neque ſuſpectos, nec rectam fidem, nec dignam conuerſationem habentes, ſummos Sacerdotes accuſare poſſe aſſerüit. Prædictus Papa in eâdem Epiſtolâ conſtituit, ne Sacerdotes & Leuitæ veſtimentis Eccleſiaſticis in aliis vſibus vterentur, quàm Eccleſiaſticis officiis.

de Conſ. diſt. 1. c. Veſtimenta.

Hic idem Pontifex in aliâ Epiſtolâ, quam deſtinauit omnibus Epiſcopis per diuerſas prouincias, & ceteros, quos ſuprà enumerauimus, à Sacerdotum accuſatione remouit, ad hoc proculdubio affirmauit pro ſacrilego reputandum, quidquid iniuſtè agitur in rebus Deo ſacratis, & Epiſcopis, * qui ſacri ſunt, & violari à quoquam non debent. Item decreto ſuo aſſerüit, vt nullus Epiſcopus, dum ſuis fuerit rebus exſpoliatus, aut à Sede propriâ occaſione qualibet pulſus, debeat accuſari, nec ab aliquo priùs crimen ei poſſit obijci, quàm integerrimè reſtauretur: & omnia ei quocumque ingenio ablata abſque dolo & fraude funditus legibus reſtituantur; quia non ſolùm Eccleſiaſticæ, ſed etiam ſæculi leges hoc fieri prohibent. Item conſtituit, ne ille, qui ſe ab Epiſcopo, aut ab eius miniſtris, læſum eſſe exiſtimat, vel pro aliquibus erratis eos corripere cupit, priùs eos accuſare præſumat, quàm eos charitatiuè bis aut ter conueniat, vt ab eis percipiat, aut familiarem emendationem, aut iuſtam excuſationem. Quòd ſi præſumpſerit, à liminibus Eccleſiæ vſque ad dignam ſatisfactionem iuſſit eliminandum.

2. Epiſt.

* quia ſacra 2. q. 2. c. Nullus.

3. q. 5. c. Accuſatores.

Item conſtituit, vt nullius per ſcripta anathematizatio ſuſcipiatur; ſed propriâ voce, ſi legitima & condigna accuſatoris perſona fuerit, præſente videlicet eo, quem accuſare deſiderant, quia nullus abſens accuſari poteſt, aut accuſare. Item conſtituit, vt nullus Epiſcopus priùs accuſetur, aut ſuis reſpondeat accuſatoribus, quàm regulariter à ſuo Primate ſit vocatus, & locum defendendi ad abluenda crimina accipiat. Item, ne aliquis Epiſcopus accuſetur, aut audiatur, niſi in præſentiâ omnium Prouincialium, & ab omnibus comprouincialibus Epiſcopis; quia ipſis abſentibus, nec debet, nec poteſt audiri aut iudicari. Item ſtatuit, ne licentia accuſandi progrediatur vltra terminos prouinciæ. Item conſtituit, ne accuſatori priùs detur licentia quemlibet criminandi, quàm ſe crimine, quo premitur, purgando exuerit: quia non eſt credendum contra alios eorum confeſſioni, qui criminibus impliciti ſunt, niſi ſe priùs probauerint innocentes. Dixit etiam, nuſquam legi facultatem diſponendi de Eccleſiaſticis rebus attributam eſſe laicis, etiam religioſis. Præcepit etiam de perſonis accuſatorum, vt earum

3. q. 6. c. Vltra.

3. q. 11. c. Negandа.

2. q. 7. c. Quærendum.

2. q. 8. c. Accuſatorum.

fides,

fides, vita & conuersatio primò diligenter inquiratur, & postea ea quæ obijciuntur fideliter pertractentur: quia nihil priùs fieri debet, quàm prædictorum fides, vita & conuersatio diligenter discutiatur, ne alicuius inuidiâ, aut inimicitiis, aut intentione malâ quisquam vexetur.

CAP. XXV.

S. SIXTVS II.

A. CCLX. SIXTVS, natione Græcus, ex philosopho, sedit annum vnum, menses decem, dies vigintitres. Fuit autem Valeriani & Decij tempore: & fuit tunc maxima persecutio. Eodem tempore hic comprehensus est à Valeriano, & ductus, vt dæmonibus sacrificaret. Qui, quia præcepta eius contempsit, capite truncatus est, & cum eo sex Diaconi sub die VIII. Idus Augusti. Tertia autem die post eius passionem passus est & beatissimus Laurentius eius Archidiaconus IV. Idus Augusti. Hic ordinauit Episcopos duos, Presbyteros quatuor, Diaconos septem.

Epist.1. Hic in Epistolâ, quam Grato Episcopo consulenti eum misit, rationibus & auctoritate plurimorum irrefragabili asserüit & probauit, Filium Dei non ex tempore, neque post tempora natum, sed ante omnia tempora de paterno vtero inenarrabiliter generatum.

2.q.6. c.Omnes. Hic in eâdem Epistolâ hoc, quod à multis suis antecessoribus constitutum erat, ad omnium Episcoporum auxilium se roborasse ostendit: videlicet, vt omnes Episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur aut criminantur caussis, quoties necesse fuerit, liberè Apostolicam Sedem appellent, atque ad eam, quasi ad matrem, confugiant: & si quis Episcopus etiam iudicatus à comprouincialibus Episcopis venerit ad Romanæ Sedis Antistitem, in eius potestate sit, per se, aut per vicarios suos retractare negotium: & dum

3.q.6. c. Accusatus. hoc actum & peractum apud ipsum Romanum Pontificem fuerit, nullus alius in eius loco ponatur aut ordinetur Episcopus: quoniam perscrutari quidem accusati Episcopi caussam comprouincialibus Episcopis licet, diffiniri autem inconsulto Romano Pontifice non est permissum.

Epist.2. Item in aliâ Epistolâ, quam misit Episcopis per Hispaniæ prouincias constitutis, sicut & antecessores sui fecerant, constitutum

2 q.7. c.Si quis. fecit, vt nemo Episcopum, vel quemlibet Ecclesiæ Prælatum priùs accusare præsumat, quàm eum conueniat, &, si aliter egerit, communione priuetur. Similiter statuit, vt nemo Pontificum aliquem Episcopum suis rebus exspoliatum, aut à Sede expulsum excommunicare, aut iudicare præsumat: quia non est priuilegium, quo spoliari possit iam nudatus. Item decreuit, vt nullus Episcopus alte-

alterius parochianum præsumat retinere, vel ordinare, vel iudicare: quia, sicut irrita eius ordinatio erit, ita & dijudicatio; quia nullus nisi sui iudicis sententiâ potest teneri: quoniam qui eum ordinare non potuit, nec iudicare vllatenus potest. Similiter constituit, ne illa quæ incerta sunt iudicentur: quia quamuis sint vera, non tamen sunt credenda, nisi quæ certis indiciis comprobantur, nisi quæ manifesto iudicio conuincuntur, nisi quæ iudiciario ordine publicantur. Item auctoritate & verbis Apostoli confirmat, in- *Exod.23.* scriptionem aduersus Presbyterum non esse recipiendam absque *1.Tim.5.* duobus vel tribus idoneis testibus. Item à prædecessoribus suis plerumque statutum commemorat, vt nemo anathema in Episcoporum susciplat accusatione: item, nec illi, qui eos in suâ nolunt recipere querelâ vel accusatione.

CAP. XXVI.

S. DIONYSIVS.

DIONYSIVS ex Monacho, cuius generationem non po- A.CCLXI. tuimus reperire, sedit annos sex, menses duos, dies quatuor. Fuit autem temporibus Galieni, ex die XI. Kalend. August. Æmiliano & Basso Consulibus vsque in VII. Kalend. Ianuarij, à consulatu Claudij & Paterni. Hic Presbyteris Romæ parochias & Eccle- *13.q.1.* sias dedit, singulas singulis: & ipsas parochias & cœmeteria eis *c.Ecclesias* * dimisit, & vnicuique ius habere proprium constituit, ita vide- * diuisit licet, vt nullus alterius parochiæ terminos aut ius inuadat, sed vnusquisque suis sit contentus. Et in Epistolâ, quam Seuero Epi- *Epist.2.* scopo Cordubensis prouinciæ destinauit, ipsi Seuero, ceteriscque Episcopis, hoc quod ipse inde ipse statuerat, seruare & sequi præcepit. Item in eâdem constituit, sicut & sui prædecessores fece- *15.q.3.* rant, ne crimina Episcopis per alios liceret impingi, nisi per ipsos *c.Nemini.* qui crimina intendunt, & ipsi tales sint, quales superiùs antecessores suos determinasse sæpè ostendimus. Hic ordinauit Episcopos octo, Presbyteros duodecim, Diaconos sex.

CAP. XXVII.

S. FELIX.

FELIX, natione Romanus, ex patre Constantio, sedit an- A CCLXXII nos quatuor, menses tres, dies vigintiquinque. Hic martyrio coronatur III. Kalend. Iunij. Hic ordinauit Episcopos quinque, Presbyteros nouem, Diaconos quinque. Hic in Epistolâ, quam *Epist.1.*

 * Pater-

*Paterno

*Paternio Episcopo scripsit, detractores & inimicorum fautores ab Episcopali accusatione submoueri præcipit. Similiter antecessores suos sequendo, firmauit, ne summorum quispiam minorum accusationibus impetatur aut dispereat, neque in re dubiâ certa iudicetur sententia, ne vllum iudicium nisi ordinabiliter habitum teneatur. Item, si quis Clericum super quibuslibet criminibus pulsandum crediderit, in prouinciâ, in quâ consistit ille qui pulsatus, suas *exerat rationes, nec existimet eum accusator alibi, aut longiùs protrahendum ad iudicium; & si ille, qui pulsatus fuerit, suspectos habuerit iudices, liceat ei appellare Primates. Primates quoque accusatum discutientes Episcopum, non priùs damnationis sententiam proferant, quàm Apostolicâ freti auctoritate, aut reum seipsum confiteatur, aut per innocentes & canonicè examinatos regulariter testes conuincantur, & cetera. In eâdem subiunxit de Episcoporum iniustâ damnatione, de eius qui accusatus est absentiâ, de proditoris calumniâ, quæ antecessores suos sæpenumerò in suis decretis præcepisse suprà ostendimus.

3.q.4. c. Detractores.
2.q.7. c. Maiorum.
3.q.6. c. Si quis.
* exerceat actiones
2.q.1. c. Primates.
11.q.3. c. Irritum.

Epist. 2.

Prædictus verò Pontifex, auditis omnium Episcoporum querimoniis, qui per Galliæ prouincias constituti fuerant, & eorum oppressionibus paternè compassus, conuocatis ampliùs quàm *quinquaginta Episcopis, propter malignorum hominum insidias, qui in Ecclesiam & Ecclesiasticos viros sæuiebant indifferenter, Synodali decreto Episcoporum constituit, de accusatione, vt accusator, si est idoneus, non priùs cuiuslibet Episcopi causam apud Primates deferat, quàm eum charitatiuè conueniat: & cùm ipsam causam corrigere nolle intelligit, tunc demum ad summos Primates causa eius canonicè deferatur. qui videlicet Primates congruo tempore, id est, autumnali, vel æstiuo, & congruo loco, vel intra prouinciam, Concilium omnium comprouincialium conuocare regulariter debebunt: quò & ipse regulariter conuocatus venire debet, si eum infirmitas, aut alia grauis necessitas non detinuerit. Nam si suis, aut Ecclesiæ rebus sibi commissis fuerit exspoliatus, aut in detentione aliquâ à suis ouibus fuerit sequestratus, antequam in pristinum honorem cum omni priuilegio restituatur, & sua omnia legibus redintegrentur, nec conuocari, nec iudicari canonicè poterit. Post restitutionem verò suam, & suorum redintegrationem, tunc regulariter infra quatuor vel quinque vel septem menses, iuxta quod possibilitas fuerit, conuocatus ad Concilium legitimum & idoneum veniat; & si ita iustè esse videatur, accusantium propositionibus respondeat. Adimi namque Episcopo Episcopatum, antequam causæ eius exitus appareat, sacrilegium est, & auctor talium sacrilegus. Si verò ægrotans fuerit Episcopus, aut aliqua eum necessitas detinuerit, pro se legatum ad Synodum mittat, ne à commu-

*septuaginta

3.q.2. c. Si Episcop.

5.q.3. c. Si ægrotans.

communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum iudicum die statutâ litteris euocatus minimè occurrerit. Quòd si ad causam dicendam ex vtrâque parte venerint, quia vnus absque altero audiri non debet, quærendum est in iudicio, cuius sint conuersationis, & fidei, atque suspicionis accusatores? aut quâ intentione hoc faciant: quia ad hoc admitti non debent, nisi bonæ conuersationis & rectæ fidei, & qui omni careant suspicione. Si verò culpabiles iudicio Episcoporum accusatorum personæ apparuerint, ad arguendum non admittantur. Absente verò aduersario accusator non audiatur, nec sententia absente parte aliâ à iudice dicta vllam vim obtinebit; nec absens per alium accusare aut accusari potest; nec affinis testis admittatur. Peregrina item iudicia generali sanctione remouit. Item in eâdem Synodo super memorias Martyrum Missas celebrari constituit, ne memoria eorum à malis possit extingui, aut veneratio prohiberi.

3.q.10. c. Si accusatorum.
3.q.9. c. Absente.
3.q.6. c. Peregrina.

CAP. XXVIII.

S. EVTYCHIANVS.

A. CCLXXV.

EVTYCHIANVS, natione Tuscus, ex patre Marino, de ciuitate Lunis, sedit annos octo, mensem vnum, diem vnum. Fuit autem temporibus Aureliani, à consulatu Aureliani tertio, & Marcellini. Hic ordinauit Episcopos nouem, Presbyteros quatuordecim, Diaconos quinque. Hic martyrio coronatur VIII. Kalend. Augusti. Hic in Epistolâ, quam Ioanni Episcopo & ceteris Episcopis per Bæticam prouinciam constitutis misit, constituit, vt fabæ & vuæ, & cetera quæ Apostoli constituerunt, ad altare offerantur, ceteræ verò species ad domum Sacerdotum deferantur; & simplici benedictione benedictæ, à populis ita demum sumantur.

Epist. 1.

Canonum c. 4.

Hic idem Pontifex in aliâ Epistolâ, quam destinauit vniuersis Episcopis per Siciliam constitutis, ordinem accusationis exponit, quem ipse cum omnibus Episcopis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ vtriusque ordinis fidelibus constituit ac discreuit, ita dicens: *Non ita in Ecclesiasticis agendum negotiis, sicut in sæcularibus: quia in sæcularibus, postquam legibus vocatus quis venerit, & in foro decertare cœperit, non licet ei ante peractam causam recedere; in Ecclesiasticis verò dictâ causâ, recedere licet, si necesse fuerit, aut si se prægrauari viderit. Accusationis autem ordinem talem dicimus, & seruari iubemus: id est, si quis Clericorum in crimine impetitur, non statim reus existimetur, *quia causari potuit, ne *subiectam innocentiam faciamus. Sed quisquis ille est, qui crimen intendit, in iudicium veniat, nomen rei indicet, vincula inscriptionis arripiat, *custodiæ similitudinem, habitâ tamen dignitatis existi-*

Epist. 2.

2.q.6. c. Non ita.

*qui accusari
*suspectam
*custodiæ

* potiatur * nouerit licentiam

*matione, *patiatur, ne fortè *mouerit licentia mentiendi, cùm calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicij.* Hæreticos, & suspectos, & excommunicatos, homicidas quoque & maleficos, fures, sacrilegos, raptores, veneficos, adulteros, & qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, & omnes, qui Christianæ religionis & nominis dignitatem, & suæ legis vel propositi normam, aut regulariter prohibita neglexerint, à licentiâ tam accusandi, quàm testificandi omnino remouit. Similiter prohibuit, vt nullæ causſæ à iudicibus Ecclesiasticis audiantur, quæ legibus non continentur, vel quæ prohibita esse noscuntur: quia non solùm Ecclesiasticæ, sed etiam sæculi leges hæc obseruare præcipiunt. Item affirmat, quibus regnum Dei excluditur, procul dubio & Ecclesia denegatur.

CAP. XXIX.

S. CAIVS.

An. cc. lxxxiii.

CAIVS, natione Dalmaticus, ex genere Diocletiani Imperatoris, ex patre Caio, sedit annos vndecim, menses quatuor, dies duodecim. Fuit autem temporibus Diocletiani: cuius persecutionem fugiens annis nouem habitauit in cryptis; qui tandem Martyr meruit effici x. Kalend. Maij. Hic in Epistolâ, quam Felici Episcopo scripsit, quod Apostolicæ Sedis auctoritas iuxta Catholicam disciplinam tempore suo tenebat, de multis eum instruere exoratus, curauit, ita dicens: *Primùm quidem scias, Paganos & hæreticos non posse Christianos accusare, aut vocem infamationis inferre; deinde nemo vmquam Episcopum ad iudices sæculares, aut reliquos Clericos accusare præsumat: & si quis Episcopus, Presbyter aut Diaconus, vel quilibet Clericus apud Episcopos (quia alibi non oportet à qualibet personâ, quæ ritè recipienda est) fuerint accusati, quicumque fuerit, siue ille sublimis vir honoris, siue alterius dignitatis, qui hoc genus inlaudabilis intentionis arripuerit, * nouerit docenda probationis monstranda documentis se debere inferre. Si quis ergo circa huiusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate huius sanctionis intelligat se iacturam infamiæ sustinere.* Qualiter autem ad Concilium veniatur, & cetera, & de induciis anniuersariis, dicit se ideò in eâdem Epistolâ non ponere: quia sufficienter de huiusmodi ab Apostolis, & eorum successoribus, & à suis antecessoribus tractatum esse existimat. De Ordinibus verò Ecclesiasticis in eâdem Epistolâ scripsit, & omnibus seruari demandauit: vt, si quis Episcopus esse meretur, primò sit Ostiarius, deinde Lector, posteà Exorcista, inde sacretur Acolythus, deinde Subdiaconus, deinde Diaconus, & posteà Presbyter. Exinde, si meretur, Episcopus ordinetur, & regiones in magnis

2. q. 7. c. Pagani.

* nouerit prob. documenta se

3. q. 1. c. Episcopis

gnis ciuitatibus inter Diaconos diuidi præcepit: & omnes difficiles quæstiones, quæ exortæ fuerint, semper ad Apostolicam Sedem referri præcepit.

CAP. XXX.

S. MARCELLINVS.

MARCELLINVS, natione Romanus, ex patre Proiecto, sedit annos nouem, menses quatuor, dies vigintiquinque. A. ccxcvi. Fuit autem temporibus Diocletiani & Maximiani. Quo tempore tanta fuit persecutio Christianorum, vt intra triginta dies, septemdecim millia hominum promiscui sexus per diuersas prouincias martyrio coronarentur. Tunc & ipse Marcellinus compulsus dæmonibus sacrificauit. Sed post paucos dies Synodo congregatâ in ciuitate Campaniæ coram centum & octoginta Episcopis, dignè pœnituit. Vnde Diocletianus iratus, quia ad sacrificandum eum cogere non valuit, cum aliis tribus capite truncari iussit VI. Kalend. Maij; & post triginta dies sepultus est à Marcello Presbytero. Et cessauit Episcopatus eius annos septem, menses sex, dies vigintiquinque, propter nimiam persecutionem Christianorum. Hic ordinauit Episcopos quinque, Presbyteros quatuor, Diaconos duos. Hic in Epistolâ, quam Salomoni Episcopo misit, multis rationibus probauit, & multorum irrefragabili auctoritate firmauit, Patrem non esse maiorem Filio, nisi secundùm naturam humanitatis. Et hoc fecit propter quosdam hæreticos, qui eo tempore exorti econtrariò nitebantur probare. *Epist. 1.*

In aliâ autem Epistolâ, quam vniuersis destinauit Episcopis per Orientales prouincias constitutis, monet & præcipit omnes à fratrum persecutione & litigio cessare; & vt contentiones, quæcumque inter Christianos fuerint ortæ, ad Ecclesiam deferantur, & ab Ecclesiasticis viris terminentur. Constituit etiam, vt maior non possit à minore iudicari, & vt Episcopus quilibet nullum possit inferre præiudicium illi Pontifici, à quo consecratus esse probatur: &, si præsumptum fuerit, irritum esse, & inter Ecclesiastica statuta non esse censendum. Item in eâdem statuit, ne vllus Clericus, cuiuscumque ordinis sit, absque Pontificis sui permissione vllum ad sæculare iudicium præsumat attrahere, * nec ei laicum liceat accusare. Hic, sicut & Calixtus Papa, decreto suo firmauit, ne Imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti, liceat aliquid contra mandata diuinitatis præsumere, nec quidquam, quod Euangelicis Propheticisque ac Apostolicis regulis obuiat, agere. Itaque sic intulit: *Iniustum ergo iudicium, & diffinitio iniusta Regis, * vi vel iussu à iudicibus ordinata, non valet, nec quidquam, quod contra Euangelicæ, vel Pro-* *Epist. 2.*

11. q. 1. c. Cleric.

* nec laico Clericum liceat accus.

2. q. 7. c. Laico.

pheticæ, aut Apoſtolicæ doctrinæ conſtitutionem, ſiue ſanctorum Patrum fuerit actum, ſtabit; & quod ab infidelibus aut hæreticis factum fuerit, omnino caſſabitur.

CAP. XXXI.

S. MARCELLVS.

A.cccIV. MARCELLVS, natione Romanus, ex patre Benedicto, de regione Viâ latâ, ſedit annos quinque, menſes ſeptem, dies viginti & vnum. Fuit autem temporibus Maxentij & Maximiani. Comprehenſus autem à Maxentio, & traditus in catabulo animalibus ad ſeruiendum, quia dæmonibus ſacrificare noluit, diu ibidem cilicio indutus, & inediâ maceratus, vitam finiuit in Chriſto XVII. Kalend. Februar. Hic ordinauit Epiſcopos viginti & vnum, *Epiſt.1.* Presbyteros vigintiquinque, Diaconos duos. Hic in Epiſtolâ quam deſtinauit vniuerſis Epiſcopis, Antiochenæ Eccleſiæ ſubditis, ſcribit, à ſanctis Patribus, inſpirante Domino, conſtitutum eſſe, ne vlla Synodus præter Romanæ Sedis auctoritatem poſſit legitimè conuocari, in quâ Epiſcopus ſuper quibuſlibet criminibus pulſatus debeat audiri vel iudicari; & omnia negotia Epiſcoporum, & ſummarum cauſſarum, ſiue cuncta dubia, Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſunt agenda & finienda, & omnia comprouincialia negotia *Epiſt.2.* eiuſdem Sedis auctoritate ſunt retractanda. Hæc eadem in aliâ Epiſtolâ, quam Maxentio Epiſcopo ſcripſit, ſummopere ſeruari præcepit; & alia multa de negotiis Epiſcoporum in eâdem poſuit, quæ hîc ideò non annotauimus, quia eadem ſæpè in anteceſſorum ſuorum decretis iterando præſcripſimus.

CAP. XXXII.

S. EVSEBIVS.

A.cccIX. *Conſtantini* EVSEBIVS, natione Græcus, ex medico, ſedit annos ſex, menſem vnum, dies tres. Fuit autem temporibus * Conſtantis. Qui VI. Nonas Octobr. migrauit ad Dominum. Hic ordinauit Epiſcopos quatuor, Presbyteros tredecim, Diaconos tres. Hic tres *Epiſt.3.* Epiſtolas decretales fecit, & in illâ, quam vniuerſis Epiſcopis per Campaniam & Tuſciam conſtitutis ſcripſit, ſolemniter celebrari *de Conſ. diſt.3. c.Crucis.* præcepit feſtum Inuentionis S. Crucis, quæ ſuis temporibus v. Nonas Maij inuenta eſt. Similiter in eâdem præcepit, omnes hæreticos ad conuerſionem venientes, ſi in fide S. Trinitatis baptizati eſſent, *de Conſ. diſt.5. c.Manus.* per manus impoſitionem eſſe reconciliandos: & hoc Sacramentum, videlicet, manus impoſitionis, nec debere, nec fieri poſſe ab aliis, quàm

quàm ab Epiſcopis dixit, & aliter præſumptum irritum & vacuum habendum, nec inter Eccleſiaſtica iura reputandum.

In illâ verò Epiſtolâ, quam Gallicanis Epiſcopis deſtinauit, & *Epiſt.1.* de hæreticorum ſuſceptione idem ſeruari mandauit, & ab accuſationibus Clericorum & Epiſcoporum infames, & ceteros quos anteceſſores ſui remouendos ſæpè præſcripſerant, & ipſe remouit, dicens: *Qui eorum caſtitatem & grauitatem imitari nolunt, nec eos impetere poſſunt.*

Illâ autem, quam direxit Epiſcopis per Alexandriam & Ægyptum conſtitutis, prohibuit, ne oues Paſtorem ſuum reprehendant, *Epiſt.2.* nec vllatenus accuſent, niſi à rectâ fide exorbitauerit: quia Paſtorum facta quamquam rectè reprehendenda videantur, ſubditorum tamen gladio ferienda non ſunt. Et de expulſis aut exſpoliatis in eâdem ſubintulit, ita dicens: *Quos ſciatis, nec ad Synodum prouincialem, nec ad generalem poſſe conuocari, nec in aliquo diiudicari, antequam cuncta, quæ eis ablata ſunt, legibus poteſtati eorum redintegrentur, & poſtmodum non ſub anguſti temporis ſpatio; ſed tantum temporis ſpatium eis indulgeatur, quantum exſpoliati vel expulſi eſſe videntur, antequam ad Synodum conuocentur. & ab omnibus ſuæ prouinciæ Epiſcopis quiſque audiatur: nam nec conuocari ad cauſſam, nec iudicari poteſt exſpoliatus vel expulſus; quoniam non eſt priuilegium, quo exſpoliari poſſit iam nudatus. Unde & antiquitus decretum eſt, omnes poſſeſſiones, & omnia ſibi ſublata, atque fructus cunctos ante litis conteſtationem perceptos vt Primas poſſeſſori reſtituat. Et alibi ſcriptum habetur: Ille qui violentiam pertulit, vniuerſa in ſtatu, quo fuerant, recipiat, & quæ poſſidet ſecurus teneat. Et alibi in ſynodalibus Patrum decretis, & Regum edictis legitur ſtatutum. Redintegranda ſunt omnia exſpoliatis, vel eiectis Epiſcopis præſentialiter ordinatione Pontificum, & in eorum poteſtatem, vnde abſceſſerunt, funditus reuocanda, * quæcumque conditione temporis, aut dolo, aut captiuitate, aut * violentiâ malorum, aut per quaſcumque iniuſtas cauſſas res Eccleſiæ vel proprias, aut ſubſtantias ſuas perdidiſſe noſcuntur, ante accuſationem, aut regularem ad Synodum vocationem eorum, & reliqua.* Multa adhuc in eâdem ad idem probandum ſubiungit.

2. q. 2. c. In Scripturis.

3. q. 2. c. Primò.

2. q. 2. c. Nullus.

3. q. 1. c. Redint.

*quacumque * virtute maiorum.*

CAP. XXXIII.

S. MELCHIADES.

A.cccXI. MELCHIADES, natione Afer, ſedit annos quatuor, menſes ſeptem, dies octo. Fuit autem temporibus Maxentij & Voluſiani & Rufini Conſulum. Hic ordinauit Epiſcopos vndecim, Presbyteros ſeptem, Diaconos quinque, & IV. Idus Decembris migrauit ad Dominum. Iſte autem in Epiſtolâ, quam Hiſpanis Epiſco-

Episcopis direxit, eos rogando & obsecrando instruxit, vt primò semper omnia diligenter inquirant,& cum iustitiâ & charitate diffiniant, neminem ante verum & iustum iudicium condemnent, nullum suspicionis arbitrio iudicent, sed primùm probent, & *Tob.4.* posteà charitatiuè sententiam proferant, & quod sibi fieri nolunt, alteri non inferant, & Episcopos non iudicent aut condemnent absque Romanæ Sedis auctoritate. quod si fecerint, irritum erit, & facientes condemnabuntur: quia hoc priuilegium ipsi Romanæ Sedi à temporibus Apostolorum seruari statutum est. quia quamuis cunctorum Apostolorum par electio foret; beato tamen Petro concessum est, vt aliis præemineret, & causſas & interrogationes, quæ ad querelam venirent, prudenter disponeret. Idem prædictus Pontifex in eâdem Epistolâ eosdem quærentes instruxit, Sacramentum impositionis manuum Episcoporum maius esse, quàm Baptismi, quia à maioribus, id est, à Summis Pontificibus, fit, & à minoribus perfici non potest, & ideò maiori veneratione venerandum & tenendum est; sed ita tamen hæc duo Sacramenta coniuncta sunt, vt ab inuicem, nisi morte præueniente, nullatenus possint segregari, & vnum sine altero ritè perfici non possit. Nam vnum sine altero præueniente morte potest, aliud autem non potest. Non tamen dubitare debemus, vt plenitudinem de fonte suscipiamus, quin Spiritus sanctus, qui super aquas salutiferi Baptismi descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuat ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstet ad gratiam. In Baptismo enim regeneramur ad vitam; post Baptismum verò confirmamur ad pugnam. Et si continuò transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia. Regeneratio per se saluat mox in pace beati sæculi recipiendos; Confirmatio armat & instruit ad agones mundi huius & prælia reseruandos. Idem Papa in eâdem Epistolâ interdicit, ne quis ieiunium Dominicæ diei & quintæ feriæ celebret, vt inter ieiunium Christianorum & Gentilium, fidelium & infidelium, vera, & non falsa, discretio habeatur.

CONFIRMATIO.

CAP. XXXIV.

S. SILVESTER.

A.cccxiv. SILVESTER, natione Romanus, ex patre Rufino, sedit annos vigintitres, menses decem,dies vndecim. Fuit autem temporibus Constantini & Volusiani Consulum. Hic diuersis temporibus ordinauit Episcopos sexagintaquinque, Presbyteros quadragintaduos, Diaconos vigintisex. Hic persecutionem fugiens, diu

diu in monte Soracte latuit; sed postmodum cum gloriâ rediens Constantinum baptizauit, quem Christus in ipso baptismo à squalore lepræ mundauit. Hic potestate Deo liberè seruiendi acceptâ, constitutum fecit de omni Ecclesiâ. Huius etiam temporibus, eius præcepto, facta Synodus in Nicæâ Bithyniæ; & congregati sunt trecenti & decem & octo Catholici Episcopi, qui fidem integram, Catholicam & immaculatam exposuerunt, & Arrium, & Photinum, & Sabellium, eorumque sequaces damnarunt.

Eodem quoque tempore etiam ipse iam dictus Papa præfati Constantini Augusti consilio canonicâ vocatione in vrbem Romam ducentos septuagintaseptem Episcopos congregauit; & iterùm, tam Calliſtum, quàm Arrium, & Photinum, & Sabellium damnauit: & constituit, vt nullus Presbyter Arrianum resipiscentem susciperet, nisi Episcopus eiusdem loci eum reconciliaret,& sacrosancto Chrismate confirmaret. In quâ etiam Synodo consensu & subscriptione omnium constitutum est, vt nullus laicus Clerico crimen inferre audeat, & vt Presbyteri non aduersus Episcopum, nec Diaconi aduersus Presbyterum, nec aliqui minores gradus aduersus quemlibet maiorem gradum habentem det aliquam accusationem, & non damnetur Præsul quilibet nisi septuagintaduobus testibus, neque Præsul summus à quoquam iudicetur: Presbyter Cardinalis nisi in quatuor & quadraginta testibus non damnabitur:Diaconus Cardinalis non damnabitur nisi in vigintisex testibus: Subdiaconus, Acolythus, Exorcista,Lector, Ostiarius, nisi,sicut scriptum est, in sex testibus.Testes autem & accusatores sine aliquâ sint infamiâ: testimonium autem laici aduersus Clericum nemo suscipat. Nemo Clericum quemlibet in publico examinare præsumat, nisi in Ecclesiâ. Nullus Clericus, vel Diaconus, aut Presbyter propter quamlibet causſam intret in curiam, nec ibi ante iudicem suam causſam dicere præsumat. Et si quis Clericus accusans Clericum, in curiam introierit, anathema suscipiat.

2. q. 7. c. Nullus.

2. q. 7. c. Clericus.

11. q. 1. c. Testimonium.

Hic in prædictâ Synodo constituit, vt nullus in serico panno aut tincto sacrificium altaris celebrare præsumat; sed in puro lineo ab Episcopo consecrato, *terræ scilicet lino procreato atque contexto. Et si quis in Ecclesiâ militare aut proficere desiderat, debet esse priùs Ostiarius, deinde Lector, & posteà Exorcista per tempora quæ Episcopus constituerit: deinde Acolythus annis quinque, Subdiaconus totidem, & custos Martyrum: & Diaconus similiter annis quinque, Presbyter annis *duobus probatus ex omni parte in tantum, vt etiam ab his qui foris sunt testimonium bonum habeat, vnius videlicet vxoris vir, quæ tamen à Sacerdote sit benedicta. & sic probatus, si fuerit dignus, & vota Cleri ac populi occurrerint, canonicè Episcopus consecretur:quem quidem talis vitæ,

de Cons. dist. 1. c. Consulto.

*terreno

*tribus

1.Tim.3.

&, vt prædictum est, accedentem, nec Clerus nec populus posteà perturbare debet. Hoc etiam in memoratâ constituit Synodo, vt nullus Presbyter Missam celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de cetero voluerit esse sacerdotij. Hic etiam constituit, vt Presbyter baptizatum, & de aquâ leuatum Chrismate liniret propter subitaneum transitum mortis. Hic constituit, vt Diaconi dalmaticis in Ecclesiâ vterentur, & palliis in læuâ. Hic pridie Kalend. Ianuarij Confessor Christi Catholicus migrauit ad Dominum.

de Conſ. diſt. 1. c. Nullus.

CAP. XXXV.

S. MARCVS.

A. CCCXXXVI.

MARCVS, natione Romanus, ex patre Prisco, sedit menses octo, dies viginti. Fuit autem temporibus Constantini, & Nepotiani, ac Secundi. Hic constituit, vt Episcopus Ostiæ, qui consecrat Episcopum vrbis Romæ, pallio vteretur. Hic Epistolam direxit Athanasio, & vniuersis Ægyptiorum Episcopis, in quâ multis modis paternè eos super querimoniâ afflictionis eorum consolatur, & ad solatium defensionis capitula Nicæni Concilij, quæ apud eos malorum violentiâ iam non erant, transmittere in eâdem se dicit. Hic ordinauit Episcopos vigintiseptem, Presbyteros vigintiquinque, Diaconos sex: qui Nonis Octobris Confessor obiit.

CAP. XXXVI.

S. IVLIVS.

A. CCCXXXVI.

IVLIVS, natione Romanus, ex patre Rustico, sedit annos quindecim, menses duos, dies sex. Fuit autem temporibus Constantij hæretici filij Constantini, à consulatu Feliciani & Maximini. Hic decem menses in exilio degens multas tribulationes est passus: post mortem autem prædicti Constantij ad Sedem suam est reuersus. Qui, imperantibus Constantio & Constante Augustis, Romæ cum centum & sedecim Episcopis Synodum habuit, in quâ fidem in Nicæno Concilio à trecentis & octodecim orthodoxis Episcopis corroboratam confirmando exposuit, & contra illam omnes sentientes omnium decreto anathematizauit. Hic in primâ Epistolâ, quam vniuersis Orientalibus Episcopis direxit, multipliciter ac rationabiliter eos à calumniis fratrum documentis retrahere nititur, proponens eis multa ex Nicæni Concilij capitulis, & ex

ex suorum prædecessorum decretis confirmans & ipse eadem cum omnibus Apostolicæ regulæ subiectis. In eâ verò Epistolâ, quam eisdem Orientalibus Episcopis hæreticis scripsit, diserto ac libero ore eos de insolentiâ, quam contra Romanam Ecclesiam habuerant, arguit, & multis capitulis, multorum auctoritate subnixis, & in eâ positis, eos iniustè Athanasium & ceteros Catholicos Episcopos à sedibus expulisse conuicit, & eosdem hac de causâ vocatos culpabiles ostendit, quia toties vocati venire distulerint, ita dicens: *Sanè manifestum est eos suum confiteri crimen, qui toties euocati absque ineuitabili causâ venire distulerint, & purgandi se voluntate non vtuntur.* Hic etiam constituit, vt nullus Clericus causam quamlibet in publico diceret, nisi in Ecclesiâ. Hic ordinauit Episcopos nouem, Presbyteros octodecim, Diaconos quatuor. Qui obiit Confessor pridie Idus Aprilis.

CAP. XXXVII.

S. LIBERIVS.

A. CCCLII.

LIBERIVS, natione Romanus, ex patre Augusto, sedit annos quindecim, menses septem, dies tres. Fuit autem temporibus Constantini vsque ad Constantium Augustum hæreticum, qui prædictum Papam annis tribus in exilio macerauit, eò quòd Arrianæ hæresi consentire noluit. Deinde Sacerdotes congregati, in locum Liberij, Felicem Presbyterum Episcopum ordinauerunt. Qui habito * quadragintaseptem Episcoporum Concilio, Vrsacium & Valentem Presbyteros Arrianæ hæresi consentientes à communione suâ, & rectè credentium, separauit. Vnde ipsi furoris zelo accensi, consilio inito, Constantij auctoritate missâ Liberium ab exilio reuocauerunt, hoc videlicet pacto, vt rebaptizandi solùm communione cum eis participaret. Qui prædicto pacto consentiens, retractus est ab exilio, & habitauit in cœmeterio S. Agnetis. Deinde facto ab Arrianis Concilio, Felix vir Catholicus est depositus, & extra ciuitatem eiectus, & habitauit in prædiolo suo viâ Portuensi: Liberius autem consentiens Constantio hæretico, ad Sedem reductus est, non tamen ipse rebaptizatus est, sed rebaptizandi consensum præbuit, & tenuit Romanam Sedem posteà annis septem, & fuit Romæ tam in Clero quàm in populo magna persecutio. Ordinauit autem Episcopos nouemdecim, Presbyteros octodecim, Diaconos quinque. Obiit autem VIII. Kalend. Maij.

* quadragintaoctо

Qui, antequam Arrianorum communione præuaricator esset factus, Athanasio, & ceteris Orientalibus Orthodoxis Episco-

*Epist.1. pis decretalem*Epistolam direxit,in quâ diligentissimè Concilij Nicæni fidem commendat, & pro ipsâ seruandâ ostendens præmium & pœnam, studiosissimè vnumquemque debere certare hortatur.
Epist.2. Hic item, antequam hæresi Arrianæ assentiret, Epistolam vniuersaliter omnibus scripsit Episcopis, in quâ eos hortatur & monet, vt nullus Episcopus pro quibuslibet perturbationibus, dum durare poterit, suam relinquat Ecclesiam; nec quietem monasterij magis
intendat eligat, quàm pro populo sibi commisso laborare contendat, ita inter cetera dicens: *Fatuas hominum insidias respuere, & Patres sequi, & Patrum terminos non transgredi, prout Dominus dedit, satagamus, id est, vt nostras Ecclesias relinquere non properemus, dum malis resistere valebimus, aut populos nobis commissos negligere, aut quietem ampliùs eligere, quàm pro eis laborare, pro quibus etiam animas ponere*
7. q. 1. c. Suggestum. *debemus.* Et inferiùs in eâdem dicit: *Suggestum namque nobis est, quòd*
*in futuro plures *pro præteritis laboribus & infestationibus nonnulli vestrûm assignatas sibi, & à Deo commissas relinquunt plebes, &* fratres plures relinquere velint eas, quas tueri debent Ecclesias, & pro quibus sibi commissis laborare negligant, & monasteriorum se quieti iam contradere festinent, & vacationem ab Episcopatus laboribus eligere, & silentio atque otio
*appetant vitam degere magis * optant, quàm in his, quæ sibi commissa sunt, per-
Matth.10. & 24. Act.20. manere, dicente Domino: Beatus, qui perseuerauerit vsque in finem, &c. Ideoque, fratres charissimi, non vos afflictionum amaritudo à pio mentis vestræ proposito coarctet recedere. Attendite itaque vobis & omni gregi, in quo Spiritus sanctus vos constituit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit proprio sanguine suo, vt non sit qui vos decipiat, ac se-
subtilitate ducat in sublimitate sermonis, vt plebes vobis commissas relinquatis, &
*alicui * alicubi propter opprobrium malorum hominum quieti vos tradatis, vt vos solummodò saluetis, & filios orphanos relinquatis.* Item in eâdem de obseruatione Canonum eosdem ita monet, dicens: *In nullo patiamini prouidentissima decreta Canonum violari, quatenus & Nicænorum Canonum instituta, & quæ à nobis, vel à prædecessoribus nostris prouidè & salubriter sunt decreta, intemerata permaneant.*

CAP. XXXVIII.

S. FELIX II.

A.cccLV. FELIX, natione Romanus, ex patre Anastasio, sedit annum vnum, menses tres, dies duos. Hic declarauit Constantium filium Constantini esse hæreticum, & secundò rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi. Et quia hoc declarauit, ideò posteà prædicti Constantij præcepto capite truncatur in ciuitate Corannâ III. Idus Nouembris. Hic consecrauit Episcopos nouemdecim, Presby-

Presbyteros viginti & vnum, Diaconos quinque. Hic in * Epistolâ, *Epist.2. quam destinauit Athanasio, & vniuersis Ægyptiorum, Thebaidorum ac Libyorum Episcopis, quædam capitula à sanctis Patribus, tam in Nicænâ Synodo, quàm in sanctâ Romanâ Sede constituta interseruit, quibus prædicti Episcopi fulti inimicorum insidias meliùs possent euadere, quæ & nos huic opusculo inserere, non inutile videtur. Sic autem incipit:

Est autem Synodicis decretum institutis, vt nemo Episcopum penes I.
sæculares arbitros accuset, sed apud summos Primates. Si quis aduersus II.
Episcopum caussam habuerit, non priùs alios Episcopos adeat, vt eum accuset, quàm familiariter ei indicet suam querelam, & ab eo aut iustam emendationem, aut rationabilem percipiat excusationem, ipsâ nos instruente Veritate: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter Matth.18.
te & ipsum solum: si te non audierit, adhibe duos vel tres testes: & si vos non audierit, dic Ecclesiæ: id est, tunc accusa eum publicè, & non III.
priùs, & reliqua. Si quis Episcopum post hæc elegerit accusare, summis Primatibus Episcoporum suam indicet caussam, & non sæcularibus, qui magis ad pacem, quàm ad iudicium eos reuocent, vt charitas in omnibus, & ab omnibus custodiatur. Si Primates, aut Episcoporum accusatores 5. q. 2.
cum eis pacificare familiariter minimè poterunt; tunc tempore legitimo c. Si Primates.
*eos ad Synodum canonicè conuocatam non infra angusta tempora canonicè conuocent, & priùs * eis per scripta significent quid eis opponant, vt ad* *quàm est
responsionem parati veniant. Nam si aut vi aut timore electi fuerint, aut suis rebus exspoliati, nec canonicè ad Synodum vocari possunt; respondere æmulis debent, antequam canonicè restituantur, & sua omnia eis le- IV.
galiter reddantur: & Præsul priùs restituatur, & posteà non statim, *sed diu, per spatiosa tempora suis potestatiuè dispositis, & ad suam necessitatem præparatis, ad tempus veniat ad caussam; & si iustè visum fuerit, accusatoribus respondeat suis. Nulli infami atque sacrilego de* V.
quocumque negotio liceat aduersus religiosum Christianum, quamuis humilis seruilisque persona sit, testimonium dicere, nec de qualibet re, actione aut inscriptione Christianum impetere. Si quis Episcopus legitimè ac- VI.
cusatus, & suprà dicto ordine ad Concilium canonicè vocatus fuerit, absque vllâ trepidatione ire debet: &, *si ipse non potuerit, pro se legatum ad Synodum mittat. Nullæ caussæ à iudicibus Ecclesiasticis audiantur, quæ* VII.
legibus non continentur, vel quæ prohibitæ esse noscuntur. Si quis aliter VIII.
*non acquieuerit, nisi Episcopum accusset, suprà taxato hoc tenore agere debebit; quia accusatio aliter non potest rata existere. Tunc primò accusati caussam ad Primates accusator canonicè deferat: nec à communione prohibeatur accusatus, nisi in electorum iudicium canonicè euocatus, infra tres aut sex aut plures menses pro * his rationem redditurus venire distulerit;* *suis
sed si venire non potuerit, nihil ei nocebit. Ille verò, qui * aut timore à sede* *vi aut
pulsus, aut suis rebus fuerit exspoliatus, non priùs vocetur ad Synodum,*

3. q. 2. c. Tamdiu.

quàm omnia legibus ei redintegrentur, & tamdiu in Sede propriâ pacificè & poteſtatiuè cuncta diſponens reſideat, quamdiu expulſus vel exſpoliatus carere viſus eſt ſuis rebus. Cùm autem ad iudicium venerit, ſi

* patribus

voluerit & neceſſe fuerit, inducię ei petenti à * fratribus conſtitutæ abſque impedimento concedantur, & iudices à ſe electi tribuantur in loco,

* alibi

vnde eſt qui accuſatur; aut ſi * aliquam temerariæ multitudinis vim metuerit, locum ſibi congruum eligat, quo abſque timore ſuos, ſi neceſſitas

IX.

expoposcerit, teſtes habere, & abſque impedimento ſuam canonicè ſententiam finire valeat, quia multa per ſubreptionem euenire ſolent. Vt teſtificandi licentia denegetur his, qui Chriſtianæ religionis & nominis dignitate, & legis, vel ſui propoſiti normam, vel regulariter prohibita neglexerint. Multum derogatio præualet, quando derogatori creditur: ideò

X.

* detrectationibus

variis * detractionibus atque accuſationibus non debet labefactare Primatem, ſed magis Patrum regulis roborari, ne facilè aut indifferenter

Exod. 24.

ſuſcipere accuſationes præſumat, dicente Domino: Non ſuſcipias vocem mendacij. Priùs probare debet ſuſpicionem, & cauſſam, aut quo animo hoc faciat; & poſteà ſuſcipere, quia veritatis profeſſionem

* propinquitatis

* propinquitas, inimicitiæ, timoris, amoris, odij, & cupiditatis intentio impediXI.

re, & aduerſa fratribus irrogare ſolet. Perſonæ accuſantium tales eſſe debent, quorum fides, conuerſatio, & vita probabilis, & abſque reprehen-

* tè præſente

ſione ſit, & qui omnium careant ſuſpicione: quia & hoc * tempore præſenti, vt benè noſtis, in Nicænâ Synodo propter malorum hominum inſi-

* deleta

dias ſunt hæc & alia quàm plura * delata. Primates illi, & non alij, ſint XII.

quàm qui in prædictâ Synodo ſunt conſtituti. Reliqui verò qui metropolim ſedem tenent, Archiepiſcopi vocentur, & non Primates, ſaluâ in om-

* ei Matth. 16.

nibus Apoſtolicæ Sedis dignitate, quæ * & ab ipſo Domino conceſſa, & poſteà à ſanctis Patribus roborata eſt. Primò ſemper in omnium Epiſcoporum accuſatione perſona, vita & conuerſatio accuſantium enucleatim XIII.

inquiratur, & poſtmodum ea, quæ obiiciuntur, fideliter pertractentur;

*impetitorum

quoniam nihil aliter fieri debet, niſi * prædictorum fides, perſona, vita & actus diſcutiantur: quia non debet prauorum, aut inſidiantium hominum pernicies vitam lacerare innocentium. Sanè ſæpiſſimè à malis boni perſequuntur, qui non ceſſant ſuis calamitatibus aliis derogare: ideò ſummopere eſt præuidendum, ne hæc fiant. Nullus ſeruus, nullus liber, nullus infidelis, nullus criminibus irretitus, nullus calumniator, nullus qui XIV.

* frequenter

inimicitiis ſtudet, nullus qui * libenter litigat, & ad accuſandum vel detrahendum eſt facilis, nulla infamis perſona, vel quos ad accuſandum publica crimina leges publicæ non admittunt; Episcopos accuſare præſumant: quoniam accuſatores, & accuſationes, quas ſæculi leges non recipiunt, quâ ratione ſacerdotalis eas ordo recipere debeat, inuenire nequeo, cùm hæc & in Nicænâ Synodo prohibita ſint, & illi magis ab iſtis, non iſti ab illis iu-

1. Cor. 2.

dicari debeant. Et Apoſtolus dicit, Spiritualis iudicat omnia, ipſe verò XV.

à nemine iudicatur. Hæretici, à quibus nimiùm opprimimur, excommuni-

municatique, homicidæ, malefici, fures, ſacrilegi, raptores, venefici, adulteri, & qui raptum fecerint, vel falſum teſtimonium dixerint, ſeu qui ad ſortilegos magosque concurrerint, nullatenus ad accuſationem vel ad teſtimonium erunt admittendi. Non ita in Eccleſiaſticis agendum negotiis, ſicut in ſæcularibus. In ſæcularibus enim, poſtquam legibus vocatus venerit, & in foro decertare cœperit aliquis, non licet ante peractam cauſſam recedere: in Eccleſiaſticis verò, cauſſâ dictâ, licet recedere, ſi neceſſe fuerit, aut prægrauari ſe viderit. Quoties Epiſcopus ſuper certis accuſatur criminibus, ſi tales fuerint accuſatores, qui iuſtè & canonicè recipi debeant, Synodo legitimâ in ſuo tempore congregatâ, ab omnibus canonicè audiatur, qui ſunt in prouinciâ, Epiſcopis. Quòd ſi non legitimi fuerint accuſatores, non fatigetur Epiſcopus, quia Sacerdotes ad ſacrificandum * vocari debent, non ad litigandum; nec illi qui Throni Dei vocantur, prauorum hominum inſidiis debent turbari, ſed liberè Chriſto Domino famulari. Quamuis prouincialibus Epiſcopis vnà cum Metropolitano eorum cauſſas ſuæ prouinciæ Epiſcoporum liceat charitatiuè & concorditer agitare; non tamen, ſicut in prædictâ Synodo conſtitutum eſt, licet diffinire abſque Romani Pontificis auctoritate. Quòd ſi ſecùs à quibuſdam præſumptum fuerit, ipſi, qui hoc egerint, ſuæ præſumptionis ſuſcipiant damnum, & illi, qui ab eis perperàm excommunicati aut damnati fuerint, auctoritate huius ſanctæ Sedis, & beati præceptoris noſtri clauigeri Petri poteſtate ſoluantur atque reſtituantur. Ipſe enim Dominus ait: Quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Quoties Epiſcopi ſe à comprouincialibus vel à Metropolitano putauerint prægrauari, aut eos ſuſpectos habuerint, mox Romanam appellent Sedem, atque abſque vllâ detentione, & ſuarum rerum ablatione, liberè ire liceat. Et dum prædictam Romanam appellauerint Eccleſiam, aut ab eâ ſe audiri expoposcerint, nullus eos aut excommunicare, aut eorum Sedes ſubripere, aut eorum res auferre, aut aliquid eis inferre præſumat, antequam

* eorum

* amborum cauſſa Romani Pontificis auctoritate firmetur. Quòd ſi aliter à quoquam præſumptum fuerit, * nihil eis oberit, ſed viribus care-

* nihil erit

re non eſt dubium. De induciis verò Epiſcoporum, ſuper quibus conſuluiſtis, diuerſas à Patribus regulas inuenimus inſtitutas. Quidam enim

3. q. 3. c. De induciis.

ad repellenda impetitorum machinamenta, & ſuas præparandas reſponſiones, & teſtes confirmandos, & conſilia * eorum & amicorum quærenda, annum * & ſex menſes mandauerunt concedi; quidam autem annum, in quo plurimi concordant; minùs verò quàm ſex menſes non reperi; quia & hæc laicis indulta ſunt, quantò magis & Domini Sacerdotibus?

*Epiſcoporum * aut

Hic prædictus Papa aliam * Epiſtolam ſcripſit vniuerſis ſpiritualibus fratribus, & reliquis in ſacerdotali collegio Domino conſecratis, in quâ eos ſtudioſiſſimè hortatur perſecutiones & tribulationes patienter ſuſtinere, vt eius filij inueniantur, quem quotidie

*Epiſt. 2.

XVI. XVII. XVIII. XIX. XX.

Matth. 16.

tidie patrem inuocant Deum in cælis, & vt detrahentibus non detrahant, sed cuncta in spiritu humilitatis peragant, & in patientiâ longanimitatis, quæ sunt docenda, edoceant.

CAP. XXXIX.

S. DAMASVS.

A. CCC-LXVII. DAMASVS, natione Hispanus, ex patre Antonino, sedit annos octodecim, menses tres, dies vndecim. Cum isto ordinatur in contentione Vrsinus; sed facto Concilio Sacerdotum constitutus est Damasus, quia fortior, & plurima multitudo erat: Vrsinus autem eiectus est ab Vrbe, & Neapolis constitutus Episcopus. Damasus autem posteà inuidiosè adulterij arguitur; & factâ inde Synodo, à * quadraginta octo Episcopis expurgatur: accusatores autem eius Concordius & Callistus Diacones à Concilio sunt damnati, & de Ecclesiâ eiecti. Hic ordinauit Episcopos septuaginta duos, Presbyteros triginta & vnum, Diaconos vndecim. Hic II. Idus Decemb. obiit.

* quadraginta quatuor

*Epist. 3. Hic in Epistolâ *, quam Stephano Archiepiscopo Mauritaniæ, & vniuersis Africanæ prouinciæ Episcopis destinauit, eos instruit, qualiter Metropolitanos Episcopos & summa Ecclesiastica negotia discutere liceat: ita videlicet, vt nemo ex eis desit, & omnes in singulorum negotiis concordent. & cetera in eâdem ponit, quæ & antecessores sui constituerunt, id est, de ipsis Episcopis quos damnari non liceat, nec Synodum conuocare canonicam absque Romanæ Sedis auctoritate; de canonicâ vocatione ad Synodum, de induciis, quas dandas sex mensium spatio in criminalibus Episcopis mandat, de accusatoribus & testibus, quales esse debeant; item de inscriptione calumniatoris, quæ semper primò fieri debet, & quæ criminum discussio ibi agitanda sit, vbi & ipsa crimina sunt admissa: & cetera, quæ planè iam in prædecessorum suorum decretis suprà notauimus.

*Epist. 4. Item prædictus Papa aliam scripsit decretalem * Epistolam Prospero Numidiæ primæ sedis Episcopo, & ceteris Orthodoxis Episcopis vbique consistentibus: de * Coëpiscopis, qui nihil amplius sunt, vel possunt, quàm Presbyteri, ita inter cetera dicens: *Nimis iam eorum institutio improba, nimis est praua: quia, vt hi de summo sacerdotij ministerio aliquid præsumant, omni caret auctoritate, & sacris Canonibus videtur esse contrarium, & vacuum atque inane est, quidquid in prædicto summi sacerdotij egerint ministerio. Nam non ampliùs, quàm duos ordines inter discipulos Domini esse cognouimus. Vnde iste tertius processerit, funditus ignoramus: & quod ratione caret, exstirpari necesse est. Cùm enim Episcopi non sint, qui minùs quàm à tribus, aut qui ab vno vel duobus sunt*

*Chorepiscopis

dist. 68. c. Chorepiscopi.

*sunt ordinati Episcopis, nec nominentur Episcopi, si nomen non habent, qualiter officium habebunt? Idcircò benedictionem, quam prædicti Coëpiscopi ante suam prohibitionem per manus impositionem dabant, magis videtur nobis vulnus inferre, quàm salutem: quia qui Pontificatus apicem non habebant, quomodo ea, quæ non habebant, dare poterant? quoniam nihil in dante erat, quod ille posset accipere; & propterea magis vulnerabant capita, quæ per manus impositionem tangebant, quàm ea, quæ eis collata non erant, per aliquam benedictionem darent. Et vbi vulnus infixum est, necesse est adhibere medicinam; quâ infixa sanetur macula, id est, reiterari necesse est, quod legitimè actum aut collatum minimè approbatur, si perfectum esse debebit. Nam quomodo honorem posset retinere, qui ab * alio acceperit, qui potestatem dare non habuit legitimè, inuenire non possum: cùm ille qui Pontificalem honorem non habuit, Pontificalia non potest iura tribuere: nec hoc sibi poterant vendicare, cuius capaces per hoc, quod illis obstiterat, non fuerunt.* * ille

Aliam iterùm scripsit * Epistolam prædictus Papa Episcopis per Italiæ prouincias constitutis, in quâ accusationem fratrum per scripta fieri prohibet, ita inter cetera dicens: *Leges sæculi accusatores præsentes exigunt, & non per scripta absentes; vnde canonica Patrum constituta non semel, sed sæpissimè clamant, nec accusationes, nec testimonia vllum per scripta posse proferre, nec de aliis negotiis quicumque testimonium dicant, nisi de his quæ sub præsentiâ eorum acta esse noscuntur. Similiter; & qui accusare alium elegerit, præsens per se, & non per alium accuset, inscriptione videlicet præmissâ: neque vllus vmquam iudicetur, antequam legitimos accusatores præsentes habeat, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* *Epist. 6.

5. q. 2. c. Relatum.

3. q. 9. c. Qui accusare.

Hic sententiam Hieronymi Presbyteri de celebratione Missæ confirmauit, videlicet, vt die Dominico nullus post tertiam horam diei Missarum solemnia celebrare præsumat. Hic præcepit, vt Psalmi die noctuque in Ecclesiâ canerentur.

CAP. XL.

S. SIRICIVS.

SIRICIVS, natione Romanus, ex patre Tiburtio, sedit annos quindecim, menses vndecim, dies vigintiquinque. Hic ordinauit Episcopos triginta duos, Presbyteros triginta & vnum, Diaconos sedecim. Hic de hoc sæculo migrauit VIII. Kalend. Martij. Hic in Epistolâ * quam Himmerio Tarraconensi Episcopo scripsit, baptizatos ab Arrianis, si ad Catholicam fidem festinent, denuò baptizandos esse prohibuit; quia & Apostolus prohibet, & Canones contradicunt, & Liberij Papæ decreta post cassatum Ariminense

A. CCC-LXXXV.

* Epist. 1.

Ephes. 4.

Concilium ad prouincias missa prohibent, & solâ Episcopalis manus impositione Catholicorum conuentui eos sociandos esse asserit. Item in eâdem affirmat, nullo tempore anni, nisi in Dominico Paschæ & Pentecostes, quemlibet baptizandum, nisi eum mortis cuiuslibet periculum vrgeat. Iterùm illos, qui ad apostasiam transeunt, & idolorum cultu ac sacrificiorum contaminatione polluuntur, à Corpore Christi & Sanguine iubet abscindi; resipiscentibus autem, & ad lamenta conuersis, pœnitentiam in vitâ agendam esse, & in fine vltimo reconciliationis gratiam tribuendam esse præcipit. Item puellam alij desponsatam, ne alter in matrimonium accipiat, inhibet: quia illa benedictio, quam Sacerdos nupturæ imponit, si transgressione violetur, apud fideles cuiusdam sacrilegij instar est. De his verò, qui actâ pœnitentiâ tamquam canes & sues ad pristinos vomitus & volutabra redeunt, & militiæ cingulum repetunt, & incontinentes existunt, quia iam pœnitendi non habent refugium; decernit, vt solâ intra Ecclesiam fidelibus oratione iungantur, à Dominicæ autem mensæ conuiuio separentur: transeuntibus autem de hac vitâ viatico munere subueniri iubet.

27. q. 2. c. De coniugali.

33. q. 2. c. De his verò.

De Monachis verò vel Monachabus, qui se priùs clanculò illicitâ contagione polluerunt, & postea in abruptum conscientiæ desperatione perducti de illicitis complexibus liberè filios procrearint, à monasteriorum cœtu & Ecclesiarum conuentibus eliminandos esse mandauit, vt in suis ergastulis retrusi* purgatorio possint pœnitudinis igne decoqui; vt eis saltem ad mortem solius misericordiæ intuitu per communionis gratiam possit indulgentiâ subueniri.

*purificatorio

82. dist. c. Plurimos.

De Sacerdotibus verò atque Leuitis, qui post longa consecrationis suæ tempora, tam de propriis coniugiis, quàm de turpi coitu sobolem procrearint, & crimen suum defendunt, quia in veteri Testamento Sacerdotibus ministris procreandi facultas legitur attributa, quia non ex aliâ vtique, nisi quàm ex tribu Leui quisquam ad Dei ministerium fuerat præceptus admitti; mandat, vt his, qui ignorantiâ lapsos se deflent, hac conditione misericordia non negetur, vt sine vllo honoris augmento, in hoc quo detecti sunt, quamdiu vixerint, officio perseuerent; si tamen post hæc continentes sese studuerint exhibere. Illos verò, qui se illicitâ priuilegij excusatione defendere nituntur, omni Ecclesiastico honore Apostolicâ auctoritate spe futuræ adeptionis prohibitâ penitus priuat. Et quia licenter ac liberè inexploratæ vitæ homines, quibus etiam fuerant numerosa coniugia, ad præfatas dignitates, prout cuique fuerat libitum, aspirabant; quid de huiusmodi ab vniuersis Ecclesiis sit sequendum, quid vitandum, generali pronuntiatione decreuit: ita videlicet, vt qui à pueritiâ vsque ad tricesimum ætatis suæ annum pro-

probabiliter vixerit, vnâ tantùm vxore contentus, & eâ virgine, & cum illâ benedictâ à Sacerdote, promoueri per singulos gradus morâ præfiniti temporis poterit, si in singulis irreprehensibiliter vixit: illum verò Clericum, qui aut viduam aut certè secundam coniugem duxerit, omni Ecclesiasticæ dignitatis priuilegio mox nudandum esse censuit, laicâ sibi tantùm communione concessâ; quam ita demum poterit possidere, si nihil* præterea, propter quod hanc perdat, possideat. Feminas verò ab omnibus Clericis excludit, nisi eas tantùm, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum iisdem Synodus Nicæna permisit. Monachos autem, quos morum grauitas & vitæ ac fidei institutio sancta commendat, Clericorum officiis aggregari concessit, temporibus præfixis, vel singulis gradibus seruatis.

dist. 84. c. Quisquis.

* postea

dist. 81. c. Feminas. 16. q. 1. c. Monachos.

Illud quoque decreuit, vt, sicut pœnitentiam agere cuiquam Clericorum non licet, ita & post pœnitudinem ac reconciliationem nulli vmquam liceat honorem Clericatus adipisci: quia quamuis sint omnium peccatorum contagione mundati; nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui fuerant vasa vitiorum. Sed quia in huiusmodi, cùm reprehenduntur, sola ignorantiæ excusatio solet obtendi, hac conditione pœnitendi cuilibet digamo, & viduæ marito indebitè ad gradum quemlibet promoto veniam relaxat, & omni spe promotionis filij ademptâ, in quo inuenitur ordine, perpetuâ stabilitate permaneat.

dist. 50. c. Illud.

dist. 50. c. Quicumque.

Prædictus Papa propter multas præsumptiuas causas, quæ suis temporibus emerserant, decretalem* Epistolam Africanis Episcopis destinauit, in quâ præcepit, vt nemo extra conscientiam Sedis Apostolicæ, hoc est, Primatis, audeat Episcopum ordinare; quia integrum dicit esse iudicium, quod plurimorum sententia consequatur. Item ne vnus Episcopus Episcopum ordinare præsumat propter arrogantiam, ne furtiuum beneficium præstitum videatur, quia & in Nicænâ Synodo hoc definitum esse constat. Item, si quis post remissionem peccatorum cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad Clerum admitti non debet. Similiter, vt Clericus mulierem viduam non ducat vxorem, præcepit. Iterùm, vt laicus, qui duxerit viduam, non admittatur ad Clerum. Item, vt de alienâ Ecclesiâ ordinare Clericum nullus vsurpet, vel ab Ecclesiâ abiectum suscipiat, & venientes à Nouatianis & Montensibus per manus impositionem suscipiantur, eò quòd rebaptizati sint. Præterea, in eâdem monuit & suasit, ne sacerdotes & Leuitæ cum vxoribus suis coëant, quia in ministerio ministri quotidianis necessitatibus occupantur, & qui in carne sunt, Deo placere non possunt.

**Epist. 4.*

dist. 64. c. Extra.

Syn. Nic. c. 4.

Idem sanctæ memoriæ prædictus Papa aliam decretalem* Epi-

**Epist. 3.*

ſtolam ſcripſit Orthodoxis, per diuerſas prouincias degentibus: in quâ, quia multa contra Eccleſiaſticum canonem præſumebantur, præcepit & monuit, vt indignus, & non diligenter examinatus, non efficiatur Epiſcopus, & ne ſacerdotium detur illis, quorum fides, baptiſmus & vita neſcitur: & ne neophyti, ſiue laici, inconſideratè Diaconi aut Presbyteri ordinentur, cùm dicat Apoſtolus: *Manus nemini citò impoſueris.* 1. *Tim.* 5.

Item prænominatus Papa aliam Italicis Epiſcopis ſcripſit* Epiſtolam, in quâ ſe eis Iouinianum Epicurum ſocioſque eius damnaſſe notificat, qui virginitatis præmium annihilabant, & ieiunia condemnabant. *Epiſt.* 2.

CAP. XLI.

S. ANASTASIVS.

A. cccxcviii.

ANASTASIVS, natione Romanus, ex patre Maximo, ſedit annos tres, dies decem. Hic ordinauit Epiſcopos vndecim, Presbyteros nouem, Diaconos quinque. Hic Germaniæ & Burgundiæ regionis Epiſcopis Epiſtolam ſcripſit, in quâ eorum conſultis ratione certâ reſpondet; videlicet Apoſtolicâ auctoritate mandat, & prohibet, ne, cùm in Eccleſiâ ſanctâ Euangelia recitantur, Sacerdotes & ceteri ſedere præſumant; ſed venerabiliter curui Dominica verba intentè audiant, & fideliter adorent. Similiter prohibet tranſmarinum hominem ad honorem Clericatus admitti, niſi quinque aut eo ampliùs Epiſcoporum chirographis deſignatum: quia multa per ſubreptionem euenire ſolent, ideò & hæc ſummopere cauenda ſunt. Item Manichæos, qui tunc erant, non recipiendos, nec cum eis vllatenus participandum eſſe mandat, priuſquam ad rectam conuertantur fidem. Hic obiit v. Kalend. Maij.

de Conſ. diſt. 2. c. Apoſtolica. diſt. 98. c. Tranſmarinos.

CAP. XLII.

S. INNOCENTIVS.

A. cccclii.

INNOCENTIVS, natione Albanus, ex patre Innocentio, ſedit annos quindecim, menſes duos, dies viginti & vnum. Hic decretalem* Epiſtolam Decentio Eugubino Epiſcopo ſcripſit, in quâ eum de multis conſulentem catholicè inſtruit, ita incipiens: *Si inſtituta Eccleſiaſtica, ita vt à beatis Apoſtolis ſunt tradita, integra vellent ſeruare Domini Sacerdotes; nulla diuerſitas, nulla varietas in ipſis ordinibus & conſecrationibus haberetur. Sed dum vnuſquiſque, non quod traditum, ſed quod ſibi viſum fuit, hoc exiſtimat eſſe tenendum; inde diuerſa in diuerſis locis vel Eccleſiis, aut teneri, aut celebrari videntur, ac* *Epiſt.* 1.

ac fit ſcandalum populis. Qui dum neſciunt traditiones antiquas humanâ præſumptione corruptas, putant ſibi, aut Eccleſiis *non conuenire, aut ab Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris contrarietatem inductam. Propter hoc oportet omnes ſequi quod Romana Eccleſia cuſtodit, à quâ eos principium accepiſſe non eſt ambiguum.* Oſtendit igitur quid in ſingulis, vnde eum conſuluerunt, facere debeant. Videlicet mandat pacem poſt confecta myſteria dandam eſſe, vt per hoc conſtet, populum ad omnia, quæ in myſteriis aguntur, præbuiſſe conſenſum. Item præcepit, vt priùs oblationes in Miſsâ commendentur, poſteà verò eorum nomina, quorum oblationes ſunt, recitentur. Item de conſignandis infantibus, dicit manifeſtum eſſe, non ab alio quàm ab Epiſcopo fieri licere: quia licet Presbyteri ſint Sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. * Eccleſias

I. *de Conſ. diſt. 2. c. Pacem.* II. III. *de Conſ. diſt. 4. c. Presbyteros.*

Sabbato verò eſſe ieiunandum ratione euidenti demonſtrat: quia ſi ſexta Feriâ propter paſſionem Domini ieiunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quia inter triſtitiam paſſionis, & lætitiam reſurrectionis videtur incluſum: & Apoſtolos conſtat biduo iſto in mœrore fuiſſe, quod non eſt dubium in tantum eos ieiunaſſe biduo memorato, vt traditio Eccleſiæ habeat iſto biduo Sacramenta penitus non celebrari. Quæ forma vtique per ſingulas eſt tenenda hebdomadas, propter id, quòd commemoratio diei illius ſemper eſt celebranda. Quòd ſi putatur ſemel & vno Sabbato ieiunandum, ergo & Dominica & quinta Feria ſemel in Paſcha vtique erit celebranda. De fermento autem, quod à Papâ confectum Romæ per titulos Dominicâ die per Acolythos mittebatur, quia ipsâ die Presbyteri propter plebem ſibi creditam cum ipſo conuenire non poterant, diem alibi per parochias non eſſe faciendum, quia Sacramenta non longè ſunt portanda. De his verò baptizatis, qui poſteà dæmonio, aut vitio aliquo, aut peccato interueniente arripiuntur, dicit, nec à Presbytero, nec à Diacono debere nec poſſe conſignari, niſi Epiſcopus præceperit: quia manus imponendæ non ſunt, niſi Epiſcopus auctoritatem dederit id efficiendi, propterea quia longè poſitus difficulter ſæpè ad Epiſcopum deduci poteſt. IV. *de Conſ. diſt. 3. c. Sabbato.* V. VI.

De pœnitentibus autem, qui ex grauioribus commiſſis, ſiue ex leuioribus, pœnitentiam gerunt, iuxta Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem quintâ Feriâ ante Paſcha remittendum eis eſſe demonſtrat, ſi nulla interueniat ægritudo. Si verò quis in ægritudinem inciderit, & vſque ad deſperationem deuenerit, ei eſt ante tempus Paſchæ relaxandum, ne de hoc ſæculo abſque communione diſcedat. De hoc verò, quod in Epiſtolâ Iacobi legitur, *Infirmatur quis in vobis*, &c. dicit non eſſe dubium de ægrotantibus fidelibus accipiendum eſſe, & intelligendum, qui ſancto oleo Chriſmatis perungi VII. *de Conſ. diſt. 3. c. De pœnitentibus.* VIII. *Iacobi* 5.

possunt, quo ab Episcopo consecrato, non solùm Sacerdotibus, sed omnibus vti Christianis licet in suâ suorumque necessitate; & quod
dist. 95. c. Illud. Presbyteris licere non est dubium, Episcopis esse licitum, non est ambiguum. Sed de Presbyteris idcircò dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt: ad quos autem volunt ire & vngere, licenter possunt. Pœnitentibus tamen illud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi?

**Epist. 2.* Item præscriptus Papa* aliam Victricio Rothomagensi Episcopo scripsit Epistolam propter quosdam, qui eo in tempore ignorantiâ vel desidiâ non tenebant Ecclesiasticam disciplinam, & plurima non præsumenda præsumebant: in quâ mandat & præcipit,
I. ne extra Metropolitani Episcopi conscientiam vllus audeat ordi-
dist. 64. c. Extra. nare Episcopum. Integrum enim est iudicium, quod plurimorum sententiis confirmatur. Nec vnus Episcopus præsumat ordinare Episcopum, ne furtiuum beneficium præstitum videatur. Hoc &
II. à Nicænâ Synodo constitutum atque definitum. Item, si quis post remissionem peccatorum cingulum militiæ sæcularis habuerit,
III. ad Clericatum admitti prohibuit. Item præcepit, vt, si fortè caus-
11. q. 1. c. Si quæ caussæ. sæ vel contentiones inter Clericos, tam superioris quàm inferioris ordinis, exortæ fuerint, iuxta Nicænam Synodum congregatis eiusdem prouinciæ Episcopis iurgium terminetur, nec sine præiudicio Romanæ Ecclesiæ alicui liceat relictis his Sacerdotibus, qui in eâdem prouinciâ Ecclesiam Dei nutu gubernant, ad alias conuolare prouincias. Quòd si quis fortè præsumpserit, eum ab officio Clericatus submoueri, & iniuriarum reum ab omnibus iudicari iussit. Si autem maiores caussæ in medio fuerint deuolutæ ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, post Episcopale iudicium referendas eas esse mandauit.

IV. Item in eâdem sanciuit, sicut & Siricius fecerat, vt Clericus viduam mulierem non ducat vxorem, ne hoc præiudicio impeditus
V. ad Sacerdotium peruenire non possit. Item, ne laicus, qui ante ba-
dist. 34. c. Si quis. ptismum, seu posteà, mulierem viduam duxit vxorem, posteà admittatur ad Clerum præcepit, quia eodem vitio videtur exclusus. In baptismo enim peccata dimittuntur, non tamen acceptæ
VI. vxoris consortium relaxatur. Item, ne is qui secundam ducit vxo-
1. Tim. 3. rem, Clericus fiat, quia scriptum est: Vnius vxoris virum. & iterùm: Sacerdotes mei semel nubant. Item, vt de alienâ Ecclesiâ Cle-
VII. ricum ordinare nullus vsurpet, nisi eius Episcopus precibus exora-
dist. 34. c. Si quis. C. Nic. c. 16. & 17. tus concedat. Hoc etiam Synodus Nicæna constituit, vt abiectum ab altero Clericum altera Ecclesia non recipiat. Item vt venientes
VIII. à Nouatianis, vel Montensibus, per manus impositionem susci-

piantur, quia licet ab hæreticis, in Christi tamen nomine sunt baptizati, præter eos, qui à nobis ad illos transeuntes baptizati sunt. Hi, si resipiscentes ad nos redierint, sub longâ pœnitentiæ satisfactione admittendi sunt.

Item, omnino seruari iubet, vt Sacerdotes & Leuitæ cum vxo- IX.
ribus suis non coëant: quia si Sacerdos, cui orandi & sacrifican- *dist. 31. c. Tenere.*
di iuge officium est, carnali concupiscentiâ fuerit contaminatus, quo pudore sacrificare vsurpabit, aut quâ conscientiâ, quo merito exaudiri se posse credit, cùm dictum sit, *Omnia munda mundis; coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum?* *Tit. 1.* De Mo- X.
nachis autem, qui ad clericatus ordinem peruenerint, iubet, non *16. q. 1. c. De Monachis.*
debere eos à priori proposito deuiare: quia sicut in Monasterio fuit, ideò quod diu seruauit, modò in meliori gradu positus non debet amittere. Item mandat, ne ex curialibus, id est, qui aliqui- XI.
bus publicis functionibus occupati, iure ad curiam retrahi pos- *dist. 51. c. Frequenter.*
sunt, ad Clericatum admittantur. De virginibus velatis, si posteà publicè nupserint, vel clanculò corruptæ fuerint, mandauit, non XII.
admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi hi, quibus se iun- *27. q. 1. c. Quæ Christo.*
xerant, de mundo recesserint; quia iam de laicis adulteris hæc forma seruatur. Sententia autem ista valdè seuera & timenda nimis, quam multorum casu nostris temporibus necessariò mitigari oportuit; alioquin multi salubris pœnitentiæ solatio destituti † impœ- †*fortè*
nitenti corde vitam finirent. His autem virginibus, quæ nondum XIII.
velatæ sunt, sed in virginitatis tamen proposito se permanere si- *27. q. 1. c. Ne verò.*
mulauerunt, si fortè nupserint, aliquanto tempore pœnitentiam agendam esse dicit: quia sponsio earum à Domino tenebatur: quia si viduæ, quæ à viduitatis proposito discesserunt, iuxta Apos- *1. Tim. 5.*
tolum damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt, quantò magis virgines, quæ prioris promissionis fidem frangere conatæ sunt?

Item prænominatus Papa aliam scripsit* Epistolam Exuperio I.
Tolosano Episcopo, in quâ ei rescribit, illos Diaconos, aut Presby- **Epist. 3. dist. 82. c. Proposuisti.*
teros, quos esse incontinentes filij generati prodiderunt, omni honore Ecclesiastico esse priuandos, sicut & Siricius Papa fecerat; nec ad aliquod tale ministerium admittendos esse, quod solâ continentiâ oportet impleri. His autem, qui omni tempore incontinen- II.
tiæ voluptatibus dediti, tantùm in extremo vitæ suæ pœnitentiam simul & reconciliationem communionis exposcunt; quamuis iuxta priorem consuetudinem pœnitentia quidem concederetur, sed communio negaretur; cum pœnitentiâ communionem tribui iussit, vt vel in supremis, permittente Saluatore nostro, à perpetuo exitio vindicentur.

De his verò, qui aut tormenta sola exercent, aut etiam capita- III.
lem

23. q. 4. c. Quæsitum est. Rom. 13. lem sententiam proferunt, respondet, nihil à maioribus diffinitum esse; ideò quia meminerant has potestates fuisse à Deo concessas; & propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, & Dei ministrum datum esse in huiusmodi vindicem, & ita se tenere, sicut vsque ad ipsum seruatum est, ne aut disciplinam euertat, aut contra auctoritatem Domini videatur venire. Viros autem cum vxoribus adulteris non conuenire, sicut & ipsæ cum ipsis faciunt; si ipsi adulterium committant, non aliâ de caussâ fieri dicit, nisi quia latentia peccata non habent vindictam. Non enim mulieres viros suos facilè de adulterio, sicut viri mulieres accusant: idcircò virorum latente commissо, non facilè quisquam eorum ex suspicionibus submouetur: submouebitur autem, si eius flagitium fuerit detectum. Sed quamuis par sit caussa; interdum tamen probatione cessante vindictæ ratio conquiescit. Illum verò, qui preces dictat, & alicuius mortem vel sanguinem de reatu à Principibus poscit, immunem esse dicit, ideò quia Principes numquam sine cognitione concedunt; sed ad iudices commissa ipsa vel crimina semper remittunt, vt cognitâ caussâ vindicent. Quæ cùm quæsitori fuerint delegata, aut absolutio, aut damnatio pro negotij qualitate profertur; & dum legum in improbos exercetur auctoritas, erit dictator immunis. Illos verò, qui interueniente repudio, alij se matrimonio copularint, affirmat sine dubio in vtraque parte adulteros esse: quia quamuis coniugium desolatum vel dissolutum esse videatur; non possunt tamen adulteri non videri, qui vxore viuente ad aliam copulam festinarunt: in tantum, vt etiam hæ personæ, quibus tales coniunctæ sunt, commisisse videantur adulterium.

32. q. 5. c. Christiana.

V.

23. q. 4. c. Illud.

VI.

Matth. 19.

Item Felici Nuceriano Episcopo prænominatus Papa aliam scripsit decretalem * Epistolam, in quâ ei de indigentiâ Clericorum querimoniam facienti, cùm aliquos * murcos, aliquos digamos habere diceret; respondet, illum, qui volens partem digiti sui abscideri, iuxta canones non posse admitti ad Clerum; illum verò, cui aliquo casu contigit, & Clericum fieri posse, & inuentum abiici non posse asserüit: quia in illo voluntas est iudicata, in isto verò casus veniam meruit. Digamos autem, sicut & superiùs scriptum est, omnino abiiciendos est mandauit. Laicos autem illos, ad clericatus sortem posse admitti non vetuit, qui sic se post baptismum instituerunt, vt eorum opinio in nullo vacillet, & Clericis ac Monachis adhæserint, & concubinam aut pellicem non nouerint, & in bonis operibus vigilarint. Illos verò, qui militiæ seruierunt, aut in sæcularibus caussis agendis versati sunt, aut administrarunt, assumendos esse prohibuit.

*Epist. 4.

* mutilos

I.

dist. 55. c. Qui partem.

II.

III.

dist. 51. c. Designata.

*Epist. 5.

Idem prædictus Papa in illâ * Epistolâ, quam Maximo & Seuero

uero Episcopis destinauit, iubet Presbyteros illos, qui in presbyterio filios procreasse dicuntur, debere in medio collocari, discussisque obiectionibus, quæ ipsis Presbyteris impinguntur, si conuinci poterunt, à sacerdotali officio remoueri: quia qui sancti non sunt, sancta tractare non possunt. Laudat etiam in eâdem laicum, qui à talibus Ecclesiam pollui non patitur.

dist. 81. c. Maximilianus.

Idem sæpè dictus Pontifex in Epistolâ, quam Apulis Episcopis, Macedonio videlicet & Marino, scripsit, præcepit, si constiterit, Clericum pro suis criminibus egisse pœnitentiam, ab omni clericatus officio remouendum: ita scilicet, si post pœnitentiam ad maiorem gradum tendere nititur. Et in eâdem arguit Episcopos, qui dum aut amicis aut obsequentibus gratiam præstare nituntur, religionem violant, ordinesque corrumpunt; & sic euenit, vt indigni quique honores suscipiant Ecclesiasticos, & admittantur ad clerum, qui nec inter laicos dignum locum habere merentur.

Epist. 6.

Item in Epistolâ, quam Episcopis per Macedoniam constitutis scripsit, dicit: *Non oportet graue videri cuiuscumque iudicium retractari; quia veritas exagitata sæpiùs magis splendescit in luce, & pernicies reuocata in iudicium * acriùs pœnitentiâ condemnatur; & fructus diuinus est, iustitiam sæpiùs recenseri.*

Epist. 7. 35. q. 9. c. Graue.

* graniùs & sine pœnitent.

Item in illâ, quam Florentino Tiburtinensi Episcopo misit, mandat terminos à Patribus constitutos transiri non oportere: quia nefas est, si quod alter semper possederit, alter inuadat; quod prædictum Episcopum memorat fecisse, quia alterius parochiam inuaserat.

Epist. 8.

Item in Epistolâ Probo Episcopo directâ, iubet mulierem de captiuitate reuersam, marito, qui iam aliud inierat coniugium, restitui: quia fide Catholicâ suffragante illud statuit esse coniugium, quod erat primitus gratiâ diuinâ fundatum, conuentumque mulieris secundæ priore superstite, nec diuortio iectâ, nullo modo posse esse legitimum.

Epist. 9. 34. q. 1. & 2. c. Cùm in.

Item in illâ, quam Aurelio Carthaginiensi Episcopo scripsit, quantum doleat, se non posse exprimere dicit, quòd Ecclesiam, & præcipuè Episcopos, tantâ indignitate & molestiâ tractari legat & audiat, dum facilè manus imponuntur, dum negligenter Sacerdos summus eligitur, & Clerici Ecclesiasticorum dogmatum regulâ nutriti vel honorati inter altaria Christi respuuntur; quasi nefas sit ad primatum venire per ordinem. Nam cùm laici & Monachi vndecumque abruptè ad tanti sacerdotij collegium assumuntur, videntur & illi contemni, de quibus oportuerat eligi; & isti malè intromitti, qui præter ordinem irrumpunt potiùs, quàm eligantur.

Epist. 12.

Epist. 8. quæ est 20.

Item idem suprà dictus Papa Alexandro Antiocheno Episcopo

ſcripſit & mandat, vt, ſi vna prouincia Imperiali iudicio dijudicatur, Metropolitani tamen Epiſcopi ſecundùm priſtinum morem prouinciarum ſolummodò numerentur. Item in eâdem eidem præcepit, ne ipſe Arrianorum Clericos cum ſacerdotij aut miniſterij cuiuſpiam dignitate ſuſcipiat: quoniam quamuis baptiſma eorum ratum eſſe permittatur, non Spiritum ſanctum tamen eos habere cum illo baptiſmate † illiſque myſteriis arbitramur; nec eius plenitudinem dare poſſunt † quæ maximè in ordinationibus operatur.

†indignè ſuſcepto
†ex opere operantis

Epiſt.21. Item Martiano Epiſcopo per Epiſtolam iuſſit, quatenus eos Clericos in communionem ſuſcipiat, quos Bonoſus, antequam damnaretur, ordinaſſe cognoſcitur.

Epiſt.24. Item ſcribit vniuerſis Epiſcopis in Toletanâ Synodo conſtitutis, & dicit, quòd de ordinationibus ab Hiſpaniæ Epiſcopis illicitè factis fuerat aliquid ſecundùm maiorum traditionem ſtatuendum, niſi perpenderet inde in Eccleſiis quamplurimas perturbationes mouendas. Et enumeratis illis, quæ illicitè geſta eſſe cognouerat, ſubiungit ita: *Quæ ſi ſingula diſcutienda mandemus, non modicos motus aut ſcandala Hiſpanienſibus prouinciis, quibus mederi cupimus, de ſtudio emendationis inducemus. Idcircò remittenda hæc potiùs putamus.* Sed prouidendum eſſe mandauit, ne deinceps talia committantur.

CAP. XLIII.

S. ZOSIMVS.

AN. cccc. xvii. ZOSIMVS, natione Græcus, ex patre Abramio, ſedit annum vnum, menſes tres, dies vndecim. Hic ordinauit Epiſcopos octo, Presbyteros decem, Diaconos tres. Solutus eſt autem de ergaſtulo corporis VIII. Kalend. Ianuarij. Hic Epiſtolam * Heſitio Salonitano Epiſcopo ſcripſit, in quâ de Monachis, quorum ſolitudo quauis frequentiâ maior eſt, & de laicis ad Epiſcopum feſtinantibus præcepit, ne quis eorum contra Patrum præcepta, qui Eccleſiaſticis diſciplinis per ordinem non fuiſſet imbutus, & temporis approbatione diuinis ſtipendiis ſit eruditus, vllatenus ad ſummum Eccleſiæ Sacerdotium aſpirare præſumeret; & non ſolùm in eo ambitio inefficax haberetur, verùm & ordinatores eius, vt carerent eo ordine, quem ordinem contra præcepta Patrum crediderant præſumendum.

Epiſt.1. * Heſychio

diſt.36. c. Qui Eccleſiaſticis.

diſt.59. c. Qui Eccleſiaſticis.

CAP. XLIV.

S. BONIFACIVS.

BONIFACIVS, natione Romanus, ex patre Iocundo Presbytero, ſedit annos tres, menſes octo, dies ſeptem. Hic in contentione vnâ die cum Eulalio ordinatur. Et fuit iſta diſſenſio in Clero menſes ſeptem, & dies quindecim. Eulalius verò ordinatur in Eccleſiâ Conſtantinianâ, Bonifacius in Baſilicâ Iulij. Placidia autem Auguſta Rauennæ reſidens cum filio ſuo Auguſto Valentiniano, audiens hoc, quod Romæ factum fuerat, Honorio Auguſto Mediolani ſedenti notificauit. Vnde vterque, miſsâ Imperiali auctoritate, ambos de vrbe expelli iuſſerunt. Sed poſteà Eulalius omnino expulſus eſt, & in Campaniam miſſus; ideò quia Sabbato Paſchæ contra edictum Imperatorum officium Pontificis præſumpſit, eò quòd ordinatus fuerat in baſilicâ Conſtantinianâ: Bonifacius verò conſenſu & præcepto Imperatorum in Vrbem eſt reuocatus, & in Sede ſtabiliter conſtitutus. Hic ordinauit Epiſcopos triginta ſex, Presbyteros tredecim, Diaconos tres. Defunctus eſt autem VIII. Kalend. Nouemb. A. cccc. xix.

Hic Gallicanis Epiſcopis Epiſtolam direxit, in quâ iubet pro Maximo Epiſcopo, qui à Valentinæ vrbis Clericis accuſatus multoties iudicium ſubterfugerat, intra prouinciam Synodum aggregandam: vt, ſi ille adeſſe voluerit præſens, ſi confidit, ad obiecta reſpondeat; ſi adeſſe neglexerit, dilationem ſententiæ de abſentiâ non lucretur: quia manifeſtum eſt confiteri eum de crimine, qui indulto & toties delegato iudicio purgandi ſe voluntate non vtetur. Prædicti Papæ temporibus, ipſo conſentiente & laudante, Honorius Auguſtus de conſtitutione Romani Pontificis, vt ſine ambitione fieret, ita inſtituit, dicens: *Denique prædicante Beatitudine tuâ, id ad cunctorum Clericorum notitiam volumus peruenire, vt, ſi quid fortè religioni tuæ, quod non optamus, humanâ ſorte contigerit, ſciant omnes ab ambitionibus eſſe ceſſandum; & ſi duo contra fas temeritate certante fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus Sacerdotem: ſed illum ſolum in Sede Apoſtolicâ permanſurum, quem ex numero Clericorum nouâ ordinatione diuinum iudicium, & vniuerſitatis conſenſus elegerit.* Hic etiam conſtituit, vt nulla femina aut Monacha pallam ſacratam contingeret, aut lauaret, aut incenſum per Eccleſiam, niſi miniſtri, portaret. Prohibuit etiam, ne ſeruus, aut curiæ obnoxius, Clericus fieret.

3. q. 9. c. Decernimus.

In reſcripto ad 1. Epiſt. Bonifacij.

CAP. XLV.

S. CÆLESTINVS.

An cccc. xxiii. CAELESTINVS, natione Romanus, ex patre Priſco, ſedit annos octo, menſes decem, dies ſeptemdecim. Hic ordinauit Epiſcopos quadragintaſex, Presbyteros trigintaduos, Diaconos duodecim: migrauit autem ad Chriſtum VIII. Idus Aprilis.

Epiſt. 1. Hic Gallicanis Epiſcopis Epiſtolam direxit, in quâ monet eos, vt Presbyteros illos, qui indiſciplinatas quæſtiones in medium afferebant, & veritati aduerſantia prædicabant, & Eccleſiarum diſſenſioni ſtudebant, corripiant, & non patiantur eos habere liberum pro voluntate ſermonem: quia non debet diſcipulus ad Doctorum iniuriam ſibi vendicare doctrinam. Idem dicit, vt Epiſcopi prædictos Presbyteros talia eloqui non permittant: *quia in talibus cauſſis non caret taciturnitas ſuſpicione, quia occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret. Meritò namque*, inquit, *cauſſa nos reſpicit, ſi ſilentio faueamus errori.*

Epiſt. 2. Item Epiſcopis per Viennenſem & Narbonenſem prouinciam conſtitutis aliam deſtinauit Epiſtolam, in quâ mandat, ne vltrà quoſlibet illum morem patiantur ſeruare, videlicet, vt credentes ſe ſanctæ Scripturæ fidem non per Spiritum, ſed per litteram completuros, ſtent in Eccleſiâ pallio amicti, & lumbos accincti, ſicut lucernas ardentes cum baculo in manibus non tenent: rudes enim fidelium mentes ad talia non debent induci. Item in eâdem iubet, ne alicui in vltimo poſtulanti pœnitentia denegetur: quia vera ad Dominum conuerſio in vltimis poſitorum mente potiùs eſt exiſtimanda quàm tempore, hoc aſſerente Prophetâ: *Cùm conuerſus ingemueris, ſaluus eris.* Item prohibet, ne quemlibet, qui Eccleſiaſticis gradibus per ordinem non fuit initiatus, ad Epiſcopatus officium peruenire patiantur; nec illum, qui virginum inceſtu pollutus eſſe aſſeritur: & qui talem ordinauerit, dignitatem Epiſcopatus, ſicut & ipſe ordinatus, non obtinebit. Item iubet, vt vnaquæque prouincia ſuo Metropolitano ſit contenta, & vnuſquiſque contentus ſibi conceſſis limitibus in alterius prouinciâ nihil præſumat: nec emeritis in ſuis Eccleſiis peregrini & extranei præponantur ad excluſionem eorum, qui benè de ſuorum ciuium teſtimonio merentur. Item iubet, vt nullus inuitis detur Epiſcopus, niſi Cleri & plebis & ordinis conſenſus, & deſiderium inquiratur; tunc alter de alterâ eligatur Eccleſiâ, ſi de ciuitatis ipſius Clericis, cui eſt Epiſcopus ordinandus, nullus dignus (quod euenire non credimus) potuerit inueniri. *Primùm enim illi reprobandi ſunt, vt aliqui de alienis Clericis meritò præferantur, habeatque vnuſquiſque ſuæ militiæ*

26. q. 6. c. Agnoui-mus.

Ezech. 33.

diſt. 59. c. Ordina-tos.

diſt. 61. c. Ne eme-ritis. & c. Nullus.

militiæ fructum in Eccleſiâ, in quâ ſuam per officia omnia tranſegit ætatem. Sit facultas Clericis renitendi, ſi ſe viderint prægrauari; & quos ſibi ingeri ex tranſuerſo cognouerint, non timeant refutare. In eâdem etiam iubet, vt ab illicitis abſtineatur ordinationibus, ita dicens: *Nullus ex laicis, nullus digamus, nullus qui ſit aut fuerit viduæ maritus, ordinetur, ſed irreprehenſibilis, & qualem elegit Apoſtolus.* Et inferiùs dicit: *Et ſi quæ ſunt factæ ordinationes illicitæ, remoueantur, quoniam ſtare non poſſunt, nec diſcuſſionem noſtram ſubterfugere.*

1. Tim. 3.

Item prædictus Papa vniuerſis Epiſcopis per Apuliam & Calabriam conſtitutis *Epiſtolam deſtinauit, in quâ præcepit, ne vlli Sacerdoti ſuos canones liceat ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum poſſit regulis obuiare. Item, ne quis laicum ad ordinem Clericatus admittat. Item, quòd populus ſit docendus, non ſequendus, eoſque, ſi neſciunt quid liceat, quídve non, nos commonere, nec his conſenſum præbere debemus: *Quiſquis verò conatus fuerit tentare prohibita, ſentiet cenſuram Sedis Apoſtolicæ minimè defuturam. Quem enim ſolâ admonitionis auctoritate non corrigimus, neceſſe eſt vt per ſeueritatem congruentem regulis vindicemus.*

**Epiſt. 3. diſt. 38. c. Nulli. diſt. 62. c. Docendus.*

CAP. XLVI.

S. SIXTVS III.

SIXTVS tertius, natione Romanus, ex patre Sixto, ſedit annos octo, menſes octo, dies nouemdecim. Hic ordinauit Epiſcopos quinquaginta duos, Presbyteros octodecim, Diaconos duodecim. Hic, quia Epiphanium quemdam nobilem, quem Baſſus exconſul ingenuitate & prædiis propriis priuare nitebatur, apud Valentinianum Auguſtum adeò iuuit, vt vtrumque eius munitus chirographo retineret, à prædicto Baſſo & Mariniano, cui prædictus Pontifex prædium negauerat, quod Creſcentius in Siciliâ Romanæ Eccleſiæ dederat, apud Auguſtum Valentinianum accuſatus, quòd Chryſogonam quamdam conſecratam ſtupraſſet: & tantum inde Auguſtus & mater eius accenſi ſunt, vt à ſupradicti Pontificis communione, & magna pars populi cum eis ſe ſuſpenderent. Quapropter Valentinianus Auguſtus prædicti Pontificis auctoritate Synodum congregari iuſſit, in quâ, licet aliter euadere poſſet, fugere volens ſuſpicionem, coram quinquaginta ſex Epiſcopis ſe expurgauit. Nec ideò ſe expurgauit, ſed vt aliis per hoc, qui noluerint, formam & exemplum daret; cùm ex ſcripto & ordine Synodali conſtet, illum debere crimen probare, qui obijcit, & qui non probanda detulerit, iacturam ſe ſuſtinere intelligat. Baſſus verò à prædictâ Synodo eſt damnatus, & à Valentiniano Auguſto proſcriptus.

An. cccc. xxxii.

Vide tom. 1. Concil. pag. 703.

Epist. 1. Hic Orientalibus Episcopis direxit Epistolam, in quâ eis rescribit, à quo & qualiter prædictum iurgium contra eum sit excitatum, & quo & quali fine sit terminatum; adijciens in eâdem Epistolâ multa, quibus Episcopi de reliquo muniti iniustas oppositiones & malignorum accusationes securè reijcere valeant: quæ idcircò hîc non inserimus, quia superiùs eadem persæpè adnotata esse meminimus. Prædicti Papæ temporibus erat Ierosolymæ quidam Episcopus, nomine Polychronius, qui imprudentiâ senectutis in superbiam ductus, se vniuersalem Pontificem esse affirmabat, qui Clericos de quacumque prouinciâ ad se venientes inconsideratè, & non sine pretio Leuitas & Sacerdotes ordinabat, nec Episcopum quemlibet absque digno munere consecrabat: & si ad Ecclesiam illius regionis rogaretur consecrandam, non dabat auctoritatis suæ faculam, nisi decem auri libras accepisset in remunerationem. Vnde Sixtus Papa Romæ Synodum octo Episcoporum congregauit, & Euphemium Episcopum, qui Polychronium de prædictis infamauerat, vt eadem coram omnibus fateretur, introduxit. Quo facto, tres Episcopos, totidemque Presbyteros, & duos Diaconos electos, Ierosolymam miserunt. Qui congregatis illius regionis *Episcopis, & introductis quadraginta testibus, qui iuxta Euphemij accusationem omnia comprobarunt vera esse de Polychronio, ipsum Polychronium damnarunt, & Euphemium etiam; ideò quia ipse Pontificem suum accusauerat, qui eum consecrauerat. Sed Polychronius posteà propter compassionem & eleëmosynam, quam ciuibus suis obsessis erogauerat, reuocatus & restitutus est à Sixto in pristinam sedem.

Vide tom. 1. Concil. pag. 705.

*septuagintasex

CAP. XLVII.

S. LEO I.

A. ccccxl. LEO, natione Tuscus, ex patre Quintiano, sedit annos viginti & vnum, mensem vnum, dies tredecim. Hic ordinauit *centum & nonagintaquinque Episcopos, Presbyteros autem octoginta & vnum, Diaconos triginta & vnum. Hic feliciter obiit IV. Idus Aprilis. Hic Epistolam destinauit vniuersis Episcopis per Campaniam, & in vniuersis prouinciis constitutis, in quâ multa prohibuit, quæ & antecessores suos prohibuisse sæpè suprà meminimus. Videlicet præcepit, ne illi, qui à dominis suis libertatem consequi minimè potuerunt, & qui etiam originali alicui conditioni alligati sunt, ad sacerdotij fastigium prouehantur, nisi fortè eorum petitio aut voluntas accesserit qui aliquid in eos sibi vendicant potestatis. Iubet etiam Apostolicæ Sedis auctoritate, ab Ecclesiasticis officiis,

*centum & octoginta quinque

Epist. 1.

I.

dist. 54. c. Admittuntur.

II.

officiis, & sacerdotali nomine arceri, si qui ex viduarum maritis, aut quibus fuerint numerosa coniugia, sunt admissi. Decernit acriter vindicandum esse in eos Clericos, qui vsurariam pecuniam exercent, & in fœnore ditescere quærunt: commonens etiam illud, vt, sicut non suo, ita non ex alieno nomine aliquis Clericorum exercere fœnus attentet; quia indecens est crimen suum commodis alienis impendere. III. *14. q. 4. c. Nec hoc. dist. 46. c. Sicut.*

Item in aliâ, quam vniuersis Italiæ Episcopis scripsit, vt diligenter Manichæos studeant circumquaque inuestigare, & à plebibus sibi commissis separare mandauit. Scripsit etiam omnibus Episcopis per Siciliam constitutis Epistolam, in quâ arguit eos, qui in Sacramento illo, quod inter cetera Ecclesiæ Sacramenta † principale est, id est, in Baptismo, à Romanæ Ecclesiæ consuetudine discrepabant, ita vt Baptismi Sacramentum numerosiùs in die Epiphaniæ, quàm in Paschali tempore celebrarent; nullam differentiam credentes esse inter diem, quâ Christus adoratur à Magis, & diem, quâ ipse resurrexit à mortuis; cùm propriè in morte crucifixi, & in resurrectione mortui potentia Baptismatis nouam creaturam condidit ex veteri, vt in renascentibus, & mors Christi operetur & vita. Trina enim submersio triduanam Christi sepulturam imitatur, & ab aquis eleuatio resurgentis est instar de sepulchro. Ipsa ergo qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ diem legitimum eum esse, in quo orta est & virtus muneris, & species actionis. Additur autem sanè huic obseruantiæ etiam Pentecostes ex aduentu Spiritus sancti sacra solemnitas: quæ de Paschalis festi pendet articulo. Alios verò dies huic obseruantiæ miscendos esse prohibuit. *Epist.* 2. *Epist.* 4. † ordine executionis *de Conf. d. 4. c. Proprie. & c. Si quis. de Conf. d. 4. c. Duo tempora.*

Scripsit idem prædictus Papa Ianuario Aquilegiensi Episcopo Epistolam, in quâ eum commonet, ne Presbyteri siue Diaconi, vel Subdiaconi, aut cuiuslibet ordinis Clerici, qui ad Catholicam fidem, quam iampridem amiserant, rursum reuerti ambiunt, in Catholicam communionem recipiantur, priusquam errores suos, & ipsos auctores erroris, à se damnari sine vllâ ambiguitate fateantur: quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentesque rectores, qui multam sæpè nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam. *Epist.* 3. *2. q. 7. c. Saluberrimum. 1. q. 1. c. Omnis.*

Item ad Rustici Narbonensis Episcopi consultationes respondens, Epistolam scripsit, suadens ei, vt sanandis ægris spiritualem adhibeat medicinam, & dicente Scripturâ, *Noli esse iustus multùm*, mitiùs cum eis agat, qui zelo pudicitiæ modum videntur excessisse vindictæ, ne diabolus, qui decipit adulteros, de adulterij exultet vltoribus. Item, quia prædictus Episcopus nimiâ aduersitate turbatus, vacationem ab Episcopatus laboribus peroptabat, & vitam *Epist.* 95. *2. part. tom. 1. Eccle. 7.*

in

in silentio & otio degere magis, quàm in his quæ sibi commissa fuerant, permanere dicebat, commonet eum prædictus Papa permanere in opere credito, & in labore percepto, & constanter tenere iustitiam, & benignè præstare clementiam. *Odio enim sunt habenda peccata, non homines. Corripiendi sunt tumidi, tolerandi infirmi, & quod in peccantibus seueriùs castigari necesse est, non sæuientis plectendum est animo, sed medentis.* Item in eâdem: *Nulla ratio sinit, vt inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus sunt expetiti, nec à prouincialibus Episcopis cum Metropolitani iudicio* consecrati *constituti. Vnde, cùm sæpè quæstio de malè accepto honore nascatur; quis ambigat, nequaquam istis esse tribuendum, quod non docetur fuisse donatum? Si qui tamen Clerici ab istis pseudoëpiscopis in eis Ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios Episcopos pertinebant, & ordinatio eorum cum consensu & iudicio præsidentium facta est, potest rata haberi, ita vt in ipsis Ecclesiis perseuerent. Aliter autem consecratio vana est habenda, quæ nec loco fundata est, nec auctoritate munita.*

dist. 86. c. Odio.

I. dist. 62. c. Nulla.

1.q.1. c. Si qui.

II. dist. 50. c. Alienum

Item dicit, alienum esse à consuetudine Ecclesiasticâ, vt, qui in presbyterali honore, aut diaconij gradu fuerint consecrati, hi pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi. Item eamdem legem continentiæ dicit esse ministris altaris, quæ Episcopis atque Presbyteris. Item dicit, non omnem mulierem viro iunctam, esse viri vxorem, quia nec omnis filius heres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos dicit esse legitima, & inter æquales: & cùm societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexus coniunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramenta; dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in quâ docetur non fuisse nuptiale mysterium. Itaque si quis filiam suam viro cuilibet concubinam habenti in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi coniugato eam dederit; nisi fortè illa prior mulier, & ingenua facta, & legitimè dotata, & publicis nuptiis honestata videatur. Item, *paterno arbitrio viris coniunctæ carent culpâ, si mulieres, quæ priùs à viris habebantur, in matrimonio non fuerint: quia aliud est nupta, aliud concubina.* Item, ancillam à thoro abijcere, & vxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio coniugij est, sed profectus honestatis.

III. dist. 31. c. Lex.

IV. 32.q.2. c. Non omnis.

27.q.2. c. Cùm societas. Ephes. 5.

V. 32.q.3. c. Ancillam

VI. de Pœnit. d. 7. c. Nemo.

De his autem, qui in ægritudine pœnitentiam accipiunt, & cùm conualuerint eam agere nolunt, dicit talium negligentiam sanè culpandam esse, sed non penitus desperandam, vt crebris cohortationibus incitati, quod necessariò expetiuerunt, fideliter exequantur. De his autem, qui iam deficientes pœnitentiam accipiunt, & ante communionem moriuntur, dicit ita: *Horum caussa Dei iudicio reseruanda est, in cuius manu fuit, vt talium obitus vsque ad communionis remedium non differretur. Nos autem, quibus viuentibus non communicauimus, mortuis communicare non possumus.*

VII. 24.q.2. c. De communione.

VIII. de Pœnit. d. 1. c. Pœnitentia.

De his autem, qui nimio dolore perurgente rogant sibi dari pœnitentiam, & cùm Presbyter venit, daturus quod petebant, si dolor cessauerit, excusant, & nolunt accipere quod offertur, dicit: *Dissimulatio hæc potest non de contemptu esse remedij, sed de metu grauiùs delinquendi; vnde cùm pœnitentia studiosè petitur, non negetur.*

IX. de Pœnit. dist. 1. c. Aliud.

De his, qui pœnitentiam professi sunt, sed in foro litigare cœperint, sic dicit: *Aliud quidem est debita iusta reposcere, aliud propria perfectionis amore contemnere; sed illicitorum veniam postulantem, oportet etiam à multis licitis abstinere. Vnde, si pœnitens habet caussam, quam negligere fortè non debet, meliùs expetit Ecclesiasticum quàm forense iudicium.*

X. de Pœnit. dist. 5. c. Qualitas.

De his verò, qui in pœnitentiâ, vel posteà negotiantur, subiungit dicens: *Qualitas lucri negotiantem aut excusat, aut arguit, quia est & honestius quæstus & turpis. Verumtamen pœnitenti vtilius est dispendia pati, quàm periculis negotiationis obstringi, quia difficile est vendentis & ementis commercio non interuenire peccatum.*

XI. Ibid. c. Contrarium.

Contrarium enim est omnino Ecclesiasticis regulis, cùm Paulus dicat: Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus. Vnde non est liber à laqueis diaboli, qui se militiâ mundanâ voluerit implicare. 2. Tim. 2.

XII. † in recessu à perfectiori continentiâ.

Illos, qui in adolescentiâ, aut metu mortis, aut captiuitatis periculo pœnitentiam gesserunt, dicit rem † venialem feciisse, si posteà timore lapsus incontinentiæ vxoris copulam elegerunt. In quo tamen dicit, non se regulam constituere, sed, quid sit tolerabilius, æstimare: quia nihil magis congruit, qui pœnitentiam gessit, quàm castitas perseuerans & mentis & corporis.

XIII. 20.q.3. c. Propositum. Psal. 49.

Item propositum Monachi proprio arbitrio ac voluntate susceptum, non posse absque peccato deseri, quia quod Deo quis vouit, debet & reddere. Vnde, si relictâ singularitatis professione ad militiam vel ad nuptias deuolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandus est, si innocens sit militia, & honestum possit esse coniugium; electionem tamen meliorum deseruisse, transmigratio est.

XIV. 20.q.1. c. Puellæ.

Item puellæ, quæ non parentum coactæ imperio, sed spontaneo iudicio virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si posteà nuptias eligunt, præuaricantur; etiamsi nondum gratia consecrationis accessit.

XV.

De his autem quæ iam consecratæ sunt, si posteà nupserint, ambigi non potest, crimen magnum admitti, vbi & propositum deseritur, & consecratio violatur.

XVI. de Cons. d. 4. c. Si nulla.

De paruulis à Christianis parentibus relictis, si nulla exstant indicia, quibus baptizati esse intelligantur, ne manifestè pereant, agendum est vt renascantur: quia quod gestum non ostenditur, non sinit ratio vt iteratum videatur. Similiter, si qui ab hostibus paruuli capti sunt, & cùm redierint, & ipsi, & ceteri de eorum baptismate incertitudinem habent, conferendum eis videtur, quod collatum

latum esse nescitur: quia non temeritas præsumptionis interuenit, vbi est diligentia pietatis. Illos autem qui aliunde veniunt, & baptizatos quidem se sciunt, sed cuius fidei essent qui eos baptizarunt, se nescire fatentur, dicit non baptizandos esse, sed per manus impositionem Catholicis esse copulandos. Illi autem, qui paruuli baptizati, & à Gentilibus capti sunt, si reuersi communionem petierint, possunt solâ manus impositione purgari, si conuiuio solo Gentilium, & escis immolatitiis vsi sunt: si autem idola adorauerint, aut homicidiis aut fornicationibus contaminati sint, ad communionem eos nisi per pœnitentiam publicam admitti non oportet.

XVII. *de Conſ. d. 4. c. Hi de quibus.*

XVIII.

Epiſt. 82. Item Anastasio Thessalonicensi Primati prædictus Papa aliam scripsit Epistolam: in quâ eum primò arguit, quia Atticum Ægypti Metropolitanum iniustè afflixerat, & Ecclesiastico officio priuauerat, ideò, quia vocatus adesse distulerat, infirmitatis tantùm excusationem obtendens, & præfectum Illyrici ad miseriæ cumulum in eumdem Atticum incitauerat, cùm à Sede Romanâ Episcopum deponere sibi commissum non fuerat, prædicto Papâ ita attestante: *Vices enim nostras ita credidimus tuæ charitati, vt in partem sis vocatus solicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* Itaque quia modum mensuræ suæ exierat, quid seruare totius vsurpationis amputato excessu debeat, per singula prudenter informat, ita dicens: *Igitur secundùm Sanctorum Canones, Metropolitanos Episcopos ius traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus, ita vt à præstitutis regulis nullâ aut negligentiâ aut præsumptione discedant.* De substituendis autem Episcopis hanc seruari iussit, vt nec laicus, nec neophytus, nec secundæ coniugis maritus, aut qui viduam habeat, vel habuerit, Episcopus ordinetur: & cùm de ipsius Episcopi electione tractabitur, ille omnibus præponetur, quem Cleri plebisque consensus concorditer postularit: ita vt, si fortè in aliam personam partium se vota diuiserint, Metropolitani iudicio is alteri præferatur, qui maioribus & studiis iuuatur, & meritis: tantùm, vt nullus inuitis populis & non petentibus ordinetur, ne ciuitas inuita Episcopum non optatum aut contemnat aut oderit, & fiat minùs religiosa quàm conuenit, cui non licuerit habere quem voluerit. Metropolitano verò defuncto, cùm in eius locum alius fuerit subrogatus, prouinciales Episcopi ad ciuitatem metropolin conuenire debebunt, vt omnium Clericorum atque ciuium voluntate discussâ, ex Presbyteris aut Diaconis illius Ecclesiæ optimus eligatur. Et iussit prouinciales de nomine Metropolitani, & similiter Metropolitanum de personâ cuiuslibet consecrandi Episcopi, ad Primatis referre notitiam, vt ordinatio ritè celebranda suâ firmetur auctoritate. De Conciliis autem Episcoporum præcepit, sicut sancti

I.

II. *25. q. 2. c. Igitur.*

III. *dist. 32. c. Omnium*

IV. *dist. 63. c. Si fortè.*

V. *dist. 63. c. Metropolitano.*

VI. *dist. 18. c. De Conciliis.*

cti Patres salubriter ordinarunt, vt bis per annos singulos celebrentur. Item præcepit, vt Episcopus, qui ciuitatis suæ mediocritate despectâ maiorem ambierit, & ad ipsam se contulerit, ab alienâ pellatur cathedrâ, sed & carebit & propriâ. Item præcepit, vt ad exhibendam perfectæ continentiæ puritatem nec Subdiaconis carnale connubium concedatur. Interdixit etiam, ne aliquis alienum Clericum inuito ipsius Episcopo suscipiat, & non sollicitet, nisi id inter dantem & accipientem conuenerit.

VII. *7. q. 1. c. Si quis.*

VIII. *19. q. 2. c. Alienum.*

Item beatus & discretissimus Papa Nicetæ Aquilegiensi Episcopo postulanti, Epistolam destinauit, in quâ pro inspectione temporalium necessitatum, curatione adhibitâ, deliberatione salubri mandauit, vt mulieres, quæ viris propriis captis; & in captiuitatem abductis aliis interim nupserant, prioribus viris de captiuitate regressis reddi debeant: quia scriptum est, quòd mulier à Deo iungitur viro, &, quod Deus iunxit, homo non separet. non tamen culpabilis iudicandus est, & tamquam alieni iuris peruasor habendus, qui personam eius mariti, qui iam existimabatur non esse, assumpsit. Si verò aliquæ mulieres ita posteriorum virorum amore sunt captæ, vt malint his cohærere, quàm ad legitimum redire consortium; dixit eas meritò esse notandas, ita vt etiam Ecclesiasticâ communione priuentur: quia de re excusabili contaminationem criminis elegerunt, ostendentes sibimet pro suâ incontinentiâ placuisse, quod iusta remissio poterat expiare. De his, qui ad iterandum baptismum, vel metu coacti, vel errore traducti sunt, & contra Catholicæ fidei sacramentum egisse cognoscuntur, eâ moderatione statuit cum eis esse agendum, vt per pœnitentiæ remedium, & per impositionem manus Episcopalis, communionis vnitatem recipiant.

Epiſt. 77. I. *34. q. 1. & 2. c. Cùm per.* *Prou. 19.* *Matt. 19.*

II.

III. *26. q. 7. c. Tempora*

Cùm de ordinationibus Sacerdotum in partibus Cæsarienſis Episcopi eiusdem prouinciæ fierent multa illicita, prædictus Papa vniuersis Episcopis eiusdem prouinciæ scripsit, arguens eos, quòd ambientium præsumptio, & popularis tumultus in tantum apud eos valebat, vt indignis quibusque pastorale fastigium & Ecclesiæ gubernatio crederetur, dicens, hoc non esse consulere populis, sed nocere: nec præstare * regnum, sed augere discrimen, quia integritas præsidentium salus est subditorum. Et vbi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ. Principatus autem, quem aut seditio extorsit & contulit, aut ambitus occupauit, etiamsi moribus atque actibus non offendit, ipsius tamen initij sui est * periculosus exemplo; & difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Non ergo in cuiusquam personâ permittendum est, quod in institutis generalibus continetur: nec putandus est honor ille legitimus, qui fuerit contra diuinæ legis

Epiſt. 85. *dist. 61. c. Miramur.* * regimen *1. q. 1. c. Principatus.* *pernicioſus

præcepta collatus. Item inferiùs: Omnis Eccleſiaſtica diſciplina diſſoluitur, omnis ordo turbatur, dum in Eccleſiâ, qui nullum ſubierunt miniſterium, peruerſo eligentium iudicio indebitum obtinent principatum. Item in eâdem inferiùs: *Si qui Epiſcopi talem conſecrauerint ſacerdotem, qualem eſſe non liceat, etiamſi aliquo modo damnum proprij honoris euaſerint, ordinationis tamen ius vlteriùs non habebunt, nec vmquam ei ſacramento intererunt, quod neglecto diuino iudicio immeritò præſtiterunt.*

1.q.1. & 25.q.2. c. Si qui.

Epiſt. 89. Item Theodoro Foroiulienſi Epiſcopo aliam ſcripſit Epiſtolam, in quâ de his, qui in extremis pœnitentiam petunt, eum ſic inſtruit: *Solicitudinis tuæ is ordo eſſe debuerat, vt cum Metropolitano tuo primitus de eo, quod quærendum eſſe videbatur, conferres: ſed vt quoquo modo inſtruatur ambiguitas conſulentis, quid de pœnitentiæ ſtatu Eccleſiaſtica habeat regula, non tacebo. Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt & *petentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Si quis autem eorum, pro quibus Domino ſupplicamus, quocumque interceptus obſtaculo à munere indulgentiæ præſentis exciderit, & priuſquam ad conſtituta remedia peruenerit, temporalem vitam humanâ conditione finierit, quod manens in corpore non recepit, conſequi exutus carne non poterit.* Et inferiùs: *His autem, qui in tempore neceſſitatis, & periculi vrgentis inſtantiâ præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorent, nec ſatisfactio interdicenda, nec reconciliatio deneganda; quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuerſio, dicente Prophetâ:* Cùm conuerſus, &c. *Si etiam amiſſo vocis officio, per integra ſenſus indicia poſtulant, non negetur illis actio pœnitentiæ, nec gratia communionis. Et ſi aliquâ ægritudinis vi ita fuerint aggrauati, vt, quod paulò antè poſcebatur, ſub præſentiâ Sacerdotis ſignificare non valeant; teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, vt ſimul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium conſequantur, ſeruatâ tamen regulâ Canonum paternorum circa eorum perſonas, qui in Deum à fide diſcedendo peccauerint.*

dist. 1. de Pœnit. c. Multiplex. *confitentibus

26.q.6. c. His quis

Ezech. 33.

Epiſt. 84. Idem Papa in Epiſtolâ ad Nicetam Aquilegienſem Epiſcopum directâ dicit: *Si quiſquam ſalubribus præceptis ſatisfacere detrectauerit, ſiue ille ſit Clericus ſiue laicus, ab Eccleſiæ ſocietate pellatur.*

Epiſt. 79. Item in Epiſtolâ ad Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum miſſâ præcepit, vt in ſolemnitatibus, quoties baſilicam, ad quam itur, præſentia nouæ plebis impleuerit, toties ſacrificium ſubſequens offeratur.

Epiſt. 78. de Pœnit. dist. 1. c. Quamuis.

Item in Epiſtolâ vniuerſis Campaniæ Epiſcopis miſſâ interdicit, ne à poſtulantibus pœnitentiam profeſſio publicè recitanda quæratur: quia ſufficit ſolis Sacerdotibus conſcientiarum delicta indicare confeſſione ſecretâ. Sufficit enim illa confeſſio, quæ primùm Domino offertur, tunc etiam Sacerdoti, qui peccatis pœnitentium precator accedit.

Item in illâ Epiſtolâ quam Galliæ regionis Epiſcopis ſcripſit, affirmat, Chorepiſcopos non alterius poteſtatis eſſe, quàm Presbyteri ſint. Chore enim villa dicitur: inde Chorepiſcopi villani Presbyteri intelliguntur, qui nec frontes ſignare, nec in Miſſâ quemquam poſſunt pœnitentem reconciliare.

Epiſt. 86.

CAP. XLVIII.

S. HILARIVS.

HILARIVS, natione Sardus, ex patre Criſpino, ſedit annos ſex, menſes tres, dies decem. Hic ordinauit Epiſcopos viginti duos, Presbyteros vigintiquinque, Diaconos ſex. Hic Romæ multorum Epiſcoporum Synodum congregauit, in quâ omnium collaudatione corroborauit, ne quis, qui vxorem non virginem, & qui ſecundam duxit, & inſcij litterarum, nec non & aliqua membrorum damna perpeſſi, & hi, qui ex pœnitentibus ſunt, ad ſacros Ordines aſpirare audeant. Item; & quodcumque quis commiſit illicitum, aut à prædeceſſoribus ſuis inuenit admiſſum, ſi proprium vult vitare periculum, damnabit. Item generaliter interdixit, ne quis vmquam ſucceſſorem ſibi ſubrogare præſumat.

A. ccccLXI

Syn. Romana cap. 2.3.4.

Item in aliâ Epiſtolâ, quam Aſcanio Epiſcopo deſtinauit, illos Epiſcopos, qui ſine Metropolitani conſenſu conſecrati fuerint, ſtare conceſſit, ita dicens: *Licet hi, qui præter notitiam atque conſenſum tuæ dilectionis ordinati ſunt Sacerdotes, cum ſuis debuerant auctoribus ſubmoueri; ne quid tamen in neceſſitate tantâ decernamus auſterum, eos, qui Epiſcopi facti ſunt, ita volumus permanere, ſi Apoſtolicis præceptionibus & ſanctorum Patrum ſtatutis non reperiantur obnoxij, ac deinceps nihil, quod contra Eccleſiaſticam diſciplinam veniat, ſicut hactenus factum eſt, perpetretur.*

Epiſt. 3

CAP. XLIX.

S. SIMPLICIVS.

SIMPLICIVS, natione Tiburtinus, & ex patre Caſtino, ſedit annos quindecim, menſem vnum, dies octodecim. Hic ordinauit Epiſcopos triginta ſex, Presbyteros quinquagintaocto, Diaconos vndecim. Hic obiit VI. Nonas Martij. Hic conſtituit, vt Presbyteri ad S. Petrum, & ad S. Paulum, & ad S. Laurentium manerent propter baptiſmum. Hic Ioanni Rauennati Epiſcopo

A. cccc. LXVII.

Epist.2. 11.q.3. c.Priuilegium. Epistolam scripsit, in quâ eum arguit, quòd Gregorium violenter Episcopum consecrauerat, dicens, *illum priuilegium mereri amittere, qui permissâ sibi abutitur potestate.* Et inferiùs in eâdem: *Denuntiamus autem, quòd, si posthac quidquam tale præsumpseris, & aliquem seu Episcopum, seu Prebyterum, aut Diaconum inuitum facere fortè credideris, ordinationes tibi Rauennatis Ecclesiæ, vel Æmilienſis noueris auferendas.*

*Epist.3. *Florentio* Item aliam Epistolam scripsit *Florentino, Equitio & Seuero Episcopis, in quâ Gaudentio Aufinienſis Ecclesiæ Sacerdoti, quia contra statuta Canonum & sua præcepta illicitas ordinationes perpetrauerat, totam penitus ordinandi potestatem auferri præcepit, & Seuerum in supradictâ Ecclesiâ fungi illo officio iniunxit, quo ille abusus esset conuictus. Item præcepit, vt ministeria Ecclesiæ, quæ alienata à prædicto Gaudentio fuerant, instantiâ prædicti fratris, id est Seueri, præsumptor reparare cogatur.

CAP. L.

S. FELIX III.

A.cccc. lxxxiii. FELIX, natione Romanus, ex patre Felice Presbytero, de titulo Fasciolo, sedit annos octo, menses vndecim, dies octodecim. Hic ordinauit Episcopos triginta & vnum, Presbyteros vigintiseptem, Diaconos quinque. Fuit autem hic vsque ad tempora Theodorici Regis. Hic in Epistolâ, quam destinauit vniuersis Episcopis per diuersas prouincias constitutis mandauit, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, spontaneos seu coactos rebaptizatos, si resipiscunt, vsque ad exitus sui diem in pœnitentiâ oportere iacere; ita vt nec etiam catechumenorum orationi intersint, & communio laica eis tantùm in morte reddatur. Ceteros autem, id est, Clericos siue Monachos, vel Monachas, seu laicas, vtriusque sexus personas, quos violentiâ & periculo coactos iterationem baptismi subisse constiterit, vel qui aliquo commento se huiusmodi facinoris maculis dixerint non teneri; in pœnitentiâ per triennium durare decernit, & per manus impositionem ad societatem recipi Sacramenti, illo per omnia seruato, vt nemo eorum ad Ecclesiasticam militiam permittatur accedere. Illud etiam maximè cauendum instituit, ne quis Episcoporum aut Presbyterorum in alterius ciuitate, vel sub manu positum Sacerdotis, aut eum qui reconciliatum se esse dixerit, sine Episcopi vel Presbyteri testimonio & litteris, aut in parochiâ Presbyter aut Episcopus in ciuitate suscipiat. Prædicti Papæ temporibus Glycerius Imperator, quia eo in tempore Episcopatus ex parte maximè pretio, plus quàm merito contingebat, edictum

Epist.1.

de Cons. dist.4. c.Eos quos

De Glycerio vide Baron.ad ann. Domin.474.

inde

inde instituit dicens: *Hoc mansurâ in æuum lege sanximus, vt quisquis ad Episcopatum potentum personarum auxilio suffragante peruenies, seculariter possideat, quæ seculariter fuerit consecutus, vt finitis vnius anni metis nouerit se Episcopatu esse priuandum. Hi verò qui talem consecrauerint, pari de sacerdotio sorte deiecti, similes pœnas temerariæ consecrationis exoluant. Ciues quoque vniuscuiusque vrbis, quos adclamationes ambientium, non personæ dignitas, quæ petenda est, sed venalitas plectenda, sollicitat; sciant se patriæ, cui tam malè consulunt, habitatione pellendos, ac de suis facultatibus eruendos, fiscóque nostro esse permissos.*

CAP. LI.

S. GELASIVS.

GELASIVS, natione Afer, ex patre Valerio, sedit annos quatuor, menses octo, dies octodecim. Fuit autem temporibus Theodorici Regis, & Zenonis Augusti. Hic ordinauit Episcopos sexaginta septem, Presbyteros trigintaduos, Diaconos duos. Hic migrauit ad Christum XI. Kalend. Decembr. Hic generale decretum destinauit ad vniuersos Episcopos per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam constitutos, de Ecclesiasticis institutis moderatè pro temporis qualitate disponendis; quæ, vbi nulla rerum vel temporum perurget necessitas, regulariter custodienda præcepit. Sed quia suis in temporibus in multis locis Italiæ officia clericalia belli famisque incursio consumpserat, ita vt vsquequaque ministrorum seruitium deficeret; sic paternorum Canonum decreta librauit, vt Clericum quemlibet à primo vsque ad vltimum gradum infra anni spatium promouendum concederet. Laicum verò infra annum & sex menses, si nihil eorum, quæ Canonum censura prohibet, eis occurreret. Et his institutis, quæ temporum necessitas fieri postulabat, paternorum Canonum veterem formam esse instituit, quia non aduersus maiorum scita nouâ lege proponitur, quod de accidentis defectus remedio prouidetur. A.cccc. xcii.

Epist.1.

dist.55. c.Priscis.

dist.77. c.Si quis.

Item prohibuit, vt in baptizandis consignandisque fidelibus nulla pretia exigantur, &, si qui hoc perpetrasse fuerint deprehensi, proprij honoris periculum sunt subituri. Item iussit, vt Presbyteri modum debitum seruent, videlicet, non Chrisma conficiant, non consignent, nec præsente quolibet Episcopo, nisi iubeantur ab ipso, vel orare vel sedere præsumant, nec Acolythum nec Subdiaconum faciant. Diaconos etiam suam mensuram seruare præcepit, scilicet, vt absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant, nisi his longè constitutis necessitas extrema compellat: quod & laicis Christianis facere plerumque conceditur.

1.q.1. c.Baptizandis.

dist.95. c.Presbyteros.

dist.93. c.Diaconos.

Item

Item prohibuit, ne ipsi in presbyterio sedeant, aut sacri corporis prærogationem sub conspectu Episcopi vel Presbyteri ius habeant exercendi, licet his absentibus. Item dicit, obseruantiam, quam Sedes Apostolica pio deuotoque proposito tenere studet, eam quemquam Pontificum, vel sequentium ordinum, refutare indignum est.

de Conf. dist. 1. c. Basilicas

dist. 75. c. fin.

Item iubet, ordinationes Presbyterorum & Diaconorum non fieri nisi certis diebus, id est, quarti & septimi & decimi mensis ieiunio, & etiam in quadragesimæ initio, & medianâ quadragesimali die Sabbati circa vesperam celebrandas esse sanciuit. Virgines autem nisi in Epiphaniâ, aut Albis Paschalibus, aut Apostolorum natalitiis velare prohibuit, nisi ipsæ languore correptæ implorent, ne de hoc sæculo sine hoc munere exeant. Prohibuit etiam, quod nec diuina auctoritas delegit, nec forma Canonum præstituit, & ita eis Ecclesiastica sunt inferenda præsidia, vt nihil committatur illicitum. Item iubet, ne quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, aut aliqui eorum, qui Monasteriis præesse noscuntur, seruum aut originarium nolentibus dominis retineat, Ecclesiasticæ seruituti, vel religiosis congregationibus applicet, nisi dominorum voluntate sub testimonio scripturæ priùs absoluantur: alioquin proprij honoris periculum se subituros esse non ambigant.

20. q. 1. c. Deuotis.

dist. 54. c. Generalis.

Item de Clericis, qui negotiationibus imminent, dicit: *Proinde huiusmodi aut ab indignis posthac quæstibus nouerint abstinendum, & ab omnibus cuiuslibet negotiationis ingeniis, cupiditateque cessandum, aut in quocumque gradu positi sint, mox à clericalibus officiis abstinere cogantur.* Item dicit, illis, qui dæmoniis, aliisque passionibus irretiti sunt, mysteria sacra tractare non liceat. Illos autem, qui se sacris virginibus temerè sociant, & post dicatum Deo propositum, incesta sacrilegaque miscent fœdera, protinus à sacrâ communione iubet detrudi, & nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi; sed his de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, Viaticum dandum esse concessit. Secundas nuptias laicis quidem non negat: ad clericale venire collegium eosdem penitus vetat. Item dicit: Quisquis propriam Ecclesiam deserens, ad aliam, nullis existentibus caussis, putauerit transeundum, temereque fuerit susceptus & promotus; vel ipse, vel susceptor eius reuerendorum Canonum atque præceptorum constituta non effugiet, quæ de huiusmodi præsumptoribus præfixere seruanda. Item inferiùs dicit: *Quos constiterit indignos meritis sacram mercatos esse pretio dignitatem, conuictos oportet arceri, non sine periculo facinus tale perpetrantes, quia dantem simul & accipientem damnatio Simonis, quam sacra lectio testatur, inuoluit.*

14. q. 4. c. Clerici.

dist. 35. c. Vsque adeò.

Act. 8.

Item

Item arguit eos, qui nouas basilicas sub defunctorum nomine absque præcepto Sedis Apostolicæ præsumebant sacrare. Quod ideò facit, quia multi eo in tempore etiam in nomine infidelium defunctorum constructiones ædificabant, & sacris processionibus audacter instituebant. Item valdè arguit, & duriter increpat, & sub honoris proprij dispendio iacere affirmat Sacèrdotes illos, qui feminas sacris altaribus ministrare, & cuncta, quæ non nisi virorum famulatui sunt deputata, sexum, cui non competit, exhibere faciunt & permittunt. Item iubet, tam de reditu quàm de oblatione fidelium quatuor fieri portiones; quarum vna sit Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis est applicanda, & hanc huic operi veraciter prærogatam locorum doceat instauratio Sanctorum manifesta: *quia nefas est, si sacris ædibus destitutis, in lucrum suum Præsul impendia his designata conuertat. Ipsam nihilominùs assciptam pauperibus portionem, quamuis diuinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur; tamen oportet etiam præsenti testificatione prædicari, & bonæ famæ præconiis non taceri.* Et, ne illa, quæ præmiserat, negligantur, subinfert: *Nec Clericorum quisquam se huius offensæ futurum confidat immunem, si in his quæ salubriter sequenda deprompsimus, siue Episcopum, siue Presbyterum, siue Diaconum, viderit excedentem, si non protinus ad aures nostras deferre curauerit, probationibus dumtaxat competenter adhibitis, vt transgressoris vltio fiat, & ceteris interdictio delinquendi.*

de Conf. d. 1. c. De locorum.

12. q. 2. c. Quatuor.

2. q. 2. c. Quapropter.

Item in * Epistolâ Siculis Episcopis destinatâ dicit: *Præsulum nostrorum emanauit auctoritas, vt facultates Ecclesiæ Episcopi ad regendam habeant potestatem; ita tamen, vt viduarum, pupillorum atque pauperum, nec non & Clericorum stipendia distribuere debeant.* Item inferiùs: *Si facultates Ecclesiæ, nec non & diœceses, quæ ab aliquibus possidentur Episcopis, iure sibi vendicent, quod tricennalis lex concluserit: quia ita Imperatorum emanat auctoritas, vt vltra triginta annos nulli liceat pro eo appellare, quod legum tempus excluserit.*

**Epist. 2. 16. q. 3. c. Præsulum.*

13. q. 2. c. Facultates.

Idem Papa breuiter adnotauit, quid de Scripturis diuinis Catholica Ecclesia suscipiat, & quid vitare debeat. Et de veteri Testamento dicit: Genesis librum vnum, Exodi librum vnum, Leuitici librum vnum, Numeri librum vnum, Deuteronomij librum vnum, Iesu Naue librum vnum, Iudicum librum vnum, Ruth librum vnum, Regum libros quatuor, Paralipomenon libros duos, Psalmorum librum vnum, Salomonis libros tres, Prouerbiorum lib. 1. Ecclesiastis librum 1. Cantica canticorum librum 1. Sapientiæ librum 1. Ecclesiastici librum 1. Isaiæ librum 1. Ieremiæ lib. 1. Ezechielis librum 1. Danielis librum 1. Osee librum 1. Amos lib. 1. Michææ librum 1. Ioëlis librum 1. Abdiæ librum 1. Ionæ librum 1. Nahum librum 1. Habacuc librum 1. Sophoniæ librum 1. Aggæi

ORDO SCRIPTVRARVM. tom. 2. Concil. pag 318.

librum 1. Zachariæ librum 1. Malachiæ librum 1. Hiſtoriarum verò veterum, Iob librum 1. Tobiæ librum 1. Eſdræ libros duos, Eſther librum 1. Iudith librum 1. Machabæorum libros duos. De Scripturis autem noui Teſtamenti recipit Euangeliorum libros 4. Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis: item Actus Apoſtolorum librum vnum: Epiſtolas verò Pauli quatuordecim, Apocalypſis Ioannis librum vnum: item Canonicas Epiſtolas ſeptem, Petri Apoſtoli duas, Iacobi vnam, Ioannis tres, Iudæ Zelotis Apoſtoli vnam.

Item ſancta Romana Eccleſia non prohibet ſuſcipi ſanctam Synodum Nicænam, in quâ Arrius damnatus eſt. Sanctam Synodum Conſtantinopolitanam, in quâ Macedonius item damnatus eſt: & Epheſinam, in quâ Neſtorius damnatus eſt: & Chalcedonenſem, in quâ Neſtoriana & Eutychiana hæreſis ſimul cum Dioſcoro eiuſque complicibus damnatæ ſunt, & ſi qua ſunt à ſanctis Patribus Concilia hactenus inſtituta, poſt iſtorum quatuor auctoritatem cuſtodit & recipit. Hæc etiam opuſcula ſanctorum Patrum in Eccleſiâ recipiuntur: Opuſcula Cæcilij Cypriani Martyris & Epiſcopi, Gregorij Nazianzeni, Baſilij Cappadoceni Epiſcopi, Athanaſij Alexandrini, Ioannis Conſtantinopolitani, Theophili Alexandrini, Cyrilli Alexandrini, Hilarij Pictauienſis, Ambroſij Mediolanenſis, Auguſtini Hipponenſis, Hieronymi Presbyteri, Proſperi, Leonis Papæ † Epiſtola ad Flauianum Epiſcopum deſtinata: contra cuius textum quiſpiam ſi vſque ad vnum iota diſputauit, & non eam venerabiliter ſuſcepit, anathema ſit. Item opuſcula & tractatus omnium Patrum Orthodoxorum, qui in nullo à ſanctâ Romanâ Eccleſiâ deuiauerint, legenda decreuit.

PATRVM LIBRI LEGITIMI QVI.

† *De hac B. Leonis Epiſtolâ vide Conarruuiam lib. 4. Variar. c. 16. n. 6.*

Item decretales Epiſtolas, quas Romani Pontifices ſcripſerunt: item ſanctorum Martyrum geſta. Sed quædam eorum ideò à Romanâ reſpuuntur Eccleſiâ, quia eorum qui ſcripſere nomina penitus ignorantur. Item Vitas Patrum Pauli & Antonij, & omnium Eremitarum; quas tamen vir beatiſſimus deſcripſit Hieronymus. Item Actus Silueſtri Papæ, licet Scriptoris nomen ignoretur. Item ſcripturam de inuentione S. Crucis: & aliam ſcripturam de inuentione capitis Ioannis Baptiſtæ recipiendas eſſe, & cum cautelâ legendas. Item de Rufino & Origene ita ſentimus, ſicut Hieronymus de ipſis ſenſit & notauit. Chronicum Euſebij Cæſarienſis, & eiuſdem Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libros propter ſingularem notitiam non vſquequaque Eccleſia abiicit. Item Oroſij hiſtoriam laudat, & opus Sedulij & Iuuenci.

APOCRYPHA SCRIPTA.

Iſta autem quæ ſequuntur, apocrypha eſſe dicit, & penitus reſpuenda: In primis Ariminenſem Synodum: item Itinerarium Petri Apoſtoli, quod dicitur Clementis: Actus Andreæ Apoſtoli, Thomæ Apoſtoli, Petri Apoſtoli, Philippi Apoſtoli, Euangelium Thaddæi Apoſtoli, & Iacobi Minoris, & Barnabæ, & Thomæ, & Bartholomæi, & Andreæ: & Euangelia, quæ falſauit Lucianus, & quæ falſauit Yſithius: librum de Infantiâ Saluatoris, & de Natiuitate eius, & de Mariâ vel obſtetrice: & librum, qui dicitur Paſtoris: & illos libros, quos fecit Leutius: & illum librum, qui dicitur Fundamentum; & qui appellatur Theſaurus: & librum de Filiabus Adæ: & Actus Theclæ & Pauli Apoſtoli: & librum, qui dicitur Nepotis, & librum Prouerbiorum Sixti nomine prænotatum: & Reuelationem, quæ dicitur Pauli Apoſtoli; & illam, quæ dicitur Thomæ; & illam, quæ dicitur Stephani: item librum, qui dicitur Tranſitus, id eſt, Aſſumptio S. Mariæ: & librum de Pœnitentiâ Adæ: & de Ogiâ gigante: & librum, qui dicitur Teſtamentum Iob: & librum, qui dicitur Pœnitentia Iamne & Mambre: & qui dicitur Iudæ Apoſtoli: & qui dicitur Canones Apoſtolorum: & qui dicitur Sortes Apoſtolorum: & qui dicitur Phyſiologus, ab hæreticis conſcriptus, & B. Ambroſij nomine ſignatus: & Hiſtoriam Euſebij Pamphili: & Opuſcula Tertulliani, & Lactantij, & Africani, & Poſthumiani, & Galli, & Montani, & Priſcillæ, & Maximillæ, & Fauſti Manichæi, & Commodiani, & alterius Clementis Alexandrini, & Tharſi Cypriani, & Arnobij, & Thonij, & Caſſiani Presbyteri Galliarum, & Victorini Pictauienſis Epiſcopi, & Fauſti Rhegienſis Galliarum, & Frumentini cæci: † Contende Chriſto; & epiſtolam IESV ad Abagarum, & Abagari ad IESVM: & paſſionem Quirici, Iulittæ, & Georgij: & ſcripturam quæ appellatur Salomonis contradictio: phylacteria omnia, quæ non Angelorum, ſed dæmonum nominibus conſcripta ſunt.

† *f.* Comment. de

Hæc, & his ſimilia, quæ docuere Simon Magus, Nicolaus, Cherinthus, Marcion, Baſilides, Ebion, Paulus etiam Samoſatenus, Photinus & Bonoſus, & qui ſimili errore defecerunt: Montanus quoque cum ſuis obſcœniſſimis ſequacibus; Apollinaris, Valentinus, ſiue Manichæus, Fauſtus, Sabellius, Arrius, Macedonius, Eunomius, Nouatus, Sabatius, Calliſtus, Donatus, Euſtathius, Iubianus, Pelagius, Iulianus Edanenſis, Cæleſtinus, Maximianus, Priſcillianus, Neſtorius Conſtantinopolitanus, Dioſcorus, Eutyches, Petrus, & alius Petrus; è quibus vnus Alexandriam, alius Antiochiam maculauit: Achatius Conſtantinopolitanus cum conſortibus ſuis: nec non & omnes hæreſes, quas ipſi eorumque diſcipuli, ſiue ſchiſmatici docuerunt, vel conſcripſerunt, quorum nomina minimè retinentur, non ſolùm repudiata, verùm etiam ab omni Catholicâ Romanâ Eccleſiâ eliminata, atque cum ſuis auctoribus, auctorumque ſequacibus, ſub anathematis inſolubili vinculo confitetur prædictus Papa Gelaſius eſſe damnata.

Gelaſius prædictus Papa * multa rationabiliter ponit contra

**in tomo de anathematis vinculo.*

eos,

eos, qui dicunt hominem anathematis vinculo innodatum iam solui non posse, quia insolubile & perpetuum est vinculum anathematis, ita inter cetera dicens: *Qui in errore sunt, sententiâ erroris obstricti sunt: & quamdiu in eo manent, nullatenus absoluti sunt; sicut nec ipse error, in quo sunt, absoluetur. Error enim ipse numquam veniam promeretur, sed qui eo veraciter caruerit, atque ab eius participatione discedit. Quamdiu ergo error in eis est, damnationem suam tenet, & numquam absoluitur, quia error semper pœnam meretur. Participes verò eius, aut semper sunt eius pœnæ participes, si in eodem perstare non desinant; aut si ab eodem recesserunt, quantum alieni ab errore facti sunt, & ab eius participatione discreti, tantum & à pœnâ eius erunt consequenter alieni. Erranti enim hæc eadem pœna præfigitur: quamdiu manet errans, eâdem pœnâ constringitur, quia errans non potest esse sine* pœnâ. *Erranti enim hæc eadem pœna perpetua est, & numquam soluenda, quamdiu errans esse perstiterit: quia si errans esse destiterit, pœna, quæ erranti est præfixa, perpetua non erranti, id est, alteri effecto, quàm cui præfixa est, non solùm non potest esse perpetua, sed iam nec esse pœna: non est enim ipse, cui præfixa est: erranti enim præfixa est, non, non erranti. Quæ enim erranti præfixa est, perpetua est, & perpetuò constringit errantem; non errantem, non potest iam tenere.* Item inferiùs: *Quod in Achatij sententiâ rationabiliter intuendum est; in quâ si dictum est, Numquam es resoluendus; non est tamen adiectum, Etiamsi respueris, etiamsi ab hoc errore discesseris, etiamsi prævaricator esse destiteris. Quapropter in aperto est ita dictum, Numquam soluendus; sed talis scilicet, qualis & ligatus est, non autem talis effectus,* * *sicut ligatus non erat, sic absolutus esse docebatur: sicut carebat obligatione,* * *si causâ caruisset, sic vtique absolutus existeret: quatenus & ipse non necessitate dictæ sententiæ videretur quodammodò non posse iam solui,* * *non talis effectus, & obligatione carens fieret absolutus, & circa tales præfixa sententia nullo modo insolubilis redderetur. Sed quia nec ipse quæsiuit, nec quærens abiectus ipse in se insolubilem fecit esse scientiam, qui talis permanere delegit, qualis veraciter non possit absolui, & voluit talis effici, circa qualem effectum non habet licentiam permanendi.* Item inferiùs in eodem dicit: *Inferior quippe sedes potiorem absoluere non potest. Sola ergo potior inferiorem conuenienter absoluit.*

* pœnâ erranti

* qui sicut ligandus
* cùm obligationis causâ
* nam

Item in commonitorio Fausti Magistri legationis officio fungentis ita dicit: *Veniam sibi dari proponunt. Legatur, ex quo est religio Christiana, vel certè detur exemplum in Ecclesiâ Dei à quibuslibet Pontificibus, ab ipsis Apostolis, ab ipso denique Saluatore, veniam, nisi corrigentibus, non fuisse concessam: auditum autem* * *ab isto zelo nec legitur omnino, nec dicitur, quod eorum voce depromitur, Date nobis veniam,* * *ita vt nos in errore duremus.* Item inferiùs: *Mortuos suscitasse legimus Christum, in errore mortuos absoluisse non legimus. Et qui hoc certè faciendi solus habuit potestatem, beato Petro principaliter mandat Apostolo: Quæcumque ligaueris super terram, ligata erunt & in cælo: & quæ solueris super terram, erunt soluta & in cælo. Super terram, inquit: nam in hac ligatione defunctum numquam dixit absolui. Quod ergo numquam factum est, vel mente concipere formidamus, scientes, in diuino iudicio non posse penitus excusari.* Item inferiùs: *Nullum fas est nobis cum hominibus alienæ communionis inire certamen, diuinâ Scripturâ monente: Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita, sciens, quia huiusmodi delinquit homo, & proprio iudicio condemnatur.* Item inferiùs: *Remitti culpa de præterito potest, correctione sine dubio subsequente: nam si deinceps* * *fingitur mansura peruersitas, non est benignitas remittentis, sed consentientis* * *annuntiatio.*

22. q. 2. c. Legatur.

* sub isto cælo
* dum tamen nos

Matth. 9. Marc. 5. Ioan. 11. Matth. 16.

Tit. 3.

* finitur
* assensio

Item prædictus Papa in Epistolâ, quam destinauit Anastasio Imperatori, dicit: *Duo sunt quippe, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur: Auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas; in quibus tantò grauius est pondus Sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus hominum in diuino examine sunt reddituri rationem. Impeti possunt humanis præscriptionibus, quæ diuino sunt iudicio constituta; vinci autem quorumlibet potestate non possunt. Item scriptum legisti: Meliora sunt amici vulnera, quàm inimici oscula.*

dist. 95. c. Duo.

Prou. 27.

CAP. LII.

S. ANASTASIVS II.

ANASTASIVS, natione Romanus, ex patre Petro, sedit annum vnum, menses vndecim, dies vigintiduos. Fuit autem temporibus Theodorici regis. Hic ordinauit Episcopos sedecim, Presbyteros duodecim. Obiit autem XIV. Kalend. Decembris. Hic in Epistolâ, quam Anastasio Imperatori direxit, inter cetera probat, eos, quos Achatius baptizauit, vel ordinauit etiam post damnationem suam, nullam portionem læsionis attingere, dicens: *Nam, secundùm Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem, serenitatis tuæ pectus agnoscat, quòd nullum de his, vel quos baptizauit Achatius, vel quos Sacerdotes vel Leuitas secundùm canones ordinauit, vlla ex nomine Achatij portio læsionis attingat, quo forsitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minùs firma videatur. Nam & Baptismum, quod procul sit ab Ecclesiâ, siue ab adultero, siue à fure sit datum, ad percipientem munus peruenit illibatum: quia vox illa quâ declaratur ac dicitur, Hic est qui baptizat in Spiritu sancto & igni, omnem maculam humanæ pollutionis excludit.* Item ad idem probandum subiungit: *Nam & Iudas, cùm fuerit sacrilegus & fur, quidquid egit inter Apostolos,*

A. cccc-xcvii.

Capita septimæ Epistolæ. dist. 19. c. Secundùm.

Matth. 3.

pro dignitate commißâ beneficia per indignum data nulla ex hoc detrimenta ſenſerunt. Item ad idem inferiùs: *Quidquid ad hominum proüectum quilibet in Eccleſiâ miniſter pro officio ſuo videtur operari, hoc totum * continet implendo diuinitatis effectu, * ita & ille, per quem Chriſtus loquitur, Paulus affirmat: Ego plantaui, ſed Dominus incrementum dedit. Et hic, cuius nomen dicimus eſſe reticendum, malè bona miniſtrando, ſibi tantùm nocuit. Nam inuiolabile Sacramentum, quod per illum datum eſt, aliis perfectionem ſuæ virtutis obtinuit. * Quòd ſi eſt aliquorum in tantum ſe extendens curioſa ſuſpicio, vt imaginentur * prolata à Papâ Felice iudicio, poſteà inefficaciter in Sacramentis, quæ Achatius vſurpauit, egiſſe, ac perinde eos metuere, qui vel in conſecrationibus, vel in baptiſmate myſteria tradita ſuſceperunt, ne irrita diuina beneficia videantur; meminerint in hac quoque parte ſimiliter tractatum præualere ſuperiorem: quia non ſine vſurpato hoc nomine Sacerdotum adiudicatus hoc egit, in quo virtutem ſuam obtinentibus myſteriis, in hoc quoque aliis rea ſibi perſona non nocuit. Nam & ad illum pertinuit, quod tubâ Dauidicâ canitur ita: Verumtamen Deus conquaſſabit capita inimicorum, &c. Nam ſemper ſuperbia ſibi, non aliis ruinam facit. Vnde, cùm ſibi Sacerdotis nomen vſurpauerit condemnatus, in ipſius verticem ſuperbiæ tumor inflictus eſt; quia non populus, qui in * myſteriis donum ipſius * ſciebat, excluſus eſt, ſed anima ſola, quæ peccauerat, iudicio iuſto propriè erit obnoxia: quod vbique numeroſa Scripturarum teſtatur * auctoritas.*

* contineri implente
* ita ille 1. Cor. 3.
* Quod cùm ita ſit * prolato
Pſal. 87.
* miniſteriis *ſitiebat
*inſtructio

Romanorum Pontificum geſta.

A prædicti verò Papæ communione, ſicut in geſtis Romanorum Pontificum legitur, multi ex Clero Romanorum Vrbis ſe ſuſpenderunt; ideò, quia ſine conſilio eorum Photino Theſſalonicenſi Diacono communicauit, qui erat communionis Achatij: & quia occultè Achatium voluit reuocare, ſed diuino nutu percuſſus, ad effectum hoc perducere non potuit.

CAP. LIII.

S. SYMMACHVS.

A. cccc-xcviii.

SYMMACHVS, natione Sardus, ex patre Fortunato, ſedit annos quindecim, menſes ſeptem, dies viginti ſeptem. Hic ordinauit Epiſcpos centum & octodecim, Presbyteros nonaginta, Diaconos ſedecim. Fuit autem temporibus Theodorici regis, & Anaſtaſij Auguſti. Hic & Laurentius vno die in contentione ordinati ſunt: Symmachus in Lateranis, Laurentius in Eccleſiâ B. Mariæ. Et quia huius diſſenſionis ſeditio apud ipſas partes terminari non potuerat, vterque Rauennam ad regium iudicium miſſi ſunt; ſed Symmachus Theodorici regis iudicio in Sedem reductus eſt & firmatus; eò quòd maior & dignior pars Cleri & plebis ſuæ electioni conſenſerat: Laurentius autem à Symmacho poſteà miſericordiæ intuitu Nuceriæ Epiſcopus conſtituitur. Sed tranſacto anno à die ordinationis ſuæ quarto, quidam zelo inuidiæ ducti, adulterij crimine & aliis multis apud Regem eum diffamauerunt: ad quod confirmandum falſos teſtes ſubornauerunt, & Laurentium reuocauerunt, & Chriſma eum conſecrare effecerunt. Et Clerus & populus iterùm diuiſus, alij Symmacho, alij adhærebant Laurentio; & quaſi ad prædictæ diſſenſionis impetum comprimendum, quibuſdam Romanis id efficientibus, Petrus Altinæ vrbis Epiſcopus à Rege Romam, vt Sedis Apoſtolicæ viſitator, mittitur. Inter hæc cædes & homicidia vndique committebantur. Nam ex communicantibus Symmacho, quicumque Clerici & laici, virgines etiam, publicè aut occultè in manus perſequentium incidebant, occidebantur, aut plagis aut verberibus affligebantur. Solus autem Fauſtus Conſul ex parte Symmachi & Eccleſiæ repugnabat. Hac periculi neceſſitate Symmachus compulſus, Regis conſenſu Synodum congregauit, cui centum & quindecim Epiſcopi interfuerunt. Qui Rege conſentiente, & Eccleſiaſticâ regulâ exigente, quia nihil de obiectis Symmacho comprobari ab accuſantibus eum potuit, ipſum immunem ab obiectis & liberum eſſe vnanimiter iudicarunt, & Laurentium Nucerinum, & Petrum Altinatem, velut eos, qui Papâ viuente Sedem Romanam inuaſerant, pariter condemnauerunt. Hic Confeſſor Chriſti ad ipſum IV. Kalend. Auguſti migrauit.

SYNODVS ROMANA.

Hic Papa frequentes ambitus, atque Eccleſiæ nuditatem, vel populi colliſionem, quæ moleſta & iniqua incompetenter Epiſcopatum deſiderantium perſæpè generauit auiditas, vt extinguatur futuris præſumptio tampernicioſa temporibus, in Synodo conſtituit, vt ſi quis Presbyter, aut Diaconus, aut Clericus Papæ incolumi, & eo inconſulto, aut ſubſcriptionem pro Romano Pontificatu commodare, aut ſacramentum præripere tentauerit, aut aliquid certo ſuffragio polliceri, vel de hac cauſsâ priuatis conuenticulis factis deliberare atque decernere, loci ſui dignitate vel communione priuetur. Si verò, quod abſit, tranſitus Papæ inopinatus euenerit, vt de ſucceſſoris ſui electione non poſſit antè decernere, ſi quidem in vnum ſe totius Eccleſiaſtici ordinis electio inclinauerit, conſecretur electus Epiſcopus: ſi enim, vt fieri aſſolet, ſtudia cœperint eſſe diuerſa eorum, de quibus certamen emerſerit, vincat ſententia plurimorum; ſic tamen, vt ſacerdotio careat, qui captus promiſſione, non recto iudicio de electione decreuerit.

SYNOD II. ROMANA. *Vide tom. 2. Concil. pag. 329. diſt. 79. c. Si quis. diſt. 79. c. Si tranſitus.*

Item prædictus Papa in Epiſtolâ, quam Cæſario Epiſcopo ſcripſit, de multis eiuſdem conſultationi reſpondit, ita dicens: *Poſſeſſio-*

I. *Caput I. Epiſtolæ.*

16. q. 1. c. Possessiones. *sessiones ergo, quas vnusquisque Ecclesiæ proprio dedit aut reliquit arbitrio, alienare quibuslibet titulis atque distractionibus, vel quocumque argumento non patimur, nisi forsan aut Clericis honorum meritis aut monasteriis, religionis intuitu, aut certè peregrinis, si necessitas largiri suaserit: sic tamen, vt hæc ipsa non perpetuè, sed temporaliter perfruantur.*

II. Item in eâdem commonet, vt illi, qui rerum Ecclesiasticarum promissione præmissâ ad sacerdotium nituntur accedere, desideriorum talium priuentur effectu. Item raptores viduarum vel virginum ob immanitatem tanti facinoris detestatur illos vehementiùs persequendo, qui sacras virgines volentes vel inuitas suo matrimonio sociare tentauerint, quos à communione iubet suspendi.

III.

36. q. 2. c. Raptores.

IV.

27. q. 1. c. Neque. Item viduas, quæ in religioso proposito diurnâ obseruatione permanserint, transire ad nuptias prohibet. Similiter & virgines, quas annis plurimis in monasteriis egisse ætatem contigerit. Item, ne

V.

1. q. 1. c. Nullus. 1. q. 6. c. Si quis. vllus per ambitum ad Episcopatus honorem permittatur accedere, & potentes personas minimè suffragatrices adhibeat, nec ad decretum sibi faciendum Clericos vel ciues subscribere, adhibito cuiuslibet generis timore, compellat, vel præmiis quibuslibet hortetur. Decretum sine * testatoris præsentiâ nemo conficiat, cuius testimonium Clerus & ciuium potest vnanimitas declarare.

*visitatoris

in vi. Synodo Romanâ Item idem in aliâ Synodo de oblationibus fidelium, & de multis præcepta decretalia composuit, ita dicens: *Omnibus summopere conuenit obseruare, vt oblationes fidelium à nemine præsumantur, & absque consensu & voluntate Episcopi, in cuius dinoscuntur esse parochiâ, possideri vel haberi tententur: quoniam multi memores sui pro remissione peccatorum suorum, & pro æternæ vitæ mercatione, de facultate suâ tam rerum mobilium quàm immobilium quædam per scripturas Ecclesiis tradiderunt, & Deo Creatori suo perpetualiter habenda dederunt. Quæ & cetera à diuersis minùs Deum timentibus eatenus mortiferâ calliditate tenentur, vt aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam, nec intueri corde possunt diem iudicij, dum nimiæ cupiditatis delectantur ardore: vnde tale iudicium super eos fiat, vt aut manifestè hæretici, quia Ecclesiam Dei scindunt, & anathematizati, atque ab Ecclesiâ Dei extorres habeantur; aut per satisfactionem Ecclesiæ ad pœnitentiam, & demum iuxta regulas Ecclesiasticas ad reconciliationem, &, si digni inuenti fuerint, ad communionem recipiantur.* Item, *Qui res Ecclesiæ delegatas & Domino oblatas absque proprij Episcopi iussu possidens, præsumpserit deinceps tenere quocumque in loco, & veritate compertâ dissimulauerit, aut renuerit reformare, à* *liminibus eiusdem loci priùs arceatur. Debet esse tamen prouisio, vt vindictam admonitio manifesta præcedat, & res vsurpatas iniustè qui abstulit, aut iniustè ablatas retinet, æquitate patrocinante legibus restituat. Quòd si neglexerit, & necessitas compulerit, demum prædonem sacer-*

*limin. Ecclesiæ ab Episcopo eiusd.

dotalis districtio maturata percellat. Item inferiùs: *Valdè iniquum & ingens sacrilegium est, vt quæcumque vel pro remedio peccatorum, vel salute aut requie animarum suarum vnusquisque venerabili Ecclesiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his, quibus hæc maximè seruari conuenit, id est, Christianis, & Deum timentibus hominibus, & super omnia à Principibus, & primis regionum, in aliud transferri vel conuerti. Propterea, qui hæc non præuiderit, & aliter quàm scriptum est, prædia Ecclesiis tradita petierit, vel acceperit, vel possederit, vel iniustè defenderit, aut retinuerit, nisi se citò correxerit, quo iratus Deus animas perculit, anathemate feriatur, sitque accipienti, & danti,* *vel possidenti anathema.* Item inferiùs: *Generaliter verò, quicumque res Ecclesiæ confiscare, aut competere, aut peruadere periculosâ aut suâ infestatione præsumpserit, nisi se citissimè per Ecclesiæ, de quâ agitur, satisfactionem correxerit, perpetuo anathemate feriatur. Similiter & hi, qui res Ecclesiæ iussu vel largitione Principum, vel quorumdam potentum, aut quadam inuasione, aut tyrannicâ potestate retinuerint, & filiis vel heredibus suis hereditarias reliquerint, nisi citò res Dei, à Pontifice admoniti, agnitâ veritate reddiderint, perpetuo anathemate feriantur. Ferro enim abscindenda sunt vulnera, quæ fomenta non sentiunt.* Item inferiùs: *Omne quod irreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia. Non licet ergo Imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti, aliquid contra mandata diuina præsumere, nec quidquam, quod Euangelicis Propheticisque & Apostolicis regulis obuiat, agere. Iniustum enim iudicium, & diffinitio iniusta regio metu vel iussu à iudicibus ordinata, non valet, nec quidquam quod contra Euangelicam, vel propheticam, aut Apostolicam doctrinam constitutionémve eorum, siue sanctorum Patrum, actum fuerit, stabit; & quod ab infidelibus aut hæreticis factum fuerit, omnino cassabitur.*

& 16. q. 1. c. Generaliter.

16. q. 1. c. Ferro.

dist. 10. c. Non licet.

11. q. 3. c. Iniustũ.

CAP. LIV.

S. HORMISDA.

HORMISDA, natione Campanus, ex patre Iusto, sedit annos nouem, dies quatuordecim. Fuit autem temporibus regis Theodorici & Anastasij Augusti, à consulatu Senatoris, vsque ad consulatum Symmachi & Boëtij. Hic ordinauit Episcopos quinquagintaquinque, Presbyteros viginti & vnum. Obiit autem Catholicæ fidei defensor VIII. Idus Augusti. Hic consensu & consilio regis Theodorici, legatos suos direxit in Græciam, dans illis mandatum, vt Græcos, propter Petrum Alexandrinum & Achatium Constantinopolitanum, quibus participauerunt, anathematis vinculo obligatos sub satisfactione absoluerent. Sed nihil egerunt, quia Anastasius Augustus libello rectæ fidei consentire noluit,

A. D. XIV.

luit, eò quòd & ipſe Eutychianus erat. Itaque Romanos legatos ad fidei ſuæ errorem inclinare deſiderans, muneribus oblatis eos corrumpere nitebatur. Illi autem contemptis muneribus, de hæreticorum participatione Romanæ Sedi ſatisfactionem debere fieri inſiſtebant. Vnde Imperator furore accenſus, eoſdem per poſterulam eiectos, & periculoſæ naui impoſitos, remiſit; præcipiens vt nullam ciuitatem ingrederentur, ne fidei Epiſtolas ſaltem in tranſitu Catholicis oſtendere poſſent. Sed quia eas per omnes ciuitates expoſitas à complicibus ſuis poſteà comperit; commotus in ipſum Romanum Pontificem fertur ei ſcripſiſſe, ita inter cetera dicens: Iubere nos volumus, non nobis iuberi. Sed eodem tempore diuinitus fulmine percuſſus interiit. Sumpſit autem poſt illum imperium Iuſtinus Orthodoxus; quo adiuuante, poſtmodum Græci pœnitentiâ de errore Achatij ſuſceptâ, ad Sedis Apoſtolicæ communionem redierunt. Hic Clerum conſtituit, & pſalmis erudiuit.

Epiſt. 4. Hic in Epiſtolâ, quam vniuerſis Hiſpaniæ Epiſcopis deſtinauit, vt in Epiſcopis ordinandis cura adhibenda ſit perſpicua, euidenter oſtendit, dicens: *Irreprehenſibiles eſſe conuenit, quos præeſſe neceſſe eſt corrigendis, nec quidquam illi deeſſe perſonæ, penes quam eſt* *religionis *religioſæ ſumma & ſubſtantia diſciplinæ. Exiſtimet vnuſquiſque pretium Dominici gregis, vt ſciat, quòd meritum conſtituendi debeat eſſe paſtoris.* Item: *Longâ debet vitam ſuam probatione monſtrare, cui gubernacula committuntur Eccleſiæ.* Item: *Emendatiorem conuenit eſſe populo, quem neceſſe eſt orare pro populo.* Item prohibet, ne beneficium per impoſitionem manus, quæ* Domini eſſe creditur, pretio com- * diuina eſſe paretur: quia ante oculos eſſe conuenit, quâ Simon Magus Spiritum ſanctum volens redemptione mercari, Apoſtoli fuerit deteſtatione percuſſus. Item de illo, qui non vendit, ſed vendenti conſentit, ita ſubiungit: *Quid prodeſt illi ſuo errore non pollui, qui conſenſum præſtat erranti? Proculdubio contra mandata committit, & qui* * animus *habet peccatum proprium, & qui ſequitur alienum. Incaſùm reſiſtit* auidus cupiditati, ſi non reſiſtit & timori.* *Act. 8.

Item in aliâ Epiſtolâ, quam Presbyteris & Diaconibus & Archimandritis Cœleſyriæ direxit, de Clericis in adulterio deprehenſis, ita dicit: *Ecce manifeſtiſſimè conſtat, quia ſecundùm quod & tituli antiquorum Patrum à S. Ioanne Papâ tranſmiſſi, & trecentorum & octodecim Epiſcoporum ſententia, ſed & canones Gallicani continere videntur, Clerici in adulterio deprehenſi, & aut ipſi confeſſi, aut ab aliis reuicti, ad honorem redire non poſſunt. & ſi qui ſunt, quibus ſupraſcripta ſanctorum Patrum ſeueritas minimè placet, ſciant ſe eorum ſententias reprehendere vel condemnare: cùm hoc facere non ſit in eis miſericordia; ſed eſt iſta benignitas iuſtitiæ inimica, videlicet criminoſos palpare, & vulnera eorum vſque in diem iudicij incurata ſeruare. Si autem*

autem eos duriſſimam pœnitentiam per plures annos agere videmus, ipſis & ſaluti eorum conſulere, & canonum ſtatuta debemus ſeruare. Cùm verò in aliquibus nec compunctio, nec humilitas, nec orandi nec plangendi inſtantia appareant, poſſumus agnoſcere, ſi ad honorem priſtinum redierint, cum quantâ negligentiâ & inimicâ animæ ſecuritate permaneant, credentes, quòd ſic eis non actâ dignè pœnitentiâ dimiſit Deus, quomodo Sacerdotes indulſiſſe videntur. Verè dico, quia illi ipſi, quibuſcum periculosâ & falsâ miſericordiâ indulgere videmus, cùm ante tribunal Chriſti pro tantis peccatis damnandi aduenerint, contra nos ipſos cauſſas dicturi ſunt, dicentes, quòd, dum aut aſperitatem linguæ eorum expauimus, aut falſa blandimenta & periculoſas adulationes eorum libenter accepimus, nos eos, dum illis inutiliter indulgemus in peccatis permanere, aut ipſa peccata etiam augere permiſerimus, non recordantes illud, quod in veteri Teſtamento ſcriptum eſt, quia vno peccante contra omnes ira Dei deſæuit. De talibus B. Cyprianus Martyr ita dicit: Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat, nec reprimit ille delicta, ſed fouet. Item idem Papa inferiùs: *Ego me in hoc periculo mittere omnino non audeo, quia nec talia ſunt merita mea, vt aliorum peccata in me excipere præſumam, nec tantam eloquentiam habeo, vt ante tribunal Chriſti contra tantos ac tales Sacerdotes, qui canones ſtatuerunt, cauſſas dicere poſſim.* Item idem ſubiungit: *Si Clerici, qui ad vxores proprias redeunt, ab officio ſuſpenduntur, & bigami non ordinantur, ſed, ſi ordinati fuerint, deiiciuntur; quomodo ille, qui adulterium commiſerit, iterùm ad honorem redire poterit? Non tamen miſericordiam, quæ dicit, Nolo mortem peccatoris; & alia huiuſmodi, ſe negare dicit; ſed diffinitiſſimè credere, quòd qui vſque ad finem vitæ ſuæ pœnitentiam egerit, non ſolùm indulgentiam accipiet, ſed ad vitam æternam perueniet. De illis autem Clericis, qui ad vxores redeunt, dicit ſanctus Fauſtus in Epiſtolâ ſuâ: Perdidit gratiam conſecrati, qui adhuc vult officium exercere mariti.* Item prædictus Papa iterùm inferiùs dicit: *Valdè metuo & contremiſco illam damnationem, quam Heli Sacerdos propter ſtultam indulgentiam accipere meruit; qui pro eo, quòd filios ſuos leuiter caſtigauit, & eos nec cadere nec excommunicare voluerat, & ipſi filij vno die occiſi ſunt, & triginta millia de populo interfecta ſunt, & Arca teſtamenti in captiuitatem ducta eſt, & ipſe retrò cadens, fractis ceruicibus mortuus eſt; & nomen ipſius de libro vitæ deletum eſt. Et econtrà Phinees zelo Dei commotus, duos adulteros pariter interfecit, & totum populum Dei, Dei iracundiâ liberauit.* Nec hoc ideò dicit, vt ſimiles ſupradictis corporis mortem mereri debeant, ſed caueant, ne poſt corporis mortem ad ſupplicia perueniant.

CAP. LV.

S. IOANNES.

A.D.XXIII. IOANNES, natione Tuscus, ex patre Constantino, sedit annos duos, menses octo, dies sedecim. Fuit autem temporibus Theodorici regis, & Iustini Augusti Catholici. Ordinauit autem Episcopos quindecim. Hic pro religione Catholicâ, & pro Theodorici causâ negotij Constantinopolim venit; vbi Iustino Augusto patrocinante Arrianorum Ecclesias Catholicas consecrauit. Hoc audiens Theodoricus, quoniam & ipse erat hæreticus, furore accensus, omnem Italiam gladio & igne perdere æstuabat, propter Arrianorum Ecclesias, quarum in Italiâ multæ erant; quas etiam Catholicas vsquequaque consecrari Ioannes Papa præceperat; & duos viros exules & Catholicos, Symmachum & Boëtium, ante reditum Papæ tenuit & interfecit. Ipsum autem Pontificem reuersum in custodiâ Rauennæ detinuit, in quâ duriter afflictus, tandem defunctus est XV. Kalend. Ianuarij. Sed nonagesimo & octauo die post transitum prædicti Papæ, & ipse Rex hæreticus diuinitatis fulmine percussus, subitò morte suâ Italiam liberauit.

Hic Zachariæ Episcopo Epistolam destinauit, in quâ eum, de quibusdam consultus, instruxit, inter cetera dicens: *De occultis cordis alieni temerè iudicare iniquum est, & eum cuius opera non videntur nisi bona, peccatum est ex suspicione reprehendere.* Et addit in eâdem, quæ sæpenumerò dicta sunt, videlicet, quòd oues pastorem accusare, nisi pro fide non debeant: & ipse Episcopus, nec vocari aut iudicari potest, priusquam quæ ablata sint, sibi legibus restituantur; & ideò hîc prætermittenda existimamus.

CAP. LVI.

S. FELIX IV.

A.D.XXVI. FELIX, natione Samnius, ex patre Castorio, sedit annos quatuor, menses duos, dies duodecim. Hic iussu Theodorici regis ordinatus est, & absque contentione. Hic ordinauit Episcopos vndetriginta, Presbyteros quinquagintaquinque, Diaconos quatuor. Obiit autem Idibus Octobris, Athalarico regnante. Hic autem multis Episcopis per diuersas prouincias constitutis rescripsit, respondens eisdem de Ecclesiarum consecratione, & de Missarum celebrationibus ita: *Non alibi, quàm in sacratis Domino locis absque magnâ necessitate fieri debere liquet omnibus, quibus nota sunt*

de Cons. d.1.c.Sicut non.

sunt noui & veteris Testamenti præcepta. & ponit illa, & illis positis, dicit: *Si Iudæi hoc faciebant, multò magis nos debemus templa ædificare, & ornare, & sacrare, & non aliis in locis, quàm Deo ab Episcopis sacratis Missas celebrare, nec sacrificia Domino offerre, nisi hoc summa necessitas exigat. Et satius est Missam non cantare, aut non audire, quàm in his locis fieri, in quibus fieri non oportet.* Solemnitates verò dedicationum Ecclesiarum & Sacerdotum per singulos annos celebrandas esse asseruit; in eâdem dicens, ipsum Dominum exempla dedisse, qui ad festum dedicationis templi venit: & quòd octo dierum sint encænia celebranda, libri Regum dedicatione templi peractâ ostendunt. De Ecclesiarum verò consecratione ita præcepit: *Quotiescumque dubitatur, & nec certa scriptura, nec certi testes existunt, à quibus consecratio sciatur, absque vllâ dubitatione scitote eas esse sacrandas: nec talis trepidatio * fiat de iteratione: quoniam non monstratur esse iteratum, quod nescitur factum.*

de Cons. d.1.c.Solemnitates.

Ioan.10.

3.Reg.8.

**faciat deterioration-nem*

CAP. LVII.

BONIFACIVS II.

BONIFACIVS, natione Romanus, ex patre * Dehabentino, sedit annos duos, dies duos & viginti. Fuit autem temporibus Athalarici Regis hæretici, & Iustini Augusti. Hic factâ dissensione in Clero & Senatu, in contentione ordinatur cum Dioscoro: sed Dioscorus non multò pòst defunctus est. Vnde Bonifacius iam pacificè Sedem adeptus, quasi damnans Dioscorum, noluit Clerum, qui Dioscoro fauerat, nisi de vinculo anathematis, pœnitentiæ satisfactione præmissâ, in communionem suscipere. Qui posteà congregatâ Synodo decretum fecit, vt sibi successorem deberet eligere, & scripto & iuramento ipsum decretum muniri iussit. Quod quia contra Canones statutum fuerat, à congregatione iterùm in Synodo Episcoporum ratione cassatum est; & chirographum, quod inde factum fuerat, igne consumptum est.

A. D. XXX. * Sigibuldo

Hic Eulalio Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopo Epistolam scripsit, in quâ ei Carthaginiensem Ecclesiam ad Romanæ Ecclesiæ communionem reuersam esse significat, quæ à tempore Aurelij ab ipsâ discesserat. Aurelius enim præfatæ Ecclesiæ olim Episcopus cum collegis suis, instigante diabolo, superbire temporibus prædecessorum nostrorum, Bonifacij ac Cælestini, contra Romanam Ecclesiam cœpit. Hic defunctus est XVI. Kalend. Nouembr.

CAP. LVIII.

IOANNES II.

A.D.XXXI. IOANNES, natione Romanus, ex Patre Proiecto, sedit annos duos, menses quatuor, dies sex. Fuit autem Athalarici Regis & Iustiniani Augusti temporibus. Ordinauit autem Episcopos viginti & vnum, Presbyteros quindecim. Obiit autem VI. Kalend. Iunij. Hic Valerio Episcopo Epistolam misit, in quâ ostendit, & ratione & auctoritate multorum probauit, Filium minorem quidem esse Patre in assumpti hominis formâ, æqualem verò Patri esse in Deitatis naturæ substantiâ: & hoc fecit ideò, quia quidam erant apud eum, qui negabant Filium Patri esse æqualem.

CAP. LIX.

S. AGAPETVS.

A.D.XXXV AGAPETVS, natione Romanus, ex patre Gordiano Presbytero, sedit menses vndecim, dies nouemdecim. Hic ordinauit Episcopos vndecim, Diaconos quatuor. Hic libellum anathematis in Dioscorum, cui Bonifacius inuidiæ stimulo ductus Presbyteros & etiam Episcopos subscribi compulerat, incendio dedit. Iustinianus autem Theodato Regi fuerat indignatus, eò quòd ipse Reginam Amalasintam Theodorici Regis filiam sibi commendatam occiderat. Vnde Rex prædictus timens indignationem Augusti, prædictum Papam Constantinopolim ad Imperatorem direxit. Qui à Iustiniano Augusto honorificè susceptus, post longam altercationem Anthimum eiusdem ciuitatis Episcopum, in Christo duas naturas negantem, conuicit, & à communione Christianorum suspendit: & isto in exilium deportato, alium Episcopum nomine Mennam, virum Catholicum, in eius loco consecrauit. Pòst verò ægritudine captus, ibidem idem Constantinopoli X. Kalend. Maij est defunctus. Idem Papa, antequam veniret in Græciam, Anthimo Epistolam misit, in quâ ipsum ab errore suo ad veritatem Catholicæ fidei redire hortando prudenter commonuit.

CAP. LX.

S. SILVERIVS.

A.D.XXXVI SILVERIVS, natione Campanus, ex patre Ormisdâ Romæ Episcopo, sedit annum vnum, menses quinque, dies quadraginta. Hic ordinauit Episcopos octodecim, Presbyteros quatuordecim.

decim. Hic sine deliberatione decreti à Theodato tyranno constitutus est. Qui corruptus pecuniâ, talem Clero induxit timorem, vt qui eius ordinationi non consensisset, sine dubio gladio puniretur. Itaque Siluerio sub vi & metu iam ordinato, tandem subscripserunt in eius confirmationem secundùm morem Presbyteri. Post menses autem duos, prædictus tyrannus nutu diuino extinguitur. Dolens autem eo in tempore Theodora Augusta, Anthimum Patriarcham à B. Agapeto fuisse depositum, & in eius locum Mennam subrogatum, consilio cum Vigilio Diacono inito, Siluerium litteris obsecrauit, vt vel ad se festinanter veniret, aut Patriarcham Anthimum in locum reuocaret pristinum. Qui dum lectis litteris, quamuis vitæ finem per huius caussæ occasionem timeret; tamen fiduciam habens in Domino, rescripsit Augustæ, numquam se reuocaturum hominem hæreticum in suâ nequitiâ damnatum iustè. Vnde indignata Augusta, Belisario patricio iussit, vt Siluerium occasione quacumque inuentâ deponeret, & Vigilium Archidiaconum, qui Anthimum reuocare promiserat, in eius loco substitueret. Qui (hac tandem occasione inuentâ, vt Romanam vrbem Gothis tradere vellet) eum ad se vocatum, & Clero & populo ad primum & secundum velum retentis, stolam & albam fecit ei auferri, & veste monachicâ indui iussit. Et hoc negotio impietatis audito, hi, qui cum eo venerant, fugerunt: & Vigilius Archidiaconus, quasi in suâ fide eum suscipiens, in Pontum exilio relegauit: vbi pane tribulationis, & aquâ angustiæ sustentatus, tandem deficiens, in eodem loco XII. Kalend. Iulij Confessor defunctus est: vbi ægri multi sanantur.

Hic Epistolam rescripsit Amatori Episcopo, in quâ & hoc postulanti, qualiter circa se actum fuerat, breuiter enarrauit, & officium suum non ideò dimisisse, sed congregatis Episcopis, quos potuit, illos, qui ipsum deposuerant, se anathematis vinculo obligasse significat, & ceteros, qui deinceps vllum Episcoporum ita deciperent, anathema maranatha fieri dixit.

Item Vigilio iam Papæ constituto Epistolam in suam damnationem misit, ita inter cetera dicens: *Habeto ergo cum his, qui tibi consentiunt, pœnæ damnationis sententiam, sublatumque tibi nomen & munus ministerij sacerdotalis agnosce, Spiritus sancti iudicio & Apostolicâ à nobis auctoritate damnatus. Sic enim decet fidem sanctorum Patrum in Ecclesiâ seruari Catholicâ, vt, quod habuit, amittat, qui improbabili temeritate, quod non acceperat, assumpserit.*

23. q. 4. c. Belisarius.

25. q. 2. c. Sic decet.

CAP.

CAP. LXI.

VIGILIVS.

A.D.XL. VIGILIVS, natione Romanus, ex patre Ioanne, Consule, sedit annos septemdecim, menses sex, dies vigintiquinque. Hic ordinauit Episcopos octoginta & vnum, Presbyteros quadragintasex, Diaconos sedecim. Eo autem tempore, quo Theodora Augusta Vigilium in Sede Apostolicâ, sicut ipsa iusserat, constitutum fuisse accepit; ei scripsit, rogans, vt ipse ad se veniret, &, quod bonâ voluntate de Anthimo promiserat, adimpleret. Vigilius autem, quamuis priùs insipienter promiserat, respondit se numquam ei consentire, vt hominem hæreticum, & à sanctissimis Agapeto & Siluerio damnatum reuocaret. Eo tempore Romani dolentes, quòd Siluerius consilio Vigilij depositus fuerat, videntes modò opportunitatem, duos interemisse eum apud Augustam accusauerunt. Quo audito, Augusta Romam Scribonem misit, qui Vigilium cepit, & in naui positum Constantinopolim duxit. Qui tamen ab Imperatore, vt Vicarius B. Petri, primò honorificè susceptus est, & biennio iam exacto Augustus & Augusta cautionem manus suæ ei ostendentes, de Anthimo reuocando, obsecrando & altercando institerunt. Vigilius autem constans ad omnia pati, nullatenus eorum petitioni acquieuit, & tandem colaphizatus; quia non Iustinianum & Theodoram piissimos, sed Diocletianum & * Lutheriam se inuenisse dixerat, respondit ad singula: Facite vt vultis; digna enim factis recipio. Et volens huius ærumnæ euentum quoquo modo vitare, in Ecclesiam S. Euphemiæ fugiens, altaris columnam amplexu astrinxit; sed ibi arreptus, extra Ecclesiam ducitur, funeque collo eius alligato, per ciuitatem vsque ad vesperam circumquaque distrahitur, deinde in custodiâ reseruatur; Clerici verò, qui cum eo aduenerant, dispersi in exilia relegantur: sed posteà Romano clero & senatu rogantibus, redditus & restitutus est Vigilius. Sed in ipso reditu, in Syracusâ videlicet vrbe, calculi dolore vitam finiuit.

* Eleutheriam

* Eutherio Hic * Eucherio Episcopo rescriptum direxit, in quo eum instruxit, quid de his tenere debeat, qui ita abstinentiam simulant, vt esu carnium quemlibet pollui credant; ita post multa præmissa subiungens: *Quapropter nec abstinentiam Deo placitam reprobamus, nec eos, qui execrantur Domini creaturam, in nostrâ societate recipimus.* Item de his qui in fine Psalmorum subducta vnâ coniunctiuâ syllabâ dicunt: *Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto:* & ita dicendo, perfectæ Trinitatis vocabulum minuere conantur, subiungit dicens: *Quòd si in errore permanserint, socij nobis esse non possunt.* De his qui ab Arrianis rebaptizati sunt, qualiter sint recipiendi, dicit: *Quo-*

*Quorum reconciliatio, non per illam impositionem manus, quæ per sancti Spiritus inuocationem fit, operatur; sed per illam, quâ pœnitentiæ fructus acquiritur, & * communionis restitutio perficitur.* Item *de fabricâ cuiuslibet Ecclesiæ, si dirupta fuerit, instaurandâ: & si in eo consecrationis solemnitas debeat iterari, in quo sanctuaria non fuerint; nihil iudicauimus officere, si super eam minimè aqua exorcizata iactetur, quia consecrationem cuiuslibet Ecclesiæ, in quâ Spiritui sancto ara non ponitur, * celebritionem tantùm scimus esse Missarum: & ideò, si qua sanctorum Basilica à fundamentis etiam fuerit innouata, sine aliquâ dubitatione, cùm in eâ Missarum solemnitas fuerit celebrata, totius sanctificatio consecrationis implebitur. Si verò sanctuaria, quæ habebat, ablata sint, rursus eorum repositione, & Missarum solemnitate, reuerentiam sanctificationis accipiet.* Item, *Ordinem quoque precum in celebratione Missarum nullo nos tempore nullâ festiuitate habere diuersum, sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare.* Item, *si quis non baptizauerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, proiciatur extra Ecclesiam.*

* sancta com. de Cons. d. 1. c. De fabricâ.

* celebritatem

CAP. LXII.

PELAGIVS.

PELAGIVS, natione Romanus, ex patre Ioanne Vicario, sedit annos vndecim, menses decem, dies nouemdecim. Hic, dum non essent Episcopi, qui eum deberent ordinare, ordinatus est à Ioanne Perusino, & à Bono Furentino, Episcopis, & ab Andreâ Ostiensi Presbytero. Ab huius autem communione multi ex vtroque ordine Religiosi viri se subtraxerunt: imponentes ei, quòd in morte Vigilij tantis pœnis afflicti se immiscuit. Vnde Pelagius accepto libro Euangeliorum, & assumptâ cruce, Clero & populo in Ecclesiâ B. Petri congregatis, iuramento de prædicto crimine satisfecit, & omnium Romanorum assertione firmauit, vt nullus Clericus pretio quolibet aut promissione ad sacros Ordines proueheretur. A. D. LV.

Hic * Virgilio Episcopo direxit Epistolam, in quâ eum pleniter docet, & prudenter instruit, qualiter respondere & conuincere debeat hæreticos illos, qui garriunt, Patrem & Filium vnum Deum esse non posse. Hic ordinauit Episcopos quadragintanouem, Presbyteros vigintisex, Diaconos nouem. Obiit autem VI. Nonas Martias. * Vigilio

CAP. LXIII.

IOANNES III.

A.D.LIX. IOANNES, natione Romanus, ex patre Anastasio, sedit annos duodecim, menses vndecim, dies vigintisex. Hic amauit & restituit cœmiteria sanctorum Martyrum, & constituit oblationes & luminaria ibidem per singulas Dominicas de Lateranis ministrari. Huius temporibus Narses à Romanis apud Iustinianum & Sophiam Augustam accusatus, Longobardos ad occupandam & possidendam Italiam vocauit: qui non multo tempore pòst Romæ defunctus est. Hic vniuersis Germaniæ & Galliæ Episcopis Epistolam decretalem transmisit, in quâ, euidentissimâ ratione & firmissimâ multorum auctoritate comprobat, Chorepiscopos Episcopos non esse, nec aliquid de priuilegio Pontificali debere agere; & ad hoc probandum introducit Linum & Cletum, quamuis adiutores Petri fuissent, nullam tamen potestatem Pontificalem habuisse, sed exteriora tantùm ministrasse. Et quia sententiam & verba ipsa notauimus, cùm de Clementis ordine & actione in principio huius opusculi scripsimus, ad cetera quæ instant transire, non incongruum esse existimamus. Hic ordinauit Episcopos vndesexaginta, Presbyteros duodetriginta, Diaconos duodecim. Obiit autem II. Idus Iulij.

CAP. LXIV.

BENEDICTVS.

AN. D. LXXIII. BENEDICTVS, natione Romanus, ex patre Bonifacio, sedit annos quatuor, mensem vnum, dies vigintiocto. Scripsit autem iste Dauid Episcopo, & illos, qui dicebant, neminem in veritate posse probare Trinitatem vnitatem fieri, cùm neque tres vnum, neque vnum in tribus possit à quoquam approbari iussit: vt ad rectam fidem conuerti faceret, aut ab Ecclesiâ repelleret. Et multis modis probauit, & auctoritate multorum firmauit, vnitatem substantiæ esse in personarum trinitate, & personarum trinitatem esse in substantiæ vnitate. Huius temporibus validâ fame afflictus est populus Romanus. Hic ordinauit Episcopos vnum & viginti, Presbyteros quindecim, Diaconos quatuor. Obiit autem II. Kalend. Augusti.

CAP.

CAP. LXV.

PELAGIVS II.

PELAGIVS, natione Romanus, ex patre Vinigildo, sedit annos decem, menses duos, dies decem. Hic ordinatus est absque Principis iussione, eò quòd Longobardi obsiderent ciuitatem Romanam. Eo tempore tantæ pluuiæ fuerunt, vt omnes dicerent, quòd aquæ diluuij superinundarent: & talis clades fuit, qualem à sæculis nullus fuisse meminit. Hic Orientalibus Episcopis vniuersis, quos Ioannes Constantinopolitanus Episcopus præsumptiuè ad Synodum conuocauerat, scribit & mandat eis, si nolint cum prædicto Ioanne damnari, consentiendo ei, à superbâ præsumptione recedant, & pœnitentiam agere studeant: quia necesse est ea cassari, quæ contra ordinem & auctoritatem facta esse noscuntur. Scribebat enim se esse Episcopum vniuersalem, & ex hac suâ præsumptione conuocabat Synodum generalem, cùm generalem Synodum conuocandi auctoritas Apostolicæ Sedi B. Petri priuilegio singulari sit tradita. Item eosdem dubitantes, quæ dicenda esset certa prouincia, informat & instruit, dicens: *Scitote certam prouinciam esse, quæ habet decem vel vndecim ciuitates & vnum Regem, & totidem minores * ciuitates sub se, & vnum Episcopum, aliosque * Suffraganeos decem vel vndecim Episcopos iudices; ad quorum iudicium omnes causse Episcoporum & reliquorum sacerdotum ac ciuitatum referantur, vt ab his omnibus iustè consonâ voce discernantur.* Epist. 1. 6. q. 3. c. Scitote. *potestates *suffragatores

Item Benigno Archiepiscopo de Episcoporum transmutatione consulenti transmisit Epistolam, in quâ eum, qualiter regulariter transmutari, vel non possint, plenissimè instruit. Et hæc iam suprà notauimus. Item in eâdem prædictum Archiepiscopum ad iustitiam sectandam hortando dicit: *Dona iniquorum non probat Altissimus †, nec respicit in oblationibus iniquorum †, nec in multitudine sacrificiorum eorum peccatis propitiabitur †.* Item: *Qui offert sacrificium de substantiâ pauperum, quasi in conspectu patris victimat filium.* Item: *Qui baptizatur à mortuo, & iterùm tangit mortuum; quid proficit lauatio eius? sic & homo, qui ieiunat in peccatis suis, iterùm eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem eius quis exaudiet? In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas.* Epist. 2. † immediatè ad gloriam. † approbando ad gloriam. † vt ex merito condigno.

Item vniuersis Episcopis, & specialiter Campaniæ & Italiæ Episcopis, scripsit, & ad monitionem Episcoporum, quæ sæpenumerò à prædecessoribus suis posita, & superiùs annotata sunt, videlicet, de accusatoribus & ceteris pleniter posuit, & inter cetera de Monachis dicit: *Nullusque Monachus talia vsquequaque arripiat,* Epist. 3. 2. q. 7. c. Nullus.

nec ſæcularia aut Eccleſiaſtica negotia perturbare præſumat, quia vox eorum in talibus eſt mortua.

Item Epiſcopis regionum Germaniæ & Galliæ inſtrui rogantibus Præfationum ordinem, quem Eccleſia Romana ſeruaret, reſcripſit, ita dicens: *Sacrum ordinem Romanum, ſacraque conſtituta noſtrorum anteceſſorum ſolerter relegentes, inuenimus, has nouem Præfationes in ſacro catalogo ſolummodò recipiendas, quas longa retrò * vetuſtas in Romanâ Eccleſiâ hactenus ſeruauit: vnam, in Albis Paſchalibus, aliam de Aſcenſione Domini, tertiam de Pentecoſte, quartam de Natiuitate Domini, quintam de Apparitione Domini, ſextam de Apoſtolis, ſeptimam de ſanctâ Trinitate, octauam de Cruce, nonam de ieiunio Quadrageſimæ*. Si quis his ſupradictis dempſerit vel addiderit, anathema ſit.* Hic ordinauit Epiſcopos duodequinquaginta, Presbyteros viginti & octo, Diaconos octo. Obiit autem VII. Idus Februarij.

Epiſt. 4. de Conſ. diſt. 1. c. Inuenimus.

* *veritas*

* *has tenendas vobis mandamus.*

CAP. LXVI.

S. GREGORIVS.

AN. D. XC. GREGORIVS, natione Romanus, ex patre Gordiano, ſedit annos tredecim, menſes ſex, dies decem. Hic fecit XL. Homilias, & expoſuit Iob & Ezechielem: compoſuit Dialogum & Paſtoralem curam. Scripſit etiam numeroſa decretalia: quæ quia plurima ſunt, ſeparatim, & ſuo in loco, Deo dante, & vitâ comite, breuiter excipiemus. Nunc autem, quia præſentis negotij ſerie ad prædicti Papæ ordinem & actionem annotanda peruenimus, pauca ſaltem ponenda eſſe exiſtimamus. Hic in Synodo conſtituit, ne laici pueri ad ſecreta cubiculi Romani Pontificis ſeruitia exhibeant, ſed Clerici vel Monachi: vt is qui eſt in loco regiminis, habeat teſtes, & tales viri eius in ſecreto conuerſationem videant, qui ex viſione ſedulâ exemplum profectus ſumant. Conſtituit etiam, vt feretrum, quo Romani Pontificis corpus ad ſepeliendum ducitur, nullo tegminis velamine veletur. Quod ideò fecit, quia corpora Pontificum, cùm humi mandanda deferebantur, dalmaticis tegebantur, & eas pro ſanctitatis reuerentiâ ſcindentes, partiebantur. Conſtituit etiam, & ſub vinculo anathematis prohibuit, ne aliquid de ordinationibus, aut ex datione pallij, aut ex traditione chartarum accipiatur: ſed ſi is, qui ordinatus eſt, poſt acceptas chartas ſeu pallium aliquid offerre voluerit, gratiæ tantummodò cauſsâ id accipiendum eſſe non negat; quia eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non procedit.

Syn. Rom. cap. 2.

c. 4.

c. 5.

Concil. tom. 2. pag. 704.

Hic Auguſtino Anglorum Epiſcopo de multis conſulenti, ad ſingula iuxta barbariem gentis & nouitatem eorum conuerſionis reſcripſit,

reſcripſit, dicens: *Oportuerat quidem, quamdiu ſe agnoſcunt affinitate propinquos, ad copulam matrimonij non accedere: ſed in tam barbarâ gente magis placet reſpectus temperantiæ, quàm diſtrictio cenſuræ: concedendum eſt, vt poſt quartam generationem iungantur.* Ad hoc autem quod quæſiuit, ſi mulier infirmitate detenta non valuerit viro debitum ſoluere, quid faciat iugalis? Reſpondit, *bonum quidem eſſe, ſi ſic permaneret, vt abſtinentiæ vacaret: ſed quia hoc magnorum eſt; ille, qui ſe non poterit continere, nubat magis, non tamen ſubſidij opem ſubtrahat ab illâ, quam infirmitas præpedit, & non deteſtabilis culpa excludit.* De Presbytero verò à populo accuſato dicit: *Si certi non fuerint teſtes, qui crimini illato approbent veritatem, iuſiurandum erit in medio; & illum teſtem proferat de innocentiæ ſuæ puritate, cui nuda & aperta ſunt omnia, ſicque maneat in proprio gradu.* Item præcepit, ne eis, quos pater vel mater iuxta ſepta monaſterij in infantiæ annis ſub regulari tradiderunt diſciplinâ, egredi liceat, poſtquam pubertatis anni inoleuerint. Illos, qui abſque interrogatione ſubdolâ ab adulteratis Presbyteris baptizati ſunt, prohibet rebaptizari. Leproſis autem Chriſtianis Corpus & Sanguinem Domini concedit dari: cum ſanis autem celebrare conuiuia interdicit. Item, valdè fatuum eſſe iudicat, ſi morbus aut mortalitas quibuſlibet in locis irrepſerit, illos, quos nondum tetigit, à loco ciuitatis periculum fugere, quia nemo aufugere Dei manus poterit. De his verò Presbyteris qui multis vitiis irretiti, quorum vita in ſe ipſis ſacerdotium maculat, præcepit, vt eos Apoſtolicâ auctoritate redarguendo admoneat, & ad munditiam Eccleſiaſticam perducat: & ſi obedierint, ſaluabunt animas ſuas, & ipſe mercedem habebit: *Verumtamen collocutionem & menſam communem cum eis agere non recuſes. Plerumque contingit, vt, quos correctio diſciplinæ tardos fecit, ad percipiendam veritatis normam, conuiuarum ſedula paſtio, & admonitio blanda ad viam perducat iuſtitiæ. Idipſum autem & in ipſis proceribus, qui tibi adiutorium præſtant, obſeruare debebis.*

Hic auxit in Canone: *Diesque noſtros in pace diſpone,* &c. Huius tempore ad Dominum conuerſi ſunt Angli. Hic iuſſit, vt ſupra corpus B. Petri Miſſa celebraretur, & in Eccleſiâ B. Pauli eadem fecit. Hic ordinauit Epiſcopos ſexagintaduos, Presbyteros vndequadraginta, Diaconos octo. Migrauit autem ad Chriſtum IV. Idus Martij.

CAP. LXVII.

SABINIANVS.

SABINIANVS, natione Tuſcus, de ciuitate Blerâ, de patre Bono, ſedit annum vnum, menſes quinque, dies octo. Hic A. DC. IV.

addidit luminaria in Eccleſiâ B. Petri. Hic ordinauit Epiſcopos vigintiſex. Obiit autem VIII. Kalend. Martij.

CAP. LXVIII.

BONIFACIVS III.

A. DC.VI. BONIFACIVS, natione Romanus, ex patre Ioanne, ſedit menſes octo, dies vigintiduos. Hic obtinuit apud Phocatem Principem, vt Eccleſia Romana, ſicut omnium Eccleſiarum caput eſt, ita etiam Conſtantinopolitanæ, quæ ſe omnium Eccleſiarum primam eſſe iactabat. Hic conſtituit, vt nullus viuente Epiſcopo de eius ſucceſſore agat, ſed tertio die depoſitionis eius, adunato Clero & populo, fiat electio. Hic ordinauit Epiſcopos vigintiduos.

CAP. LXIX.

S. BONIFACIVS IV.

A. DC.VII. BONIFACIVS, natione Marſus, de ciuitate Valeriâ, ex patre Ioanne medico, ſedit annos ſex, menſes octo, dies duodecim. Huius temporibus fames valida, & inundationes aquarum grauiſſimæ fuerunt. Hic templum Pantheon, quod vocabatur, à Phocâ Principe petiit. quod & conſecrauit in honorem S. Mariæ Virginis, & omnium Martyrum. Hic ordinauit Epiſcopos trigintaſex, Diaconos octo. Defunctus eſt autem x. Kalend. Iunij.

CAP. LXX.

S. DEVSDEDIT.

A. DC. XIV. DEVSDEDIT, natione Romanus, ex patre Stephano Subdiacono, ſedit annos tres, dies triginta. Hic Clerum multùm dilexit, & Sacerdotes, & ceteros Clericos ad priſtina loca reuocauit. Huius temporibus menſe Auguſto fuit terræmotus magnus: quem ſecuta eſt clades, & grauis percuſſio ſcabierum, ita vt nullus mortuum ſuum poſſet agnoſcere. Gordianus Epiſcopus Hiſpanienſis Eccleſiæ litteris ad prædictum Papam directis, de viris & mulieribus, qui neſcientes pro magno populorum incurſu Paſchali ſabbato filios à fonte Baptiſmi ſuſceperant, ipſum conſuluit, ſi iam ad proprium ſuum vſum redire debeant? Qui in Eccleſiâ Iſauriæ & Ieroſolymæ, & in multis aliis Eccleſiis talia olim eueniſſe dicit, & anteceſſores ſuos, Iulium, & Innocentium, & Cæleſtinum cum pluri-

plurimorum Epiſcoporum conuentu talia prohibentes præſcripſiſſe aſſerit, vt nullo modo iam ſe in coniugium reciperent mulieres & viri, qui per quamcumque rationem ſuſciperent natos, ſed ſepararent ſe, ne, ſuadente diabolo, tale vitium peccati inoleſcat per mundum, & vniuerſorum error accreſcat. Addidit ad hoc, dicens: *Scitis, quia, quo modo ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti, ita ſunt ſeptem dona Baptiſmatis, à primo pabulo ſalis ſacrati, & ingreſſu ſanctæ Eccleſiæ vſque ad Confirmationem ſancti Spiritus per Chriſma. Ab hoc ergo * Spiritus ſancti dono vſque ad ſeptimum nullus Chriſtianus ſuam commatrem in coniugium recipere debet: & qui præſumpſerit, anathematis vinculo religetur in perpetuum, niſi pœnitentiam egerit dignè. Mulieres verò, cùm ſeparatæ fuerint hac pro * illicitatione à propriis viris, totam præcipimus recipere dotem, quam in die nuptiali receperunt, & poſt expletum annum recipiant alium virum, ſi voluerint. Similiter & vir vxorem.*

* primo Spiritus

* illicitâ

CAP. LXXI.

BONIFACIVS V.

A. DCXVII. BONIFACIVS, natione Campanus, de ciuitate Neapoli, ſedit annos quinque, menſes decem. Hic conſtituit, vt teſtamentum ſecundùm Principis iuſſionem valeat. Conſtituit etiam, vt nullus violenter de Eccleſiâ auferatur: nec aliquis, niſi Presbyter, ſanctorum Martyrum reliquias de Eccleſiâ leuare præſumat. Fuit vir mitiſſimus, & amauit Clerum. Hic ordinauit Epiſcopos vndetriginta, Presbyteros vigintiſex, Diaconos quatuor. Qui defunctus eſt VIII. Kalend. Nouembr.

CAP. LXXII.

HONORIVS.

AN. DC. XXVI HONORIVS, natione Campanus, ex patre Petronio Conſule, ſedit annos duodecim, menſes vndecim, dies octodecim. Hic Clerum erudiuit. Hic de ordinationibus Epiſcoporum minimè differendis ita dicit: * *Placuit, vt quiſque Metropolitanus, ſi vltra tres menſes conſecrationis ſuæ, ad fidem ſuam exponendam, palliumque ſuſcipiendum, ad Apoſtolicam Sedem non miſerit, commiſſâ ſibi careat dignitate; ſit licentia Metropolitanis aliis, poſt ſecundam & tertiam commonitionem, viduatis Eccleſiis cum conſilio Romani Pontificis ordinando Epiſcopum ſubuenire. Si verò conſecrandi Epiſcopi negligentiâ prouenerit, vt vltra tres menſes Eccleſia viduata conſiſtat, communione priuetur, quouſque aut loco cedat, aut ſe conſecrandum præbere non differat.*

* Gratian. tribuit Pelagio. diſt. 100. c. Quoniã.

Quòd

Quòd si vltra quinque menses per suam negligentiam retinuerit viduatam Ecclesiam, neque ibi, neque alibi consecrationis donum percipiat, imò Metropolitani sui iudicio cedat.

Item, *Quicumque sanè Metropolitanorum per plateas, vel in Litaniis vti pallio præsumpserit, & non tantùm in præcipuis festiuitatibus, & Apostolicâ Sede indictis temporibus ad Missarum solummodo solemnia, permissâ, quâ abutitur, careat dignitate: quoniam iure priuilegium meretur amittere, qui audacter vsurpat illicita.*

Item, *Episcopos verò qui percutere, detruncare, vel contra Canonicam auctoritatem infamare, aut propriis rebus absque legali iudicio exspoliare præsumpserit, siue eos à commissis Ecclesiis insequendo expellere, communione priuetur. Si verò bis vel ter conuentus, ei in quem deliquisse dignoscitur, emendando non satisfecerit, anathematis vinculis innodetur.*

Item, *Si quis domum Dei violauerit, & aliqua sine licentiâ illius, cui commissa dinoscuntur, inde abstulerit, vel Ecclesiasticis personis iniuriam fecerit, donec conuentus & admonitus legitimè satisfaciat, sciat se à communione priuatum. Si verò post secundam & tertiam conuentionem coram Episcopo satisfacere detrectauerit, sacrilegij periculo ab omnibus obnoxius teneatur. Quicumque sanctimonialem, siue quamcumque feminam, in matrimonium vel concubinatum rapuerit, donec eam coram Episcopo ciuitatis parentibus vel ciuibus restituat, cum omnibus fautoribus suis excommunicatum se esse cognoscat: si verò post secundam & tertiam conuentionem, quam rapuit sub satisfactione congruâ non reddiderit, tamquam anathematizatus, ab omni Christianorum consortio repellatur. Raptas enim, nec immeritò, dicimus, quæ sine consensu parentum, vel ciuitatis Episcopi, aut ipsæ vltrò diffugiunt, aut nolentes ab aliis abducuntur. Si quis homicidium membrorum truncatione, domorum incendia fecerit, aut fieri iusserit, aut facienti consenserit; quousque de his legaliter, vel amicabiliter coram Episcopo ciuitatis aliisque ciuibus non emendauerit, ab Ecclesiâ priuatum se esse agnoscat. Si ergo post secundam & tertiam conuentionem cuncta, in quibus arguitur, non emendauerit; tamquam Ethnicus & publicanus ab omni Christianorum collegio separetur. Porrò de his, qui deprædationes fecerint, aut facere iusserint, vel facienti consenserint, instituimus, vt, si ab Episcopo ciuitatis admoniti minimè resipuerint, quadraginta dies pane & aquâ contenti, reliquis cibis & potibus sint omninò priuati. Quòd si hanc excommunicationem suspicati fuerint violasse, satisfaciant Episcopo, quòd illam non violauerint: sicque demum, si conuicti fuerint hanc violasse, non solùm, quod vnicuique arguuntur feciſſe emendent; sed etiam bis aut ter commoniti, si se non correxerint, ab omni communione priuati sint. Si verò post secundam & tertiam commonitionem cuncta, in quibus arguuntur, perfectè non emendauerint, anathematis sententiâ se nouerint obligatos.*

Item, *Hi sanè, qui ante audientiam communicare tentauerint, donec per*

per pœnitentiam reatum suum defleant, ad communionem nullo modo reducantur, excepto mortis vrgente periculo. Qui verò excommunicato scienter communicauerit, & amodò saltem in domo simul orauerit, atque latebras defensionis, ne cominus ad satisfactionem perducatur, præbuerit, donec ab excommunicatore pœnitentiam suscipiat, Corporis & Sanguinis Domini communione se priuatum esse cognoscat. Quicumque ergo intra anni spatium humiliter siue publicè causſam suam coram suis excommunicatoribus non peregerint, ipsi sibi audientiæ aditum clausisse videantur. Quòd si obstinato animo sine communione defuncti fuerint, nos illorum causſam iuxta B. Leonis prædecessoris nostri sententiam diuino iudicio reseruantes, quibus viuis non communicauimus, mortuis communicare non possumus.

Item: *Curæ sit omnibus Episcopis excommunicatorum nomina omnino tam vicinis Episcopis quàm suis parochianis pariter indicare, eaque in celebri loco posita pro foribus Ecclesiæ cunctis conuenientibus inculcare, quatenus in vtràque diligentiâ & excommunicatis vbique Ecclesiasticus aditus excludatur, & excusationis causſa omnibus auferatur. Si quis sanè venerabilium Episcoporum vel Sacerdotum in hac re districtissimè non vigilauerit, & in aliquo cohibuerit, quo minùs Ecclesiasticæ seueritatis inuectio circa personas delinquentium conseruetur, donec coram prouinciali Synodo satisfiat, à communione sciat se esse suspensum. Si verò post tertiam conuentionem in suâ negligentiâ manserit, canonico iudicio subiacebit. Illos autem, qui pro diuersis suis excessibus se conueniendos legaliter timent, aliumq; ad senioratum confugiunt, & ibi peiora prioribus operantur; iubet vt à nemine suscipiantur, donec sub prioris Domini districtione satisfaciant cunctis quibus deliquerant. Si verò priùs susceptì fuerint, cum suo susceptore communione priuentur. De illis autem qui prolationem sententiæ subterfugere cupientes, à matricularibus Ecclesiæ vel baptismalibus se subducunt, statuit, vt hi qui intra regionem positi, à publicis Ecclesiarum se conuentibus vltra tres dies Dominicos voluntariè prolationem sententiæ subterfugiendo abstinent, donec sub satisfactione se emendandos astruant, communione priuentur.*

Item: *Administratores planè sæcularium dignitatum, quos ad Ecclesiarum tuitionem, pupillorum & viduarum protectionem, rapacium̃que refrænationem constitutos esse cognouimus, quoties ab Episcopis & Ecclesiasticis viris conuenti fuerint, eorum querimonias fideliter audiant, & secundùm quod necessitas expetierit, absque negligentiâ examinent, & diligenti studio emendent. Quòd si Dei timorem præ oculis non habentes negligere post secundam & tertiam commonitionem inuenti fuerint, omni se nouerint communione vsque ad condignam satisfactionem priuatos.* Item: *Qui Presbyterum ordinare necessarium ducit, deputet eum Ecclesiæ, in quâ Domino seruiens iugiter perseueret.* Hic ordinauit Episcopos septuaginta & vnum, Presbyteros tredecim, Diaconos vndecim. Obiit IV. Idus Octobr.

CAP. LXXIII.
SEVERINVS.

An. dc. xxxviii. SEVERINVS, natione Romanus, ex patre Abieno, sedit menses duos, dies quatuor. Hic ordinauit Episcopos quatuor. Obiit autem IV. Idus Octobris.

CAP. LXXIV.
IOANNES IV.

An. dc. xxxix. IOANNES, natione Dalmaticus, ex patre Venantio scholastico, sedit annum vnum, menses nouem, dies octodecim. Hic per Dalmatiam & Istriam multum pecuniæ misit ad redemptionem captiuorum. Hic ordinauit Episcopos quatuor. Defunctus est autem IV. Idus Octobris.

CAP. LXXV.
THEODORVS.

A. dc. xlii THEODORVS, natione Græcus, ex patre Theodoro Episcopo, de ciuitate Ierusalem, sedit annos sex, menses quinque, dies quatuordecim. Hic ordinauit Episcopos quinquagintasex, Presbyteros viginti & vnum, Diaconos quatuor. Qui defunctus est pridie Idus Maij.

CAP. LXXVI.
S. MARTINVS.

An. dc. xlix. MARTINVS, de ciuitate Tudertinâ prouinciæ Tusciæ, sedit annos sex, mensem vnum, dies vigintisex. Hic centum & quinque Episcopos in vrbe Româ congregauit, cum quibus condemnauit Theodorum quemdam Episcopum Pharanitarum, & Cyrum Alexandrinum, & Sergium Constantinopolitanum, & eius successores Pyrrhum & Paulum, qui nouitates contra immaculatam fidem præsumpserunt innectere. Et demum prædictus Papa, quia hæreticis consentire noluit, ductus est in exilium, vbi & vitam in Christo finiuit IV. Idus Nouembris. Ordinauit autem Episcopos trigintaquatuor, Presbyteros vndecim, Diaconos quinque.

CAP.

CAP. LXXVII.
S. EVGENIVS.

EVGENIVS, natione Romanus, ex patre Rufiniano, sedit annos duos, menses nouem, dies vigintitres. Hic ordinauit Episcopos viginti & vnum; defunctus est autem IV. Nonas Iunij. A. dc. lii.

CAP. LXXVIII.
S. VITALIANVS.

VITALIANVS, natione Signiensis, Campaniæ prouinciæ, de patre Anastasio, sedit annos quatuordecim, menses sex. Hic regulam Ecclesiasticam atque vigorem, vt mos erat, omnino conseruauit. Hic ordinauit Episcopos nonagintaseptem, Presbyteros vigintiduos, Diaconum vnum. Huius temporibus Constantinus Augustus Romam venit, ibique omnia, quæ ad ciuitatis ornatum suspensa erant, deponi fecit, & Ecclesiam S. Mariæ ad Martyres, quæ de tegulis æreis erat tecta, discooperuit, & in regiam vrbem ipsas tegulas cum aliis diuersis, quæ deponi fecerat, emisit. Scripsit autem Epistolam Paulo Cretensi Archiepiscopo, in quâ eum arguit, quia Ioannem Episcopum Lampeon vrbis in custodiam duci fecit. Insuper contra Canonum iussa, contra legum instituta, existens in custodiâ, cogebatur vt daret fideiussores. Vnde omnia, quæ ipse Archiepiscopus de iam prædicto Episcopo in Synodo egit, inania esse decreuit, & Ecclesiam suam ei iudicio Synodi, datis litteris, reddi præcepit. Defunctus est autem VIII. Idus Februarij. A. dc. lv.

CAP. LXXIX.
ADEODATVS.

ADEODATVS, natione Romanus, ex Monachis, de patre Iouiniano, sedit annos quatuor, menses duos, dies quinque. Hic ordinauit Episcopos septem, Presbyteros quatuordecim, Diaconos duos. Qui defunctus est VIII. Idus Iunij. Post eius verò transitum, & pluuiæ & tonitrua tanta fuerunt, quanta priùs fuisse nemo eo in tempore viuens audierat. Vnde homines & pecudes ex nimio ictu fulguris interierunt. An. dc. lxix.

CAP. LXXX.

DONVS.

An. dc. lxxvi. DONVS, natione Romanus, ex patre Mauritio, ſedit annum vnum, menſes quinque, dies decem. Hic ordinauit Epiſcopos ſex, Diaconos quinque. Poſt electionem huius, Auguſto menſe apparuit ſtella præfulgida valdè in Oriente. Oriebatur autem aſſiduè in galli cantu apparens vſque manè, ſed, emenſo trium menſium ſpatio, ſuæ pulchritudinis radios numquam parens abſcondit, quam in eâdem plagâ Orientis innumeræ multitudinis hominum mors ſecuta eſt. Huius tempore Eccleſia Rauennæ, quæ priùs acephalicum caput contra Romanam Eccleſiam erexerat, denuò fractâ ceruice ſuperbiæ, Apoſtolicæ Sedi humiliata ſubiacuit. Obiit autem iſtè III. Idus Aprilis.

CAP. LXXXI.

S. AGATHO.

An. dc. lxxviii. AGATHO, natione Siculus, ſedit annos duos, menſes quinque, dies quatuor. Hic ordinauit Epiſcopos octodecim, Presbyteros decem, Diaconos quatuor. Legati Conſtantinopolim directi è latere huius Papæ, Macarium Antiochenum Patriarcham in Synodo depoſuerunt, quia duas naturas & voluntates in Chriſto eſſe negauit. Prædictus Papa hoc obtinuit apud Imperatores, Conſtantinum videlicet, & Heraclium, & Tiberium, vt iuxta poſtulationem ſuam remitteretur quantitas illa, quæ ſolita erat dari pro ordinatione Romani Pontificis facienda: ſic tamen, vt, ſi contigerit poſt eius tranſitum vel electionem ordinationem fieri, non debeat ordinari qui electus fuerit, niſi priùs decretum generale deferatur in regiam vrbem ſecundùm antiquam conſuetudinem, & cùm eorum, id eſt Imperatorum, ſcientiâ & iuſſione ordinatio debeat prouenire. Hic defunctus eſt IV. Idus Ianuarij.

CAP. LXXXII.

S. LEO II.

An. dc. lxxxiii. LEO, natione Siculus, ex patre Paulo, ſedit menſes decem, dies ſeptemdecim. Hic fuit eloquentiſſimus, Græcâ & Latinâ linguâ eruditus. Hic fecit conſtitutum, vt, qui ordinatus fuerit Archiepiſcopus, nullâ conſuetudine pro vſu pallij, aut diuerſis officiis

officiis Eccleſiæ, perſoluere debeat. Hic ordinauit Epiſcopos vnum & viginti, Presbyteros quatuordecim, Diaconos tres. Defunctus eſt autem IV. Kalend. Iulij.

CAP. LXXXIII.

BENEDICTVS II.

BENEDICTVS, natione Romanus, ex patre Ioanne, ſedit An. dc. menſes decem, dies duodecim. Hic ſuſcepit præceptum Con- lxxxiv. ſtantini Auguſti datum Clero & populo, & exercitui Romano, per quod conceſſum eſt, vt, cùm quis fuerit electus ad regendam Romanam Sedem, continuò abſque tarditate conſecretur Pontifex. Obiit verò VIII. Maij.

CAP. LXXXIV.

IOANNES V.

IOANNES, natione Syrus, ex prouinciâ Antiochiâ, de patre Cy- An. dc. riaco, ſedit annum vnum, dies nouem. Fuit autem vir valdè lxxxv. ſtrenuus, atque ſcientiâ præditus, & omnino moderatus. Hic conſecratus eſt à tribus Epiſcopis, Oſtienſe, Portuenſe & Veliternenſe, ſicut & præceſſor eius Leo fuerat. Defunctus eſt verò IV. Nonas Auguſti.

CAP. LXXXV.

CONON.

CONON, oriundus patre Traceſeo, educatus apud Siciliam, An. dc. ſedit menſes vndecim. In huius electione non minima eſt lxxxvi. contentio habita, eò quòd Clerus Archidiaconum, exercitus autem Theodorum Presbyterum nitebatur eligere. Sed hac contentione aliquamdiu habitâ, tandem Clerus & populus vnanimiter hunc denominantes elegerunt. Poſt aliquot verò dies exercitus videns Cleri & populi concordiam, & ipſe in prædicti electionis decreto ſubſcripſit. Hic ordinauit Epiſcopos ſedecim. Defunctus eſt autem X. Kalend. Octobris.

CAP. LXXXVI.

SERGIVS.

SERGIVS, natione Syrus, Antiochiæ regionis, ortus ex patre An. dc. Tiberio, ſedit annos tredecim, menſes ſeptem, dies vigintitres. lxxxvii.

Ante huius electionem populus Romanus, vt fieri assolet, diuisus est: nam pars vna Theodorum Archipresbyterum, alia verò elegit Paschalem Archidiaconum. Cùm autem isti duo electi contenderent, nec alter eorum alteri cedere vellet, maxima pars Cleri, nec non Primates iudicum, & exercitus Romanæ militiæ diu pertractantes, qualiter duorum altercantium contentio sopiretur, consilio inito, demum prænominatum Sergium vnanimiter elegerunt, & altercantium tumultuatione repressâ, in Sede eum concorditer statuerunt. Hic in sacrario B. Petri Apostoli capsam argenteam in angulo obscuro iacentem, & ex nigredine nimiæ annositatis, nec, si esset argentea, iam apparentem, Deo ei reuelante, reperit. Itaque oratione factâ, sigillo fracto, & capsâ aperta, inuenit in eâ crucem diuersis ac pretiosis lapidibus perornatam. In quâ etiam apertâ inuenit miræ magnitudinis & ineffabilem portionem salutaris ligni viuificæ Crucis repositam: quæ ex die illo pro salute humani generis ab omni populo Christiano die Exaltationis S. Crucis in Ecclesiâ Saluatoris adoratur. Hic statuit, vt in fractione Corporis & Sanguinis Domini à Clero & populo *Agnus Dei* cantetur. Hic ordinauit Episcopos vigintiseptem, Presbyteros duodeuiginti, Diaconos quatuor. Defunctus est autem Idibus Septembris.

CAP. LXXXVII.

IOANNES VI.

A. DCCI. IOANNES, natione Græcus, sedit annos tres, menses duos, dies duodecim. Hic captiuos, quos in Campania Gisolphus dux gentis Longobardorum ceperat, donariis suis redemit. Hic ordinauit Episcopos quindecim, Presbyteros nouem, Diaconos duos.

CAP. LXXXVIII.

IOANNES VII.

A. DCCV. IOANNES, natione Græcus, de patre Platone, sedit annos duos, menses sex, dies septemdecim. Hic ordinauit Episcopos vndeuiginti. Sepultus est autem XV. Kalend. Nouembr.

CAP. LXXXIX.

SISINNIVS.

AN. DCC. VIII. SISINNIVS, natione Syrus, ex patre Ioanne, sedit dies viginti. Hic ordinauit Episcopum vnum. Defunctus est autem repentinâ morte.

CAP.

CAP. XC.

CONSTANTINVS.

CONSTANTINVS, natione Syrus, ex patre Ioanne, sedit annos septem, dies quindecim. A. DCC. VIII. Hic ordinauit Felicem Archiepiscopum Rauennatem, qui iuxta antecessorum suorum consuetudinem scribere noluit, fastu arrogantiæ tentus. Qui postea elatione superbiæ suæ à Iustiniano Augusto capi iubetur, oculis priuatur, & in exilium in Ponticam mittitur. Sed, mortuo Imperatore, ad sedem propriam reuertitur, & sic humiliatus, ab Apostolicâ Sede veniam petiit, & absolutionem promeruit. Prædicti Papæ temporibus venit Romam Benedictus Mediolanensis Archiepiscopus, & certauit pro Ecclesiâ Ticinensi; sed conuictus est, eò quòd à præfatis temporibus Ticinensis Ecclesiæ Antistitis consecratio ad Sedis Apostolicæ Pontificem pertinebat. Ordinauit autem Episcopos sexagintaquatuor, Presbyteros decem, Diaconos duos. Obiit autem VI. Idus Aprilis.

CAP. XCI.

S. GREGORIVS II.

GREGORIVS, natione Romanus, ex patre Marcello, sedit annos sedecim, menses nouem, dies vndecim. A. DCC. XIV. Hic in Germaniâ per Bonifacium Episcopum verbum salutis prædicauit, & gentem illam sedentem in tenebris doctrinâ lucis conuertit ad Christum. Huius temporibus Saraceni Franciam occupare conati sunt; sed iudicio Dei vnâ die trecenta & sexaginta quinque millia à Francis ceciderunt, vt Epistola à Francorum Duce Pontifici missa continebat. Hic constituit, vt Quadragesimali tempore, quintâ videlicet Feriâ ieiunium, atque Missarum celebratio fieret, quod priùs non fiebat. Huius temporibus Leo Imperator ad peiora progressus, compulit omnes Constantinopoli habitantes, vt Sanctorum imagines deponerent, & igni consumerent. Cuius errori, quia Germanus non consensit Patriarcha, à sede est pulsus, & in eius loco Anastasius Presbyter est ordinatus. Hic in Synodo communi omnium præsidentium iudicio confirmando dixit: *Si quis Presbyteram, aut Diaconissam, aut Monacham, aut nurum, aut consobrinam, aut de propriâ cognatione, aut quam cognatus habuit, duxerit vxorem, anathema sit.* Item: *Si quis viduam furatus fuerit in vxorem & virginem, nisi eam desponsauerit, anathema sit.* Item: *Si quis ariolos, aruspices, vel incantatores obseruauerit, aut phylacteriis vsus fuerit,*

C. Romanum, tom. 3. Concil. cap. 1. & 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

fuerit, anathema sit. Hic ordinauit Episcopos centum quinquaginta, Presbyteros vigintiquinque, Diaconos quatuor. Qui defunctus est III. Idus Februar.

CAP. XCII.

S. GREGORIVS III.

An. DCC. XXXI. GREGORIVS, natione Syrus, ex patre Ioanne, sedit annos decem, menses octo, dies viginti. Hic fuit vir valdè mitis, & in diuinis litteris benè instructus, & Græcâ Latinaque linguâ pleniter eruditus. Hic in Synodo residens, omnes illos anathematis vinculo innodauit, qui antiquæ Ecclesiasticæ consuetudini aduersantes, Sanctorum imagines venerari contemnerent. Hic ordinauit Episcopos octoginta, Presbyteros vigintiquatuor, Diaconos tres.

CAP. XCIII.

S. ZACHARIAS.

An. DCC. XLII. * Caroli Martelli ZACHARIAS, natione Græcus, ex patre Polychronio, sedit annos decem, menses tres, dies quatuordecim. Huius temporibus Karlomannus, filius * Karlomanni Francorum Regis, præsentis vitæ gloriam & potestatem relinquens, clericatus iugum Romæ ab ipso Papâ suscepit. Deinde ad montem Cassinum peruenit, ibique factâ iuxta morem professione, professionis habitum deuotè suscepit. Eiusdem Papæ temporibus Ratechisus Rex Longobardorum regalem dignitatem relinquens, à prædicto Papâ detonsus, monachico habitu cum vxore & filiis induitur. Hic ordinauit Episcopos trigintaquinque, Presbyteros vigintitres, Diaconos sex. Hic in Synodo constituit, vt Episcopi cum mulieribus omnino non habitent, & Presbyteri vel Diaconi subintroductas mulieres nullo modo secum audeant habere, nisi matrem, & illas quæ suspiciones effugiunt; alioquin gradus sui priuentur honore. Item statuit, vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi sæcularibus indumentis minimè vtantur, nisi, vt condecet, tunicâ sacerdotali: sed neque dum ambulauerint in ciuitate, aut in viâ, aut in plateis, sine indumento præsumant ambulare, nisi in itinere longo ambulauerint: quia Sacerdos incedens sine operimento sibi congruo, sacerdotium suum deturpat. Quòd si præsumpserit, communione priuetur, donec, quæ statuta sunt, adimplere maturet. Item, vt Presbyteri & Diaconi non vtantur monachâ, vel etiam spirituali commatre. Nam qui huiusmodi opus perpetrauerit, sciat se anathematis vinculo obligatum, & Dei iudicio condemnatum, atque à sacro Corpore & Sanguine Domini nostri Iesu Christi alienum, statuente Apostolicâ censurâ. Et quicumque Sacerdotum talibus communicare præsumpserit, eorum consortio condemnatus, sacerdotij sui honore priuetur. Si autem hi, qui conuicti sunt, admoniti declinauerint, & ab adulterio fuerint diuisi, pœnitentiæ submittantur, vt Sacerdos loci prouiderit. Item de Presbyteris, Diaconis, seu Clericis, qui inter se caussam habuerint, nullo modo præsumat publicis auctoritatibus interpellationem facere, nisi suo Episcopo: & si forsan Episcopus caussam habuerit, ad vicinum Episcopum confugium faciant, iuxta canonum statuta. Et si minimè conuenerit, vt decidatur inter eos contentio, ad Apostolicam veniant Sedem. Si quis verò præter statuta præsumpserit agere, gradus sui honore priuetur, & ab Ecclesiâ pellatur, vsque dum caussa susceperit finem. Item, vt Episcopus, aut Presbyter, dum ingressus fuerit ad Missarum solemnia celebranda, nullo modo audeat datâ oratione recedere, vt ab alio Episcopo aut Presbytero Missarum solemnia suppleantur, sed qui initium posuit, suppleat vsque in finem. Si quis aliter agere præsumpserit, à Dominico Corpore & Sanguine sit suspensus. Prædictus Papa vniuersis Episcopis, cunctis etiam Ducibus, Comitibus, omnibusque Deum timentibus per Gallias & Francorum prouincias constitutis Epistolam destinauit, in quâ omnes commonuit, vt falsos & schismaticos, homicidas & fornicarios sacerdotes ab ipsis expellerent.

CAP. XCIV.

STEPHANVS III.

A. D. CC. LII. STEPH. II. STEPHANVS, natione Romanus, ex patre Constantino, sedit annos quinque, dies vigintitres. Post obitum Zachariæ Papæ Stephanus quidam Presbyter à cuncto populo electus est, & in patriarchium inthronizatus. Qui post biduum subitò alienatus obmutuit, & die sequenti defunctus est. Post hæc verò omnes vnanimiter hunc eligentes, in patriarchium iuxta morem introduxerunt: erat enim amator Ecclesiarum, traditionem Ecclesiasticam firmâ stabilitate conseruans. Huius temporibus Aistulphus Longobardorum Rex, occupatis bonis Ecclesiæ, multa Romanis intulit mala, sed plurima minatus est. Vnde prædictus Papa coactus Pipinum Regem Franciæ postulatum auxilium adiit, contra quem venit Karlomannus frater Regis, quamuis monachus, malignis tamen Aistulphi suasionibus deceptus, vt eius petitionem in irritum duceret. Sed, Deo id agente, propositi inefficax exstitit,

ſtitit, & ibi idem in Franciâ in monaſterio à fratre ſtatutus, vitam finiuit: Pontifex verò apud Regem voluntatem ſuæ petitionis obtinuit. Hic ordinauit Epiſcopos quindecim, Presbyteros duos, Diaconos duos. Defunctus eſt autem VI. Kalend. Maij.

Prædictus Pontifex in quadam Epiſtolâ de infirmitatis ſuæ liberatione ita inter cetera dicit: *Cùm iam medici desperarent, fui ſicut in oratione in Eccleſiâ B. Martyris Dionyſij ſubtus campanas, & vidi ante altare Domnum Petrum & Domnum Paulum, & notâ mente illos recognoui, & tertium B. Dionyſium ad dexteram B. Petri ſubtilem & longiorem. Dixitque Domnus Petrus: Hic frater noſter poſtulat ſanitatem. Et dixit B. Paulus: Modò ſanabitur; & appropinquans miſit manum ſuam ad pectus domni Dionyſij amicabiliter, reſpexitque ad Domnum Petrum. Et dixit Domnus Petrus ad Dionyſium hilariter: Tua gratia eſt ſanitas eius. Et Dionyſius veniens ad me ait: Pax tecum frater, non morieris, donec ad Sedem tuam proſperè reuertaris. Surge, & hoc altare in honore Dei, & veneratione Apoſtolorum Petri & Pauli dedica: moxque ſanus factus impleui quæ iuſſa ſunt.*

CAP. XCV.

S. PAVLVS.

A. DCC. LVII. PAVLVS, natione Romanus, ex patre Conſtantino, ſedit annos decem, menſem vnum. In huius autem electione populus Romanus diuiſus eſt. Nam alij Theophylactum Archidiaconum, alij hunc volebant habere Pontificem: ſed pars illa, quæ maior ac validior fuit, tandem hunc elegit; & ita ceteris diſperſis iſte Sedem obtinuit. Hic conſecrauit Epiſcopos viginti, Presbyteros duodecim, Diaconos duos.

CAP. XCVI.

STEPHANVS IV.

A. DCC. LXVIII. STEPHANVS, natione Siculus, ex patre Oliuio, ſedit annos tres, menſes quinque, dies vigintiſeptem. Dum Paulus Papa ex hac vitâ migraſſet, continuò Conſtantinus quidam laicus à germanis fratribus, & illis quos fratres quoquo modo attrahere potuerunt, latrocinio in Patriarchium eſt introductus; ibique repentè vnâ die fit Clericus, aliâ verò die Subdiaconus & Diaconus à Georgio Prænestino Epiſcopo conſecratus eſt: & proximo Dominico die cum multitudine armatorum ad Eccleſiam B. Petri properans, à prædicto Georgio & aliis duobus Epiſcopis, Albanenſe videlicet & Portuenſe, in Pontificem ordinatus eſt, & vnius anni & menſis ſpatio

ſpatio Romanam Eccleſiam hac inuaſione detinuit: & infra hoc ſpatium Epiſcopos octo, Presbyteros totidem, & Diaconos quatuor ordinauit. Sed prædictus Prænestinus Epiſcopus non multò pòſt diuinâ vltione correptus eſt: nam dextera manus eius aruit, & contracta eſt, adeò vt ad os eam erigere non poſſet; & taliter languens vitam finiuit. Conſtantinus verò decurſo anni & menſis ſpatio, à Romanis & Longobardis repentè ſuperuenientibus, interfecto vno ex fratribus ſuis, capitur. Deinde prædicto Papæ Stephano iam electo præſentatur, ibique aſſiſtentium iudicio deponitur. Poſtmodum prædictus electus in Pontificem ordinatur. Inter hæc Theodorus Epiſcopus Conſtantini Vicedominus à turbâ raptus, oculis priuatur, linguâ truncatur, & Paſſiuus eiuſdem Conſtantini germanus excæcatur, & ipſe Conſtantinus demum capitur, lumine priuatur, miſerè in plateâ iacêre relinquitur. Deinde pro impiæ inuaſionis præſumptione Synodo in vrbe Romanâ congregatâ, primò omne ſcriptum de eius actionibus geſtum igni mandatur. Deinde ſtatuitur, vt omnia, quæ idem Conſtantinus in Eccleſiaſticis Sacramentis, aut diuino cultu egerat, iterarentur, præter ſacrum Baptiſma, aut ſanctum Chriſma. De contumacibus & inobedientibus, & contentioni & ſcandalo inſiſtentibus præcepit, ſi poſt primam & ſecundam admonitionem ſe minimè correxerint, vt quaſi zizaniorum ſeminatores ab Eccleſiæ gremio abiiciantur. Hic conſtituit ſeptem Cardinales Epiſcopos, qui alternatim in Eccleſiâ B. Petri Apoſtoli hebdomadas celebrarent, & hymnum Angelicum in Miſſarum ſolemniis decantarent. Hic ordinauit Epiſcopos decem, Presbyteros quinque, Diaconos quatuor.

CAP. XCVII.

S. HADRIANVS.

A. DCC. LXXII. HADRIANVS, natione Romanus, ex patre Theodoro, de regione Viâ latâ, ſedit annos vigintitres, menſes decem, dies ſeptem. Hic vir valdè nobilis, & fortiſſimus Orthodoxæ fidei, & patriæ ſuæ, & plebis ſibi commiſſæ defenſor, ad ſedandas calumnias, & deuaſtationes, quas Deſiderius Longobardorum Rex in bonis S. Petri exercuit, Carolum Magnum Francorum Regem Romam vocauit. Qui cùm quinto anno Regni ſui illuc veniſſet, inter cetera, quæ ab ipſo ibi magnificè geſta ſunt, etiam partem aliquam Saxoniæ in prouinciâ Weſtfaliâ, quam ad fidem Chriſtianitatis conuertit, vt ipſe iam prædictus Papa præcepit, & docuit, ſecundâ feriâ Paſchæ in Baſilicâ S. Petri Apoſtoli, inter cetera, quæ ad manum Papæ offerebat, Deo in ſacrificium obtulit, & in loco

Vide Alb. Crantz. Metrop. lib. 1. c. 2. & lib. 2. Saxon. c. 11.

Osbrugge vocato Episcopatum constituere, & decimis nouiter ad fidem conuersorum, si sanus & incolumis remeasset, Papâ ita dictante, & priuilegiis suis confirmante, dotare deuouit. Ordinauit autem Episcopos centum & octogintasex, Presbyteros vigintiquatuor, Diaconos sex. Qui defunctus est Kalendis Ianuarij. Hic Episcopis Hispaniarum Epistolam destinauit, in quâ multis rationibus, multisque multorum auctoritatibus, Christum verum, & non putatiuum, proprium, & non adoptiuum Patris Filium esse comprobauit.

CAP. XCVIII.

LEO III.

A. DCC. XCV

LEO, natione Romanus, ex patre Azuppio, sedit annos viginti, menses quinque, dies sedecim. Hic in natali S. Stephani Protomartyris electus est, & insequenti die ordinatus est. Hic cùm ex more paratus in Litaniâ, quæ Maior dicitur, incederet, ab iniquis Romanorum captus, oculis est priuatus, & linguâ truncatus, in arctaque custodiâ reclusus. Sed, Deo cooperante, & B. Petro suffragante, & visum recepit, & lingua ei ad loquendum restituta est, & ex ipsâ custodiâ liberatus Dei auxilio, ad Carolum Regem & Romanorum Patricium profectus est: à quo & deuotissimè susceptus est. Quod nefandissimi Romanorum audientes, falsa crimina ei imponere studuerunt, vt Regi & omnibus eum ita odiosum efficerent. Sed prædictus Pontifex ad Sedem suam reuersus, paulò pòst prænominato Rege præsente, cunctisque etiam Clero & populo præsentibus, non coactus, sed spontaneus de impositis criminibus iureiurando se expurgauit. Post hæc die Natalis Saluatoris nostri ab omnibus prædictus Rex, Romanorum Imperator Augustus est constitutus, & à Papâ nominato Pontifice coronatus, & ita eius tempore primùm Romanorum Imperium peruenit ad Francos. Hic constituit, vt tres dies ante Dominicam Ascensionem Litaniæ celebrarentur. Hic ordinauit Episcopos centum & trigintasex, Presbyteros triginta, Diaconos vndecim. Sepultus est autem II. Idus Iunij.

CAP. XCIX.

STEPHANVS V.

A. DCCC. XVI.

STEPHANVS, natione Romanus, ex patre Marino, sedit menses septem. Hic ordinauit Episcopos quinque, Presbyteros nouem, Diaconos quatuor.

CAP.

CAP. C.

PASCHALIS.

A. DCCC. XVI.

PASCHALIS, natione Romanus, ex patre Bonoso, sedit annos septem, menses quinque, dies tredecim. Ordinauit autem Episcopos, Presbyteros & Diaconos per diuersa loca. Hic de his, qui ob caussam frigidæ naturæ se dicunt non posse ad inuicem opera carnis dantes commisceri, requisitus, respondit dicens: *Si non possunt, habeant vxorem quasi sororem. Quòd si retinaculum iugale volunt recidere, maneant innupti. Nam si huic non potuit naturaliter concordare, quomodo alteri conueniet? Igitur, si vir aliam vult recipere vxorem, manifesta ratio patet, quia, suadente diabolo, fomite odij exosam habuit eam, & idcircò illam dimittere mendaciij falsitate molitur. Quòd si mulier causatur, & dicit, Volo mater esse, & filios procreare; eligantur ex vtraque parte tres propinqui parentes, qui iureiurando dicant tactis sacrosanctis Euangeliis, quòd numquam hi permixtione carnis coniuncti vna caro effecti fuissent; tunc videtur mulier secundas posse contrahere nuptias. Humanum dico, propter infirmitatem carnis eorum. Vir autem, qui frigidæ naturæ est, maneat innuptus. Quòd si ille aliam copulam, cui conueniat, requirit, tunc hi, qui iurauerunt, sunt periuri, & rei crimine tenentur. Ex hoc nimirum eorum fraus detegitur, si vterque alias nuptias expetunt.*

Hic Mediolanensi Ecclesiæ de Simoniacâ hæresi scripsit Epistolam, quæ ita incipit: *Fraternæ mortis crimen incurrit, si quis, cùm potest, fratrem à morte minimè defendit. Nos verò, qui excellentiæ vestræ summum discrimen audiuimus, summi reatus pœnam incurrimus, si taceamus, Domino per Prophetam intentante: quia profectò sanguinem fundit, qui impiorum iniquitatem tacendo dissimulat. Audiuimus enim, quod valdè miramur, quòd sacri Ordines apud vos pecuniis distrahuntur, cùm quicumque tale aliquid tentauerint, omnino hæretici comprobentur, Spiritu sancto per Gregorium sic intonante: Quia quisquis per pecuniam ordinatur, ad hoc vt fiat hæreticus promouetur: & quisquis contra Simoniacam hæresim neophytorum pro officij sui loco non exarserit, cum eo non dubitet se habere portionem, qui primus commisit hoc piaculare flagitium. Et quòd æternâ morte hoc flagitium sit dignum, Augustinus & Fulgentius ostendunt, ita dicentes: Firmissimè tene, & nullatenus dubita, omnem hæreticum & schismaticum, quamuis multas eleëmosynas faciat, vel etiam sanguinem suum fundat, cum diabolo & angelis eius æterni ignis incendiis mancipandum, nisi ante finem huius vitæ Catholicæ incorporatus & redintegratus fuerit Ecclesiæ. Et turpe nimis est, vt plenissimo iam vigore confirmata Ecclesia tam ferali inimico succumbat, de quo in primordio suæ infantiæ tantâ virtute triumphauit. Si quis autem obiecerit, non consecrationes, sed res ipsas, quæ ex consecratione proueniunt, vendi; videtur quidem*

dem aliquid dicere, nihil autem penitus ſapere. Nam cùm corporalis Eccleſiæ, aut Epiſcopus, aut Abbas, aut aliquis alius ſine rebus corporalibus & exterioribus in nullo proficiat, ſicut nec anima ſine corpore temporaliter viuit; quiſquis eorum alterum vendit, ſine quo alterum haberi non prouenit, neutrum venditum dereliquit. Quam tamen obiectionem ſacer penitus canon exterminat, cùm procuratorem vel defenſorem Eccleſiæ, vel regulæ ſubiectum adeò per pecunias ordinari prohibeat, vt interuentores quoque tanti ſceleris anathematis mucrone ſuccidat. Item in eâdem paulò inferiùs: *Quòd tales Epiſcopos, vel Abbates, vel reliquos Clericos non deuitamus, ſi eorum Miſſas audimus, vel cum eis oramus, excommunicationem cum eis ſubimus: quos quidem Sacerdotes eſſe ſaltem credere, omnino errare eſt.*

CAP. CI.

EVGENIVS II.

A.DCCC. XXIV. EVGENIVS, natione Romanus, ſedit annos quatuor, menſes ſeptem, dies vigintitres. Huius diebus Romani iudices, qui in Franciâ tenebantur captiui, reuerſi ſunt.

CAP. CII.

VALENTINVS.

A.DCCC. XXVII. VALENTINVS, natione Romanus, ex patre Leontio, ſedit menſem vnum, dies decem.

CAP. CIII.

GREGORIVS IV.

A.DCCC. XXVII. GREGORIVS, natione Romanus, ex patre Ioanne, ſedit annos ſedecim. Hic ordinauit Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos per diuerſa loca, numero centum & octogintaquinque. Hic ciuitatem Oſtiæ, quæ vetuſtate diruta fuerat, à fundamento renouauit, ne Agareni in eo tempore circumuagantes, Chriſtianis ibidem morantibus nocere poſſent; & ipſam vrbem Gregoriopolim nominari iuſſit.

CAP. CIV.

SERGIVS II.

A. DCCC, XLIV. SERGIVS, natione Romanus, ex patre Sergio regionis quartæ, ſedit annos tres. Hic abſque iuſſione Lotharij Imperatoris eſt ordinatus. Vnde, cùm eius conſecrationis rumor ad prædicti aures

aures Imperatoris peruenit; indignatus de hac præſumptione, filium ſuum Ludouicum & Drogonem Metenſem Epiſcopum cum magno exercitu Romam direxit. Qui poſt multa damna Romanis illata, ipſos Romanos Imperatori fidelitatem iurare fecerunt, & prædictum Sergium poſt multas contentiones in Sede demum confirmauerunt: qui prædictum filium Imperatoris in Regem Longobardorum vnxit. Huius Pontificis fuit frater, Benedictus nomine, brutus & valdè ſtolidus: qui propter Pontificis imbecillitatem, Eccleſiaſticam & publicam curam vſurpauit; ad hoc etiam maximis muneribus primatum & dominium Romæ ab Imperatore ſibi acquiſiuit; demum verò Albanenſem Epiſcopatum vſurpare non metuit, & omnia intra & extra Romam ſuâ auaritiâ & vanitate vaſtauit. Vigebat etiam iſtius Pontificis & fratris eius tempore Simoniaca hæreſis in tantum, vt etiam venderentur Epiſcopatus: & qui plus dabat, Epiſcopatum accipiebat. Nec erat aliquis Epiſcoporum, aut quiſquam virorum Eccleſiaſticorum, qui zelo Dei ductus, cum Imperatore aut Rege ageret, vt hoc nefas prohiberetur. Et quia nemo erat Chriſtianorum, per quem hoc malum corrigeretur, miſit diuina potentia flagellum Paganorum ad vlciſcenda peccata Chriſtianorum. Nam ſuperuenientes Saraceni, innumeros hominum interfecerunt, caſtella & vrbes multas captas acceptâ prædâ igni dederunt: demum Regem expugnantes fugauerunt, &, multis captis & interfectis, maximâ hominum & omnium rerum prædâ onuſti reuerſi ſunt. Hic ordinauit Epiſcopos vigintiquinque, Presbyteros octo, Diaconos tres.

CAP. CV.

LEO IV.

LEO, natione Romanus, ſedit annos octo, menſes ſex, dies tres. Hunc Romani omnes vnanimiter elegerunt: & dum in eius electione nimis gauderent, cœperunt iterùm non mediocriter contriſtari, eò quòd ſine imperiali auctoritate futurum non audebant conſecrare Pontificem; & periculum Romanæ vrbis maximè metuebant, ne iterùm, vt olim, ab aliis hoſtibus fieret obſeſſa. Hoc timore futuri caſus perterriti, eum continuò Pontificem, non expectatâ Principis ſententiâ, conſecrauerunt. Hic ſecundùm antiquam conſuetudinem canonicâ auctoritate conſtituit, vt, dum ſacra Miſſarum ſolemnia in Eccleſiâ celebrantur, nullus ex laicis in Presbyterio ſtare, vel ſedere, aut ingredi præſumat, niſi illi qui ad hanc miniſtrationem ſacri officij conſtituti videntur. Huius temporibus Romæ in quibuſdam cauernis baſiliſcus ortus eſt, qui A.DCCC. XLVII.

flatu

flatu ſuo ac viſione omnes accedentes necabat,& morti mandabat: quem prædictus Pontifex ad ipſum foramen veniens, ſuâ oratione fugauit, & nullum poſteà ex ipſo ſignum læſionis apparuit. Hic Octauam Aſſumptionis ſanctæ Dei Genitricis Mariæ deuotiſſimè primùm celebrauit, & ſemper celebrandam eſſe firmâ inſtitutione mandauit.

Hic conſilio & auxilio Lotharij Imperatoris, vrbem,quam circa Eccleſiam B. Petri inceperat, pleniter conſummauit, & cum Litaniâ eam circumdans, & aquâ exorcizatâ aſpergens, ſanctificauit, & ſuo poſtmodum nomine Leonianam eam vocauit. Hic videns multa ſuo in tempore contra Deum & ſalutem animarum impudenter fieri, conſilio Imperatorum Lotharij & Lodewici Romæ Synodum habuit cum ſexagintaſeptem Epiſcopis: cum quibus quadragintaduo capitula Chriſtianorum ſaluti neceſſaria edidit, & firmiter firmanda eſſe præcepit.

SYNODVS ROMÆ.

1.*Tim.*3. In primo enim capitulo inſtituit, vt Epiſcopus iuxta Pauli diſcretionem & admonitionem irreprehenſibilis, & boni operis deſiderabilis conſecretur.

Secundo, quiſque Sacerdos caueat, ne præmiis conſecrationem adipiſcatur, ne exemplo Simonis in laqueum incidat diaboli.

Act. 8.

Tertio, vt bono opere Epiſcopus exiſtat, & benè ſpeculetur qualiter populum verbo prædicationis inſtruere debeat.

Quarto, vt, ſi Epiſcopus inueniatur inductus, à Metropolitano proprio admoneatur, & Presbyteri,& Diaconi,& Subdiaconi à ſuo Epiſcopo,vt doceri poſſint, admoneantur: & interim tales Presbyteri & Clerici celebrare diuina myſteria & officia ſuſpendantur, vt docti valeant ad debitum miniſterium peruenire.

Quinto confirmauit, quæ Cæleſtinus & Magnus Leo de Epiſcopis inſtituerant, videlicet, vt non conueniat Epiſcopum conſecrari, niſi à Clericis & populo fuerit poſtulatus: quia nulla ratio ſinit, vt aliter conſecrati inter Epiſcopos habeantur. Et cùm in eâdem Eccleſiâ dignus non inuenitur, tunc primùm alter de alterâ Eccleſiâ eligatur; & quamuis neceſſitas eueniat, tamen inuidiosè nullo modo conſecretur.

Sexto præcepit, ne, iuxta Sardicenſem Synodum, vltra trium hebdomadarum ſpatium Epiſcopi à propriis Eccleſiis morentur, niſi fortè per iuſſionem Metropolitani vel Principis ex neceſſitate contingat: quia abſentia Epiſcopi plerumque fit calamitas plebis.

Septimo neceſſariò ſeruari præcepit, vt iuxta Eccleſiam clauſtra conſtituantur, in quibus Clerici diſciplinis Eccleſiaſticis imbuantur, & omnibus vnum ſit refectorium ac dormitorium, ſiue ceteræ officinæ ad vſus Clericorum neceſſariæ. Miniſtri verò poſt Epiſco-

Epiſcopum tales eligantur, quorum vita & doctrina illos potiùs exornent, quàm dehoneſtent.

Octauo, vt Epiſcopi diligenter curam habeant in baptiſmalibus plebibus,&,cùm neceſſitas in eis Presbyteros ordinandi occurrerit,vt reuerentiùs obſeruentur,non ſine conſenſu ibidem habitantium fieri conuenit.

Nono, vt in congregandis Clericis non plures admittantur, quàm facultas rerum eis canonicè attributa ſufficere poſſit.

Decimo, vt Sacerdotes conſtitui non oporteat, niſi Eccleſiis, aut ſpeciali monaſterio deputentur, ne neceſſitas in ſæcularibus domibus illis habitandi occurrat; alioquin à propriis Epiſcopis, aut in epiſcopio, aut in monaſteriis cauſsâ habitandi & conuerſandi pro exercendo officio conſtituantur, vbi mulieres nullam habeant copiam conuerſandi.

Vndecimo, vt Sacerdotes diuina eloquia ſedulò perſcrutentur, &populum admoneant,& ludos aliquos ante ſe fieri non delectentur. Tranſgreſſores quippe admonitione Epiſcopi vlteriùs agere deſinant; ſin autem, canonicè iudicentur.

Duodecimo,vt Sacerdotes,qui ad debita & opportuna officia in Eccleſiis indifferenter adeſſe debent,fœnore aliquo, aut venatione, vel aliquâ aucupatione,ruſticorum miniſterio omnino non occupentur, nec ſine ornatu ſacerdotali extra domos ſuas appareant,& ea ſolùm, quæ Patrum conſtituta videntur, obſeruent; contrarij denique inuenti, aut deinceps deſinant, aut canonicæ diſciplinæ ſubiaceant.

Tertiodecimo, vt Sacerdotes in ſæcularibus negotiis pro teſtimonio, aut conficiendis inſtrumentis non rogentur, quia eos in talibus rebus eſſe non conuenit. Si enim euentu cauſſæ aliquid viderint aut audierint, vbi nullæ ſæcularium idoneæ perſonæ inueniantur, ne veritas occultetur, & malus vt bonus exiſtimetur, in prouidentiâ ſit Epiſcopi, vt coram ſe & competentibus iudicibus hanc aliter veritatem honorificè attollant.

Quartodecimo,vt Sacerdos, aut quis alius in Eccleſiaſtico ordine prouectus, ſi in eo ſcelere inueniatur, quo abiiciendus ſit, depoſitus prouidentiâ Epiſcopi benè prouiſo loco conſtituatur, vbi peccata lugeat, & vlteriùs non committat.

Quintodecimo, vt, ſi Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus de quacumque feminâ crimine fornicationis ſuſpicatus, poſt primam & ſecundam & tertiam admonitionem Metropolitani, vel alterius Epiſcopi, aut eius, cui ſubiacere videtur, inueniatur fabulari cum eâ, aliquóve modo conuerſari, canonicè iudicetur: quia cui propriam habere vxorem non permittitur, ab omni feminâ debet ſe abſtinere.

dist. 81. *c. Si quis-piam.*

Sextodecimo, vt nulli Episcoporum liceat res immobiles de subiectis plebibus aliisque piis tollere locis, ne in tali facto pauperes inueniantur; contrà agens canonicâ auctoritate coarctandus existat.

Septimodecimo, vt Presbyteri omnium ad se currentium in quibuscumque sacris locis oblationes ad Missarum solemnia recipiant: quia cùm Dei & hominum mediatores existant, in exercendis votis, & relaxandis peccatis, largissimam debent orationem peragere.

Octauodecimo, vt Episcopus sibi subiecto Sacerdoti, vel alij Clerico, nisi ab alio postulatus, dimissorias non faciat: & ne falsæ vt veræ credantur, & veræ vt falsæ suspicentur, vniuersalis Pontificis, vel Imperiali, vel Metropolitani bullâ eas roborari oportet.

Nonodecimo, vt Episcopi, vniuersique Sacerdotes, quia ad solam Dei laudem, bonorumque operum actionem constituuntur, debeant tam pro Ecclesiasticis, quàm pro propriis suis actionibus, excepto publico crimine, habere aduocatum non malæ famæ suspectum, sed bonæ opinionis, & laudabilis artis inuentum, ne, dum humana lucra intendunt, æterna præmia perdant.

Vigesimo, vt, si quispiam Sacerdotum inuentus fuerit, qui aduocatum in iudicio proferre non valeat, coram plebe propriâ suus Episcopus ipsum Sacerdotem discutiat, si bonæ an malæ conuersationis existat, aut cuius rei caussâ debitè aduocatum habere non possit: malè verò inuentus, pro qualitate culpæ secundùm canonum normam emendari curetur.

Vigesimoprimo, vt monasterium, vel oratorium, canonicè constructum à dominio constructoris, eo inuito, non auferatur; liceatque illi idem Presbytero, cui voluerit, pro sacro officio illius diœceseos, & bonæ auctoritatis, dimissoriè cum consensu Episcopi, ne malus existat, commendare, ita vt ad placitam & iustam reuerentiam illius Episcopi obedienter Sacerdos recurrat; alioquin canonicis vltionibus subiaceat.

Vigesimosecundo sanciuit, vt, si quispiam comprobatus inuasor, dicat pro parte Ecclesiæ se egisse de priuatâ sibi re pertinente, ab ipso suoque herede persoluatur inuasio. Sacerdos denique in tali culpâ pauper inuentus, à proprio canonicè iudicetur Episcopo, Episcopus à Metropolitano, vt non Ecclesia sibi commissa damnum sustineat de inuasione.

Vigesimotertio, de monasteriis Monachorum, siue Sanctimonialium, & de omnibus aliis pro diuersis necessitatibus ad eleëmosynam constitutis præcepit, vt per Episcoporum solicitudinem, in quorum diœcesi hæc existunt, ordinentur ad easdem vtilitates, quibus constituta sunt.

Vigesimoquarto, disposuit de Ecclesiis, quæ in diuersis regionibus

bus Sacerdotibus & solitudine destitutæ, nullo debito officio resonant, vt Episcopus, si proprio iuri Ecclesiæ sunt subiectæ, ibidem sine intermissione Presbyterum constituat; vt, si in sæcularium hominum sunt iure constitutæ, ab Episcopo admoneantur, & si admoniti, Presbyteros infra trium mensium spatium ibidem neglexerint constituere absque neglectu Principis, vrgeat Episcopus, vt eius sententiâ emendetur.

Vigesimoquinto, vt Ecclesiæ quælibet destructæ proprio stipendio restaurentur; non sufficiente verò necessario, à populo plebis auxilientur.

Vigesimosexto, vt nulli Episcoporum liceat à subiecto Sacerdote, vel alio quolibet Clerico ex piis locis donationes vltra statuta Patrum exigere, aut* superimposita in angariis inferre. *16. q. 1. c. Nulli.* * superposita

Vigesimoseptimo, vt Abbates tales constituantur, qui sui vocabuli ministerium Deo possint indubitanter supplere: ita docti, vt quæcumque fratrum negligentiâ acciderint, omninò cognoscere possint, & emendare.

Vigesimooctauo, vt Episcopus in suâ diœcesi diligenter perscrutetur illos, qui solo habitu Monachi existunt, & ad proprium monasterium redire eos cogat, aut prospectu congruo in aliud mittat, vt regularem vitam seruent.

Vigesimonono, vt feminæ, quæ habitum Religiosum, aut velamen obtentu Religionis susceperunt, deinceps viro sociari non permittantur; præuaricatæ autem, ad pœnitentiam coërceantur.

Trigesimo, vt die Dominico nullus audeat mercationes, nisi in cibariis rebus, aut quælibet rustica opera facere; alioquin, vt transgressor, ad pœnitentiam redigatur.

Trigesimoprimo, vt Dominico die personam suspectam & reatu infamem, aut optimâ satisfactione soluant, aut in custodiis constituant, vt licitis diebus iudicetur. nam legibus infirmatur iudicium Dominico die depromptum.

Trigesimosecundo, vt nulli laicorum liceat in eo loco, vbi Presbyteri & ceteri Clerici existunt, quod Presbyterium nuncupatur, quando Missa celebratur, consistere: quia, sicuti in Ecclesiâ singula loca videntur exposita, ita virorum pars & mulierum partibus suis debet esse contenta. *de Cons. d. 1. c. Sacerdotum.*

Trigesimotertio statuit, vt, sicut hi, qui monasteria elegerunt, à monasteriis egredi non permittuntur: ita hi, qui inuiti sine iustæ offensionis crimine monasteriis sunt intromissi, nisi volentes non teneantur; quia quod non petunt, non obseruant.

Trigesimoquarto, vt magistri & doctores in singulis locis, in quibus necessitas occurrit, constituantur, qui liberales artes assiduè doceant: & si tales non inueniuntur, tamen diuinæ Scriptu-

ræ magiſtri, & inſtitutores Eccleſiaſtici officij nullatenus deſint.

Trigeſimoquinto, vt Sacerdotes admoneant viros ac mulieres, qui feſtis diebus ad Eccleſiam concurrunt, ne ballando, & turpia verba decantando choros teneant ac ducant, ſimilitudinem Paganorum peragendo: quia tales, ſi cum minoribus peccatis ad Eccleſiam veniunt, cum maioribus reuertuntur. Si verò non ceſſant admoniti, à communione modis omnibus ſuſpendantur.

Trigeſimoſexto, vt nulli liceat, exceptâ cauſsâ fornicationis, vxorem relinquere, & aliam ſibi copulare: alioquin conuenit tranſgreſſorem ſociari priori coniugio. Si autem vir & vxor ſolummodò pro Religiosâ vitâ diuortire inter ſe conſenſerint, nullatenus ſine conſcientiâ Epiſcopi fiat, vt ab eo ſingulariter prouiſo conſtituantur loco: nam vxore nolente, aut altero eorum, etiam pro tali re matrimonium non ſoluatur.

Trigeſimoſeptimo, vt nulli liceat vno tempore habere vxorem & concubinam; quia cùm domi non ſit lucrum, animæ fit detrimentum: alioquin Eccleſiaſticâ communione videatur indignus: & ſi perſeuerauerit, ab Eccleſiâ penitus amputetur.

Trigeſimooctauo, vt de propriâ cognatione, vel quam cognatus habuit, nullus audeat in coniugium copulare: ſi quis verò fecerit & perſeuerauerit, ſciat ſe vinculis anathematis innodatum.

Trigeſimonono, vt nullus abſolutè Presbyter ordinetur, & vt iuxta facultatem rerum Eccleſiæ, & oblationes, vel reditum Clerici ordinentur.

Quadrageſimo, vt Presbyteri vrbani & ſuburbani, & rurales omnes, indifferenter ad Concilium Epiſcopi veniant, aut canonum correptionibus ſubiaceant.

Quadrageſimoprimo, vt laicus, qui Presbyterum ſine conſenſu Epiſcopi proprij ſuâ poteſtate Eccleſiæ cuicumque inſtituerit, à fidelium communione ſeparetur. Presbyteri, ſi tertiò ab Epiſcopo, vel Legato eius, de alterius Eccleſiâ recedere admoniti, obedire noluerint, proprij officij gradum amittant.

Vltimo verò capitulo immutabiliter præcepit, ne vllus Abbas, aut quilibet alius præſumat Presbyteros in Eccleſiis ſtatuere, niſi qui & Sacerdotis gradus licitè dare poſſunt, & canonicè de neglectis Presbyteros increpare: ſed ab his venerabiliter Sacerdotes ad diuini miniſterium officij expetantur Epiſcopis, quibus ſingulariter & diœceſes pertinent, & qui canonicè debent ipſis Eccleſiis prouidere, & prouiſas ordinare.

Prædictus Pontifex in prædictâ Synodo Anaſtaſium Presbyterum in alienâ diœceſi morantem, & ſæpenumerò vocatum, demumque excommunicatum, & tamen ad propriam parochiam redire nolentem, depoſuit, & penitus ſacerdotali honore priuauit. Item

Item in eâdem Synodo monuit, & Apoſtolicâ auctoritate præcepit, vt vnuſquiſque Epiſcopus per diœceſes & parochias ſuas, per ſe & per ſacerdotes ſuos ſubiectum ſibi populum moneat, vt primitias & decimas incunctanter perſoluant: has autem dare nolentes, quouſque ſuppleant, à cibo & potu ſuſpendant. Quòd ſi nec pro hac ſuſpenſione ſupplere curauerint, ſanctâ communione priuentur. Item, in eâdem irrefragabiliter affirmando inſtituit, vt nullus Epiſcoporum vel Sacerdotum rem ſui tituli vſurpare aut alienare præſumat: qui autem hoc fecerit, canonicam ſine dubio ſubeat vltionem. Hic ordinauit Epiſcopos quadraginta tres, Presbyteros verò vndeuiginti, Diaconos ſeptem. Obdormiuit autem in Domino XVI. Kalend. Auguſti.

CAP. CVI.

BENEDICTVS III.

BENEDICTVS, natione Romanus, ex patre Petro, ſedit annos duos, menſes ſex, dies decem. Fuit autem temporibus Loduwici filij Lotharij, filij Loduwici Imperatoris. Poſtquam Clerus & populus hunc & renitentem elegerunt, & iuxta morem in Patriarchium deduxerunt, decretum componentes, & manibus propriis roborantes, vt priſca conſuetudo poſcebat, inuictiſſimis Lothario ac Loduwico Auguſtis deſtinauerunt. Sed Legati, qui decretum deferebant, in itinere, corrupti in Anaſtaſium Presbyterum à Leone depoſitum, voluntate illum præficiendi, declinauerunt, & hoc apud Principes prædictos verſutiâ calliditatis effecerunt, quatenus eorum voluntati conſentientes Romam Legatos, qui Anaſtaſium inthronizarent, dirigerent. Qui cùm illuc venerunt, prædictum depoſitum violenter in Patriarchium introduxerunt, & Benedictum eiectum, & Pontificali veſte denudatum, in arctâ cuſtodiâ ſeruari iuſſerunt. Sed demum ex communi voto & ſententiâ, triduano ieiunio cum oratione & vigiliis celebrato ab omnibus, & etiam ab his qui priùs excommunicato Presbytero fauerant, vnanimiter nutu diuino in Benedictum conuenerunt; & ita præſentiâ & conſenſu imperialium Legatorum, eſt in Pontificem conſecratus. A. DCCC. LV

Hic Ratoldo Epiſcopo de parricidâ ita ſcripſit: *Volumus, vt per duodecim annos ſub onere pœnitentiæ conſtituatur, ita vt omnibus diebus ieiunium celebret vſque ad veſperum, & abſque carne vinóque ac piſce cibum ſumat, exceptis diebus Feſtis ac Dominicis, & à Paſchâ vſque Pentecoſten: per quinquennij verò tempus in Eccleſiam intrare non præſumat, neque communicet; ante fores Eccleſiæ tantùm perſeueret, dum ſacra celebrantur officia. Cùm autem quinque annorum fuerint adimpleta*

curriculâ, ingrediatur Eccleſiam, & inter audientes ſtet cum omni timore atque obedientiâ. Dum verò ad annum peruenerit decimum, ſanctæ communionis conſors exiſtat, & inter fidelium conſortium maneat. Si verò ante conſtitutum tempus finis vitæ illius aduenerit, Viaticum ei non negetur, iuxta traditiones Canonum.

CAP. CVII.

NICOLAVS I.

A.DCCC. LVIII. NICOLAVS, natione Romanus, ex patre Theodoro regionario, ſedit annos nouem, menſes ſeptem, dies nouemdecim. Hic à Romano Clero & populo vnanimiter electus, præſente & iubente Cæſare Loduwico, eſt conſecratus. Hic Ioannem Epiſcopum Rauennatem multa contra canonica inſtituta præſumentem communione priuauit, qui ter ad Synodum litteris vocatus, venire contempſit: ſed poſteà miſericordiâ motus, eidem humiliter veniam poſtulanti communionem reddidit: cui inter cetera in mandatis dedit, vt Epiſcopos per Æmiliam non conſecraret, niſi poſt electionem Ducis, & Cleri, & populi, per Epiſtolam Apoſtolicæ Sedis Præſules eos conſecrandi licentiam acciperet. Idem Pontifex quemdam Diaconum Apoſtolicam Sedem appellantem, ab Epiſcopo ſuo inuidiosè depoſitum, officio ſuo reſtitui iuſſit: & quia ſine certo numero Epiſcoporum, imò ſine criminis approbatione, & ſine oris profeſſione ipſe Diaconus fuerat iudicatus, omnem illam iudicij ſententiam caſſauit, & ad rectitudinis tramitem Apoſtolicâ pietate cauſſam reduxit.

Huius Pontificis temporibus Lotharius Rex vxorem legitimam, nomine Thietbergam, dimiſit, & Waldradam concubinam in matrimonium aſſumpſit. Huius autem ſceleris auctores & defenſores erant Theotgaudus Treuerenſis, Primas Belgicæ prouinciæ, & Guntarius Colonienſis Archiepiſcopus. Vnde prædicti Epiſcopi Romam vocati fiducialiter venerunt, & Summo Pontifici libellum inceſti matrimonij defenſionem continentem obtulerunt, dicentes, ſe nihil plus minúſve egiſſe, quàm in prædicto libello continebatur. Sed multa in eo continebantur, quibus meritò in prædictos Archiepiſcopos poſteà depoſitionis ſententia proferebatur, ſicut Summus Pontifex dicit in Epiſtolâ, quam Remenſi Archiepiſcopo & ceteris Epiſcopis in regno Karoli Regis degentibus deſtinauit; & in aliâ, quam ſcripſit omnibus Epiſcopis qui erant in Regno Loduwici. Inquit enim, eos depoſitos fuiſſe: primùm, quia iuſſionibus quas de Ingeltrude, & Thietbergâ, ſiue Waldradâ, fecerat, inobedientes fuerunt. Secundò, quia Ingeltrudam anathematis vinculo innodatam recipere & abſoluere præſumpſerunt, cùm hi, qui ab vno abijciuntur, ab aliis non ſint recipiendi. Tertiò, quia ſcripta Apoſtolica ſubtrahendo & addendo tranſmutantes, falſitatis rei manifeſtiſſimè claruerunt. Quartò, quia adulteris conſenſerunt, & tantum flagitium defendere tentauerunt, iuxta illud: *Et cum adulteris portionem tuam ponebas.* *Pſal.49.* Quintò, quia de negotio, vnde ad Romanam Sedem fuerat appellatum, præter auctoritatem Apoſtolicam iudicare ac definire temerè præſumpſerunt: quod nullatenus licet. Sextò, quia hoc in abſentiâ peregerunt, contra illud, *Ne maledicas ſurdo.* *Leuit.19.* Surdus namque quodammodo eſt, qui in abſentiâ poſitus, quæ ſibi obijciuntur, non audit; ſicut Thietberga fuit, cui Rex ſecuritatem idoneam veniendi tribuere noluit. Septimò, quia profanis geſtis ſubſcripſerunt, & alios ſubſcribere compulerunt, & tot animarum rei conſtituti ſunt, quot, vtpote præminentes, in hoc verbo vel facto præuaricationis præcipitium ſubmiſerunt.

Idem Summus Pontifex in aliâ Epiſtolâ, quam Viennenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo ſcripſit, de Pontificibus, qui aliquâ ægritudine occupantur, decreto ſtatuit non eſſe abijciendos, nec alios in eorum loco conſecrandos, niſi ex hac luce fuerint ſubtracti: ſed de miniſterio eorum, quæ ſunt licita, Sacerdotes expleant; in his verò, quæ eis non licent, vicinorum Epiſcoporum auxilia ſubrogentur. Item in eâdem præcepit, ne Epiſcopi, qui Dominici gregis curam ſuſceperunt, à miniſtratione eorum diſcedant. Item, nec Clerici, qui in adoleſcentiâ à dæmonibus cognoſcuntur oppreſſi, ad ſuperiorem gradum aſcendere permittantur. Item, ſi arbor cadens fortè occidit hominem, innoxij ſint qui eam inciderint, ſi nec voluntate nec deſiderio eorum homicidium perpetratum eſt. Si verò aliquâ culpâ vel neglectu eorum morientis hominis periculum cognoſcitur eueniſſe, abijciendi ſunt gradu, & nullatenus in ſacro Ordine ſuſcipiendi. Item conceſſit, vt viri, qui pro illicitis pœnitentiam agere videntur, ſi ſe continere non poſſunt, poſt peractam pœnitentiam propter periculum fornicationis vxores accipiant. *dist.50. c. Hi qui.*

Idem Pontifex in Epiſtolâ, quam Karolo Moguntinenſi Epiſcopo deſtinauit, vetuit, ne Epiſcopus plebem ſibi commiſſam iuramentis conſtringeret. Item, vt nulli Chriſtiano liceat de propriâ conſanguinitate ſiue cognatione vxorem accipere, vſque dum generatio cognoſcitur, aut memoria retinetur. Item, vt ſacerdotes, ſi in fornicationis laqueum ceciderint, & criminis actus manifeſtus ſiue oſtenſus fuerit, ſacerdotij honorem habere canonicè non poſſint: ſi verò in crimine fornicationis fuerint accuſati, & crimen illud non fuerit comprobatum, aut ipſi non manifeſtauerint; licentiam habeant, ſi ſe voluerint, iuramento purificare. Similiter & Diaconi, ſi *dist.50. c. Sacerdotes. & c. Studeat.*

si fuerint accusati, peragant. Item feminæ sub velamine consecratæ, si fuerint fornicatæ; velum tamen non deponant, sed iugo pœnitentiæ submissæ, ad gratiam remissionis studeant peruenire. Item parricidas & fatricidas primo anno extra Ecclesiam stare præcepit, secundo in Ecclesiam introduci; non tamen communicare: tertio anno Corporis & Sanguinis Domini communionem eis tribui iussit: carnem cum vino vitent, exceptis diebus festis vsque ad nonam ieiunent, vinum & pulmentum sumere non præsumant nisi tres dies per hebdomadam: arma non gerant, nisi contra Paganos: & nullo vehiculo deducantur; sed pedites, quò debent, proficiscantur. Huius pœnitentiæ tempus in arbitrio sit Episcopi iuxta conuersationem illorum, abbreuiare. Si vxorem habent, non separentur; sed si verò non habent, & se continere non valent, legitimè accipiant. Si quis cum duabus fororibus, aut cum his, quas sacra Scriptura prohibet, fuerit fornicatus, si dignam egerit pœnitentiam, liceat ei vxorem accipere. Similiter & mulieri tali scelere lapsæ facere licet. Item, quærentibus, vtrùm marito vxorem adulteram iuxta mundanam legem interficere liceat, respondit, dicens: *Sancta Dei Ecclesia mundanis numquam constringitur legibus, quæ gladium non habet nisi spiritualem, qui non occidit, sed viuificat. Mandauit etiam, vt homicidas post vnius anni spatium liceat Ecclesiam introire.* Item, vt vidua velata, & in eodem habitu permanere professa non præsumat.

In aliâ Epistolâ, quam Luitberto Archiepiscopo idem Pontifex direxit, præcepit, illum, qui Paganum, non in bello, sed odij meditatione, vel propter auaritiam occiderit, vt homicidam debere pœnitere. Item iuxta morem Romanæ Ecclesiæ à Quinquagesimâ vsq; in Pascha etiam laicis à carne abstinendum esse præcepit. Item de eo, in cuius lanceâ alter se interemit, ita præcepit: *Si eius voluntate, qui lanceam tenuit, gestum est, homicidij reus habetur; si autem eo ignorante patratum est, innoxius esse videtur.* Item illum, qui causâ probandæ chordæ sagittam emittens filium proprium nolens interemit, iussit pœnitere, vt de homicidio non spontè peracto. De eo, qui insaniens aliquem occiderit, dicit: *Si ad sanam mentem peruenerit, leuiùs pœnitere debet, quàm si quis sanæ mentis hoc faceret.*

30. q. 1. c. Salomoni

Idem Pontifex Constantiensi Episcopo Salomoni Epistolam scripsit, in quâ prohibet, ne vnus homo accipiat duas commatres spirituales, vnam post aliam: quia cùm vir & vxor vna caro per connubium efficiantur, restat nimirum compatrem constitui illi mulieri, cuius in matrimonio assumpta vxor commater esse videbatur: & idcircò dicit, virum non posse illi mulieri iungi in copulâ, quæ commater erat eius, cum quâ vna caro fuerat effectus. Item præcipit, ne mulier, quæ viri filium ex aliâ feminâ genitum de sacro fonte leuauit, propter hoc à viro separetur, quia secundùm sacros

cros Canones, nisi ex amborum consensu & religionis obtentu non debet coniugem dimittere coniux: habet tamen graue peccatum mulier, quæ odio habens maritum, quasi caussâ pietatis operatur impietatem. Item de Presbytero vel Diacono, quem asserebat Salomon Episcopus crimina nolle publicè confiteri, sed velle se cum Sacramento defendere, & tamen dicebat notum esse Episcopo scelus ipsius fore patratum; respondet, non esse Episcopo scelus legitimè manifestum, si Presbyter vel Diaconus non fuerit per approbationem testium fortè conuictus, aut ipse suâ fuerit sponte scelus ipsum confessus. Idcircò, priusquam alterum horum eueniat, non debere suo priuari officio: quia sola spontanea confessio, vel canonicus numerus, & qualitas testium, decernentibus Episcopis, & accusatore, quod obiecerit, comprobante, Clericum proprio gradu priuat. Item dicit, Monachum, qui semel se Deo vouit, & regulam sanctorum Patrum suscepit, non iam à proposito posse reuerti. 15. q. 5. c. Presbyter.

Prædictus Pontifex Photium Constantinopolitanum deposuit, quia ex laico consecratus ab excommunicato Episcopo, & adhuc Ignatio Patriarchâ superstite, subitò Episcopus est consecratus; & quia ante audientiam excommunicatis communicare præsumpserat.

Idem Pontifex Rothardum Episcopum Suessionensem ab Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo depositum, Sedi suæ restituit; quia Romanæ Sedis appellatio apud prædictum Archiepiscopum tempus dilationis impetrare non valuit. Hic ordinauit Episcopos sexagintaquinque, Presbyteros septem, Diaconos quatuor. Idibus autem Nouemb. migrauit ad Dominum.

CAP. CVIII.

HADRIANVS II.

HADRIANVS, natione Romanus, ex patre Thalaro, sedit in Episcopatu annos quatuor, menses vndecim, dies decem. Hic ab omnibus Romanis vnanimiter electus est. Quorum vnanimitatem & desiderium audiens Lodewicus Imperator, cognoscens etiam, qualiter in eo decretum suis subscriptionibus roborassent, valdè gauisus, mox imperialem scripsit epistolam, per quam electum fieri Præsulem collaudauit. Huius temporibus Lodewicus dedit Ecclesiæ Corbeiensi & Herifordensi quasdam decimales Ecclesias cum ipsis decimis in parochiâ * Osbrugensi, consentiente Episcopo & omni Clero. Karolus Romanorum Imperator & patritius dedit honorificatæ Ecclesiæ, & honorificandæ à Deo Hersveldensi, quasdam decimas in Frisonevelt & Hassega Halberstadensi A. DCCC. LXVII. * Osnabrugensi

denſi adiacentes diœceſi, quas Stephanus Papa in baſilicâ B. Petri die ſancto Paſchæ ſuâ auctoritate & Imperatoris ſubſcriptione, & *Hiſdegino Halberſtadenſi Epiſcopo præſente, confirmauit. Karolus quippe omnes decimas in Saxoniâ conſtituerat ad regale ſeruitium, & eas Rex dare potuit, quo voluit.

* Hildegrino, *de quo Alb. Kranzius lib. 1. Metropolis c. 2.*

Hic Apoſtolicâ auctoritate firmauit, ſi deinceps quiſpiam Epiſcopum occidere tentauerit, vel flagellare, aut ſaltem percutere, vt à Deo & Sanctis eius omnibus ſit anathema. Illos autem, qui illicitas & inceſtuoſas copulas contrahunt, ſi ſecundò vel tertiò admoniti eas non diſſoluunt, & dignam pœnitentiam non egerint, à luminibus Eccleſiæ cum ſuis ſequacibus eliminandos eſſe decreuit. Item raptores virginum, qui eas legitimo nuptiali iure, vel ſecundùm ritum, vel legem, vel pacem, acquiſiuiſſe noſcuntur, eâdem ſententiâ feriri iuſſit: quos tandem, niſi à prauâ intentione receſſerint, anathemati ſubmittendos eſſe modis omnibus iudicauit. Item homicidas, & hominum truncatores, ſi non ſecundùm legem emendauerint, & pœnitentiam non egerint, ſimiliter inuaſores & incendia facientes, atque raptores, pari ſententiâ feriendos eſſe dixit. Item ſtatuit, ne vlli liceat Clericum attitulare in Eccleſiâ præter Epiſcopum, ad cuius ordinationem & poteſtatem diœceſis omnium iure Eccleſiarum, ſecundùm antiquam conſtitutionem, pro ſuâ cuique pertinente parochiâ.

CAP. CIX.
IOANNES VIII.

A. DCCC. LXXII.

IOANNES, ſedit annos decem, dies duos. Hic decreto ſuo ſtatuit, vt nulli Ducum liceat quemlibet Epiſcopum in præſentiam Romani Præſulis introducere, vel cenſus ab eo ad ſumptus publicos, ſeu dona quælibet exigere; ſed nec coram laicis Epiſcopum conceſſit: Clericos & Sanctimoniales, pupillos & viduas ſub tutelâ Epiſcoporum eſſe decreuit, & eos ad ſæcularia iudicia trahi modis omnibus interdixit. Quemlibet autem ducem vel alium contra hæc agentem, excommunicandum eſſe decreuit; perſeuerantem verò anathematis vinculo innodandum.

Idem inter cetera de decimis Sacerdotibus dandis ita præcepit: *Quas*, ſcilicet decimas, *vnumquemque fidelem illi Sacerdoti dare cenſuimus, in cuius parochiâ eum procul dubio conſtat ſub Epiſcopi proprij ditione, quia ad hoc recipiendum ab Epiſcopo ſuo eſt conſtitutus, manere; & ideò nullum alterius diœceſeos Sacerdotem aut Leuitam alteri iure * ea nouum debita huiuſmodi audire impudenter, vel temerè quærere, aut accipere * damnationem vel donationem. Cùm verò, qui aliter dare vel accipere*

Locus mendoſus. *for. *canonum* * for. tantùm, *donationem*

cipere præſumpſerit, Eccleſiaſticâ communione tamdiu iudicamus manere priuatum, donec ſecundùm hoc noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis capitulum ſtuduerit agere.

Huius temporibus Lodewicus Imperator ab Adalgiſo Beneuentano Duce conſtrictus timore vitæ, iureiurando firmauit, numquam ſe Beneuenti fines vltrà intraturum, neque ex periculo iniuriæ tunc ſibi illatæ vindictam aliquando exacturum. Ab hoc autem iuramento poſtmodum prædictus Papa eum Romæ abſoluit auctoritate Dei & S. Petri; affirmans nihil ſibi obeſſe, quod ob mortis periculum euadendum coactus fecerat; nec ſacramentum eſſe dicendum, quod contra ſalutem Reipublicæ, quamuis cum multis execrationibus, fuerit prolatum.

CAP. CX.
MARINVS.

MARINVS, ſedit annum vnum, menſes quinque. A. DCCC. LXXXII.

CAP. CXI.
HADRIANVS III.

HADRIANVS, ſedit annum vnum, menſes quatuor. A. DCCC. LXXXIV.

CAP. CXII.
STEPHANVS VI.

STEPHANVS, ſedit annos ſex. Hic *Herimanum Colonienſem Archiepiſcopum, & Adalgarium Hamburgenſem Archiepiſcopum de Bremenſi Eccleſiâ contendentes Wormatiam ad Synodum venire iuſſit; vbi Fulconi Remenſi Epiſcopo vice ſuâ commiſsâ cauſſam eorum examinari mandauit.

A. DCCC. LXXXV. *Hermannum *Vide A. Krantzium lib. 2. Metrop. c. 19. & 24. Alb. Stadenſ. in Chron. ad ann. 896. Trith. in Chron. Hirſaug.*

CAP. CXIII.
FORMOSVS.

FORMOSVS Portuenſis Epiſcopus, ſedit annos quinque, menſes ſex. * Qui Formoſus religioſiſſimus à Romanis vehementer afflictabatur; cuius & hortatu Rex Arnulphus Romam aduenerat. In cuius ingreſſu, vlciſcendo Papæ iniuriam, multos Romanorum principes obuiàm ſibi properantes decollari præcepit. Cauſſa autem ſimultatis inter Formoſum Papam & Romanos hæc fuit: Formoſi deceſſore defuncto, Sergius quidam Romanæ Ec-

A. DCCC. XCI. *Verba reliqua ſunt Luitprandi *lib. 1. Rerũ per Europ. geſt. c. 8.*

clesiæ Diaconus fuit, quem Romanorum pars quædam Papam sibi elegerat: quædam verò pars non infima* natu Formosum Portuensis ciuitatis Episcopum, pro verâ religione, diuinarumque doctrinarum scientiâ Papam sibi fieri anhelabat. Nam dum in eo esset, vt Sergius Apostolorum Vicarius ordinari debuisset, ea quæ Formosi fauebat partibus pars, non mediocri cum tumultu & iniuriâ Sergium ab altari expulit, & Formosum Papam constituit. Descenditque Sergius in Tusciam, quatenus Adelberti potentissimi Marchionis auxilio iuuaretur: quod & factum est. Nam Formoso defuncto, atque Arnulpho in propria* extincto, is qui post * necem Formosi Papa constitutus est, expellitur, Sergiusque Papa per Adelbertum constituitur. Quo constituto, vt impius, doctrinarumque diuinarum insçius, Formosum extra sepulchrum extrahi, atque in Sede Pontificatus sacerdotalibus vestimentis indutum collocari præcepit; cui & ait: Cùm Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam vniuersalem Sedem vsurpasti? His expletis, sacratis exutum vestimentis, digitisque tribus abscissis, in Tiberim iactari præcepit, cunctosque quos ipse ordinauerat, gradu proprio depositos iterùm ordinauit. Quod quàm malè egerit, Pater sanctissime, animaduertere poteris; quoniam & hi, qui à Iudâ Domini nostri Iesu Christi proditore ante proditionem salutem, seu benedictionem Apostolicam, perceperunt; eâ post proditionem, propriique corporis suspensionem minimè sunt priuati, nisi quos improba fortè defœdarant flagitia. Benedictio siquidem, quæ ministris Christi impenditur, non per eum, qui videtur, Sacerdotem infunditur: neque enim, qui rigat est aliquid, neque qui plantat; sed qui incrementum dat Deus. Quantæ autem auctoritatis, quantæque religionis Papa Formosus fuerit, hinc colligere possumus; quoniam dum à piscatoribus postmodum esset inuentus, atque ad B. Petri Apostolorum Principis Ecclesiam deportatus, Sanctorum quædam imagines hunc in loculo positum venerabiliter salutarunt. Hoc namque à religiosissimis Romanæ vrbis viris persæpè audiui.

* nominatumForm.

* reuerso
* mortem
Onuph. in Annot. ad Platinam putat esse fabulam.

1. Cor. 3.

LVITPRANDI TICINENSIS DIACONI SVBDIACONI TOLETANI CHRONICON

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITVM:

P. HIERONYMI DE LA HIGVERA

SOCIETATIS IESV PRESBYTERI

ET

D. LAVRENTII RAMIREZ DE PRADO

CONSILIARII REGII

NOTIS ILLVSTRATVM.

PROLOGVS
P. HIERONYMI DE LA HIGVERA
IN
CHRONICON LVITPRANDI.

EX *Libro Gotthico ex Bibliothecâ Fuldensi detracto, VVormatiamq; allato, exemptum est Chronicon Eutrandi, vel Luitprandi, Toletani quondam Subdiaconi, Leuitæ verò Ticinensis. De quo quid Auctores dicant, primò dixerim. Meminit eius Onuphrius Panuinius in principio Chronici Ecclesiastici, & in ipso Chronico anno* DCCCC. LIX. *his verbis:* Vitichindus Monachus Coruiensis, & Luitprandus Ticinensis, Historici: *Dominus Didacus Hurtado de Mendoça in Memoriali, P. Ioannes Mariana, Cardinalis Robertus Bellarminus, Cæsar Baronius in Annalibus Ecclesiasticis; & Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis in hunc modum:* * Eutrandus, vel Luitprandus, Ecclesiæ Ticinensis Diaconus, ex Papiâ ciuitate oriundus, Berengarij Regis Italiæ quondam Scriba & Secretarius, vir in sæcularibus litteris satis eruditus, & diuinarum Scripturarum non ignarus, ingenio acer & vehemens, Græco & Latino sermone peritus, & non minùs carmine excellens quàm prosâ: fertur nonnulla præclara scripsisse opuscula, quibus nomen suum notificauit. A Berengario Rege Italiâ pulsus, venit in Germaniam; apud Francofordiam positus, scripsit insigne Opus, Historiam sui Temporis, & tyrannidem ipsius Berengarij continens. Quod, quasi pro vicissitudine iniuriarum ab eo perceptarum, prænotauit Antapodosim, id est, Retaliationem. libro septimo: Regnantibus, imò sæuientibus. De aliis vidi nihil. Scripsit præfatum volumen ad Regimundum

* *Iodocus Badius Ascensius in Editione librorũ Luitprandi de Reb. gestis per Europam* Liutprandum *nominat, & edidit; & in Epistolâ prosphonetica* Liutbrandum *ab aliis agnitum scribit. Nos verò,* Luitprandum *semper excudendum curauimus.*

Illi-

Illiberitanæ Hiſpaniarum Eccleſiæ Epiſcopum, in quo aliquando carmine vtitur, aliquando Græco ſermone; multa de Germanorum geſtis interſerens. Claruit ſub Otthone Imperatore anno Domini DCCCC. L. *Nota, legendum pro* Regimundum, Tractemundum. *Erratum eſt & in Hiſtoriâ,* Raimundum, *pro* Tractemundum. *Meminit & eius Iulianus Subdiaconus Toletanus in lib. de Ordine Archiepiſcoporum, in hunc modum:* Anno DCCCC.XLVI. Bonitus Toletanus Epiſcopus annis duobus: ſub hoc floruit Eutrandus ſiue Luitprandus, Diaconus Ticinenſis, Toletanus Subdiaconus, & Tractemundus Presbyter, pòſt Epiſcopus Illiberitanus, ab eodem Bonito miſſus; *vir doctus, cuius etiam teſtimonio graues Auctores vtuntur libenter: & in his Gabriel Vazquez, in libro de Adoratione imaginum; quem cum tantâ eruditione quàm admiratione doctiſſimorum, & magnâ laude egregiæ Vniuerſitatis Louanienſis, ante decem plus minùs annos, in lucem dedit. Sed quid moramur in recenſendis Auctoribus? nullus ipſo meliùs ſuis ſe coloribus exprimit. Sic ille in principio Hiſtoriæ in Epiſtolâ:* Reuerendo totiuſque ſanctitatis pleno Domino Raimundo, Liberitanæ [*lege,* Tractemundo Illiberitanæ] Eccleſiæ Epiſcopo, Luitprandus Ticinenſis Eccleſiæ, ſuis non meritis, Leuites, ſalutem. Biennio ingenij paruitate petitionem tuam, Pater chariſſime, diſtuli, quâ totius Europæ me Imperatorum Regumque facta, ſicut is, qui non auditu dubius, ſed viſione certus, ponere compellebas. Hæ ſiquidem res animum deterruere meum, ne id inciperem, [*fortè* ſuſciperem] copia (cuius ſum penitus expers) dicendi, & detractorum inuidia: qui ſupercilio tumentes, lectionis deſides, ac (ſecundùm eruditi viri Boëtij ſententiam) Philoſophiæ veſtis particulam habentes, totamque ſe habere putantes, hæc mihi ſunt inſultantes dicturi: Tanta maiores noſtri ſcriptitarunt, vt multò ampliùs lectores quàm lectiones deficiant; illudque Comicum garrient: Nihil dicitur quod non fuerit dictum priùs. Quorum latratibus hæc reſpondeo; quòd Philoſophi more hydropicorum (qui quò ampliùs bibunt, eò ardentiùs ſitiunt) quò ſæpiùs legunt, eò auidiùs noua quæque perquirunt. Qui ſi perplexâ facundi Tullij lectione fatigantur, apertis ſaltem næniis animentur. Nam, nî fallor, ſicut oculorum obtutus, niſi alicuius interpoſitione ſubſtantiæ ſolis radiis reuerberatus, obtunditur, ne purè, vt eſt, videatur: ita mens Academicorum, Peripateticorum Stoicorumque doctrinarum iugi meditatione infirmatur, ſi non aut vtili Comœdiarum riſu, aut Heroum delectabili hiſtoriâ refocillatur. Quòd ſi priſcorum ritus execrabilis Paganorum, non ſolùm inquam non proficuus, verùm auditu ipſo non parum nocuus,* Thronus memorandus inſcribitur; quid iſtorum Imperatorum facta, Iulij, Pompeij, Annibalis, fratriſque eius Aſdrubalis, ac Scipionis Africani, inſignium Imperatorum laudibus coæquanda, ſilebuntur? cùm præſertim inſit iis Domini noſtri IESV CHRISTI, dum ſanctè vixerint, bonitas recitanda; dum quid deliquerint, ſalubris ab eodem correctio memoranda. Nec moueat quempiam, ſi eneruatorum facta Regum, Principúmve effeminatorum, huic Libello inſeruero. Vna eſt enim iuſta Omnipotentis Dei, Patris ſcilicet, Filiique, & Spiritus ſancti, virtus; quæ hos iuſtè ſuis proſceleribus comprimit, illos meritis dignis extollit. Hæc inquam eſt vera Domini noſtri IESV CHRISTI Sanctis facta promiſſio: Obſerua, & audi vocem meam, & inimicus ero inimicis tuis, & affligentes te affligam, & præcedet te Angelus meus. Per Salomonis quoque os Sapientia, quæ eſt CHRISTVS, clamat: Pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos. Quod quotidie etiam qui ſtertit, animaduertit. *Poſteà idem Auctor loquitur primo capite huius Operis, quaſi non ignarus rerum Hiſpanicarum:* Quemadmodum, *inquit,* tuam Pater prudentiam minimè latere reor, imò me meliùs ſcire, ſicut ab ipſis, qui veſtri ſunt tributarij Regis Abderahamenis, poteſtis coniicere. *Narrat enim ibi, quòd viginti Saraceni venerunt de Hiſpaniâ in nauiculâ, & inuaſerunt oppidulum quoddam forte,*

* *al.* Tonus

nomine Fraxinetum, *in confiniis Prouinciæ & Italiæ; & venientibus ex Hiſpaniâ centum Mauris, illorum auxilio ibi remanſerunt. Et lib. 5. cap. 3. idem aſſerit:* Hoc in tempore Rex Hugo, datis decem nummorum modiis, pacem cum Hungaris fecit: quos ab Italiâ acceptis obſidibus expulit, atque in Hiſpaniam dato eis præduce direxit. Quòd verò & ad Hiſpaniam & ad ciuitatem ipſam, in quâ Rex morabatur, Cordubam non venerint, hæc cauſſa fuit: quoniam triduo per inaquoſam & aſperam viam ducti, cùm timerent ſe ſiti perituros, præduce ſibi ab Hugone conceſſo morte tenus vulnerato, celeriori curſu reuerſi ſunt. *Cardinalis Cuſanus in Opere, quod de Concordiâ Catholicâ ad Concilium Baſileenſe ſcripſit, citat Luitprandum tamquam Auctorem grauem, & maximè verum. Sed hæc inſtar Proœmij ſufficiant; iam ad rem ipſam.*

CHRO-

CHRONICON LVITPRANDI TICINENSIS DIACONI TOLETANI VERO SVBDIACONI AD *TRACTEMVNDVM EPISC. ILLIBERITANVM.

*al. REGIMVNDVM

Epiſtola *TRACTEMVNDI *Epiſcopi Illiberitani in Hiſpaniâ ad* LVITPRANDVM *Diaconum Ticinenſem, & Toletanum Subdiaconum.* *al. REGIMVNDI

SANCTO & amabili filio LVITPRANDO, olim Eccleſiæ Toletanæ Subdiacono, Ticinenſis verò Leuitæ, TRACTEMVNDVS Eccleſiæ Illiberitanæ peccator Epiſcopus, ſalutem in Domino noſtro IESV CHRISTO.

Lectis tuis litteris, fili chariſſime, magnâ conſolatione ſuffuſus ſum, ſciens te rectè valere, ac in Germaniæ longâ peregrinatione, in patientiæ perutili exercitatione valdè proficere. [1] Etenim vita noſtra militia eſt, à multis quidem retrò temporibus grauis & difficilis, & innumeris periculis incommodiſque inexcogitabilibus expoſita, donec ad littus optatiſſimæ patriæ peruenire Dominus nobis concedat. Quòd autem deſideras ſcire de me, ſic habeto: [2] nos verſari in iſto oppido Granatenſi Illiberitanæ noſtræ Ciuitati proximo, inter fideles Muzarabes, qui cum improbis Saracenis (vtcumque poſſumus) conflictantes, quotidie morimur. ſed gratias Deo Patri, & Domino noſtro Ieſu Chriſto, eius Filio, qui dat ferre poſſe, & inter tot aduerſa fidem Catholicam viriliter confiteri. Quotidie crebrò pro meis omnibus ouibus oro; diebus Dominicis ad patientiam conſtantiamque eos exhortor: aliquando legi facio Epiſtolam S. Pontificis Adriani Papæ, quam de hoc argumento ad Egilonem prædeceſſorem meum ſanctæ memoriæ Pontificem miſit, quæ in Tabulario noſtræ Eccleſiæ reuerenter ſeruatur, ſicut aliorum Romanorum Pontificum,

tificum, & [3] Diptychon ſacrum, & Epiſcoporum huius Eccleſiæ; quæ Cæcilium habuit primum Paſtorem, S. Iacobi, cùm venit in Hiſpaniam Ieroſolymis, indiuiduum comitem; iugisque memoria ſanctorum Martyrum, qui in perſecutionibus Eccleſiæ pro fide Catholicâ conſtanter paſſi ſunt: nec deſunt, quos Saraceni mactatos, & in occiſione gladij necatos ad cælos tranſmittunt indies. Ora pro me, fili chariſſime. Gratanter accepi librum tuum, id eſt, *Rerum geſtarum in Europâ Hiſtoriam*, & præterea *Antapodoſin* tuam carmine prosâque contextam, vt fecit olim ſapiens Boëtius in libro de Conſolatione Philoſophicâ. quem librum Boëtij Seuerini (memini) diligenter nos duo percurrimus Toleti, cùm ego Presbyter eſſem, tuque Subdiaconus illius ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ: quæ ſemper vera fuit filia Primogenita Eccleſiæ ſanctæ Romanenſis, & cum Patriarchalibus, poſt Romanenſem, meritò comparanda: cuius Paſtor, totius eſt Hiſpaniæ Primas & Patriarcha. Planè libri, quos miſiſti, crebram ſapiunt lucernam, & tuum felix redolent ingenium. Heu! ſcito nos maximâ rerum omnium neceſſariarum commoditate deſtitui: nam ægrè ſuſtentamus vitam in hac flebili durâque captiuitate, nedum, vt liceat nobis aliunde magnam librorum importare ſupellectilem. Quapropter, fili chariſſime, obſecro te, & per noſtram veterem amicitiam impensè obteſtor, vt Vitam S. Iacobi Hiſpani, in Piceno ſanctè mortui primo Nouembris, & Metaſthenis Perſæ librum de Monarchiis, vbi in Perſarum ponit Darium, Cyrum, Cambyſem & Artaxerxem, pòſt alterum Darium Longimanum. & ſicubi in Germaniæ Bibliothecis delitent Dextri Marcique Maximi ſcripta in membranis Chronica, quæ nuſquam in Hiſpaniis reperire potui, exſcripta ad me quamprimùm mittas, & de tuo addas ab anno DC. XII. vbi finiuit Maximus, vſque ad tua tempora, hoc eſt, ad annum DCCCC. LX. Multùm fortaſſis te onero, ſed tibi *perfacile erit hoc officium, mihi certè iucundum, ne dicam amori in te meo pænè debitum. Vale, fili chariſſime, & pro hoc ſene prolixiùs Deum ora.

[4] *Reſponſio* LVITPRANDI.

*al. REGIMVNDO

ADMODVM Reuerendo, & totius ſanctitatis pleno *TRACTEMVNDO Epiſcopo Illiberitano in Hiſpaniâ, LVITPRANDVS, non meis meritis Eccleſiæ Ticinenſis Leuites, ſalutem, & omnimodam obſeruationem;

Gratum mihi fuit, Beatiſſime Papa, ac Domine multùm obſeruande, quòd *Antapodoſis* noſtra, in quâ nunc carmine nunc prosâ ludo, tandem ad manus tuas peruenerit: nec minùs meo [5] ſedit animo, quòd meam *Rerum geſtarum in Europâ Hiſtoriam* perlegeris. quæ

quæ mihi quodam modo placere incipiunt, cùm tibi Viro recto doctoque quodam modo probari video: ſequererque tuam in eâ parte ſententiam, niſi ſcirem amorem interdum cæcutire. quamquam, quòd te tam cæco iudicio liberem, faciunt integritas vitæ tuæ, & amor Veri, qui ſemper tuis intimis ſenſibus ab adoleſcentiâ hæſit. Poſtremò non minùs iucundum mihi fuit, quod modò iubes, vt in Fuldenſis Monaſterij Bibliothecâ (vbi nunc exul Bibliothecarius immoror) quæram tibi Chronicon Dextri, quod Marcus Maximus Monachus Benedictinus, poſteà Epiſcopus Cæſarauguſtanus, proſecutus eſt. Et inſuper obnixè petis, vt ad noſtra tempora ſeriem annorum perducam: nam dicis maximâ vos laborare quorumdam librorum penuriâ. Etenim inter barbaros & inhumanos Saracenos copia non ſuppetit rerum ad vitam tranſigendam neceſſariarum; nedum vt habeatis locupletem librorum ſupellectilem. Dolui quidem vicem tuam, Reuerendiſſime Pater, quòd adeò durè vitam exigas in hac vrbe Bæticæ non infimâ: nec enim ita duriter, ſed paullò * molliùs agebamus, cùm Toleti quondam conuiximus. Leniebat enim feroces Barbarorum animos hinc Præſulum Toletanorum ſingularis auctoritas, illinc verò mirabilis bonitas & patientia. Auctoritas, vt tu benè noſti, partim amplitudinis antiquæ adhuc remanente nitore, partim quòd ea niteretur fauore præſidioque Regum Ouetenſium Catholicorum, qui litteris crebris commendabant Regibus Toleti, Rem, Auctoritatem, bonamque Tractationem, cùm fidelium omnium, tum maximè Toletanorum Antiſtitum: eratque hoc (vt benè noſti) velut quoddam frænum, ne, quod libêret illis, omnino licere putarent. Quod non accidit Epiſcopis in Bæticâ conſtitutis, quibus omnibus potentiſſimus Imperator præſidet. Sed ſoleris te, Pater optime, in tantis anguſtiis conſtitutum, ſicut bonus Paſtor ouibus tuis es ſolatio & auxilio, qui quotidie mortem libenter ſubis, illarum cauſsâ. Fac, obſecro, vt libros hos Conciliorum, & Epiſtolarum Decretalium, & nomina ſanctorum Martyrum Hiſpanorum, ad ſanctiſſimum Pontificem, re nomineque verè *Seruum Dei*, tranſmittas. Porrò Chronicon, quod petis, in huius Bibliothecæ reperi vetuſtâ membranâ deſcriptum; adiecique, vt iuſſum eſt abs te, annorum ſeriem ad hæc vſque tempora, id eſt, ad annum DCCCC. LX. Et gratulor mihi, quòd, cùm Toleto (vbi, ſub ſanctiſſimo [6] Præſule Toletano Bonito, Subdiaconus fui) in Italiam proficiſcerer, aliquot Hiſtoriæ libros mecum aſportaui, in quibus ordine erat ſeries collecta multorum Hiſpaniæ Epiſcoporum: quos & in hac Bibliothecâ reperi, iuſſu (credo) ſancti Caroli Magni Imperatoris ex Hiſpaniâ allatos, quos, vt aiunt, illi obtulerat [7] ſanctiſſimus Elipandus Archiepiſcopus Toletanus, poſtquam

illum erroris sui de Adoptione Christi seriò & verè pœnituit. ad quod manifestandum, Concilium Episcoporum Suffraganeorum & Abbatum collegit; & coram omnibus abiurato publicè errore, fidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ confessus est, vt tu meliùs nosti. Igitur feci quod iussisti, Beatissime Pater: an voto conatus responderit, tu videbis qui iussisti; & seruum hunc exulem in oratione Deo commenda. Vale.

Incipiam tamen ab anno DC. VI. ærâ DC. XLIV. & ordinem in scribendo sequar, quem secutus est M. Maximus: hinc per *Æras*, Hispanorum more; illinc verò per *Annos* Christi (nihil de Consulibus, aut de Egiris Maurorum) producamque hoc nostrum Chronicon vsque ad annum DCCCC. LX. Pòst etiam misi hæc Heromo Episcopo Bracharensi.

P. HIERONYMI DE LA HIGVERA ET D. LAVRENTII RAMIREZ DE PRADO IN EPISTOLAM TRACTEMVNDI ET RESPONSIONEM LVITPRANDI NOTÆ.

Ad margines P. H. *significant, notam illam esse* Patris Higueræ: *at* D. L. *denotant eam, quæ è regione subiicitur, esse* D. Laurentij.

P. H. SATIS *multis dictum est de Eutrando, vel Luitprando, Subdiacono Toletano, Diacono verò Ticinensi, qui fuit à secretis Berengarij Imperatoris Iunioris: posteà venit in Germaniam, & anno* DCCCC. LXX. *scripsit* Chronicon, *quod Scholiis illustrare conamur: anno verò* DCCCC. LXXIII. *venit Toletum ex Cœnobio Fuldensi; ac senectute & ægritudine confectus fatis concessit. Sepultus est (vt refert Iulianus Archipresbyter S. Iustæ) in eâdem Basilicâ: vir egregio præditus ingenio, & ad poëticam benè natus. Quem ordinem secutus sum in illustrandis Dextro ac Marco Maximo, in hoc etiam illustrando sequar.*

D. L. [1] ETENIM VITA NOSTRA MILITIA EST.] *Apponit textum Iob cap. 7. n. 1. & addit explicationem illi loco explanando genuinam. Agnoscit namque vitæ pericula, &, nisi iubente Domino, abitionem nobismetipsis dicere non licere.* Militiam, *πειρατήριον interpretantur Septuaginta,* exercitationem, *seu* probationem. *scilicet militiæ pericula, quid aliud, quàm probationes & exercitationes? Insuper animaduertendum, vt militiæ tempus non longum, & occasio debellandi breuis; ita vita: & sicut duobus vel tribus mensibus fit congressio, posteà canitur receptui; sic ad tempus viuimus, ad temporis præfinitio*

finitionem laboramus: tunc ab Imperatore missio datur, & è præsidio discedimus. Appositissimè Cicero de Senectute: Vetatque Pythagoras iniussu Imperatoris, *id est Dei,* de præsidio & statione vitæ decedere. *Adducam nouum antiquum testimonium, quod, ne à blattis & tineis adesum pereat, edo & luci do, elucidabitq; totam rem. Est D. Alphonsi de sancta Maria, Archiepiscopi Burgensis, qui Ioannis II. Castellæ Regis iussu, aliqua Opera Senecæ, Hispano sermone donata euulgauit, & illustrauit Notis: quæ omnia antiquissimis characteribus scripta habeo; & quorum meminit Ferdinandus del Pulgar in Viris illustribus titulo 22. Ait ergo ad cap. 15. fol. 35.* Todas estas palabras parece que quiere concluir Seneca, que es licito al home fuir de la vida. lo qual no es ansi, antes es cosa muy reprobada, no solamente segun la verdad Catholica, mas aun segun los Gentiles, con Tulio en el Sueño de Scipion, dice que no debe salir el anima del cuerpo, si non por mandado de aquel que la puso, que es Dios. En otra guisa pareciera fuir del oficio è cargo que Dios le dio. Ca ansi como de la gueste non debe partir ninguno sin mandado del Principe; ansi desta vida, laqual, segun dice Iob, es como vna caballeria sobre la tierra, non debe alguno partir, si non quando Dios lo llama. *Pluribus hoc prosequitur, quæ breuitati vt consulam, omitto. Docet ergo retinendum animum in custodiâ corporis, nec iniussu eius, à quo nobis est datus, ex hac vitâ demigrandum. Ideò Hebræi mori vocabant* נפל, *& Græci* Ἀπολύεσθαι, *id est,* dimitti: *vt inuenitur Numeror. cap. 20. in fine. Vulgare Græcorum loquendi genus sic expressit Themistius lib. de Animâ:* Ἀπολύεσθαι τὸν ἀποθνήσκοντα, καὶ τὴν τελευτὴν ἀπόλυσιν καλεῖσιν. *id est,* eum qui moritur, aiunt dimitti; & mortem, dimissionem vocant. *Plutarchus in Consolatione:* Ἕως ἂν ὁ θεὸς αὐτὸς ἀπολύσῃ ἡμᾶς. donec Deus ipse nos dimittat. *Vide D. Augustinum de Ciuitate Dei lib. 1. cap. 19. & seqq. cuius verba referuntur in cap.* Si non licet. *23. quæstione 5. Ex nostris Iurisconsultis multa cumulauit D. Balthasar Gomezius de Amescua, Toletanus, in peculiari Tractatu* de Potestate in seipsum: *Grotius de Iure belli lib. 2. cap. 19. n. 5. ex alienis.*

[2] NOS VERSARI IN ISTO OPPIDO GRANATENSI ILLIBERITANÆ NOSTRÆ CIVITATI PROXIMO.] *Vide, quæ notaui ad Chronicon num. 202.* D. L.

[3] DIPTYCHON SACRVM.] *De* Diptychis *vide Schediasma, quod in calce Operis edi curaui.* D. L.

[4] RESPONSIO LVITPRANDI.] *Meminit huius Epistolæ, & eius, cui respondit Luitprandus, Iulianus in Chronico num. 505.* Florebat per id tempus & Toleti Presbyter Trasemundus *(lege* Tractemundus) pòst Illiberitanus Episcopus, vir sanctus: ad quem Eutrandus scripsit, Subdiaconus Toletanus, pòst Ticinensis Diaconus, & ipse etiam scribit. D. L.

[5] SEDIT ANIMO.] *Obuiâ significatione pro* placere. *Virgilius lib. 2. Aeneid.* Et sedet hoc animo: *non ignotâ Iureconsultis. Testatur Vlpianus in l.* Si fideiussor. *π. qui satisdare cogantur;* Si hoc, *ait,* Iudici sederit. D. L.

[6] PRÆSVLE TOLETANO BONITO.] *Vide Iulianum in Chronico, vbi agit de Bonito num. 440. anno* DCCC. LIX. Quâ re cognitâ, mense Aprili, cogitur iterùm Synodus, & sine vllâ difficultate eligitur S. Bonitus, Episcopus Toletanus, natione Gallus, Aruernensis ciuis; *& num. 441. 442. & 444.* D. L.

[7] SANCTISSIMVS ELIPANDVS ARCHIEPISCOPVS TOLETANVS, POSTQVAM ILLVM ERRORIS SVI DE ADOPTIONE CHRISTI SERIÒ ET VERE POENITVIT.] *De Abbate Genesio, quem Carolus Magnus misit in Hispanias Legatum, vt ab hoc errore auerteret Elipandum, & alios eius sequaces; vide Iulianum in Aduersariis, & quæ diximus ad num. 103. & num. 265. cuius verba sunt:* Nec multò pòst iuit *(Genesius)* in Hispanias, missus à Carolo Magno, D. L.

Magno, ad Felicem Vrgelitanum Episcopum, & Elipandum Toletanum, in negotio Adoptionis Christi: & iuit Romam ad Adrianum Papam, attulit eius epistolam ad Carolum, & Episcopos. Interfuit Conciliis Francofordiensi & Italico. Retulit epistolam Caroli ad Elipandum, cum quo disputauit, & eius rationibus & precibus Elipandus resipuit, manente in suâ perfidiâ Episcopo Felice.

Nuper luci dedit P. Iacobus Sirmondus Epistolam Adriani Papæ, & Caroli Magni, Concilium Francofordiense, libellum Episcoporum Italiæ Concilij decreto missum (de quibus Iulianus in Chronico num. 402.) *atque Synodicam Concilij ab Episcopis Galliæ & Germaniæ ad Episcopos Hispaniæ, in Tom.* 2. *Conciliorum Gallic. fol.* 161. 167. 175. 186. *&* 193. *& Canonem primum Concilij apponit, vbi damnatur hæresis Elipandi & Felicis; vbi Felix Vrgelitanæ Sedis Episcopus asseritur, & non Toletanæ, vt latè dicemus alibi.*

De Elipando autem, qui errauit in Adoptione, quam tribuit Domino nostro IESV CHRISTO, *idem Iulianus in Chronico num.*402. *Qui resipuit, monitionibus Adriani P. M. & Caroli Magni Imperatoris, dicto num.* 402. *vide plura num.*404. 406. 409. 410. 411. *Agit gratias Carolo num.*414. *Moritur sanctè num.* 415. *Nunc testem ad id irrefragabilem, integræq; frontis produco Ionam Aurelianensis Ecclesiæ Episcopum, qui libros tres de* Cultu imaginum, *Carolo Caluo aduersus hæresim Claudij Præsulis Taurinensis, ante annos quidem* DCC. LXX. *inscripsit; quamuis, vt ait Eminentiss. Cardinalis Baronius Tom.*9. *anno Christi* DCCC. XXV. *ita Ionas confecit bestiam, vt ab Ecclesiâ Catholicâ præmio dignus minimè fuerit iudicatus, & notat P. Hieronymus de la Higuera num.* 292. *At in ipsius Operis limine sic ait:* Vt igitur ceteros omittam, emersit ex eâdem Hispania, tempore sanctæ memoriæ Caroli piissimi atque inuictissimi Augusti, quidam Felix nomine, actu infelix, Vrgelitanensis ciuitatis Episcopus: qui, iuncto suo sceleratissimo errori Eliphanto [*lege* Elipando] Toletanæ vrbis Episcopo, secundùm humanitatem, non esse proprium Filium Dei, sed adoptiuum, prædicare ausus est. *Suffragatur Iulianus in dicto num.* 265. *in Aduersariis, & in Chronico num.* 401. Elipandus Felicis Vrgelitani Pontificis discipulus, *&c. De Elipandi pœnitentiâ Ionas nihil addit; de quâ iterùm Luitprandus in Chronico num.* 259. *cuius vsque Iulianus meminit num.* 402. 411. *&* 415. *Aimoin.* 4. *Rer. Franc.* 83. *Rhegino in Chronico, Ado Viennensis lib.* 2. *quos inter antiquos recenset & inter recentiores Morales Hist. Hisp. lib.*13. *c.*26. *Schottus Iurisconsultus Biblioth. Hisp. Ioannes de Mariana lib.*7. *Hist. cap.* 8. *Beatum & Heterium contra Elipandum scripsisse agnoscunt multi: quod quidem testatum reliquit Iulianus in Chronico num.*401. Scripsit contra eum [*Elpidium*] Heterius, adiuuante Beato; & hic liber est in nostrâ Bibliothecâ. *Eruditè de his, vti solet, Ioannes Eusebius Nierembergius Societatis Iesu Presbyter in epistolâ, quam mihi scripsit, & excudendam curaui inter Notas ad Epistolas Præsulum, ne te tantâ defraudarem doctrinâ; cui benè consulere, munus & honos mihi est. Strictim pauca exarauit P. Hieronymus de la Higuera ad n.* 260. *nostri Luitprandi in Chronico.*

CHRO-

CHRONICON LVITPRANDI

SVBDIACONI TOLETANI, TICINENSIS DIACONI.

ÆRA DCXLIV. ANN. CHRISTI DCVI.

TOLETI nascitur S. Ildefonsus præclarissimis parentibus, in domo Stephani & Luciæ XVIII. die Decembr. in domo quæ nunc Toletanorum Muzarabum nobilium; ille verò postea fuit Toletanus Archiepiscopus. 1.

Floret Metis S. Rufus, patruus sancti Adelphi, anteà Abbatis Agallensis, & Archiepiscopi Toletani, pòst Episcopi Metensis: qui patruo Rufo vir sanctus successit. 2.

DCXLV. DCVII.

Mahumetus virus erroris sui fundens per Hispanias, Cordubæ, Hispali, Toleti cœpit seminare: ab Aurasio Toletano Archiepiscopo Toleto pellitur: Catholicique Doctores verbo scriptoque nefarium errorem persequuntur. 3.

DCXLVI. DCVIII.

Theodoricus, Mediomatricum Rex, Hermembergam sponsam suam intactam Wicterico Regi Wisegotthorum patri remittit cum muneribus: quod pater ægrè fert. 4.

P. HIGVERÆ ET D. LAVRENTII IN LVITPRANDI CHRONICON NOTÆ.

1. *DE fortunatissimo natali huius sanctissimi Pontificis ante hunc Auctorem nemo: pòst Iulianus adhuc specialiùs.* P. H.

3. *De aduentu Mahumeti in Hispaniam etiam Iulianus, Lucas Tudensis, & recentiores: quamuis neget Morales. nam in Chronico confirmat S. Ildefonsus Archiepiscopus Toletanus, quem affirmat per vim expulisse sanctum Pontificem Aurasium. Non declarat, quinam Auctores verbo scriptoq; nefarios errores huius Pseudoprophetæ refutauerint; sed cùm venerit in Hispaniam, valdè verisimile est Hispanos fuisse.* P. H.

4. *Id Gregorius Turonensis affirmat in Historiâ Francorum, Morales in Historiâ Hispaniæ de Rege VVisegotthorum VVicterico.* P. H.

DC. XLVII. DC. VII.

5. Fl. Claudius, S. Masonæ, Episcopi Emeritensis ex sorore * filius,
*leg. nepos & Claudij Emeritensis viri clarissimi, floret.

6. Ad Segontiam Celtiberorum vrbem Wicterici Regis Duces cum Romanis congressi, eos omnino prælio fundunt.

DC. XLVIII. DC. X.

7. Gregorij Papæ Magni tempore Isidorus Romam petit; & honorificè susceptus à Romano Pontifice, reuersus domum in pretio est.

8. Mortuo Wicterico succedit Gundemarus; ab Aurasio Toletano (vt olim Imperatores Græci à Patriarchis Constantinopolitanis) inungitur in æde sanctorum Petri & Pauli Toleti.

9. Rex Catholicus Gundemarus Toleti iubet Concilium contrahi: contrahit autem Aurasius.

10. Dignitas Patriarchalis Toletanæ Sedis imminuta, pristinæ dignitati restituitur, vt ad eius obedientiam rediret Carthaginensis Prouincia, in quam tota Carthaginensis & Toletana fuerat diuisa.

P. H. 5. *De Flauio Claudio Paulus Emeritensis, S. Gregorius Papa.*

P. H. 6. *De hac victoriâ S. Isidorus, Morales, & alij Auctores.*

P. H. 7. *De aduentu S. Isidori Romam tempore Gregorij, Lucas Tudensis, P. Ribadeneira in Vitâ S. Patris Isidori.*

P. H. 8. *Quòd Reges Gotthorum coronarentur & vngerentur, id faciebant ad imitationem Constantinopolitanorum Imperatorum; quorum omnes actiones tam in Ciuilibus quàm in Ecclesiasticis imitabantur: vt enim illi vocabant Constantinopolim* Vrbem Regiam, *sic Reges VVisegotthorum Toletum* Regiam *etiam* ciuitatem: *illi cudebant monetam cum signo crucis, & Gotthi: illi vehebantur eburneo curru, & Reges Gotthi: illi Constantinopoli, Gotthi Toleti coronabantur inuncti: illi à Constantinopolitano Patriarchâ, vt totius Imperij sui Primate, sic Gotthi à Toletano, tamquam Patriarchâ imperij Gotthici. Nihil ago de Legibus, Pœnis, Statutis: quæ omnia collecta sunt de Legibus Imperatorum Constantinopolitanorum: vt nihil etiam interim agam de Palatinis, officiisq; domus & Aulæ Regiæ; quia hæc maioris otij, & alterius loci sunt.*

Quòd autem inungerentur Reges Gotthi, constat primò ex Chronico S. Iuliani. vbi sic: Suscepit autem glorioſus Dominus VVamba Regni gubernacula, eodem die, quo ille (scilicet Recesuinthus) obiit in supradicto die XVIII. Kalend. Septembris, dilatâ vnctionis solemnitate vsque in diem XIII. Kalend. Octobris, lunâ XXII. ærâ, quâ suprà, DCC. X. *& agens de Rege Eruigio:* Suscepit statim succedente die, XI. feriâ, glorioſus Dominus Eruigius Regni sceptra; quod fuit III. Idus Octobris, ærâ DCC. XVIII. dilatâ vnctionis solemnitate vsque in superueniente die Dominico. *& de Rege Egicâ:* Vnctus autem Dominus noster Egica in Regno, in Ecclesiâ sanctorum Petri & Pauli Prætorienſi, sub die VIII. Kal. Decemb. die Dominico, ærâ DCC. XXV. *& de VVitizâ:* Vnctus est autem VVitiza in Regno die, qui fuit XVIII. Kalend. Decemb. ærâ DCC. XXIX. *& in Concilio Toletano* XII. *Can.* 1. Etenim sub quâ parte vel ordine Sereniſſimus Eruigius Princeps Regni conscenderit culmen, regnandiq́ue per sanctam vnctionem susceperit potestatem. *& infrà:* Aliam quo-

quoque informationem iam dicti viri in nomine honorabilis & sanctiſſimi fratris nostri Toletanæ Sedis Episcopi; vbi eum separauit pariter, vt sub omni diligentiæ ordine, iam dictum Dominum nostrum Eruigium in Regno vngere deberet, & sub omni diligentiâ vnctionis ipsius celebritas fieret. *Hinc colligitur, & Reges Gotthos vngi solitos, & in vrbe Regiâ Toletanâ, & ab Archiepiscopo Toletano, vt totius Hispaniæ Primate. Vnde non poterant se habere Reges, nec habebant potestatem in Regnum Gotthicum, nisi per vnctionem, vt docet sancta Synodus* XII. *Toletana: vnde perperàm intelligunt nonnulli de Rege VVambâ, quòd illi sit dictum, vt in terrâ Camporum vngeretur, quasi posset alibi quàm Toleti vngi: ob id distulit coronationem, & vnctionem, donec veniret Toletum. Addam hîc verba P. Ioannis Marianæ* I. *Tom. lib.* 6. *cap.* 12. *linguâ vulgari:* Doblegose VVamba con estas amenazas, pero de tal manera acetò la eleccion, que no se quiso dexar vngir, como era de costumbre, antes de ir à Toledo. Pretendia reseruar aquello para aquella ciudad; i con aquel espacio de tiempo entendia, ò que se mudarian las voluntades de los que le eligieron, ò se ganarian las de todos los demas, de gracia que no se siguiese algun alboroto por la diuersidad de pareceres. Con esto partio para Toledo donde à veinte i nueue de Setiembre (Miercoles, dia de S. Miguel Archangel) fue vngido i coronado en la Iglesia de S. Pedro i S. Pablo, que esta cerca de la casa Real. Iurò ante todas cosas, por expresas palabras, de guardar las leyes del Reyno, i mirar por el bien comun. Quirico Arçobispo de Toledo, sucesor de san Ilifonso, hizo la ceremonia de la vncion. *Hæc Mariana. Quòd autem coronarentur vncti Imperatores Constantinopolitani à Patriarchâ vrbis Regiæ, docent pluribus Zonaras & Cedrenus; & manifestè colligitur ex Epistolâ Ioannis Patriarchæ Constantinopolitani ad Hormisdam Papam his verbis:* Quoniam talem verticem tali coronâ decorauit. *Hinc Baronius, & Auctor Epitomes, colligunt fuisse in more, vt Orientis Imperij electi Imperatores ab Episcopo Constantinopolitano coronarentur. De hoc alij multa.*

Gundemarus ab Aurasio Toleti, vt olim Imperatores Græci à Patriarchis Constantinopolitanis, inungitur.] D. L.

De Regum Gotthorum vnctione multi multa. Noster Iulianus passim, plura P. Ioannes Benedictus Guardiola in Nobilitate Hispaniæ cap. fin. Noster Garsias de Loaysa ad Concilia Toletana in exhortatione ad Principem, quam edidit ex C. Alueldensi pag. 34. *ex Iureconsultis Camillus Borrellus de Præstantiâ Regis Catholici cap.* 49. *n.* 83. *p.* 50. *Luitprandus n.* 87. Qui *(Recesuinthus)* ab Eugenio Episcopo Toletano Toleti in æde sanctæ MARIÆ, quæ vulgò voce Arabicâ, Alficensis nominatur, vel Inferior, coronatur, & inungitur. *Nostræ Hispaniæ litterarium decus D. Gregor. Lopez Madera, Eques Ordinis S. Iacobi, Regij Senatus Consiliarius, cap.* 12. *§.* 6. *de Monarchiæ Hisp. præstantiâ, nouissimè ex Conciliis, Chronicis, & multis hinc inde petitis testimoniis. Scribit idem in Marte suo Gallico, siue de Iustitiâ Armorum & Fœderum Regis Galliæ cap.* 10. *Alexander Patritius Armacanus, vero tamen nomine Doctor Corn. Iansenius Episcopus Iprensis.*

At, Græcos Imperatores inungi solitos à Patriarchis Constantinopolitanis referunt plures. Vnus pro cunctis Codinus Curopalata de Officiis Constantinop. cap. 27. *de Coronatione Imperatoris num.* 18. *ex nuperâ versione.* Post hæc, *ait,* tollit nouus Imperator capitis tegumentum, qualecumque illud fuerit. E vestigio autem quotquot in templo reperiuntur, apertis capitibus adstant. At Patriarcha crucis in formam caput Imperatoris diuino vnguento inungit, accinens elatâ voce illud: SANCTVS. *Vbi Iacobus Gretserus, Societatis* IESV *Presbyter, noster Luitprandus lib.* 6. *Rerum à Principibus per Euro-*

pam gestarum: Miro ornatu miroque apparatu susceptus ab eodem Summo Pontifice & vnctionem suscepit Imperij. *Quem allegat Annotator ad Historiam Pauli VVarnefridi Diaconi Foroiulienſis ad pag. 92. in pag. 276. & 277. Iulius Cæsar Bulengerus de Imperatore lib. 2. cap. 3. p. 89. litterâ D.*

P. H. 9. *De Concilio Regis Gundemari extat in nonnullis codicibus manuscriptis, præcipuè in sancti Aemiliani codice, qui nunc est apud Regiam Bibliothecam sancti Laurentij Scurialis. Quòd Aurasius præfuerit Concilio, præter ipsam temporum seriem, manifestè dicit Illustriss. Archiepiscopus Toletanus, D. Garsias Loaysa Giron in Commentariis ad hoc Concilium.*

DC. XLIX. DC. XI.

11. Adeodata virgo sanctissima, Toletana, Monialis Benedictina, floret; ad quam olim S. Gregorius scripsit.

DC. L. DC. XII.

12. Gundemaro succedit in solio regni Gotthici Sisebutus, vir doctus & pius, & in rebus gerendis satis expertus.

P. H. 11. *Nullam in alio, nisi in Gregorio Papâ & Luitprando, mentionem huius sanctissimæ Virginis inuenio; suspicor tamen vixisse in antiquissimo Cœnobio sacrarum Virginum Benedictinarum, quod nunc sacratum est S. Dominico Calciatensi: olim credo sacratum fuisse S. Benedicto, quia memoria traditione firmata est Toleti, eò confluere consueuisse S. Ildephonsi beatam matrem Luciam, & cum illis Monialibus conuersari.*

P. H. 12. *De Sisebuto multa mentio est in Chronico S. Ildephonsi, Isidori, & in Historiâ Gothorum, in Conciliis Toletanis, in Foro Iudicum, in Roderico Toletano, & Palentino, & Lucâ Tudensi, Gregorio Vasæo, Morales, Marianâ, & aliis.*

DC. LI. DC. XIII.

13. Bonifacio Papæ succedit in Sede Petri Papa Deus-dedit.

14. Memoria est S. Pauli Episcopi Iaccetani, qui Romam dum visitat, cum aliis duobus sub Decio martyrium patitur sexto Idus Februarij.

15. Floret memoria Mediolani S. Anatalonis Episcopi, discipuli S. Barnabæ.

16. Mortuo Auraſio, sanctissimo doctissimoque Pontifici, succedit in Sede Toletanâ S. Helladius, vir eximius; & priùs Monachus Benedictinus: ætate iam ingraueſcente, ad Superos euocatur.

P. H. 16. *Post Auraſium ponit Ildephonſus in Sede Toletanâ Helladium: de quo ipſe Ildephonſus in lib. de Viris illuſtribus, & alij.*

DC. LII. DC. XIV.

17. Dulcidius Diaconus Cæsaraugustanus floret, quem S. Gregorius in Epistolis mirum in modum commendat.

P. H. 17. *De Dulcidio nullus scripsit, præter hunc Auctorem & S. Gregorium Papam: vir fuit talis, quem sanctus Doctor commendat.*

DC.

DC. LIII. DC. XV.

Vincentius, Carthaginis Spartariæ Episcopus, moritur. 18.

Toletani celebrem mentionem habent S. Vincentij Episcopi & Martyris, qui prædicat Meuiæ. 19.

Murila, Episcopus Valentinus, attulit ex Gallia corpus S. Vincentij Leuitæ, Martyris Aginnensis, Valentiam. 20.

Mahumetus Pseudopropheta Cordubæ prædicat. 21.

18. *De Vincentio Episcopo Carthaginis Spartariæ, solus hic Auctor.* P. H.

19. *De Vincentio Baronius* XXVII. *die Octobris in litterâ B. vbi mentionem facit Hymni, quem se inuenisse ait in Breuiario Toletano. Vide doctissimum P. Franciscum de Biuar ad Dextrum anno Christi* CCC. LII. *n.* 4. *p.* 382. D. L.

21. *De aduentu Mahumeti in ciuitatem Cordubensem, præter hunc Auctorem, Ildephonsus in Chronico, & Lucas Tudensis.* P. H.

DC. LIV. DC. XVI.

Marcus Maximus, Cæsarauguſtanus Episcopus, ex Ordine sancti Benedicti, Scriptor Chronicorum, eximius Concionator, vir pius & doctus, qui Vitam S. Benedicti scripsit carmine, & multa prosâ & versu; sanctè moritur. 22.

Ioannes Exarchus populari tumultu perimitur. 23.

Extruso per vim Isidoro Episcopo Hispalensi, viro doctissimo sanctissimoque, Gordianus in Sede Hispalensi per vim intruditur: S. Isidorus Malacæ exulat, Papa Deus-dedit scribit Epistolam ad Gordianum intrusum. 24.

24. *Ex Epistolâ Deus-dedit Gordiano Hispalensi; hoc manifestè patet ex libris Epistolarum Summorum Pontificum Romæ impressis: nec mirum aliqua tacuisse Scriptores, quæ indies magis tempus retegit. Idq; confirmatur ex Epistolâ Gothicâ manuscriptâ, quam habent Patres Augustiniani Salmanticenses, Artuhagi Gotthi, Toletani Monachi Augustiniani ad eumdem Isidorum. Id credo factum per vim factiosorum Arrianorum. & restituitur anno sequenti operâ & potentiâ Regis Sisebuti: credo duraſſe in exilio pauculos quosdam menses, pòst verò restitutum.* P. H.

DC. LV. DC. XVII.

Deus-dedit hoc anno moritur: succedit Bonifacius. 25.

DC. LVI. DC. XVIII.

Operâ Sisebuti Regis Wisegotthorum Catholici, Sedes Hispalensis S. Isidoro amico suo cum honore restituitur. 26.

Assota ciuitas in Contestanis, & in confinio Bastetaniæ, quæ quondam Sedes Episcopalis fuit, destruitur. 27.

Illici sancta Corona virgo Benedictina floret. 28.

27. *Assota ciuitas est in Batestanis, duabus leucis à Carauacca, vbi nunc* las Cuebas, *vbi ingentis ciuitatis vestigia cernuntur: vnde Carauaccam lapis allatus inde est, cum nomine* RESPVBL. ASSOTANORVM. *qui nunc est in Ecclesiâ vetustissimâ loci pro frontispicio; de quâ in nostrâ Geographiâ Hispaniæ.* P. H.

Ista dicitur à Ptolemæo Asso, *pro* Assota. *Fuit olim ciuitas Episcopalis, quæ his temporibus vastata fuit.*

D. L. Assota ciuitas in Contestanis.] *Huius ciuitatis meminit Fr. Ioannes Aegidius de Zamora his verbis:* Vrbs Lacedæmon prope Carauaccam vel Theodomirum à Græcis, Assota ab Africanis venientibus ab vrbe Assota, quæ nunc prope Melillam destructa dicitur Assota, conditur. *Disertiùs noster Iulianus in Aduersariis num.*70. S. Indaletius per oram Carthaginis habetur celeberrimus, qui dicitur prædicasse Assotæ, & Lacedæmone, propinquis inter se vrbibus, diuisis fluuio Ripare intermedio, sitis in duobus montibus: Assota ad Ortum, & Lacedæmon ad Occasum. *vbi loco* Ripare, *legendum ex Aegidio,* Quipare. *Quod vt pateat, eius verba transscribam:* Capipa fluuius, vulgò Quipar, prope Carabum, vel Theodomirum, qui à fragrantiâ rosarum florumque vere nouo quasi diuinum odoramen, à venientibus à ciuitate Capipâ in Africâ, in ripâ Magradæ fluuij dicta. *Iterùm de iisdem ciuitatibus ibidem Archipresbyter nu.*83.84.85. *&* 475. *Notandum obiter, sanctos Crispulum & Restitutum, passos non procul ab eis, in oppido Carauaccensi, vt testatur Iulianus dict. n.*84. *Et in Hispaniâ coronam martyrij reportasse scribunt Beda & Martyrologium Romanum die* X. *Iunij. Multa eruditè congerit Fr. Don Prudentius de Sandoual, Episcopus Pampilonensis, in Annotationibus Tudensibus pag.*17. *& Licentiatus Ioannes de Robles in libello de Cruce Carauaccæ lib.*1. *cap.*2. *fol.* 5. *qui hanc antiquam inscriptionem abhinc* LXXXV. *annis inter Assotæ ruinas inuentam dedit in lucem, situ obrutam diu, è ruderibus erutam:*

L. AEMILI. M. F. NEP. QVIRINA. RECTVS. DOMO. ROMA. QVI. ET. CARTH. ET. SILICITANVS. ET. ASSOTANVS. ET. LACEDAEMONIVS. ET. BATESTANVS. ET. ARGIVS. SCRIBA. QVAESTORIS. SCRIBA. AEDILIS. DONATVS. EQVO PVBLICO AB IMP. CAESARE. TRAIANO. HADRIANO. AVG. AEDILIS. COLONIAE. CARTHAGI. PATRONVS. REIPVBLICAE. ASSOTANORVM. FIERI. IVSSIT. EPVLO. ANNVO. ADIECTO.

Hanc vrbem recenset Ptolemæus, decurtatâ tamen voce Asso: *nisi cum Iuliano in Aduersariis num.* 100. *malueris* Assonem *&* Assotam *diuersas ciuitates fuisse, conditas à ciuibus Assonis vrbis apud Asiam Minorem, cuius meminit S. Lucas in Act. cap.*20. *num.*13. *&* 14. *& cap.*27. *n.*13. *Fuit enim Sedes Episcopalis, ex Luitprando num.*27. Quæ quondam Sedes Episcopalis fuit; *& num.* 38. Sedes Assotana, Bigastrum, quæ Murcia est, transfertur. *Extat insignis lapis in huiusce rei irrefragabile testimonium, qui in agro Oriolensi repertus fuit, & continet veterem inscriptionem cuiusdam Episcopi Catholici litteris* A *&* Ω. *ornatum.*

A. LEANDER SERVVS DEI EPISCOPVS. Ω. S. ECCLESIAE. ILLICITANAE. VEL. BELSENSIS. PROPE. FLVMEN. SECVRAM. EPISCOPVS. ET. ASSOTANAE.

OBIIT. IN. PACE. ERA. DCC.XXIII.

hoc est, anno Domini DC. LXXXV. *Duodecim annis antè confirmat in Concilio* XI. *Toletano: & in* XII. *quatuor annis ante eius mortem,* VI. *loco. Duobus ante mortem annis interfuit & confirmauit in* XIII. *Concilio Toletano, & in Toletano* XIV. *post Iulianum Pontificem Primatem Toletanum confirmat. In* XV. *Concilio Toletano confirmat Emila Episcopus Elicitaniæ* [*lego* Illicitaniæ] *&* Dotanæ, XXV. *loco, duarum Sedium; sicut & Leander. Successit hic Leander Vbinabi Illicitano, qui confirmat, vel eius Vicarius Agricius pro eo, in* X. *Concilio Toletano ærâ* DC.XCIV. *hoc est, anno Domini nostri Iesu Christi* DC. LVI. *In Synodo Toletanâ,*

letanâ, sub Gundemaro, ærâ DC.XLVIII. *anno Christi* DC.X. *confirmat Sanabilis, sanctæ Ecclesiæ Elotanæ Episcopus: & in* VII. *Toletano Concilio ærâ* DC.LXXXIV. *confirmat* VVinibal, *his verbis:* VVinibal [*alij legunt* Vinibal] Dei miseratione Ecclesiæ Illicitanæ, qui & Elothanæ Episcopus, hæc statuta definiens, subscripsi. *Vtrobique emendandum autumat vir doctus* Assotanæ, *pro* Elotanæ, *&* Elothanæ. *Crediderim (fas sit coniectari) Episcopum Eliocrotensem, vel* de Lorca, *migrasse in Episcopum Assotanensem. Fit namque mentio in Concilio Illiberitano ærâ* CCC. LXII. *ante mille trecentos annos coacto, Successi Episcopi Eliocrotensis. Et in Synodo Gundemari, post trecentos annos, incipit fieri mentio Episcopatus Assotanensis, & numquam ampliùs Elotanensis, vel Eliocrotensis. Vnde datur locus coniecturæ, tum primùm cœpisse Pontificium Assotanum, iam abolito priùs Eliocrotensi; quamuis Iulianus in Aduersariis num.*81. *Episcopos Bigastri, Assotæ & Eliocrotæ positos à S. Indaletio affirmet, sic:* S. Indaletius prædicat Carthagine, Illicone, Assotæ, Lacedæmone, Eliocrotæ, vbi posuit Episcopos. *De S. Indaletio, qui Eliocrotæ prædicauit, Fl. Lucius Dexter anno Christi* LIV. *num.*1. *vbi doctè magnus ille & incomparabili doctrinâ vir, Hispaniæ decus & ornamentum, P. Franciscus de Biuar, refert Lucam Tudensem, vbi de Rege VVambâ, & Ambrosium de Morales lib.*10. *Hist. Hispan. cap.*32. *De translatione Sedis Assotanæ ad Bigastrum: vide quæ notaui ad num.*38.

28. Illici.] *Hodie* Origuela, *ex Antonini Itinerario, Valentiâ Carthaginem.* P. H. *De quâ Pomponius Mela, Plinius, Strabo, Ptolemæus, & alij, quæ sinui Illicitano nomen dedit olim, vt nunc, ciuitas Episcopalis. Habet nunc Episcopum D. Iosephum Stephanum, virum morum sanctimoniâ, & multarum disciplinarum cognitione, non mediocriter præclarum.*

Ibi S. Corona, Monialis Benedictina, sanctitate claret: de quâ apud Molanum, Galesinum, & Martyrologium Monachorum Benedictinorum celebris mentio; & inter sanctas virgines nuncupatur XXIV. *die Aprilis.*

DC. LVII. DC. XIX.

Mahumetus libros erroris sui in Arabiâ vulgat. 29.

DC. LVIII. DC. XX.

Mortuo Sisebuto Rege Wisegotthorum Catholicò, die VIII. Nouembris, suffectus est illi Suintila. 30.

Isidorus Hispalensis Episcopus secundo Concilio Hispali collecto præest; sub cuius disciplinâ multùm Ildefonsus proficit. 31.

30. *Sisebuto successit Suintila: ex Chronicis D. Isidori, Ildefonsi, Iuliani, & ex recentioribus, Garsiâ Loaysâ, & aliis.* P. H.

31. *Quòd Isidorus præfuerit Hispalensi & Toletano sub Gundemaro, &* IV. *Concilio Toletano, docent Historiæ, & ipsa Concilia: & quòd Ildefonsus fuerit eius discipulus, vide in Vitâ vtriusque apud Rodericum Toletanum, Garsiam Loaysam, Vasæum, Garibayum, Morales, Marianam, & alios Auctores.* P. H.

DC. LIX. DC. XXI.

Bonifacium Papam sequitur in Sede Petri Honorius. 32.

Ad fauces Hispaniæ in Lusitaniâ, vulgò *Gargantalaolla,* Magnus cognomento, Ioannes Abbas floret. 33.

33. Ad fauces.] *In Lusitaniâ oppidum est hodie* Gargantalaolla: *quas* P. H.

Fauces

Fauces *Latini vocant, Hiſpani* Gargantas: *vbi veterum Faucium mentio ſit, & inſunt ruinæ inter* Gargantum & Quacum *oppidum.*

Hîc prædicauit S. Magnus, diſcipulus S. Galli, de quo VI. *Septembris ſic Beda:* S. Magni Confeſſoris diſcipuli S. Galli. *Maurolycus item:* Magni Confeſſoris, *eodem die. Galeſinus eodem die:* Ad Fauces, S. Magni Confeſſoris, qui, S. Galli diſcipulus, diuino prædicandi munere multorum animos ad pie agendum inflammauit, miraculorumque ac vitæ religiosè actæ laude nobilis, in Sanctos Summi Pontificis Romani auctoritate ab Epiſcopo Auguſtano adſcriptus eſt. *Etiam in eodem die Molanus in Annotationibus ſic:* De Magno Gaſpar Bruſchius de Epiſcopatibus Germaniæ. Lantho, aliàs Dantho, & iterum aliis Lancho dictus, XVI. Epiſcopus Auguſtanæ vrbis anno Domini DCCC.LXX. canonizauit cum conſenſu Romani Pontificis ſanctum Magnum: cuius Vitam etiam Emerito Monacho Elefancenſi eximiè docto deſcribendam, & poſteritati commendandam, commiſit. *Hic Lantho fuit Epiſcopus Auguſtæ Emeritæ tempore captiuitatis: de quo Iulianus Archidiacon. S. Iuſtæ anno* DCCC.LXX. *Fuit hic Monachus Benedictinus, vir doctus & eximiè ſanctus.*

D. L. *In Iuliano M. S. archetypo P. Hieronymi Higueræ legitur, vti edidi, ſic:* Bento Epiſcopus Cæſar-Auguſtanus, vel Auguſtanus, auctoritate Adriani Papæ refert in numerum Sanctorum S. Magnum in oppido Luſitaniæ ad Fauces. Scripſit autem hic vir Dei eleganti ſtylo contra Iconoclaſtas hæreticos. *vbi ex eâ Molani notatione ſuperiùs adductâ, legendum,* Lantho *pro* Bento.

DC. LX. DC. XXII.

34. Marcus Maximus, Monachus priùs Benedictinus, & pòſt Epiſcopus Cæſarauguſtanus, celebris poſt mortem habetur.

35. Mirè floruit S. Cæleſtinus, vir in Hiſpaniâ Conſularis, Martyr ſub Iuliano, Romæ in carcere menſe Maio mortuus cum aliis.

36. S. Leander, viſo Conſtantinopoli templo S. Thyrſi, fecit aliud Toleti.

DC. LXI. DC. XXIII.

37. Exacto Adalbaldo Exarcho Rauennate, regnat in Italiâ Ariobaldus primus Rex Longobardorum.

38. Sedes Aſſotana Bigaſtrum, quæ Murcia eſt, transfertur.

P. H. 34. *De Marco Maximo multi ſcribunt, ipſe in ſuo Chronico, S. Iſidorus in fine Virorum ſanctitate & litteris illuſtrium, Trithemius: & in Concilio* III. *Toletano, quod celebratur ſub Rege Gundemaro, mentio fit multa: fuit ex Ordine S. Benedicti, vir non minus ſanctus quàm doctus.*

D. L. *Adde: S. Braulio, Regimundus ad noſtrum Luitprandum, & Luitprandus ad Regimundum, & in Chronico num.* 22. *Helleças in Additionibus ad M. Maximum, Petrus Damianus Sermone* 8. *in Vigiliâ S. Benedicti, Iulianus noſter in Chronico nu.* 5. *& multis in locis. Quos, & alios Auctores congerit doctiſſimus F. Biuarius ad M. Maximum, in Elogiis Auctorum qui cum laude Maximi meminerunt.*

P. H. 38. *De hac tranſlatione etiam Maximus Cæſarauguſtanus: Etiam* Murcia, *vocata eſt* Acarta *ex M. S. Gotthico Monaſterij Parracenſis, ſic ibi:* Acarta Bigaſtrum. Hic iacet Reſtis Epiſcopus Vergaræ; *ergo* Murcia *dicta eſt* Acarta, &

ta, & Bigaſtrum: *& ſic Epiſcopi Bigaſtrenſes pertinent ad Carthaginenſem Spartariam. Huc ergo tranſlata eſt Sedes Aſſotana: quò credo tranſlatam fuiſſe Carthaginenſem Hiſpaniæ, poſtquam exciſa eſt tempore Leuuigildi, vel paulò priùs.*

Sedes Aſſotana Bigaſtrum, quæ Murcia eſt, transfertur.] *Dixi ad n.* 27. *de* Aſſotanâ *ciuitate, & Sede Epiſcopali; nunc de* Bigaſtro, & Murciâ, *quæ eadem eſt, vti in noſtro apparet Luitprando hîc, & in Aduerſariis num.* 87. *& in Iuliano in Aduerſariis nu.* 450. *Bigaſtrenſis Sedes nomen habet ab oppido Bigaſtro. Bigaſtrum dicitur* ἀπὸ τῆς βίας, καὶ γαστρὸς, *id eſt,* à vi & ventre; *quia opportuna vis colendo & curando ventri in eâ ſit ciuitate. Aliunde deducit Luitprandus in Aduerſariis d. num.* 87. *vbi* Bigaſtrum *ſcribit,* dictum quaſi duplex caſtrum. *Vtrumque non abs re, cùm ciuitas ſit amœna, & nobiles ſtrenuoſq. viros, pace belloq. inſignes ferat.* D. L.

Hæc eſt ciuitas Murcia, à voce myrto nuncupata. Plinius lib. 15. *Natural. Hiſt. cap.* 29. *agens de Deâ Murciâ:* Quin & ara vetus fuit *(eius ſunt verba)* Veneris Myrteæ, quam nunc Murciam vocant. *De aris Murciis meminit in Feciente apud Tuſculanum lib.* 2. *cap.* 96. *Feſtus eamdem appellat Murciam, & ſub Auentino ſacellum habuiſſe tradit; venit tamen corrigendus ex Plinio: nunc legitur in Feſto:* Murciæ Deæ ſacellum erat ſub Auentino, qui anteà Murcus vocabatur. *emenda:* quæ anteà Myrtea vocabatur. *Vel intellige, retentâ vulgari lectione, montem Auentinum priùs Murcum dictum; quod non probo. At Murcia ſuum deduxit nomen, quia homines præ deliciis murcidos reddebat. D. Auguſtinus de Ciuitate Dei lib.* 4. *cap.* 16. Deam Murciam, quæ præter modum non moueret, ac faceret hominem, vt ait Pomponius, murcidum, [*vel* murcum] id eſt, nimis deſidioſum & indactuoſum. *Tertullianus lib. de Spectaculis cap.* 8. *Deam Murciam recenſet, quam eſſe Deam marmoris dicit, fortè quia deſidioſi, quibus præſidebat, veluti marmorei ſunt; ſeu emendandum* marmoris, *in* amoris: *hoc enim nomen Veneri conuenire videtur. ita Pamelius, cuius veſtigiis inſiſtit Cerda, reprobatq. Turnebum, qui lib.* 22. *Aduerſ. cap.* 13. marcoris *ſcribendum putat. Murcia, ſeu Myrtea, conciliabat apud veteres amorem; apud quos per myrtum, mutuum amorem viri & mulieris, ſignificari in coniugio certum eſt. Quare Plinius lib.* 15. *cap.* 29. *ſcribit Romanos & Sabinos verbenâ ac myrto coniuratos amicè, dum Sabinas illi ad coniugium rapuiſſent: & ex tribus myrti generibus,* Sancta, *quæ ἁγία Græcis dicebatur, coniugiis dicata fuit. Hinc Catulli lectio firmanda in Epithalamio Iuliæ & Manlij; qui benè auſpicatus ex nuptiis, ramuſculos ſanctæ myrti illis dat:*

Floridis velut enitens
Myrtus hagia ramulis,
Quos Hamadryades Deæ
Ludicrum ſibi roſcido
Nutriunt humore.

Doctè F. Fortunatus Scacchus, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, in ſacrorum Elæochriſmis, Myrothecio primo cap. 51. *pag.* 495. Murci, *inquam,* apud Romanos dicebantur, qui, vt vitarent bellum & pugnæ congreſſus, pollices ſibi amputabant. *Et hunc inualuiſſe morem in Italiâ, auctor eſt Ammianus lib.* 15. *extremo de Gallis loquens:* Ad militandum omnis ætas aptiſſima, & pari pectoris robore ſenex ad procinctum ducitur, & adultus; gelu duratis artubus, & labore aſſiduo, multa contempturus, & formidanda: nec eorum aliquando quiſpiam, vt in Italiâ, munus Martium pertimeſcens, pollicem ſibi præcidit; quos ioculariter Murcos appellant. *Exemplum apud Suetonium in Auguſto cap.* 24. Equitem Romanum, quòd duobus filiis adoleſcen-

leſcentibus cauſsâ detrectandi ſacramenti, pollices amputaſſet, ipſum, bonaque ſubiecit haſtæ: *vbi Læuinus Torrentius. Meminit etiam Quintilianus lib.8. Inſtit. Orator. cap.5. cuiuſdam gladiatoris, cui, vt non luderet, pollicem amputauit ſoror, his verbis*: Vt in eum, quem ſæpiùs ludo redemerat ſoror, agentem cum eâ talionis, quòd ei pollicem dormienti recidiſſet: Eras dignus, vt haberes integram manum. Sic enim auditur, vt depugnares. *Legi iamdiu, pænè puer, in Martiale ad Spectac. librum:* Sic enim ad digitum depugnares. *Paulò namque inferiùs ſcribit Orator:* Contra eamdem ſororem gladiatoris, cuius modò feci mentionem: at digito pugnaui. *reponendum,* Ad digitum pugnaui. *Quiq; (ſi excurrere licet) pollicem ſibi præcidebant, rei erant læſæ Reipublicæ. Fortunatian. lib. 2. Rhetoricorum de Achronio:* Decem milites belli tempore pollicem ſibi amputarunt, rei ſunt læſæ Reipublicæ. *Noſter Luitprandus in Hiſt. PP. in Innocentio,* Murcorum *vocem obliuioni minimè tradidit.* De indigentiâ Clericorum, *inquit*, querimoniam facienti, cùm aliquos murcos [*lege* murcios] aliquos digamos, habere diceret; reſpondit, illum qui volens partem digiti ſui abſciderit, iuxta Canones non poſſe admitti ad Clerum. *Quæ eſt Epiſtola Innocentij quarta ad Felicem Nucerianum, affertq; Franc. Lindenbrogius ad lib. 15. Ammiani pag.45. Ad hanc pollicis abſciſſionem reſpexiſſe videtur Arrius Menander I.C. in l.* Qui cum vno, 4.§. Eum, qui filium, 12. *π. de Re militari*: Eum, qui filium debilitauit, dilectu [*lege* delectu] per bellum indicto, vt inhabilis militiæ ſit, præceptum Diui Traiani deportauit: *vbi Dionyſius Gothofredus litterâ O. explicitis verbis explanat. Conſtantinus Imperator in l.1. C. Theodoſ. De filiis militarium, lib.7. dum eos, qui ſe ſponte, reſectis digitis, bello inutiles feciſſent, curiis ciuitatum addixit. Verba ſunt:* Iubemus, ſi ad militiam inutiles reſectis digitis iudicentur, curialibus ſine aliquâ ambiguitate muneribus atque obſequiis adgregari. *Id verò alij principes vetuere in l.4. in eodem Cod. Theodoſiano, tit. de Tyronibus:* Eos, qui amputatione digitorum caſtra fugiunt, ſecundùm Diui Conſtantini decretum tua ſinceritas non ſinat manus deformatione defendi, ſiquidem poſſent in quacumque Reipublicæ parte prodeſſe, qui ſe ſponte truncauerunt. *Videndus Cuiac. lib.15. Obſeruat. vltimâ, & addenda capita 21.22.23. Canon. Apoſt. Iidem* Murcij, *labente Imperio, & linguâ Latinâ,* Murcinarij *dicti ſunt. Iſidorus in Gloſſar.* Murcinarius, mutilus: *ab Italis* Poltrones *nominati; quaſi pollice trunci: & vocabulo Italo-Latino* Pultrones. *S. Franciſcus Tomo 1. Opuſculorum, in opuſculo de Verâ & perfectâ lætitiâ, p.94.* Recedite hinc pultrones. *Latè Meurſius Exercitat. Critic. parte 2. cap.2. pag.67. Sauaro ad Sidonium Apollinarem lib.1. Epiſt.2. pag.12.* Murcij *ergo delicati, & eorum Dea* Murcia. *Amœnitates enim ei benè conueniunt: nam aëris temperies, aquarum ingens copia, vbertas, opes, diuitiarum abundantia, horti, nemora, fontes, faciunt omnium vrbium totius orbis indulgentiſsimam: ſuiq; habitatores, fortes etiam, & armorum exercitationi habiles, munitiſsimam reddunt.*

Bigaſtrum *ſucceſsiſſe* Carthagini, *inſinuat Garſias de Loayſa ad Concilia Toletana, vbi in explanatione aliquorum nominum antiquorum ſcribit:* Acarta Bigaſtrum, *id eſt,* à Carthagine Bigaſtrum: *collocaturq; inter Illicem & Carthaginem; & ſic eſt* Murcia, *vel* Bigaſtrum, *inter Carthaginem & Oriolam, quæ eſt Illicis. Videndus Loayſa ad Concilium apud Lucum à Theodomiro Principe habitum pag.151. verbo* Illicis. *Bigaſtrum prætereà partiebatur terminos cum Vrci & Illice. Sic inuenitur in diuiſione terminorum à Rege VVambâ.* Vrci teneat à Geſtâ, vſque Carthaginem, & à Pugillâ vſque Loſolam, Illicem à Pugillâ vſque Loſolam. *Loſola eſt hodie* la Loſilla, *quæ dat nomen hoſpitio campeſtri euntibus Murciâ Toletum; vulgò,* La venta de la Loſilla. *Hinc patet, inter Carthaginem & Illicem concludi terminos Epiſcopatus Bigaſtrenſis. Iuuat etiam, quòd porta Illicitanæ ciuitatis, quæ Murciam ducit, nunc vocatur* Puerta de Magaſtre, *id eſt, quâ itur Bigaſtrum. P. Ioannes Mariana, maximus inter magnos antiquitatum indagatores, lib.6. Hiſt. Hiſpan. c.*15. Bagaſtra: Huius vrbis nullum veſtigium extat; tantùm verſus Origuelam ſita fuiſſe putatur, tum ex locorum ordine, tum ex portæ Migaſtri nomine [*Hiſpanè ſcripſit,* de Magaſtro] quæ in eâ vrbe eſt indicio. *Eruditè de eâdem portâ doct. Franciſcus Martinez in libello Antiquitatis Origuelæ cap.3. pag.154. B. Accedit item teſtimonium Raſis Hiſtorici Saraceni, qui inter Epiſcopatus ſubiectos Toletano enumerat Murcienſem anno* CM. *Bigaſtrenſis ergo Sedes, Murcienſis eſt: atque Murgenſis ciuitas, & Bigaſtrum, eadem. Et, vt nulla reliqua ſit deinceps legentibus dubitatio, audiamus Iulianum in Opuſculo de Eremiteriis n.*14. Eremiterium S. MARIÆ de Arraxaca *(ſic ibi legendum)* Murciæ, quæ tempore Gotthorum dicta eſt Bigaſtrum, quò tranſlatus eſt Epiſcopatus Carthaginenſis Spartariæ: & in dicto Eremiterio baptizati ſunt S. Leander, & Theodoſia ſoror eius, prior vxor Regis VViſegotthorum Leouigildi, mater ſanctiſſimorum Regum Hermenegildi Martyris, & Riccaredi Regis pientiſſimi religioſiſſimiique: quos baptizauit Dominicus [*lege* Domitianus] primus huius nominis Epiſcopus Carthaginenſis. Et fuit Eccleſia Muzarabum poſt captiuitatem Murciæ, tempore Maurorum. *Hic Epiſcopus confirmauit ſexto loco in 11. Concilio Toletano, & fuit anteceſſor Liciniani: cuius nomen in catalogo Epiſcoporum apponit Rex D. Alfonſus Sapiens in ſuâ Hiſt. Generali 2. parte cap.51.*

Antiquam autem eſſe ciuitatem Murciam, docet ſitus, fluminis commoditas: qui propter ingentes, quas adfert incolis commoditates, vocatur Græcis Theodorum, hoc eſt, donum Dei: de quo Luitprandus in Aduerſariis num.296. & Leandrum Theodoſiamq; ibi natos. Quod indicat manifeſtè ſæculo illo Gotthorum, principem fuiſſe ciuitatem, nec caſui tribuendum, quòd Theodora bis in eâ peperit, ſed quòd ibi domicilium haberet. Et, quod caput eſt, M. Maximus Auctor, qui ante mille annos ſcripſit, vrbem vocat Murciam, *anno Chriſti* D.XXXIV. Murciæ, quæ Bigaſtrum Gotthis dicta eſt. *Commentator Græcus, agens de rebus Pomponij, pro* Vrci, *legit* Murci, *&* Murgis, *vel* Murcis. *Venit iterùm, & eſt mihi ſæpè vocandum ad partes Concilium apud Lucum pag.138. vt vnâ fideliâ duos parietes dealbare videar.* Vrgi: hæc teneat: de Egeſta vſque ad Carthaginem: de Gaſtri vſque ad Mundam. *Ego ſic legerem:* Vrci hæc teneat: de Egeleſta vſque ad Carthaginem: de Bigaſtri vſque ad Mundam. *Sic etiam legendum in Iuliani Aduerſ. num.346.* Erat oppidulum Egeſta [*lego* Egeleſta] non procul oppido Portillâ. *& n.484.* Et Egeſta [*ſcribe* Egeleſta] oppidum Cueuas, prope Portillam, ex ruinis Egeleſtæ factum. *iterùm num.364.* Portillæ, *vel* Portilliæ *oppidi inuenitur nomen in quodam Regis Sancij diplomate ærâ* M.LXXVII. *id eſt, anno Domini* M.XXXIX. *quod refert Ambroſius Morales ad lib.2. Memorialis ſancti Eulogij cap.7. num.8. pag.59. & in ipſomet Iuliano in Aduerſar. n.484.* In diuiſione Epiſcopatuum, *inquit,* Regis VVambæ, in Epiſcopatibus, Ælitano, Secura, nomen habet Montania; eſt Montania ningida, & Egelaſta. Oppidulum Cuebas, prope Portillam, ex ruinis Egelaſtæ factum. *Ex his corrigendus locus Iuliani in Aduerſariis num.30. vbi ſi non eadem (in quam ſententiam magis inclino) Vrci, & Almeria propè inter ſe ſitæ:* Vrci, in Tarraconenſi Prouinciâ, quæ nunc [*Almeria*] dicitur, in littore maris Mediterranei, non procul Carthagine, Sedes Epiſcopalis fuit: vbi S. Indaletius Epiſcopus, diſcipulus ſancti

Iacobi, prædicauit. Partitur terminos cum Episcopatu Bastetano per [*Egelestam*] nunc *Velezblanco* dicitur, cum Bigastro, scilicet Murcia, & fluuio & oppido Mundâ. *Dixerat priùs in Aduersariis Luitprandus num.*291. *Agnoscit hoc ipsum idem Iulianus in expugnatione Almeriæ, quam versibus descripsit; & digito ad fontem intenso, mihi demonstrauit doctissimus P. Franciscus Biuar excusos à Don Fr.Prudentio de Sandoual in Hist. Imperatoris Alfonsi* VII. *Requirebam priùs ego in editione Iuliani, monitus ab ipsomet in Aduersariis num.*482. *& à P. Portocarrero Societatis* IESV *in aureo suo libello de Decessu B.* MARIÆ *Virginis fol.*91. *vti in Epistolâ prosphoneticâ dixi: & non solùm iam excusos, vti dixi, vidi, sed habeo manuscriptos cum Historiâ Imperatoris Alfonsi* VII. *concinnatâ à nostro Iuliano; quam, si per temporis angustias licuerit, euulgabo. Agnoscit, inquam, Iulianus, dum agens de Almeriæ oppugnatione, in quâ, veluti inter stellas luna minores, emicuit virtus Comitis Pontij, ait:*

Escas ipse parat præ se (*fortè legendum* per se) sua vina propinat
Militibus lassis, dum tollitur horrida cassis:
Mauris est pestis, fuit Vrgi (*lege* Vrci) posteà testis.
Sumitur hoc castrum, sed & Vrci, sternitur ipsum.

Hinc iterùm noster Archipresbyter in Aduersariis num. 363. *illustrandus.* Et quia dictum est passum S.Episcopum *(de S.Indaletio agit)* Vrci, vbi fuit Episcopus, & repertum est corpus eius Almeriæ, à quibusdam antiquis deceptis, vocata est Almeria Vrci. *Non eamdem fatetur,* Vrci *&* Almeriam; *sed non longè dissitas necesse est vt agnoscat. Primùm ex dicto num.* 363. *in Aduersariis: apertiùs num.*482. Hìc *(hinc)* destructâ vrbe *(Vrci scilicet)* Christiani sedem mutarunt, & tulerunt secum ad Almeriam corpus S. Pontificis & Martyris in Vrcitaniâ vrbe passi anno III. Neronis. Colitur XV. die Maij. *Firmant secundùm versus & Notæ, quas luci dedit Archiepiscopus Garsias de Loaysa in Concilio apud Lucum pag.*264. *Ait enim, in Monasterio Parasses, in quo antiquitus Vita Canonicorum Regularium sanctè floruit, & tunc obseruantia D.Hieronymi, dum noster Rex Catholicus Philippus* II. *ibi moraretur, incidisse se in librum manuscriptum membranaceum, vbi legebatur:* Vrci, quæ modò Almeria vocatur. inde versus:

Insistens operi, venit Indaletius Vrci,
Quæ pòst mutata, fuit Almeria vocata.

*D. Ferdinandus de Mendoza, vir apprimè doctus, in suo Concilio Illiberitano lib.*1. *cap.*11. *fol.*97. *hanc secutus opinionem, scribit:* XVI. Ianuarius Vrci] aliàs Virgi, vulgò Almeria. *De S.Indaletio, Vrci & Almeriâ, plura congerit, & doctè, Abbas D.Ioannes Briz in Historiâ S.Ioannis de la Peña lib.*3. *cap.*28. *vsque ad finem libri.*

Denique, vt tam longo excursui finem iam imponam, sciendum est, dum Hispania venit in potestatem Saracenorum, habuisse hoc nomen Murciam, vti ex Rase refert Morales lib. 12. *cap.*22. *plenâ manu Franciscus Cascales in Murciæ descriptione cap.*1.

De Bigastro & Murciâ *iterùm Iulianus in Aduersariis n.*86. *vbi de Sanctis Rustico & Crispulo, de quibus Ioannes de Robles in libello de Cruce Caravaccæ lib.*1. *cap.*2. *fol.*5. *& D.Fr.Prudentius de Sandoual, Episcopus Pampilonensis, in Antiquitate Tudensis Ecclesiæ & ciuitatis fol.*17 *col.*1. *&* 2. *S. Crispulum autem fuisse amicum M. Val. Martialis asserit Iulianus in Aduersariis num.* 4. *Nec Chronologia resistit: Martialem namque sub Nerone etiam vixisse, plures docent (sub quo passus Crispulus) inter eos Matthæus Raderus, Societ.* IESV *Presbyter, in Comment. ad Martialem, tertiis curis, in eius Vitâ pag.*3.

*Pro corollario idem Iulianus in Aduersariis num.*365. Finis huius Episcopatus Vrcitani, Munda fluuius, vbi influit in Taderem, vel Securam, Carthaginem & Murciam, dictam olim Bigastrum, & castrum Dotanæ, nunc Totanæ: *& num.*366.

DC.LXII. DC.XXIV.

Moritur in prælio Heraclius Imperator Romanus. 39.

Reuersus Hispali Ildefonsus Toletum: eum Archidiaconum suum Helladius facere volebat; ille verò cedens sæculo, vitam agit in Monasterio Agaliensi, quod in suburbio Toleti est (vt nosti) Septemtrionem versus, non procul à Tago flumine, & à Prætoriensi templo S. Leocadiæ extra muros, in planitie: quod ego, dum Toleti fui, frequenter inuisi. Et etiam alterum, Agaliensis huius coloniam ad pagum * Buralganiam à Mauris dictum, * *leg.* Bepluſquam tria milliaria à Toleto distans. Sed in priori (quod nalfauiam non procul ab Eremiterio S. Susannæ prope Tagum fuit) S. Ildefonsus vitam egit: quod, vt dixi, sæpiùs inuisi, cùm fui Subdiaconus Toleti sub Bonito I. huius nominis Toletano Archiepiscopo, priùs Abbate Agaliensi. 40.

Tonantius, Episcopus Palentinus, vir sanctus, moritur. 41.

39. *Non est hic, Heraclius Imperator Augustus, de quo nu.*44. *is enim nec hoc anno, nec in prælio obiit. Sed, vt animaduertit Luitprandus, anno* DC.XLII. *infrà num.*72. *Vbi, non ex aduersione, sed consultò dixit, Heraclium, qui Crucem restituit, mortuum fuisse; quasi discriminans ab isto Heraclio, Duce Romanorum; cuius, Scriptores Vitæ Mauritij Imperatoris, meminêre. Quos inter micat, vti luna inter minores stellas, noster Petrus Mexia, Nobilis Hispanus, in suis Cæsaribus, in Mauritij Vitâ.* D. L.

40. *De reditu sancti Ildefonsi Hispali in vrbem Regiam Toletum crebra mentio est in Vitâ ipsius Ildefonsi, à Cixilâ & Iuliano Episcopo Toletano scriptâ. Vbinam fuerit Monasterium Agaliense, docuimus latiùs in Historiâ Ecclesiasticâ vrbis Toleti, & ideò non est opus hìc pluribus de hoc situ agere, maximè cùm hìc Luitprandus satis id graphicè declaret; doceatq;, sub Bonito Pontifice Toletano se fuisse tunc in eâ vrbe, & cum Abbate Agaliensi magnum vsum habuisse.* P. H.

41. *De Tonantio S.Ildefonsus. Fuit vir egregiè pius ac doctus; præfuit Ecclesiæ Palentinæ: mortuus est anno Domini* DC.XXIV. P. H.

DC.LXIII. DC.XXV.

S.Helladius, Episcopus Toletanus, vitæ sanctimoniâ & eleëmosynarum in pauperes misericordiâ clarus habetur. 42.

42. *Fama longè lateq; diffundebatur per omnes Hispaniæ partes sanctitatis beatissimi Pontificis Helladij, præcipuè tamen eximiæ cuiusdam largitatis in pauperes. Sic S.Ildefonsus in eius Vitâ verbis quidem magnificis:* Miserationes, eleëmosynarumque copias, *inquit,* tam largè egenis intulisse probatur, ac si de illius stomacho putasses inopiam & artus descendere, & viscera confoueri. P. H.

DC.LXIV. DC.XXVI.

Primogenius Patriarcha Gradensis floret multùm. 43.

DC. LXVII. DC. XXIX.

44. Imperator Heraclius, repetitâ Cruce, ex Perſide in ſanctam vrbem Ieroſolymitanam triumphans intrat.

DC. LXIX. DC. XXXI.

45. Protaſius, Epiſcopus Ambracienſis in Luſitaniâ, prope Laconimurgum mirificis floret virtutibus.

P. H. 45. *De Ambraciâ in Luſitaniâ, quæ nunc* Placentia, *iam ſæpè aliàs. De Protaſio verò Epiſcopo hoc non legi aliàs.*

D. L. Protaſius Epiſcopus Ambracienſis.] *Ambracia opidum, dictum κατ' ἐξοχὴν* MVNICIPIVM. *Sic Iulianus in Tractatu de Eremiteriis num.* 16. Quod oppidum Ambracia, per emphaſin dictum eſt MVNICIPIVM. In Concilio Illiberitano confirmat Archipresbyter Eucharius à Municipio. Qui hoc tempore, ſcilicet conditi templi, dicitur fuiſſe Epiſcopus, vir apprimè ſanctus & doctus. *agens de eodem Eucherio, qui inter Presbyteros decimotertio loco adſtitit in Concilio Illiberitano. D. Ferdinandus de Mendoza* Municipium, Calagurrim *eſſe autumat lib.* 1. *cap.* 11. *fol.* 97. *D. Gregorius Lopez Madera in Monte ſacro cap.* 23. *fol.* 92. *pag.* 2. Municipium Florentinum Illiberitanum *eſſe aſſerit. P. Franciſcus de Biuar ad Dextrum, anno Chriſti* CCC. *Comment.* 1. *n.* 5. Municipium Albenſe *explicat, quod* Arjona *nuncupatur. Illuxit Iulianus, & tenebras ab Antiquitate offuſas pellit.*

De Ambraciâ vrbe idem doctiſſimus P. Franciſcus de Biuar in Dextrum anno CC.LXVIII. *num.* 4. *pag.* 294. *vbi hanc ciuitatem Græcos condidiſſe ſcribit: & noſter Iulianus docet in dict. num.* 16. *his verbis:* A Conſtantini tempore, poſt datam Eccleſiis pacem, ſumptibus Reginæ Helenæ ſanctiſſimæ ædificatum ex templo Berecynthiæ *(Matris deorum)* Eremiterium S. MARIÆ Fontis dominarum apud Ambraciam vrbem.] *Vbi obiter animaduertendum, duo dixiſſe Iulianum, &* Eremiterium *à Conſtantini Imperatoris temporibus ædificatum, & pòst ibidem habitaſſe Moniales Ordinis S. Benedicti.*

DC. LXX. DC. XXXII.

46. Primâ die Maij moritur ſanctè compoſiteque Toleti Arthuagus, Monachus Auguſtinianus, Sciſlæ Toletanæ.

47. Hoc tempore floret Oroſius, Epiſcopus Elborenſis, in Carpetaniâ.

48. Iuſtus, Diaconus ſæcularis S. Helladij Epiſcopi Toletani, Hiſpaniarum Primatis (vt ceteri fuerant, à S. Elpidio, Iuliano, Saturnino, M. Marcello Eugenio) eidem ſancto Pontifici moleſtus ludibriis, dicteriis, & malo linguæ, infeliciſſimo genere mortis malam vitam finiuit, Epiſcopus Gallus.

49. Hoc anno XVIII. die menſis Februarij ſanctiſſimus Pontifex Toletanus Helladius grandæuus ſanctè decedit.

50. Fides Chriſti à diſcipulis S. Iacobi primo centenario prædicata, Canariæ creſcit. Patitur S. Auitus in Canariâ, & in inſulis adhuc durat.

51. Eligitur Præſul Toletanus S. Iuſtus, Monachus Benedictinus, ex

ex Monaſterio Agalienſi, Rector patrimonij: hic longè alius à ſæculari: qui vir ſanctus, pius, innocens & optimis moribus inſtructus, præeſt tres annos ſuis Monachis.

Sub hoc Præſide Iuſto, Rege Wiſegotthorum Siſenando, coacta eſt IV. Synodus Toletana, LXII. Epiſcoporum virorum excellentium grauitate, litteris & moribus: præfuit S. Iſidorus. 50.

46. *De Arthuago, Monacho Auguſtiniano, agit multis Hieronymus Romanus in Hiſtoriâ, quam luculenter de ſuo Ordine ſcripſit.* P. H.

Arthuagus.] *Iulianus in Chronico num.* 325. *anno Chriſti* DC.LIX. Hoc tempore 1. Ianuarij moritur Toleti Arthuagus, Monachus Auguſtinianus, vir apprimè feruens zelo Dei. *M. Maximus anno Chriſti* D.LXXXIV. Arthuagus Gotthus, ex Ordine S. Auguſtini Monachus, Sciſlæ Toleti floret ſanctitate. *Ambroſius de Morales lib.* 12. *cap.* 18. *Rodericus Carus, Muſis chariſſimus, in Maximo, anno* D.LXXXIV. *pag.* 202. *B. Gabriel Pennotus in Hiſt. Tripartitâ Clericor. Canonicorum lib.* 1. *cap.* 56. *num.* 1. *&* 2. *qui noſtrum refert P. M. Ioannem Marquez cap.* 11. §. 2. *in lib. de Ordine S. Auguſtini: noſtrum itidem non amandet Luitprandum, & ſuum antagoniſtam aggrediatur. Chronologia diſcrepat inter Auctores.* D. L.

Sciſlæ Toletanæ.] *De* Sciſlâ, *vel* Siſlâ, *ſeu* Ciſlâ, *Monaſterio Toletano, inf. num.* 293. *Ioannes Beuter, & Eſcolanus in Hiſt. Valentiæ, Ioſeph Segunt. in Hiſt. Ordinis S. Hieronymi, Alcoçer & Piſa in Hiſtor. Toletanâ: ex antiquis, Iulianus in Tract. de Eremiteriis n.* 9. Monaſterium S. MARIÆ Ciſlæ, tempore Gotthorum ab Auguſtinianis Monachis poſſeſſum à Rege Athanagildo; à quo ſeſe dicunt deſcendere Pantojæ, & ideò ſunt Patroni huius Eremiterij. *Marcus Maximus anno Chriſti* D.LXII. Monaſterium Sciſlæ S. Auguſtini ab Athanagildo Rege VViſegotthorum Toleti ædificatur. *Latè & eruditè probat P. M. Ioannes Marquez in lib. de Origine Ordinis S. Auguſtini cap.* 11. §. 2. *& 3. cum quo pugnat Pennotus lib.* 1. *de Clericorum Regularium Hiſt. cap.* 57. §. 6. *& Fl. L. Dextrum, M. Maximum, Luitprandum expungit; quamuis in textu Biuarienſi teſtimonium Fl. L. Dextri adductum à Marquez non inueniam.*

47. *De Oroſio, Elborenſi Epiſcopo in Carpetaniâ, & de Epiſcopatu Elborenſi vel Talabricenſi, aliàs multis egi: nunc eius Epiſcopatus manet veſtigium in Archidiaconatu Talabricenſi, qui docet olim ibi fuiſſe Sedem Epiſcopalem. Dicta eſt Talabrica, vel Elbora, antiquitus Aquenſis ciuitas, à multitudine bonarum aquarum, quæ paſſim per vicos cernuntur.* P. H.

Hoc tempore floret Oroſius, Epiſcopus Elborenſis, in Carpetaniâ Diaconus.] *Iulianus d. num.* 325. Floret tunc Oroſius Epiſcopus Elboracenſis, ſanctus, ac doctrinæ laude præclarus. D. L.

48. *Duos ponit hîc Iuſtos in Eccleſia Toletanâ, ſed vtrumque Epiſcopum, alterum Toletanum virum ſanctum, doctum, & valdè religioſum; alterum verò Diaconum S. Helladij, non eius ſucceſſorem. Præter ea, quæ dicit hîc Luitprandus, & n.* 51. *&* 52. *id ex ipſo manifeſtè colligitur Ildefonſo: cuius verba benè conſiderata, inter vtrumque Iuſtum ponunt magnum diſcrimen.* Rurſus cùm Helladio Epiſcopo Sedis eius Iuſtus Diaconus faſtu ſuperbiæ inſultaret, poſt mortem equidem ſui Pontificis vixit Epiſcopus: & ipſe tabefactus; ſed in reprobum verſus ſenſum, ob intemperantiam morum, à miniſtris altaris ſui dormiens ſtrangulatus laqueo expirauit. *Reuerà ſi hic Iuſtus fuiſſet Archiepiſcopus Toletanus, non ſolùm diceret,* poſt mortem ſui Pontificis vixit Epiſcopus; *ſed adderet,* eius ſucceſſor: *quemadmodum agens de Iuſto Toletano, ſic* P. H.

ait:

ait: Item cùm succeſſori eius Iuſto Epiſcopo, *&c. Quia cùm eſſet Abbas, vel Rector Agalienſis, vocatus eſt ad Sedem Toletanam immediatè poſt Helladium. Quomodo ergo potuit eſſe Diaconus Toleti ſimul, & Abbas Agalienſis? Hæc munera adeò negotioſa ſunt, vt vnum cum altero nullo modo ab eodem præſtari poſſit. Sic cùm S. Ildefonſus in Agalienſi Monaſterio tertius poſt illum S. Helladium Rector eſt factus,* extitit Rector annis tribus. *Sed dices: Ex Monacho factus eſt Diaconus Toleti, & poſteà factus eſt Abbas Agalienſis. Rem illis temporibus mihi narras inuſitatam, vt videri poteſt in Eugenio Monacho, qui vocatus ad Eccleſiam Toletanam cum Helladio, & ab eodem Helladio, numquam ad Monaſterium reuerſus eſt; & ob id non fuit Abbas Agalienſis: ſicut etiam idem accidit M. Maximo, Monacho Benedictino Cæſarauguſtano, qui ex Archidiacono Cæſarauguſtanæ Eccleſiæ, ac S. Mariæ Pilaris, numquam ad Monaſterium reuerſus eſt. Sed præſtat S. Doctoris Ildefonſi verba concepta ſubiicere, quæ ſunt hæc:* Hunc, ſcilicet Eugenium, ſecum Helladius à Monaſterio tulit ad Pontificatus tractus; qui rurſus ab eo Clericalibus inſtitutus Ordinibus, Sedis eius poſt eum tertius Rector acceſſit.

Adde, quòd Iuſtus non fuit ſacratus ab Helladio, niſi Lector. Sic S. Ildefonſus: Eugenius, diſcipulus Helladij, Collector & conſors Iuſti. *Ergo factus ſimul cum Eugenio Lector.*

Quartò, quomodo ſibi contrarius eſſet S. Ildefonſus, qui dixerat in Proœmio de Iuſto illo ſic: Cùm Helladio Epiſcopo Sedis eius, Iuſtus Diaconus inſultaret, poſt mortem quidem ſui Pontificis vixit Epiſcopus: & ipſe tabefactus, ſed in reprobum verſus ſenſum, ob intemperantiam morum, à miniſtris altaris ſui dormiens laqueo ſtrangulatus expirauit? *Quaſi denotaret in peccato mortali deceſſiſſe hunc Iuſtum intemperantem, ſuperbum, peculantem. Quomodo ergo, ſi hic ipſe eſt qui fuit Archiepiſcopus Toletanus, dicit de illo in Vitâ S. Eugenij:* Et bonum meritum ſenis, qui duobus diſcipulis, ſanctisque filiis, Eccleſiæ Dei hereditatem meruit relinquere gubernandam? *Quomodo ergo, ſi intemperans moribus peßimusq; mortem oppetiit, vocat eum ſanctum filium Helladij? Sint ergo duo Iuſti, diſſimiles ſtatu, moribus, curſuq; viuendi; alter laicus, alter Monachus; alter intemperans, alter ab infantiâ ſanctis moribus imbutus: vterque tamen Epiſcopus poſt Helladium; alter Toletanus, eiuſq; ſucceſſor in Sede Primate; qui fuit ſæcularis, creditur à nonnullis, Accitanæ Eccleſiæ fuiſſe Pontificem; confirmatq; in Eccleſiâ Toletanâ Concilio Toletano* VI. *num.* 44. *ann.* DC.XXXVIII. *ſeptem annos poſt mortem ſanctiſſimi Pontificis Helladij. Interfuerunt Clarentius & Serpentinus. Potuit eſſe alterius Eccleſiæ: ſed quòd hic ſit, nomen & temporis propinquitas multùm faciunt. Sed reuerà, ſi talis fuiſſet Iuſtus, non tacuiſſet S. Ildefonſus in eius Vitâ, vbi ſic:* Iuſtus, poſt Helladium, diſcipulus eius, illiq́ue ſucceſſor, vir habitudine corporis ingeniiq́ue meritis decorus atque ſubtilis: ab infantiâ Monachus: ab Helladio ad virtutem monaſticæ inſtitutionis affatim educatus pariter & inſtructus, in Agalienſi Monaſterio tertius poſt illum Rector eſt factus: extitit Rector annis tribus: tempore Siſenandi obiit: qui Rex poſt hunc die nonodecimo defunctus abſceſſit. *Præterea, cùm regerentur Monaſteria conſilio ductuq; Pontificum Hiſpanorum, non eſt credibile, ſanctiſſimum & innocentiſſimum virum Helladium aſſenſum præbiturum, vt homo nequam, & ſuperbus, ac inſolens, & malis moribus præditus, ſufficeretur regendo Monaſterio, vbi tantoperè florebat diſciplina monaſtica, & vigor ſanctitatis, quem diutiùs ſeruauit Ordo Benedictinus. Neque enim id ratio, prudentia & amor erga ſuam Religionem vllo modo paterentur. Ex quibus rationibus colligitur, malè lapſos eſſe Scriptores, qui tam ineuriosè legentes S. Ildefonſum, ex duobus Iuſtis*

Iuſtis vnum ininſtè conſuerunt, & tam manifeſtam labem notamq; S. Eccleſiæ Toletanæ, & Ordini ſanctiſſimo Benedictinorum aſperſerunt; non certè deditâ operâ, ſed per incuriam. Expediret itaque bonos Auctores non dormitantes, ſed vigiles & vehementer attentos percurrere, locaq; cum locis conferre. In quem ego ſimul errorem incidiſſem, niſi Luitprandus, Auctor diligens, & acri vir iudicio, mihi nunc aurem vellicaſſet. Scripſit nonnulla ad Achilanem Abbatem Agalienſem.

49. *Mors S. Helladij fuit initio Regni Siſenandi, hoc eſt, anno* DC.XXXI. P. H. *Celebratur eius feſtum in Martyrologio nouiter Romæ edito, die* XVIII. *Februarij. de quo S. Ildefonſus lib. de Viris Illuſtr. & Rodericus lib.* 2. *cap.* 7. *Sic venerabilem Helladium, Toletanæ Sedis Metropolitanum Epiſcopum, ſanctitatis præconio præfulgentem Eccleſia veneratur: cùm Summus Pontifex Martyrologium auctoritate ſuâ toti proponat Eccleſiæ, vt ij ſolùm habeantur Sancti, qui hîc ſunt ſcripti. & hoc eſt canonizare Sanctos: nam quid eſt canonizare, niſi aliquem Sanctum toti proponere Eccleſiæ Dei, habendum, colendum & nominandum Sanctum? Hoc ſit, quatenus in vniuerſâ Eccleſiâ proponitur S. Helladius. Ergo iam eſt canonizatus, de quo non fiebat vllum in Hiſpaniâ Officium, vt nonnulli viri docti conqueruntur.*

Moritur S. Helladius XVIII. *Februarij, anno* DC.XXXII. *primo anno Siſenandi, qui cœpit ab* VIII. *Septembris: defluxerant iam ſex menſes: præfuit annis tribus, menſibus ſex, ab initio circiter Martij vſque ad duos dies vel tres Septembris. Igitur fuit Rector patrimonij annis tribus, ex Ildefonſo; & ſex menſibus Pontifex Toletanus, ex Luitprando: cui multùm debemus.*

52. *Hæc Synodus aſſertur à D. Garſiâ Loayſa, ex libris Gotthicis manuſcriptis:* P. H. *ibi confirmat Iuſtus Epiſcopus Toletanus: habita eſt anno* DC.XXXIII. IX. *Decembris die S. Leocadiæ, & in eius Eccleſiâ, ſcilicet in Baſilicâ: qui annus erat tertius Regis Siſenandi: primus cœperat ab* VIII. *Septembris: ſecundus finitus erat anno* DC.XXXIII. VIII. *Septembris. Ab hoc die inceperat tertius Regis Siſenandi, fluxerant illius anni tres, menſis & dies vnus; &, vt celebrior eſſet feſtiuitas S. Leocadiæ, eo die in eius S. Martyris Baſilicâ (credo in Parochiali) habita eſt* LXII. *Epiſcoporum Synodus.*

DC.LXXII. DC.XXXIV.

Honorius Papa obiit III. Idus Octobris: ſedit in Petri Sede annum vnum, menſes ſeptem, dies verò octodecim. 53.

DC.LXXIII. DC.XXXV.

Alexandria & Ægyptus * à Saracenis durè captæ. 54.

Iuſtus, Archiepiſcopus Toletanus, Monachus Benedictinus, vir magnæ religionis, ſanctè moritur III. die Septembris. 55.

Siſenandus, Rex Wiſegotthorum Catholicus, moritur Toleti XXII. Septembris, ſepelitur in æde S. Leocadiæ Prætorienſi. 56.

Cintila eligitur in locum Siſenandi, ſub finem menſis Septembris; vir acer, & armorum exercitatione ſtrenuus. 57.

Eligitur Eugenius in locum Iuſti, Toletani Archiepiſcopi. 58.

Eugenius XXV. die Octobris conſecrat, inungit & coronat Regem *Cintilam in præſentiâ multorum Epiſcoporum & Aulicorum, in æde S. Leocadiæ Vrbanæ. 59.

* *al.* à Saracenorũ Duce

* *al.* Chintilanem, *ex M. S.*

P. H. *55. Iustum defunctum anno Domini* DC.XXXV. *die* III. *Septembris, id est, annis & aliquot mensibus post felicem discessum S. Isidori, Episcopi Hispalensis, credo sepultum in Agaliensi Monasterio; nisi mauis, in æde Prætoriensi S. Leocadiæ, vbi S. Helladius. Hic à Marietâ & Prudentio Sandoualio vt Sanctus habetur.*

Nondum notè satis terris, notissime cælo,
Heu moreris gentis gloria, Iuste, tuæ.
A puero es Monachus Benedicti castra secutus,
Discipulus sancti charior Helladij.
Iria te genuit, Toletum nutrit in arctis
Ordinis obsequiis, & vocat ad Cathedram.
Agaliensis eras priùs in pietate palæstræ,
Altus ad egregias inde vocaris oues.
Doctus, amans æqui, castus, moderatus, honestus,
Sobrius, ingenio, relligione vales.
Vt fueras solers Abbas, sic prouidus ipse
Præsul; & officio sic in vtroque decens.
Te vocat Alfonsus Sanctum, sanctissimus idem;
Dignus es, & compar Præsulis Helladij.
Tertia lux meritum Septembris te intulit astris:
Leucadiæ in templo busta parata tibi.
Diaconum qui te credunt vixisse beati
Helladij, falli arbitror hos nimiùm.
Hic Lector fuit Helladij; sanctissimus Abbas
Dum regit Helladius, Agaliensis erat.
Hinc Toletanam Præsul conscendit ad vrbem,
Moribus & sophiâ non minor Helladio.
Ora pro nobis Præsul iustissime Iuste,
Note Deo, doctis note, piisque viris.

P. H. *56. De morte Sisenandi, nouem diebus post mortem S. Præsulis Iusti, S. Ildefonsus scribit in Vitâ Iusti.*

P.H. *57. De electione Cintilæ Isidorus in Historiâ Gotthorum, Ildefonsus, Rodericus: de die nullus præter Luitprandum.*

P.H. *58. De Eugenio aliàs in Concilio* III. *Toletano, & D. Ildefonsus de Eugenio I. in hunc modum:* Eugenius discipulus Helladij, Collector & consors Iusti, Pontifex post Iustum abscessit, ab infantiâ Monachus, ab Helladio cum Iusto pariter sacris in Monasterio institutionibus eruditus. Hunc secum Helladius à Monasterio tulit, ad Pontificatum tractus: qui rursus ab eo clericalibus institutus Ordinibus, Sedis eius post eum tertius Rector accessit: & bonum meritum senis, qui duobus discipulis sanctisque filiis Ecclesiæ Dei hereditatem meruit relinquere gubernandam. Idem Eugenius moribus incessuque grauis: nam numeros, statum, incrementa, decrementaque, cursus, recursus lunarum tantâ peritiâ nouit, vt considerationes disputationis eius auditorem in stuporem verterent, & in considerabilem doctrinam inducerent. Vixit in sacerdotio ferè vndecim annis, regnantibus Cintilâ, Tulgane & Cindasuindo Regibus. *Hæc ille. Interfuit tribus Synodis Toletanis* V. VI. VII. *S. Ildefonsus vocat hunc Sanctum, vt vocarat Iustum, de duobus dicens discipulis*, Sanctisque filiis. *Sedit in Sede Primate ferè vndecim annis. in cuius gratiam hoc iuuat sepulchrale carmen addere:*

Eugeni Olympiacâ Præsul dignissime lauro,
Cuius & ingenio machina tota subest:

In

In dubio est, vtrùm maior pietate vocandus
Sis, an doctrinâ; quando in vtroque micas.
Sedulus es Pastor, Pater optimus, omnibus idem,
Mercaris superas relligione domos.
Morte triumphatâ scandis super æthera victor,
Et cingit frontem laurea sacra tuam.
Inter Apostolicos splendescis Apostolicus vir,
Non minor Eugenio, nec minor Helladio.
Pro nobis effunde preces sanctissime Præsul,
Et Monache excellens, Præsul & eximie.
Tu patriamque, tuamque regas mitissime gentem,
Quæ tibi sollicitâ supplicat ipsa prece.

Meminerunt etiam huius Garibaius, Mariana, Marieta, Magister Prudentius à Sandoual, & alij recentiores.

59. Eugenius more gentilitio Gotthorum consecrat, vngit & coronat Chintilanem XXV. *Octobris, die Dominico, in æde S. Leocadiæ Prætoriensi, vbi eius iacuit corpus. Toletanis hæc sacra Basilica dicitur* Santa Leocadia de afuera. P. H.

DC.LXXIV. DC.XXXVI.

Kalend. Decembr. habita est v. Synodus Toletana in Basilicâ S. Leocadiæ Confessoris, anno primo serenissimi Regis Wisegothorum Flauij Cintilanis. 60.

Floret Toleti Archipresbyter Verecundus, cuius meminit S. Isidorus. Fuit posteà idem Episcopus Africanus. 61.

Festum S. Iacobi, filij Zebedæi, hoc anno per Hispanias celebriùs agitur, quàm multis retrò sæculis. 62.

B. Bonifacius, Episcopus Caurienſis, Toleti moritur. In æde S. Iustæ à B. Eugenio honorificè sepelitur. 63.

60. *De Synodo habitâ sub Rege Cintilâ anno eius feliciter primo (quæ in ordine quinta est) vbi interfuit S. Eugenius, vt ait D. Archiepiscopus Loaysa. Hæc Synodus habetur in multis manuscriptis codicibus: de quâ sic Rodericus lib. 2. cap. 19. Histor.* Post mortem Sisenandi Quintilla Gotthis præficitur ærâ DC.XCVII. vno anno mensium numerato, regnans quatuor annis. Hic quintum Concilium Toletanum (XXIV. scilicet Episcoporum) procurat sub Eugenio Regiæ vrbis Primate: vbi non solùm de rebus mundanis, verùm etiam de diuinis multa ignaris mentibus à lumine gratiæ sunt infusa. Quinta verò Sanctorum congregatio cum Episcoporum Vicariis assistentibus, & cum senioribus palatij, qui digni interesse Concilio habebantur, extitit aggregata in Ecclesiâ S. Leucadiæ virginis, vt liber Canonum gloriosè declarat. Huic Synodo Braulio Cæsarauguſtanus Episcopus præ ceteris illustris effulsit, atque piam doctrinam Christianis mentibus decenter infudit: cuius & opuscula nunc vsque Ecclesia veneratur. Huius eloquentiam Roma, vrbium mater & domina, per Epistolare colloquium est mirata. Et in hoc Concilio subscripsit Selua Tarraconensis, & aliqui de Suffraganeis suis, & Vicariis absentium Episcoporum. *Hæc Rodericus; qui videtur habuisse exemplaria longè diuersa quàm nunc habemus: nam tametsi* V. *Concilium Toletanum, tam excusum quàm manuscriptum, quod præ manibus est, habeat* XXIV. *Episcopos, & inter illos sit etiam Braulio Cæsarauguſtanus Episcopus; nec Selua ibi confirmat, nec vllus Vicarius aut Palatinus. Nec censeo si-* P. H.

lentio prætereundum esse, non omnes Conciliis interfuisse Principes Palatinos: sed, vt rectè notat noster Rodericus, qui moribus, & vitæ puritate, ac grauitate consilij digni censebantur, vt qui inter tantos Pontifices interessent: nam cùm maximus esset numerus Palatinorum, si omnes interfuissent, planè excederent numerum Pontificum, qui ad Concilia vndique confluebant. An ab ipsis, an à Rege, an à Pontifice, hæc fieret electio, nullibi, quod sciam, legi. Verosimilius est, cùm interessent Conciliis, vbi de rebus etiam sæcularibus agebatur, vel à populis, vel à Rege selectos fuisse; vbi verò digni discernuntur à minùs dignis, electio est.

P. H. 61. Floret Toleti Verecundus Archipresbyter.] *Hic est, quem Eugenius II. recèns electus misit ad Isidorum, vt ipse testatur in Epistolâ ad Eugenium, quem morti proximus remisit ad prædictum Eugenium, his verbis:* Litteras vestræ Sanctitatis per nuntium suscipiens Verecundum. *de quo posteà maior mentio in sequentibus facienda est.*

D.L. 62. *Minimè celari velim, quæ in ipsâ beatissimi Apostoli nostri decollatione prodigia contigêre; quòd hactenus inter tineas & blattas, cum tanti Patroni memoriæ detrimento, latuerint. Decerpsit ea ex Historiâ S. Iacobi, quæ, Auctore Calixto II. Romano Pontifice, extat in M.S. codice Bibliothecæ Monasterij Sandoualis: eiusq; mihi, cruce S. Iacobi Equestri recèns donato, Biuarius meus gratanter copiam fecit, iurisq; communis facit in Commentariis suis ad M. Maximum in Chronico sub anno Christi* D.LXXXIII. *num. 2. Exordium Historiæ est:* Post Ascensionem Dominicam. *ad calcem verò hæc habentur memoriâ dignissima:* Euaginauit gladium percussor, & eleuauit in altum, & percussit bis in collo eius, & abscidit caput eius sanctissimum: & statim pretiosus sanguis manauit; & non cecidit caput eius ad terram: sed beatus Apostolus, virtute Dei plenus, accepit illud in brachiis suis, quæ ad cælum eleuauerat; & sic permansit genibus flexis, & caput tenens in vlnis, donec veniret nox, in quâ discipuli eius corpus acciperent. Intereà quidam, qui missi fuerant ab Herode, caput eius abripere tentauerunt; sed non valuerunt: manus enim eorum super B. Iacobi pretiosissimum corpus rigebant; statimque percussor decollauit Iosiam Martyrem Christi, B. Iacobi discipulum. Et mox factus est terræmotus ingens, & cælum apertum est, & mare concussum est, & tonitruum factum est intolerabile, & tellus aperta iniquorum partem maximam deglutiuit, & lux magna in regione illâ effulsit, & Angelica turba audita est à multis in aëre, eorum ferens animas in cælestibus sedibus, vbi sine fine lætantur. Transacto die, sequenti nocte venerunt discipuli eius ad eum, & inuenerunt illum, vt prædiximus, genibus flexis, & caput tenentem in vlnis; & posuerunt corpus eius & caput in perâ ceruinâ, cum aromatibus pretiosis, & transtulerunt illud à Ierosolymis in Gallæciam, Angelo Domini comitante per mare: & ibi sepelierunt illud, vbi veneratur vsque in hodiernum diem. *Hactenus Acta, quibus Iulianus noster concinit in Chronico num. 24. vnde eius auctoritas magnoperè stabilitur. Verba sunt:* Quod & ego B. Calixtum II. audiui dicentem, cùm in festo S. Iacobi die Romæ concionaretur XXV. Iulij, quòd, cùm caput Apostoli amputatum est, non cecidit in terram, sed sanctissimus Apostolus inter suas manus illud excepit, & diu retinuit; nec potuerunt carnifices illud inde tollere: nam conantibus manus aruerunt & brachia. Pòst decollatus est Iosias, & mirifica lux apparuit, terræmotus & fulgura secuta sunt, & multos carnificum absorpsit. quibus prodigiis mirifice delectati fideles, qui super corpus Apostoli magnum planctum fecerunt, & illud honorificentissimè curarunt. *Nec te itidem latere patior, S. Iacobum* nostrum *vocari à Luitprando*

prando in Aduersariis num. 33. vbi apponit Epistolam, quam scripsit Heronio Episcopo Bracharensi, sicq; ait: Cùm inuisi S. Iacobi Zebedæi filij, Doctoris & Apostoli nostri sacra ex voto limina, *&c. quò clariùs appareat, Hispanum fuisse, origine saltem, Ticinensem Diaconum, vt coniecturis & rationibus apprimè validissimis defendit doctissimus P. Franciscus Biuarius meus in censurâ Operum circa finem.*

63. *Bonifacius, Episcopus Caurien sis, interfuit Concilio* VI. *Toletano, loco vndecimo: habita est Synodus* V. *Idus Ianuarij. post quod tempus mortuus est, & honorificè ab Eugenio II. sepultus in æde S. Iustæ, quæ tunc erat Ecclesia Toleti. Dicitur ibi fuisse vir pius, vt erant illi sancti Patres.* P. H.

DC. LXXVI. DC. XXXVIII.

Hoc anno sub eodem Pontifice, secundo anno Regis Cintilanis V. Idus Ianuarij, in æde S. Leocadiæ Prætorien sis, collegit Rex conuentum Aulicorum suorum. 64.

S. Isidorus, qui iam obierat IV. die Aprilis anno Domini DC.XXXV. multis miraculis & gloriâ refulget. 65.

DC. LXXVII. DC. XXXIX.

Honorio Romano Pontifici succedit Seuerinus, Seuerino verò Ioannes IV. qui hoc anno moritur, Idibus Octobris. 66.

Vacat Sedes annum vnum, menses tredecim, dies septem. 67.

S. Fara, virgo Benedictina, fugiens patrem, Tudem venit. Ab Episcopo Tudensi Anastasio ædificatur Monasterium. Moritur anno *DC.L. 68.

*al. DC. LVII.

64. *De Eugenio, & sub eo Concilio, Rodericus Toletanus lib. 2. cap. 19.* Sextum Concilium de obseruatione fidei Catholicæ, & aliis Ecclesiasticis disciplinis, fuit tempore eiusdem Principis Cintillæ, celebratum sub Eugenio, vrbis Regiæ Metropolitano Primate, subscribentibus Seluâ Narbonensi, & Iuliano Bracharensi, & Honorato Hispalensi, & Protasio Tarraconensi, & eorum Suffraganeis & Vicariis. P. H.

63. *De die obitus, & anno S. Isidori egimus super Maximum.* P. H.

DC. LXXVIII. DC. XL.

Hoc anno, vigesimâ sextâ mensis Iunij, moritur Cintila Rex. 69.

Succedit Flauius Tulga in Regno Gotthorum: regnat annos duos, menses quatuor: eligitur die S. Iacobi, Patroni Hispaniarum; & eodem die ab Eugenio Toletano consecratur, inungitur, & coronatur in æde S. Mariæ Toleti. 70.

Hoc anno Iustus, Helladij Diaconus, propter linguæ petulantiam, & morum incontinentiam, à suis Clericis (factus Episcopus nescio cuius ciuitatis) in lectulo laqueo suffocatur. Sunt qui suspicentur hunc Episcopum fuisse Accitanæ ciuitatis, qui interfuit Concilio Toletano. Sunt qui alium omnino ab hoc, & admodum diuersum, putent. Omnes quidem consentiunt, non fuisse hunc Toletanum Pontificem. 71.

P.H. 69. *De morte Cintillanis Regis Iſidorus, & Rodericus capite ſuprà citato, niſi quòd mortem eius ponit ærâ* DC.LXXXIII. *hoc eſt, anno Domini* DC.XLV. *reuerà fuit* DCC.LXXVIII. *hoc eſt,* DC.XL. *Moritur die S. Ioannis hoc anno, & etiam Feriâ* II.

P.H. 70. *Tulga eligitur in locum Cintillanis: conſecratus fuit die S. Iacobi, Patroni Hiſpaniarum, per Eugenium II. præſentibus Epiſcopis & Palatinis, in æde S. Mariæ Maioris: regnat annos duos, menſes duos. de quo ſic Rodericus eodem capite:* Mortuo Cintillâ, Tulgas, bonæ indolis & radicis Gotthorum, Regnum ſuſcepit ærâ DC.LXXVIII. & regnauit duobus annis. Iſte blandus & Catholicus in omnibus eſt inuentus. Regna ſibi ſubdita pacificè dilatauit: in iudicio rectus iudex: claruit largitate, magnâ fuit lenitate: doluit gens Gotthorum tam citò talem indolem amiſiſſe, cunctis flentibus; quia hos tantæ indolis in fructum non adoleuit: Toleti propriâ morte deceſſit. *De Tulgâ ſic Ioannes Mariana lib. 6. cap.* 8. En lugar de Cintilla por voto de los Grandes del Reyno fue pueſto Tulga, mozo en la edad, pero en las virtudes viejo: en particular ſe ſeñalaba en la juſticia, zelo de la Religion, en la prudencia, en el gobierno, y deſtreza en las coſas de la guerra. Fue muy liberal para con los neceſſitados: virtud muy propia de los Reyes, los quales deben conſiderar, que la abundancia que tienen, y ſus riquezas, no deben ſeruir para ſu particular prouecho, y para ſus deleites, ſino para ayudar à los flacos, y para remedio de todo el pueblo. Iua deſtos principios en aumento, i parecia habia de ſubir à la cumbre de toda virtud y valor, quando la muerte le ataxò los paſos; la qual de enfermedad ſobreuino en la ciudad de Toledo, año de nueſtra ſaluacion de DC.XLI. y tuuo el Reyno ſolos dos años, y quatro meſes. Sigeberto Gemblacenſe dice, que el Rey Tulga fue mozo liuiano, y con ſu liuertad y ſoltura dio ocaſion à los ſuyos para que ſe leuantaſen contra el, y le echaſen del Reyno. La razon pide hizieſe mas caſo en eſta parte, de lo que ſan Ilefonſo depone como teſtigo de viſta, que de lo que eſcribio vn eſtrangero, o por odio de nueſtra nacion; o, lo que es mas probable, por engaño, à cauſa de la diſtancia del lugar, y tiempo en que y quando eſcribio, con que facilmente ſe ſuelen trocar las coſas.

Credibile eſt ſepultum eſſe in Baſilicâ Prætorienſi S. Leucadiæ: vnde Raſis Saracenus Hiſtoricus vocat S. Leucadiam Regum, quòd in ea conſueuerint Reges Gotthi ſepeliri. in cuius Regis gratiam etiam addidi carmen ſepulchrale:

Heu moreris Tulga primæ ſub flore iuuentæ,
Qui multos annos viuere dignus eras.
Indole præclarâ, ceu Titan ſurgis in orbem,
In medio curſu ſtamina Parca ſecat.
In te relligio micuit, pietaſque fideſque:
Pauperibus largus, iuſtitiæque tenax.
Annos qui numeret, iuuenem te dixerit eſſe;
Virtutes numerans, dixerit eſſe ſenem.
Te pueri lacrymis deflent, iuueneſque ſeneſque,
Vrbs Toletana patrem te vocat eſſe ſuum.
Ad meliora tuo Regno Rex Regna vocaris,
Pax vbi continua eſt, & ſine nube dies.
Sorte ſepulchrali Tulga Leucadia virgo
Aſſociata tibi eſt, ſemper amica comes.
Et comes in terris, comes & ſuper æthera fida,
Gaudet vbique tuo, Rex generoſe, bono.

Eripe-

Eripe terris, Princeps, vt ſidera calces:
Quam tibi virtutes expediere viam.

Obiit glorioſus Rex Tulgas Toleti XXV. *Octobris ærâ* DC.LXXX.

71. *Præter dicta teſtimonia, hoc magnum & violentum eſt, vt quis diſcernat duos fuiſſe Iuſtos, & quòd ille, qui ſtrangulatus eſt, non fuerit Epiſcopus Toleti; ſed Diaconus, poſteà Epiſcopus. Obiit plus quàm ſex annos poſt Toletanum.* P.H.

DC.LXXX. DC.XLII.

Hoc anno Heraclius Imperator, qui Crucem Domini reſtituit ereptam à manibus Perſarum, menſe Maio moritur. 72.

Theodorus, Theodori filius, Ieroſolymites, Græcus natione, ſedet in Sede Petri poſt Ioannem IV. ſedet annos VI. menſes V. 73.

Hoc anno XIV. Octobris moritur Rex Tulga; Cindaſuinthus Rex Gotthorum eligitur, & in die SS. ducentorum Martyrum coronatur ab Eugenio in æde S. Petri Prætorienſi, præſentibus Epiſcopis, & Palatinis. In regno Gotthorum regnat annos VI. menſes * VIII. ſolus cum filiis aliquot. 74. * *al.* IX.

* Fridenandus Diaconus, innixus fauore Regis Cindaſuinthi, inuadens honorem Presbyterij, & quædam prædia S. Eccleſiæ Toletanæ attributa, fit illorum Dominus: qui diuinitus punitus eſt, vt Gerontius Presbyter, qui malè tractauerat Iuſtum Epiſcopum Toletanum; vt Iuſtus non Monachus, ſed Diaconus Toletanus ſæcularis, indignis modis tractauerat S. Helladium. 75. * *al.* Eufridius

72. *De inuentione Crucis, quam ex Perſiâ retulit Heraclius Imp. Ieroſolymam, multa Scriptores Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ.* P.H.

74. XVI. *Octobris ſuccedit Tulgani Regi Gotthо Rex Gotthus Cindaſuintus. De quo ſic Iulianus in Chronico:* Cindaſuindus regnauit ſolùm ann. VI. menſes VIII. dies XX. item cum filio ſuo Domino Receſuindo Rege annos III. menſes VII. dies XI. *hoc eſt, annis decem, menſibus quatuor. De quo ſic Rodericus lib. 2. cap. 20.* Poſt Tulgam Chindaſuindus per tyrannidem Regno Gotthorum inuaſo, cœpit Iberiæ triumphaliter principari ærâ DC.LXXXV. & regnauit annis decem. *Generale Chronicon Alfonſi ærâ* DC.LXXXIX. *id eſt, anno Chriſti* DC.LI. *ſed ex Concilio* VII. *Toletano conſtat fuiſſe huius Regis annos* V. *ann.* DC.XLVI. *& ſic neceſſe eſt, quòd* XVI. *Octobris anni* DC.XLVI. *completus eſt annus quartus Chindaſuindi, inceptus quintus annus eſt à die* XVII. *& ſic illius anni ſolùm duo dies præterierant* XV. *Kalend. Nouemb. hoc eſt, decimâ octauâ Octobris, quæ fuit* IV. *Feria. Hunc Regem ſacrauit, inunxit & coronauit Dominus Eugenius II. in æde SS. Petri & Pauli Prætorienſi cum magnâ pompâ & apparatu, more Græcorum Imperatorum Conſtantinopolitanorum.* P.H.

75. *De Eufridio & Gerontio Diaconis lege D. Ildefonſum, Archiepiſcopum Toletanum, in Prologo libri de Viris illuſtribus.* P.H.

DC.LXXXI. DC.XLIII.

In Sede Conſtantinopolitanâ ponitur Paulus hæreticus. 76.

DC.

DC.LXXXII. DC.XLIV.

77. Synodus Romana contra Paulum Patriarcham Constantinopolitanum hæreticum contrahitur, & Synodi tres Africanæ collectæ contra hæreticos Monothelitas.

DC.LXXXIV. DC.XLVI.

78. Ineunte anno v. Regis Cindasuinthi XXVI. Martij moritur S. Braulius, Episcopus Cæsarauguſtanus, vir eximiæ doctrinæ & sanctitatis, & de clarissimâ Gotthorum stirpe. Et XV. Kalend. Nouemb. cogitur Toleti septima Synodus: concurrunt Episcopi & Vicarij XXXIX.

P. H. 78. *De Synodo* VII. *Toletanâ sic Rodericus cap.* 20. *lib.* 2. *agens de Chindasuintho:* Hic Toletanâ vrbe Synodale Decretum XXX. Episcoporum cum omni Clero & Vicariis eorum Episcoporum, quos languor vel inopia detinuerat, & Palatino collegio, quod interesse consiliis merebatur, anno Regni sui v. indixit laudabiliter celebrandum, discurrentibus tantùm Notariis, quos ad recitandum ordo requirit: & hoc fuit septimum Concilium Toletanum sub Eugenio Metropolitano & Primate vrbis Regiæ. *Duo hîc aduerte: Pontifices posse non venire nonnumquam ad Concilium, vel causâ languoris, vel inopiæ, quòd tot sumptibus, quos dignitas Episcopalis postulat, præ reddituum annuorum tenuitate pares esse non poterant. Secundum, quòd non omnes Palatini, sed qui merebantur, solebant admitti.*

DC.LXXXV. DC.XLVII.

79. Primâ Iulij moritur Toleti S. Eugenius II. vir sanctus, sepelitur in æde S. Leocadiæ Martyris.

80. Moritur Verecundus, Monachus Benedictinus, S. Eugenij Diaconus.

81. Vsus erat Episcopis mitræ: quâ cum * petalo vsi sunt omnes
*leg. petaso Apostoli.

82. Verecundus, Episcopus Vticensis in Africâ, vir magnus ingenio, & piis editis libris, moritur.

P. H. 79. *Non multos annos, imò nec annum quidem, sed* IX. *mensibus à Concilio moritur S. Eugenius II. primâ die mensis Iulij; qui iacet in æde Prætorienſi S. Leucadiæ virginis & Martyris.*

P. H. 80. *Verecundus, Episcopus Vticensis, qui fuit Archipresbyter Toletanus, anno* DC.XLVII. *moritur: de quo Felix in Additione ad Chronicon S. Ildefonsi Toletani Pontificis, de Viris illustribus. Hic fuit priùs Archipresbyter Toletanus, postea Episcopus Vticensis: Poëta, vt illa tempora ferebant, non malus. de quo Felix sic:* Verecundus, Africanus Episcopus, studiis liberalium litterarum disertus, edidit carmine dactylico duos modicos breuesque libellos: quorum primum de Resurrectione & Iudicio edidit; alterum verò de Pœnitentiâ, in quo ab incunabulis carmine propria delicta deplorat. *Alter penes me est cum Scholiis Ioannis Ruisij Azagræ à secretis Principum Bohemiæ, viri quidem doctissimi, scriptus ex codice Gotthico vetusto in membranâ M. S. sic incipit:*

Quis mihi mœsta dabit lacrymosis imbribus ora?

Hunc

Hunc putat fuisse illum, cuius meminit in Chronico Victor Vticensis. At fallitur, Vtica in Italiâ est, non in Africâ. Felix vocat Episcopum Africanum. Planè est Vticensis ille, quem S. Eugenius misit cum litteris ad Isidorum, vt ex Epistolâ constat Isidori ad Eugenium: dedicat hoc opus Magistro suo Eugenio Toletano. Est & Verecundus S. Episcopus Veronensis, cuius annua celebritas agitur XXII. *Octobris; cuius & Galesinus & Romanum Martyrologium meminerunt. More Gotthico vocat eum* Vergundum: *Gotthi enim vertebant* c *in* g, *vt locus,* lugar; *Græcus,* Griego: *sic Verecundus per syncopen* Vergundus.

De septimâ Synodo Toletanâ meminit lib. 2. *cap.* 2. *Rodericus; cui non interfuit S. Braulio, quia morbo fortasse detinebatur. Quòd tunc viueret, constat; quia M. Maximus mortuus est anno* DC.XVI. *cui, ex Ildefonso successit Ioannes, qui* XII. *annis tenuit cathedram vsque ad annum* DC.XXVIII. *incipit sub finem anni* DC.XVI. *vsque ad annum* XXVIII. *& forsan* DC.XXIX. *quo tempore finiuit etiam vitam Suintilla. S. Braulio incepit iam Rege Sisenando, anno scilicet* DC.XXIX. *vel* DC.XXX. *vsque ad aliquot annos Chindasuindi, ferè vsque ad annum* DC.XLVIII. *vel* DC.XLIX. *nam circiter viginti annos tenuit cathedram, vt ex verbis S. Ildefonsi constat:* Habuit sacerdotium fermè viginti annos: quibus expletis, clausit diem vitæ præsentis: durauit in regimine temporibus Sisenandi, Chintillæ, Tulganis, & Chindasuindi. *Ergo si habita est Synodus* VII. *anno* DC.XLVI. *anno quinto Regis Chindasuindi; duo sequuntur ex prædictis, viuere tunc S. Braulionem, & Taionem Cæsarauguſtanum non fuisse tunc Episcopum; quia si esset, confirmaret in Concilio; reuerà non confirmat. Adhæc, in* VIII. *Synodo Toletanâ inter* LII. *Episcopos confirmat primo loco: ex quo apparet vel eo anno, vel paulò antè, fuisse creatum Episcopum Cæsarauguſtanum. Quòd si, cùm petiuit Romam, erat Episcopus; iam cucurrerant septem anni, & non esset tam infimo loco. Quare crediderim, Archidiaconum, vel Diaconum, aut Presbyterum tunc Romam petiisse ad inquirendum Moralia S. Gregorij; posteà reuersus iam defuncto S. Braulione, scilicet anno fortè* DC.L. *vel* DC.LI. *factus est Episcopus Cæsarauguſtanus; & sic confirmat in Concilio* VIII. *Toletano inter postremos Episcopos. Cùm accessit Romam Taio, erat Episcopus Romæ S. Martyr Martinus Tudertinus, cuius Historia & à Roderico Toletano narratur, & est in codice manuscripto litteris Gotthicis in membranâ peruetustâ. Credoq; Regem Chindasuindum, petente Concilio* VIII. *Toletano, misisse litteras ad sanctum Pontificem Martinum, vt pars Moralium, quæ post mortem Leandri fuerat absoluta à S. Gregorio, & allata in Hispaniam non inueniebatur, ipso dante redderetur. Hæ Epistolæ omnino interciderunt: solùm est responsio ad Epistolam Marci Amandi, Episcopi Castellonensis prope Galliam, hominis natione Galli: ad quam respondet S. Martinus, & mittit simul Encyclicam Epistolam Concilij, post aduentum Taij, & Moralium sancti Gregorij libros, quos S. Leander de Constantinopolitanâ ciuitate tulit; rogatq; vt admoneat omnes Metropolitanos, & Regem Franciæ, vtpote vicinus, & natione Gallus. quod & fecit.*

81. Vsus erat Episcopis mitræ, quâ cum petalo vsi sunt omnes Apo- D. L.
stoli.] *Legendum,* quâ cum petaso. *Est autem* petasus *galerus, quem Itali* capello *vocant, pilei latioris genus, quo aduersus iniurias solis viatores sese tuentur, qualis Mercurio à Poëtis affingitur. Plautus in Amphitr.* Ego habeo vsque in petaso pinnulas. *Declarat Sueton. in Augusto cap.* 82. Æstate apertis cubiculi foribus, ac sæpè in peristylio, saliente aquâ, atque etiam ventilante aliquo, cubabat; solis verò ne hiberni quidem patiens, domi quoque non nisi petasatus in die spatiabatur. *Est nomen Græcum πέτασος, à verbo πετάννυμι, quod est extendo:* petasus *enim extensus tegebat operiebatq; caput, & faciem*

ciem obumbrabat. Hesychius πέτασον ῥιπίδα ἐκ χοίνων *vocat; galerum ex viminibus: qui fortè vmbella erat. Georgius Cedrenus in Histor. Compend. pag.* 139. *lineâ* 59. *ex editione Ioannis Oporini:* Ἐπὶ δὲ καὶ ἑτέρα καταστολὴ σπυρίδος, ἀντὶ πίλου τῇ κεφαλῇ περιφερὴς· καλεῖται δὲ παρ' Ἰταλοῖς κάμελα, ἐξ ἧς καμελαυκία. Est aliud genus sportæ, quæ, pilei loco, capiti imponitur, Italis camela dicta; vnde & camelaucia. *sic vertit Xylander.* Petasus *ergo galerus est, & insigne Episcoporum, seu Pontificum, vnà cum mitrâ. Apud Romanos inter Pontificis ornamenta Apex, Tutulus, Galerus: de quibus Iacobus Gutherius lib.* 1. *de Veteri iure Pontificio, cap.* 29. *qui Galerus* σκυφία *appellabatur; de quo Georgius Codinus Curopalata de Officiis & Officialibus magnæ Ecclesiæ & Aulæ Constantinopolitanæ, cap.* 15. *num.* 52. *pag.* 36. *ad quem locum Iacobus Gretserus lib.* 2. *Comment. cap.* 6. *n.* 25. *p.* 212. *Vnde nos Hispani* Scofia *dicimus, capitis nocturnum ac cubantium tegumentum. Alcuinus de Diuinis officiis,* pileos *à Græcis dici scribit* Cuphias: *Hugo verò de S. Victore lib.* 1. *de Sacramentis cap.* 55. *Mitram, Tiaram, Infulam, Pileum, pro eodem accipit. Papias itidem:* Cidaris, Mitra, Tiara, Pileus sacerdotalis, Cuphia. *Vide quæ notauit Meursius in Glossario Græco-barbaro, verbo* Σκυφία, *& Cæsar Bulengerus de Pontificum, Episcoporum & Sacerdotum Christi cultu ac vestitu lib.* 1. *cap.* 6. *ad finem.*

DC. LXXXVI. DC. XLVIII.

83. Martinus, Fabricij filius, Tudertinus, postmodum Martyr, sedet annos sex, menses quatuor, dies septem. Succedit Theodoro.

DC. LXXXVII. DC. XLIX.

84. S. Eugenius III. litteris & sanctimoniâ Toleti floret; qui pòst rexit Patriarchalem Sedem Toletanam.

85. Synodus Hispalensis contra Monothelitas.

86. S. Eugenio II. Toletano Pontifici mortuo Toleti, mense Martio, anno DC. XLIX. succedit Eugenius III. huius nominis, in Sede Toletanâ, vir sanctus & doctus.

P. H. 85. *De Synodo contra Monothelitas habitâ in Hispaniâ mentionem facit Onufrius in Chronico, & Magnus Archipresbyter S. Iustæ in suo Chronico, anno* DC. LII. *& ferè vltimo Chindasuinti,* IV. *verò Recceswindi, cum patre in Hispaniâ regnantium. Quæ res, quia satis est insignis, mihi paulò diligentiùs est repetenda; cuius etiam rei mentionem, tametsi obscuram, reperio in Roderici Toletani Præsulis Historiâ lib.* 2. *cap.* 22. Clarente, *inquit,* Eugenio vrbis Regiæ Metropolitano, Toleti instituit Concilium celebrari XLVI. Episcoporum cum infinito Clero, & Vicariis desistentium, atque officiariis, dignissimis Palatinis, in Basilicâ Prætorienst SS. Petri & Pauli Apostolorum; & non solùm de mundanis actibus, verùm etiam sanctæ Trinitatis mysterium animos instituit ignorantes. *Non est de numero trium Synodorum ipso Rege Toleti celebratarum, non, inquam, octaua est, nona, vel decima, sed alia seorsum: quia octaua* LII. *Episcopos, vt ipse refert paulò inferiùs, habuit; nona* LVI. *Episcopos, decima* XX. *Episcopos & quinque Vicarios. Ergo illa alia, quæ habuit Episcopos* XLVI. *non est vlla istarum, sed alia differens. Adde, quòd de rebus diuinis hîc agitur, confirmatione videlicet & acceptione Concilij Lateranensis contra Monothelitas; quod habitum est Romæ anno* DC. LII. *& eodem anno, sub dictis Regibus habitum est Concilium*

lium hoc XLVI. *Episcoporum Toleti sub finem Regni Chindasuindi contra Monothelitas, vt docent Onuphrius in Chronico Ecclesiastico, & Iulianus Toletanus in suo. Quod vt meliùs intelligatur, oportet obseruare, S. Pontificem Martinum Papam I. litteris ad M. Amandum, Episcopum Castellonensem* (Castellon de la Plana *vulgò*) *in Regno Catalaniæ significare inuentionem librorum à Taio petitorum, sed non expectasse, vt scriberentur Moralia. Sic sanctus Pontifex:* Reliquias verò Sanctorum, de quibus præsentium lator nos admonuit, dari præcepimus. Nam codices iam examinati sunt à nostrâ Bibliothecâ; & vnde dare ei nullatenus habuimus: transscribere autem non potuit, quoniam festinanter de hac ciuitate regredi properauit. *Posteà scriptus est liber, & Româ ad Hispaniam transmissus. Circa materiam huius Concilij sic scribit ad dictum Episcopum S. Martinus:* Credimus autem ad vos peruenisse, quomodo in conturbatione veræ fidei, & Catholicæ Ecclesiæ conculcatione, ante hos plus minùs XXIV. annos, à Sergio, falso Episcopo Constantinopolitano, in auxilio habente Imperatorem Heraclium, execranda & abominanda hæresis pullulauit, Apollinaristarum atque Manichæorum errorem renouantium: quem successor eius Pyrrhus, idemque Episcopus, qui ambitionis fastu Constantinopolitanam Sedem arripuit, in deterius auxit. Pro quâ re sæpè Apostolica Sedes persuasionibus, contestationibus atque increpationibus plurimis admonuit eos, quatenus ab huiusmodi errore recederent, & ad lumen pietatis, ex quo lapsi sunt, remearent. Et non solùm hoc facere nullatenus voluerunt, sed & nunc successor eius Paulus temerator fidei, Episcopus Constantinopolitanus, alium nequiorem excogitauit in præiudicium Catholicæ fidei conatum, quasi quæ à decessoribus suis hæreticè exposita fuerant destruens, & Imperialem typum sacrilego ausu totius plenum perfidiæ, à clementissimo Pontifice nostro fieri persuasit; in quo promulgatum est, vt omnes populi Christiani credere debuissent. Ideoque necesse habuimus, ne pro quadam negligentiâ, & animarum detrimento, quæ nobis commissæ sunt, culpæ reatu astringamur, Cœtum generalem Fratrum & Episcoporum nostrorum in hac Romanâ ciuitate congregare: in quorum præsentiâ memoratorum hæreticorum sceleros conscripta examinata atque denudata sunt, & Apostolico mucrone Patrumque definitionibus vno ore vnoque spiritu condemnauimus; vt cognoscentes vniuersi errorem, qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur. Vnde præuidimus volumina gestorum Synodalium in præsenti vobis dirigere vnà cum Encyclicâ nostrâ: ex quorum serie omnia subtiliter potestis addiscere, & tenebras illorum nobiscum, vt filij lucis, extinguere. Idcircò studeat fraternitas tua omnibus ea innotescere, vt tam abominandam hæresim nobiscum execrentur, quamque suæ salutis sacramenta indiscere valeant, atque Synodali conuentione omnium Fratrum & Episcoporum nostrorum partium illarum effectâ, secundùm tenorem Encyclicæ à nobis directæ, scripta vnà cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda concelebrent, confirmantes atque consentientes eis, quæ pro Orthodoxâ fide & destructione hæreticorum vesaniæ nuper exortæ statuta sunt. *Marcus Amandus, acceptis litteris à S. Martino Papâ, mittitur ad Reges, qui iubeant Eugenio, vt congreget Synodum Toleti. Hæc est contra Monothelitas: vt videamus quanta sit Hispanorum Regum obseruantia erga sanctam Sedem Romanam, & Episcoporum obedientia; qui, habitâ Synodo Toleti, vbi recepta est honorificè Synodus Lateranensis, & abiurantes ac detestantes hæresim Monothelitarum, mittunt Romam hanc Synodum cum Taio & M. Amando Episcopis. Et mirum est, quomodo hæc Synodus interciderit, quamquam eius vestigia in Onuphrio & Rode-*

rico, ac Iuliano Toletano, clara expreſſáq; reperimus. Meritò ergo laudat Rodericus pietatem & ſanctimoniam Regis Chindaſuindi, & Regis Receceſuindi, qui tot Concilia ediderint. Huic Concilio non interfuit Eugenius ſecundus, ſed tertius.

DC.XCI. DC.LIII.

87. Eodem anno, die XVI. menſis Octobris, moritur Cindaſuinthus, Rex Wiſegotthorum. Succedit illi Receſuinthus filius, qui ab Eugenio Epiſcopo Toletano, Toleti in æde S. Mariæ, quæ vulgo voce Arabicâ *Alficenſis* nominatur, vel *Inferior*, coronatur & inungitur.

88. Fl. Rodoaldus, Rotarij filius, ſecundus Longobardorum Rex, regnat annis quinque : miſſus eſt ad Hiſpanias.

89. Synodus Romæ collecta contra hæreticos Monothelitas.

90. Martinus Papa martyrio coronatur pridie Idus Nouembr.

91. Hoc anno collecta eſt ſub Eugenio III. Toletano Pontifice, Synodus VIII. Toletana, anno V. Receſuinthi.

P.H. 87. *Hoc anno, menſe Octobri, moritur Chindaſuinthus Toleti : moritur verò primâ die Octobris, die Martis, conſepultusq; in æde S. Leocadiæ Prætorienſi. Conſecratus eſt ab Eugenio III. Receceſuinthus, de nouo in æde S. Mariæ Alficenſi (quem vocant)* XX. *die menſis Octobris. Cogit Concilium eodem anno* XVII. *Kalend. Ianuar. hoc eſt* XVI. *die Decembris, octauo, S. Leocadiæ lunæ, habitâ die Dominico Proceſſione. Et quòd recens erat mors patris Regis Receceſuinthi, nempe ante duos menſes & dimidium, ipſe docet in principio Concilij, his verbis:* Etſi ſummus Auctor rerum me diuæ memoriæ Domini & genitoris mei temporibus Regni ſede ſubuexit, atque ipſius gloriæ participem effecit ; nunc tamen, cùm ipſe requiem æternam adeptus eſt manſionum, ea quæ in me totius regiminis transfuſa iura reliquit, ex toto diuina mihi potentia ſubiugauit. Nunc *quod dicit, eſt, hoc anno : nam ex Iuliano obiit pater Kalend. Octobris ærâ* DC.XCI. *hoc eſt, anno* DC.LIII. *vt dixi. Ex hoc etiam Concilio manifeſtè conſtat, adhuc viuente patre partem habuiſſe regiminis totius Regni cum eodem.*

D. L. Receſuinthus filius, qui ab Eugenio Epiſcopo Toletano, Toleti in æde S. Mariæ, quæ vulgò voce Arabicâ *Alficenſis*, vel *Inferior*, nominatur, coronatur & inungitur.] *De coronatione Regum Hiſpan. vide quæ notaui ad Chronicon Iuliani n.*634. *De ſacrâ Regum vnctione diximus ad n.*8. *nunc adde L.*13. *tit.*4. *part.*1. *præſertim ibi* (Por eſo los vngen à los Reyes en eſte tiempo con oleo ſagrado en el ombro de la eſpalda del brazo dieſtro) *vbi Gregorius Lopez gloſ.*1. *verbo* à los Reyes. *& vide infrà num.*123.

Alficenſis, *vel* Inferior.] *Antiquiſſima Eccleſia S. Mariæ* de Alficen *ſic dicta; quia ex Africâ Sitifenſi (de quâ Iſidorus lib.*4. *Origin. cap.*5. *& paſſim in Codice Theodoſ.) venientibus Arabibus aſſignata. ita Iulianus in Aduerſariis num.*516. Ex Africâ Satifenſi, nunc Fez, tempore Cindaſuinthi venerunt Toletum Chriſtiani nobiles Arabes, qui docuerunt linguam Arabicam Gothos: quod illis pòſt fuit magno adiumento ad futuram captiuitatem. Data eſt illis Eccleſia S. Mariæ, quæ à Satifenſibus vulgò dicta eſt Alficen, vocabulo patrio Arabico. *A quibus etiam oppidulum Getafe nominatum affirmat in Aduerſariis, num.*214. Cùm hæc ſcriberem, reparatum eſt oppidum Getafe, quod

quod eſt prope Mageritum; illudque à veteri oppido Africano Satafi *(lege* Sitifi, *ex D. Iſidoro, vbi ſuprà)* corrupto vocabulo Saraceni, qui ceperunt Hiſpanias, ſic nominare voluerunt patriâ voce. *Hinc item dicta arx* Alficen, *non procul diſtans à ciuitate* Granatâ, *vbi eoſdem Arabes coloniam duxiſſe facilè credi poteſt. Sic Licent. Rades de Andrade in Chronico Ordinis de Calatraua, in Vitâ Magiſtri Don Rui Perez Ponce, anno* M.CCXCII. *pag.*47. *col.*2. En eſte miſmo año, *inquit*, el Maeſtre con vn famoſo exercito de los Caualleros deſta Orden, i de los Vaſallos della (que eran muchos, i muy ricos) entrò por tierra de Moros, por las partes del Obiſpado de Iaen, haſta llegar al Reyno de Granada. En eſta entrada le ſuccedio proſperamente al principio : porque tomò vn fuerte caſtillo llamado Alficen, i lo hizo aſolar, i hallò en el muchas riquezas de oro, plata, veſtidos, i otras coſas, que los Moros aldeanos auian recogido en el, para tener las mas ſeguras.

Iterùm de ſanctæ Mariæ Eccleſiâ, quæ dicitur Alficen *Arabicè, num.* 222. 225. 376. *in Chronico. Hanc Eccleſiam Luitprandus* Inferiorem *vocat, & Iulianus in Chronico num.*464. *quia inter tria antiquiſſima templa Toletanorum tertium, id eſt, vltimum & inferius, enumerabatur. Illuſtrat eiuſmodi explicationem Iulianus in Chronico num.*74. *his verbis :* Paulatus *(aliàs* Priuatus) Epiſcopus Toletanus, ad annum CC.LXXX. iacet cum anteceſſoribus ſuis ad Eccleſiam S. Mariæ; vulgò dicitur nunc de Alficen, quæ tertia fuit Toletanorum Eccleſia : ſecunda verò Prætorienſis S. Leucadiæ virginis & Martyris : prima verò S. Mariæ adhuc viuenti ſacra poſt Cæſarauguſtanam. *Hinc corrigendus locus ipſius Auctoris in De Eremiteriis, num.* 15. Eremiterium Toleti, in ſuburbio S. Mariæ de Alficen, à temporibus antiquiſſimis 3. templa Toletanorum *(lege* tertium templum Toletanorum.) Et tempore captiuitatis hæc fuit Eccleſia Regis Adefonſi ſexti, vbi ferè ſemper ſedebat Archipresbyter S. Eccleſiæ Toletanæ, ſub patronatu Toletanorum Ficulneorum Portocarrerorum. *Et quia hæ ſacroſanctæ Eccleſiæ ab antiquis erectæ temporibus; imagines B. Mariæ, quæ in iis erant collocatæ, Antiquæ etiam vocabantur. Valliſoleti hodie dicitur* Nueſtra Señora de la Antigua. *Et Abulæ : vbi inter rudera vetuſtiſſima tale veteris monumenti ac ſepulchri erutum fuit, non multis abhinc diebus, illuſtre monumentum : quod in ære incidi non abs re mihi viſum. En accipe.*



Abriendo los Monges de Nuestra SENORA *de la* Antigua *de la Ciudad de Abila el Año de mil i seiscientos, i treinta, los cimientos para vna Capilla que hacian en su Iglesia al lado del Evangelio, en el sitio que Antiguamente dicen estaba otra dedicada a* S. ANDRES, *se hallaron algunos Sepulcros Antiquissimos: i en vno dellos vn Cuerpo con vna Lamina de plomo, de la forma, i con las lettas que en ella van esculpidas. Tiene se por cierto ser Iglesia de tiempo de* S. SEGVNDO, *primer Obispo de Abila, Discipulo de Sant* IAGO. *hecho el computo de los Años, i que en la era de* DCCXVI, *que es el Año* DCLXXVIII, *se llamaba* S. MARIA *de la Antigua, despues sedio a los Monges Benitos, que en el Año de* MDCXXX, *la poseen, tienen en ella vn Priorato, sugeto a N.* SENORA *de* Valbanera, *auiendo sido antes de la Perdida de Espana Abadiari tenido en Abila otros quatro Monasterios de su Orden. En otros Sepulcros se hallan Espuelas i Evillas, i piecas de Armas como las talladas, de donde consta que eran Nobles las que se enterraban alli, como tambien se dice en la Lamina, Halloſe vna moneda que casi no se divisan sus linsas, i letras sacose lo que se pudo conocer en ella.*

Constatq; S. Mariam de Alficen *ex dict. num.* 15. *Eccleſiam fuiſſe Alfonſi* VI. *& Archiepiſcopalem Sedem poſt captam ab eo ciuitatem. Sic Piſa in Toleti Hiſt. lib.* 2. *cap.* 21. *pag.* 15. *col.* 4. *in hæc verba:* Era en esta sazon la silla Arçobispal, como de prestado, en la Iglesia de S. Maria de Alficen, en la qual hauia perseuerado inuiolablemente el culto diuino, i Christiana religion por todo el tiempo de la captiuidad. *Quod aſſeuerat ipſemet Adefonſus in Regiâ donatione, quâ munificentiſſimè fuit proſecutus Monachos S. Seruandi & Germani, his verbis:* Et pro augmento conuersationis Monasticæ, suorumque famulorum & hospitum receptione, testor, ibi antiquam Ecclesiam, quæ dicitur S. Maria de Alficen, quæ numquam titulum Christianitatis perdidit, quamuis tempore Paganorum, neque à Christianis incoli & venerari (licet sub iugo perfidæ gentis) omisit. *Elicies etiam clarè ex Iuliano, cuius*

cuius teſtimoniis muſiuum reddimus opus in Chronico num. 554. *anno Chriſti* M.LXXXV. Atque sub hæc tempora glorioſiſſimus Imperator Adefonsus, & semper magnificus Triumphator, vrbem regiam obsidebat. Ego verò pro Archiepiscopo Vicarius in Sede vacanti excubabam: & audiui quòd Rex Adefonsus consulebat Dominum Apostolicum disponendo pro Episcopo Toletano Sanctio, cognato suo, qui sciebat parum in litteris, & volebat eius Cathedralem, vel potiùs Archiepiscopum, facere in Alficem: sed Sancta Romana Ecclesia non illum admisit, nec voluit Dominus Apostolicus; quia nesciebat litteras, nisi vt signaret Rex Adefonsus virum litteratum & sanctum. *Huius loci meminit Don Fr. Prudentius de Sandoual in Vitâ Regis Aldefonſi VI. fol.* 68. *col.* 1. *Epiſtola autem decretalis Pontificis Gregorij VII. in quâ reſcripſit Aldefonſo Regi, extat in* 3. *Tomo Concilior. general.* 2. *par. lib.* 9. *Epiſtolarum Gregorij VII. Papæ Epiſt.* 2. *pag.* 368. *col.* 1. *& in* 3. *Tomo Epiſtolar. decretal. Summorum Pontificum Romæ excuſo, anno* M.D.XCI. *ex lib.* 9. *Regiſtri Gregorij Papæ VII. Epiſt.* 2. *pag.* 852. *Habui beneficio doctiſſimi viri D. Vincentij Turtureti, qui operibus eruditis ſanè & reconditæ penitioriſq; doctrinæ, & ſuam patriam, & noſtram Hiſpaniam, dum in eâ publico litterarum beneficio commoratur, fouet & illuſtrat. Cuius Epiſtolæ verba, quippe quæ optimè conducunt ad rem, vt videas, & agnoſcant omnes, quantæ auctoritatis & veritatis ſit Chronicon Iuliani, apponere operæ pretium duxi: in quibus & Maximi Pontificis prudentiam atque religioſam ſuſpicies temperantiam; dum, ne tunc dedecori Sanctij cederet repulſa, quam Imperatori renuntiabat, eius pepercit nomini. Ait Summus Pontifex:* De illâ autem personâ, quæ in Archiepiscopum fuerat eligenda, dicimus: licet satis prudens & liberalis videatur, tamen (quemadmodum nobis notum est, & litteræ tuæ non negant) disciplinæ fundamento, videlicet litteralis scientiæ, peritiâ indiget. Quæ virtus, quàm sit non modò Episcopis, verùm etiam Sacerdotibus necessaria, ipse satis intelligis; cùm nullus sine eâ, aut alios docere, aut sese possit defendere. Quapropter Serenitatem tuam studere oportet, vt cum consilio præfati Legati nostri Richardi, Massilienſis Abbatis, aliorumque religiosorum virorum eligatur inde, si inueniri potest: sin autem, aliunde expetatur talis persona, cuius religio & doctrina Ecclesiæ vestræ & Regno decorem conferat & salutem. Nec verò te pigeat aut pudeat, extraneum fortè, vel humilis sanguinis virum (dummodò idoneus sit) ad Ecclesiæ tuæ regimen, quod propriè bonos exoptat, adscire: cùm Romana Respublica, vt Paganorum tempore, sic & sub Christianitatis titulis, inde maximè, Deo fauente, excreuit, quòd non tam generis aut patriæ nobilitatem, quàm animi & corporis virtutes perpendendas adiudicauit. *Adducit hanc Epiſtolam Illuſtriſſ. Cardinalis Baronius* XI. *Tom. Annal. anno Chriſti* M.LXXX. *quasi tunc ſcripſerit Summus Pontifex; aitq; emendandos eſſe eos, qui Toletum captum ab Alfonſo tradunt anno Chriſti* M.LXXXV. *cùm sibi suadeat anno* M.LXXX. *litteras à Gregorio VII. ſcriptas: quamuis in Epiſtolâ Gregorij nec diem nec annum inueniam, imò poſitam agnoſcam in* 3. *Tomo Epiſtolar. Decretalium poſt Concilium coactum anno* M.LXXXI. *Vel, ſi quis hac difficultate motus, maluerit de alio Archiepiſcopo potiùs, quàm de Toletano locutum Gregorium, in eam ſententiam pedibus it Baronius. Poſteriori huic coniecturæ reſiſtit Iulianus; & priori omnes ferè Hiſpani Chronologi, & Hiſtorici, inter quos Piſa lib.* 3. *Hiſtor. Toleti* 17. *pag.* 151. *col.* 1. *& dicitur infrà num.* 210. *Satiùs puto intelligendum etiam in captiuitate de hoc eligendo Sanctio Archiepiſcopo, Alfonſum conſuluiſſe Summum Ponificem Gregorium: nam & erat Eccleſia Alficenſis, tempore captiuitatis, vbi ſedebat Archipresbyter S. Eccleſiæ Toletanæ, vt ſcribit*

bit Iulianus in lib. de Eremiteriis n.15. & rem in futurum disponebat, ad hoc, vt Sanctius Archiepiscopus confirmaretur. Quod indicare videntur verba illa Iuliani in Chronico: Adefonsus consulebat Dominum Apostolicum, disponendo pro Episcopo Toletano Sanctio, cognato suo. *Conueniunt etiam Regia diplomata, quæ inueniuntur scripta anno* M.LXXXIII. *in quibus Rex se nominat Toleti; non quia, vt ait Pisa, tunc captum esset Toletum; sed, quia Deo iuuante & præeunte, in animo constanter habebat, & cogitabat hoc in antecessum Alfonsus. Deinde cùm vacaret Sedes, mortuo Petro Toletano Archiepiscopo, & per obsidionem non possent Episcopi conuenire ad eligendum, consulebat Sacram Romanam Ecclesiam. Sic noster Iulianus in Chronico num. 552. verba sunt:* Anno M.LXXXI. Episcopus S. Iustæ, senio & ærumnis confectus, moritur Toleti sub finem anni; vacatque Sedes, quia non potuerunt venire Toletum Episcopi Metropolitani, quorum intererat eligere, propter arctam obsidionem. *quare anno* M.LXXXV. *dict. num. 554. de seipso testatur Iulianus, quæ sequuntur:* Ego tunc etiam pro Archiepiscopo Vicarius in Sede vacanti excubabam.

P. H. 89. *Synodus contra Monothelitas Romæ habita est, & absoluta hoc anno in palatio Lateranensi anno* DC.LII. *ann.* VI. *Martini Papæ I. de quâ multa Platina, & alij Scriptores rerum Ecclesiasticarum.*

P. H. 90. *S. Martinus Papa moritur pridie Idus Nouembris in exilio Chersonensi pro fide ærumnis confectus. Celebratur ab Ecclesiâ vt Martyr, pro defensione duarum Christi voluntatum.*

P. H. 91. *De* VIII. *Synodo hoc anno collectâ Rodericus & alij codices M. S. in membranâ peruetustâ litterâ Gotthicâ, etiam codex Surij Conciliorum, & codex Garsiæ Loaysæ. Eugenius, qui huic interfuit, est sanctus vir, inter Sanctos relatus.*

92. DC.XCII. DC.LIV.

**Lege* Progenitus, *seu* Pogonatus *(quod probo) & loco* Constantino, *scribe* Constantinus

Fl. Heraclius, Constantino *Prognatus, Kal. Martij à patre Imperatore consors Imperij nominatur.

DC.XCIII. DC.LV.

93. Fortis, XXXIX. Mediolanensis Archiepiscopus.

94. Hoc anno, qui est septimus Recesuinthi Regis Wisegotthorum, congregatur IX. Synodus Toletana, sub Eugenio tertio huius nominis.

P.H. 94. *Cogitur* IX. *Synodus Toletana anno* VII. *Regis Recesuinthi; vbi, sicut in octauâ, multa de reformatione Episcoporum & Clericorum, sepelientium mulierum intemperanti fœdâq; consuetudine, vt docet Martinus ex litteris Amandi. sic ille:* Suggestum est namque nobis, eò quòd Presbyteri, seu Diaconi, aliiq́ue sacerdotalis officij post suas ordinationes in lapsu coinquinantur; & propterea nimio mœrore fraternitatem tuam adstringi, velleq́ue pastorale officium, vel obsequium pro eorum inobedientiâ deponere. *Et occasione huius Epistolæ, ac rei necessitate exigente, cùm iam absoluissent pertinentia ad confirmationem Concilij Lateranensis, Patres in Synodo Toletanâ* VIII. *Toleti congregati multa circa Episcopos, Sacerdotes Diaconosq́; pollutos decernunt, non minùs sanctè, quàm acriter & acerbè, vt Canon. 4. 5. 6. 7. vbi id seuerè distincteq́; prohibetur, vt videnti constabit.*

DC.

DC.XCIV. DC.LVI.

Hoc anno, qui fuit octauus Recesuinthi, Regis Wisegotthorum, contrahitur Toleti X. Synodus. 95.

95. *In Synodo Toletanâ* X. *instituta est celebritas Incarnationis* XVIII. *die Decembris, anno* VIII. *Regis Recesuinthi, hoc est, anno* DC.LVIII. *Alij dicunt restitutam esse à S. Ildefonso; sed falluntur, quia non præfuit Concilio Toletano* X. *Ildefonsus, nec tunc erat Toletanus Episcopus; sed reuerà (vt docet Iulianus Toletanus Archipresbyter) fuit primus, qui id proposuit in hoc Concilio, & ad eius preces, & propter S. Virginis singularem deuotionem, sancti Patres proposuerunt. Hoc certè verum est, primum Archiepiscopum Toletanum, qui Concilij huius canonem executioni mandauit, fuisse S. Ildefonsum; qui sequenti anno proximo Cathedram tenuit, vt egregiè annotat idem Iulianus, vt in eius Chronico videtur.* P.H.

DC.XCV. DC.LVII.

Hoc anno XIII. Nouembr. moritur Toleti S. Eugenius III. & miraculis clarus totâ Hispaniâ celebris habetur: iacet in S. Leocadiâ extra vrbem: alij volunt hunc sepultum in domo S. Leocadiæ. 96.

S. Ildefonsus, Monachus Agalienſis, vir nobilis & religiosus, doctrinæque variæ famâ celebris, Abbas SS. Cosmæ & Damiani, Monasterij diuersi ab Agalienſi S. Iuliani Martyris, in demortui locum (Eugenij scilicet cognati sui) voto Recesuinthi, Regis Wisegotthorum, & Cleri populique Toletani, mortuo sufficitur. 97.

96. *Hoc anno* XIII. *die Nouembris, qui fuit dies Lunæ, & à sæculo Luitprandi, iam habebatur Eugenius vt Sanctus, inter Superos relatus. Testatur id eo longè antiquior Vsuardus hoc die: item Gelasius; sed confundit cum Martyre longè hoc recentiore. De quo sic Ildefonsus in lib. de Viris illustribus:* Eugenius alter post Eugenium Pontifex subrogatur. Hic cùm Ecclesiæ Regiæ Clericus esset egregius, vitâ Monachi delectatus est: qui sagaci fugâ vrbem Cæsaraugustam petens, illic Martyrum sepulchris inhæsit: ibique studia sapientiæ & propositum Monachi decenter incoluit. Vnde principali violentiâ reductus, atque in Pontificatum ascitus, vitam plus virtutum meritis quàm viribus egit: fuit namque corpore tenuis, paruus robore, sed valdè feruescens spiritus virtute: studiorum bonorum vim persequens, cantus passiuis vocibus vitiatos melodiæ cognitione correxit, officiorum omissos ordines curamque discreuit. Scripsit de sanctâ Trinitate libellum, & eloquio nitidum, & rei veritate perspicuum. Qui Libyæ Orientiſque partibus mitti quantocyùs poterat, nisi procellis resultantia freta incertum pauidis iter viatoribus distuliſſent. Scripsit & duos libellos, vnum diuersi carminis metro, alium diuersi operis prosâ, concretos: qui multorum ad industriam, eius ex hoc tenaciter sanctam voluerunt commendare memoriam. Libellos * quoque Dracontij de Creatione mundi conscriptos, quos Antiquitas protulerat vitiatos, quæ incontinentia reperit, subtrahendo, immutando, vel meliorando, ita in pulchritudinis formam coëgit, vt pulchriores de artificis corrigentis, quàm de manu processisse videantur auctoris. Et quia de die septimo idem Dracontius, omnimodò reticendo, semiplenum opus visus est reliquisse; iste P.H.

D.L. *De Dracontio videndus Iulianus in Aduersariis, nu. 498. & quæ ibi notaui: adde nunc Isidorum de Viris illustr. & cap. 37.

& ſex dierum recapitulationem, ſingulis verſibus renotauit; & de die ſeptimo, quæ illi viſa ſunt eleganter dicta, ſubiunxit. Clarus habitus fuit temporibus Cindaſuinthi & Receſuindi Regum, ferè duodecim annis tenens dignitatem ſimul & gloriam Sacerdotij: ſicque poſt lucis mundanalis occaſum, in Baſilicâ S. Leucadiæ tenet habitationem ſepulchri. *Hæc ille, qui & obitum eius ornauit ſepulchrali carmine:*

Præſulis Eugenij iacet hîc venerabile corpus,
Quem Leucadiæ templa ſacrata tenent.
Hic Monachus fit, mortales dum perfugit vmbras,
Et Toletanâ Præſul in vrbe ſenex.
Diſcipulus dat dilecto poſtrema Magiſtro
Carmina, promeriti ſat memor officij.
Ildefonſus enim Monachus benè Sancto.....
Et docto Eugenio pro pietate facit.

Sæpè meminit huius Eugenij S. Iulianus lib.3. cap.17. Nam (vt ceteros taceam) egregij præceptoris noſtri Eugenij Toletanæ Sedis breuiter hæc verba retexam: Reſurrectionem autem carnis veriſſimè confitemur; non vt quidam declarant, vt in aëreâ, vel qualibet aliâ carne, reſurgamus; ſed in hac, quâ ſumus, quâ etiam pro rectè geſtis coronam, aut pro malè geſtis vnuſquiſque merebitur recipere pœnam. *& eodem lib. cap.24.* Erit, vt præceptor noſter ſacer Eugenius docet, tanta ac talis corporis pulchritudo, vt oblectet intuitum, & cor nullatenus inflectat ad vitium. *& ibidem:* Iuxta quod & clara præceptoris noſtri ſententia conteſtatur, hoc aſtruit, quòd in illâ futurâ gloriâ reſurrectionis, vbi nulla corporibus ſanctis deformitas, nulla quoque doloris aut laboris aduerſitas, non ſit quoque tegminis neceſſarius vſus, quibus erit omnia & in omnibus Chriſtus. *Libri Dracontij, & multa epigrammata ſunt, & epiſtolæ. Dubitat P.Mariana, an inter Sanctos ſit annumerandus; quia Eccleſiæ Toletanæ tabulæ eum non vt Sanctum referunt: ſed cùm eum referant vetus & nouum Romanum Martyrologium; nihil refert, non adduci ab Eccleſiâ Toletanâ, quæ non poteſt ſola Sanctos facere, aut quos colit Eccleſia Romana, vt Sanctos non venerari: maximè, quia ex Breui Gregorij* XIII. *omnes, qui ſunt in Martyrologio, proponuntur vt Sancti habendi toti Eccleſiæ, quia vult, vt in totâ Eccleſiâ ſolum hoc recipiatur Martyrologium, & recitentur ſingulis annis tales Sancti. Eſt iſte modus quodammodo tacitus canonizandi. Liber de Trinitate huius ſancti Doctoris omnino intercidit, niſi in aliquâ Baſilicâ lateat, vt latuerant opera nonnulla S.Ildefonſi, quæ operâ Doctoris Fratris Franciſci Feuardentij ex familiâ Franciſcanorum in lucem prodierunt.*

P. H. 97. *De electione S. Ildefonſi anno* DC.LVII. *in Sede Toletanâ, Cixilla & Iulianus. Vacat Sedes Toletana* XVII. *diebus; quibus tranſactis, in officio nouemdiali demortui Pontificis, & in Regis conſultatione, primâ die Decembris, quæ fuit dies Dominica, ſacras S.Chryſantho & Dariæ & Mauro Martyribus, poſitus eſt in Sede Toletanâ S. Ildefonſus, Abbas Agalienſis, cùm eſſet* LIII. *annorum. Vir verè ſanctus, pius, doctus, & zelo charitatis mirificè feruens: conſecratur ab Epiſcopis Suffraganeis maximâ cum lætitiâ Cleri populiq; Toletani. Fuit omni vitæ ſuæ decurſu Pontifex omnibus ſuis numeris abſolutus, qualem & collapſa diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & morum corruptio poſtulabat: magisq; ſubditorum vitia vitæ ſanctioris exemplo, quàm ſeueritate vel nimiâ reprehenſione curabat: nulli vmquam moroſus, omnibus ſemper amabilis fuit.*

D. L. S. Ildefonſus, Monachus Agalienſis, vir nobilis & religioſus, doctrinæque variæ famâ celebris, Abbas SS. Coſmæ & Damiani.] *Electus fuit anno*

no DC.LVII. *in Abbatem D.Ildefonſus, ſi fides Luitprando adhibetur: vnde in Iuliani Chronico n.330. ſic legendum:* Hoc tempore regebat Eccleſiam Toletanam ſanctè pieq; B.Ildefonſus, qui anno DC.LVI. [*anteà legebatur* DC.XXXVI.] electus eſt Abbas SS.Martyrum Coſmæ & Damiani in ſuburbio Toletano.

Voto Receſuinthi, Regis VViſegotthorum, & Cleri populique Toletani, mortuo ſufficitur.] *Antiqua hæc eligendi Epiſcopi forma. Secundùm enim temporum varietatem, diuerſi modi in Epiſcoporum electionibus à Summo Pontifice deſignati, vltra quos excedere non licebat: &, iuxta varias itidem & occurrentes temporum circumſtantias & caſus, variis perſonis ius eligendi Epiſcopi ab eodem Pontifice conceſſum ſiue permiſſum. Primùm enim totius Cleri & populi auctoritate fiebant electiones. cap.* Noſce. *cap.* Cleri. *cap.* Vota. *63. diſt. & ex Luitprando hîc, atque ex Iuliano in Chronico numer.542. elicitur:* Pòſt reuerſus in patriàm creatur (*Sigefridus Abbas Fuldenſis*) a Clero populoque Moguntinus Epiſcopus. *Principibus ſæcularibus aliquando conceſſum, vt electio à Clericis facta valida non eſſet, niſi eorum accederet conſenſus. cap.* Quia igitur. *9. diſt.63. ibi:* Totius Concilij vnito conſenſu, & ſereniſſimi Principis voluntate declarat accerſiri. *Apud Hiſpanos extat inſigne huiuſce rei monumentum in cap.* Cùm longè. *25. dictâ 63. diſt. his verbis:* Vnde placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ atque Galliciæ, vt, ſaluo priuilegio vniuſcuiuſque Prouinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoſcumque Regalis poteſtas elegerit, & iam dicti Toletani Epiſcopi iudicium dignos eſſe probauerit, in quibuſlibet prouinciis, & præcedentium Sedibus præficere Præſules, *&c. Ab egregiis illis temporibus, quibus Reges Hiſpaniæ eam à Maurorum faucibus vindicarunt (gloſſ.pænult.in cap.* Adrianus. *diſt.63.) competit eis ius patronatus in Eccleſiis, expectatâ Summi Pontificis confirmatione. Celebris textus in l.* Antigua. *17. tit. 5. Partit. 1.* E eſta mayoria è honrra an los Reyes de Heſpaña por tres razones: la primera, porque ganaron la tierra de los Moros, è ficieron las mezquitas Egleſias, è echaron de y el nome de Mahoma, è metieron y el nome de nueſtro Señor Ieſu Chriſto. *Vbi Gregorius Lopez doctè, quem refert, & plures alios, Gabriel Pereira in Manu Regiâ Tom.2. cap.22. num.14. Succinit Rodericus Archiepiſcopus Toletanus lib.3. Hiſtor Hiſpan.cap.12. & in nouâ noſtrâ Recopilatione ſuffragatur lex 14. tit.3. lib.1.* Los quales [*Reyes de Caſtilla y Leon*] con deuocion feruiente, y Catholicos y animoſos corazones, y con derramamiento de ſangre ſuya, y de ſus ſubditos y naturales, ganaron y libraron eſta tierra de los infieles Moros, enemigos de nueſtra ſanta Fe Catholica: y la puſieron sò la obediencia de la ſanta Fe Catholica: y la tierra, que por tantos tiempos fue enſuciada con ſeta Mahometica, fue por ellos recobrada y alimpiada; y las Yglesias, que por tanto tiempo hauian ſido caſas de blaſphemia, no ſolo fueron por ellos recobradas para loor de Dios, y enſalçamento de nueſtra ſancta Fe, mas abondoſamente dotadas. *Et paulò inferiùs:* Y de las Prelacias y dignidades mayores ſiempre los ſantos Padres proueyeron à ſuplicacion del Rey, que à la ſazon reynaua. *Exemplum præpoſui in iis, quæ notaui ſuprà ex Iuliano noſtro in Chronico, num.554. & in Lege ſuprà citatâ illud aduerbium* ſiempre *miniatulâ cerâ noto, vt ius Patronatus Regum Hiſpaniæ abhinc multis annis deducere valeamus. De ſimili Epiſcoporum electione quamdam inſcriptionem inueni apud Blaſium Ortizium in Deſcriptione templi Toletani cap.36. quam, ne te huius Antiquitatis fraudarem lenocinio, tranſſcribere non recuſaui.* Aqui yace Don Martin Martinez de Calahorra, Arcediano de Calatraua, y Canonigo de Calahorra: è fue electo en concordia para ſer Obiſpo de la Yglesia

sia de Calahorra, y de la Calçada; e no lo quiso recibir por honrra de la Yglesia de santa Maria de Toledo, è fino nueue dias andados del mes de Abril de M.CCC.LXVIII. años. *Rem totam confirmat inauguratio Dominici Episcopi Burgensis; de quâ in vulgus iactatum fuit, tempore Don Petri Regis Castellæ scissis, Ferdinandi antecessoris obitu, in bifariam opinionem, Sacerdotum suffragiis, totius controuersiæ partium voluntate, Dominicum delectum arbitrum, seipsum, prætermissis riualibus, Episcopum nominasse. Felicem temeritatem approbauit, eorum qui aderant assensus: insigniaq; Pontificalia delata, & confirmatio Gregorij XI. P. M. secuta. Ita recenset Ferdinandus Perez de Guzman in libello, cui epigraphe affixa,* Valerio de las historias, *lib.* 8. *tit.* 11. *cap.* 4. *Atque iisdem insistit vestigiis P. Ioannes de Mariana in Histor. Generali Hispanâ linguâ conscriptâ, lib.* 17. *cap.* 8. *Simile exemplum & euentum eumdem in electione alterius Dominici Episcopi Ciuitatensis, regnante Alfonso, cui cognomen* Sapiens, *scripsit Antonius Sanchez Cabañas in eiusdem Ciuitatis historiâ, quam manuscriptam habeo, 2. p. lib.* 3. *cap.* 6. *ibiq; adducit duo Regis Alfonsi diplomata; alterum anno* M.CC.LXIV. *alterum anno* M.CC.LXX. *in quibus Dominicus Martinus Episcopus huius nominis II. confirmat. De his vide quæ congerit Doctor Augustinus Barbosa de Officio Episcopi tit.* 1. *cap.* 3. *per totum. Nouissimè Illustriss. Dominus Rodericus Acunha, Archiepiscopus Bracharensis, cuius ingenitam nobilitatem, litterarum splendore illustrem & conspicuam venerantur & agnoscunt omnes, num.* 1. 2. 3. *&* 4. *in Commentariis ad Decretum Gratiani ad cap.* Cùm longè. 25. *dist.* 63. *vbi multos Auctores recenset doctè sanè & laboriosè.*

Addo pro mantissâ Episcopum Pampilonensem D. Fr. Prudentium de Sandoual in Chronico Imp. Alfonsi VII. cap. 8. *qui inserit quamdam epistolam Petri Abbatis Cluniacensis ad Innocentium III. P. M. vbi de electione Episcopi per Clerum & populum agit; & I. C. Didacum Perez in L.* 2. *tit.* 6. *lib.* 1. *Ordinam. col.* 251. *in versiculo,* Item Reges Hispaniæ.

DC.XCVIII. DC.LX.

98. S. Ildefonsus mores hominum aulicorum deprauatos, & ipsum etiam Regem, Christianâ libertate reprehendit: & ob id ipsis & Regi visus est acerbus.

99. Nonnullos Iudæos ad fidem conuersos baptizat.

100. Taio, Episcopus Cæsaraugustanus, glorioſus habetur.

P. H. 98. *De moribus Regis aliquid attingit Cixilla in Vitâ S. Ildefonsi:* Sed Princeps quondam Recesuindus, qui eo tempore erat, gloriâ & ferocitate terrenâ depositâ, qui eum, ob iniquitates suas increpatus, superbo oculo intuebatur, cultrum modicum, quem in thecâ tenebat, cum lacrymis offerebat; & collo submisso, supplices manus à throno suo extendens, vt eum illi deferrent, instanter deprecabatur: postulans vt non indignum iudicaret sua cum lacrymis offerentem.

D. L. 100. Taio, Episcopus Cæsaraugustanus.] *Concordat cum Luitprando Iulianus, qui ærâ* DC.XCVIII. *anno* DC.LX. *num.* 331. *ait:* Florebat memoria S. Taionis Pontificis Cæsaraugustani, docti & pij, qui obiit in pace IV. Kalen. Februarij ærâ DC.XCVIII. *In Concilio Toletano* VIII. *quod celebratum fuit ærâ* DC.XCI. *id est, anno* DC.LIII. *inuenio subscripsisse quinquagesimo loco, sic:* Taio, Cæsaraugustanus Episcopus. *Carmen tamen Valderedi in Chronico Helecæ Cæsaraugustani Episcopi, inter Fragmenta ex M. Maximi carminibus edita,*

edita, discrepat vno in anno, dum obiisse ex eo constat ærâ DC.XCVII. *anno* DC.LIX. *Versus transscribere, qui ad rem optimè conducunt, non grauabor:*

Valderedus ego, Taionis & ipse minister,
Cæsareâ indignus Præsul in vrbe simul;
Carmina dilecto funebria sacro Parenti,
Pectus in hoc clarè testificata meum.
Taio fuit, dum vita manet, virtutibus almus,
Nobilis ingenio, sed grauis eloquio.
Hispani debemus ei Morale volumen
Gregorij Magni; quidquid & ille dedit.
Hac caussâ petiit Romam; diuinitus autem
Admonitus, miris repperit eius opus.
Inde redit famâ meliòr, virtutibus idem,
Gregoriiáque super grande laborat opus.
Iamque grauis senio, factis repletus opimis:
Viuo larga manus, vitaque honesta fuit.
Mortuus antiquâ tumulatur in æde Columnæ,
Et volat ad Superos mens bona Pontificis.

Obiit sanctissimus Pontifex in pace, famulus Dei Taio, Cæsaraugustæ, ærâ DC.XCVII. IV. Kal. Februarij.

Celebris & glorioſus habetur apud Hispanos Taio: nam, vt graphicè iam vides scriptum, Româ in Hispaniam apportauit Moralium libros S. Gregorij Magni Pontificis; & ad id fuit missus, sacro Concilio VII. *Toletano approbante. Refert Rodericus lib.* 2. *Histor. cap.* 20. Et fuit in hoc Concilio [*de* VII. *agit*] magna turbatio, eò quòd liber Moralium, quem B. Gregorius ad petitionem B. Leandri composuerat, deperditus negligentiâ, in Hispaniis non exstabat. Vnde & idem Princeps, sacro Concilio approbante, Taionem Cæsaraugustanum Episcopum, qui Synodo octauæ subscripsit, religione & litteraturâ præstantem, & solicitum Scripturarum, ad Romanum Pontificem cum suâ petitione, pro libris Moralium nauigio destinauit. *De quâ re, & de miraculosâ librorum Moralium apparitione, consule quæ è codice M. S. perantiquo euulgauit Eminentiss. Garsias de Loaysâ in Concilio Toletano* VII. *pag.* 414. *Sed multò copiosiùs enarrat idem Archiepiscopus Rodericus, ad quem noster Luitprandus se refert inf. num.* 365. *vbi in fine Chronici aliqua memoratu digna quasi congerit. Extat Taionis insigne monimentum in Carmine, quod Honorato Præsuli Hispalensi cum lacrymis posuit, tale:*

Taio, Cæsaraugustanus Archidiaconus, sanctissimo Pontifici Honorato,
germano suo Cæsaraugustano, Archiepiscopo Hispalensi,
carmen sepulchrale dicat:

Præsul Honoratus succesſerat hic Isidoro;
Hispalis illius ossa beata tenet.
Iamque nouem lustris gaudens dum vita maneret,
Spiritus astra tenet, corpus in vrnâ iacet.
Vita fuit melior linguâ, sed lingua modesta.
Nunc ouat, hostiles nec timet ille minas.

Obiit idem Pontifex pridie Idus Nouembris ærâ DC.LXXVIII. In honore vixit annis quinque, mensibus sex.

Hanc illustrat Inscriptionem eruditissimus Rodericus Caro in Additionibus ad Chronicon M. Maximi pag. 232. *& D. Franciscus Fernandez Beltran, Abbas Oliuarensis, in suo ad id Tractatu. Nouissimè D. Paulus de Espinosa de los Monteros in Historiâ Hispalensi lib.* 2. *cap.* 23. *Dixerat priùs planiùs & plenius*

de Taione P. Didacus Murillo in Historiâ Cæsarauguſtanâ, Tractat. 1. cap. 29. pag. 242. & de Moralium libris ab ipſo in Cæsarauguſtam aduectis, ibidem c. 1. pag. 2. col. 1. & cap. 3. pag. 16. col. 2. qui aſſerit repoſitos eſſe in Bibliothecâ S. Eccleſiæ D. MARIÆ del Pilar, *in quodam armario, cuius lemma tale eſt:*

In hoc ſunt condita ſcrinio beati Gregorij Moralia à Taio, Cæsarauguſtano Epiſcopo, Romæ miraculosè inuenta.

Horum meminit, aliáque memoriâ dignæ adducit Reuer. D. Coccinus Decanus Rotæ Romanæ, in Deciſione cauſſæ Cæsarauguſtanæ Cathedralitatis pag. 9. in principio. Fortè & hic Taio aliqua ſcripta concinnauit, de quibus Iulianus in Chronico num. 414.

DC. XCIX. DC. LXI.

101. Hæreticos Narbonâ venientes, natione Gotthos, Theudium & Helladium, per Hiſpanias *tominæ vagantes, & de virginitate beatæ Virginis Mariæ temerè ſentientes, quòd more ceterarum mulierum, dilatatis clauſtris virginalibus, pepererit Chriſtum Dominum, verum Deum & hominem, Filium ſuum; ſermonibus quatuordecim Ildefonſus, & editis libris (diuerſis ab illo *Soliloquiorum* incipiente, *Domina mea*) viriliter confutat; & caſtigatos iuſſu Regis Receſuindi Catholici, * ſeueriſſimiſque Principis, totâ Hiſpaniâ cogit exulare.

*cor. teterrimè

* *al.* Sereniſſimi

102. Hoc anno, IX. die Decembris, apparet S. Pontifici S. Leocadia virgo & Martyr (cuius corpus ignorabatur vbi erat) in æde Prætorienſi. inde cœpit Ildefonſus eſſe Regi Catholico admirationi, & admirabili reuerentiâ.

103. Compoſuerat S. Pontifex ad priuatam deuotionem ſuam librum quemdam *Soliloquiorum* cum beatâ Virgine, quæ *Synonyma* dicuntur: pòſt libros & ſermones ſcripſit elegantiori ſermone, contra hos hæreticos: conſtat ex litteris Geneſij ſecundi huius nominis Lugdunenſis (qui dictus eſt etiam * Abelardus) Abbatis Corbeiæ priùs, pòſt Epiſcopi Vrcitani.

* *al.* Adelardus

P. H. 101. *Hæreticos tres dicit fuiſſe Iulianus in Vitâ S. Ildefonſi: communiter receptum eſt, iſtos tres hæreticos obloqui virgineo pudori S. Mariæ Matris Dei, & ad deuincendos eos edidiſſe librum, qui incipit* Domina mea, atque Dominatrix, *&c. Sed in illo libro, multum de hæreticis, plus tamen de laudibus B. Virginis. Sic Rodericus lib. 2. cap. 22.* Huius *(ſcilicet Ildefonſi)* tempore, cùm Eluidius & Pelagius, à Galliis venientes, pleraſque partes Hiſpaniæ infeciſſent, virginitatem B. Mariæ infamantes, B. Ildefonſus illis occurrens ſacrarum Scripturarum teſtimoniis, & linguâ melliſluâ, & gratiâ in labiis ſuis diffusâ, eorum dogma confutauit, & ab Hiſpaniis confuſos abegit. *Huius Hiſtoriam praui dogmatis nec Iulianus nec Cixilla recenſent, ita vt hîc narratur. Tantùm Iulianus agens de libris S. Ildefonſi, librum, quem de* Parturitione *B. Mariæ Virginis S. Ildefonſus edidit, innuit ſcripſiſſe contra quoſdam tunc dicentes, B. Virginem manſiſſe quidem virginem, vt ante partum, ſic & poſt partum; tamen malignè aſſerentes, peperiſſe modo naturali, vt parere ſolent ceteræ mulieres, per dilatationem puerperiorum; vnde, inquit S. Doctor, illos voluiſſe re, quamuis non verbis claris & explicitis, contrarium*

rium docere; non manſiſſe ſcilicet virginem, vt ceteræ non manent quæ conſuetâ naturæ lege pariunt. Sanctus Doctor admonens Regem Receſuindum de periculo fidei, petiit vt in tantæ rei grauitate, & periculo manifeſto plebis, iuberet contrahi Concilium nationale Toleti; vt in illo conuicti hæretici, hæreſim abiurarent, vel pertinaces in exilium amandarentur. Habitâ Synodo, manentes hæretici in ſuâ perfidiâ, totâ Hiſpaniâ cum ignominiâ ac dedecore pulſi ſunt, vt refert Iulianus Archipresbyter S. Iuſtæ: &, ne periculoſa ſerperet hæreſis (vt ſolet cancer) librum compoſuit, quem dedicat Monialibus ſancti Benedicti Toletanis. Hic liber multos annos delituerat: repertus in Galliâ per Doctorem Fr. Franciſcum Feuardentium Franciſcanum, excuſus eſt 9. Tom. Bibliothecæ veterum Patrum, excuſæ Pariſiis. vbi ſic dictus liber de Parturitione B. Virginis Mariæ: Quamuis omnium Eccleſiarum, virginitas beatæ & glorioſæ Dei Genitricis Mariæ ſit decus, honor & forma virtutis; maximè tamen Sanctimonialium & Virginum, quarum caſtitas eius ſpecialiter illuſtratur virtutibus, informatur exemplis, corroboratur meritis: vnde ſacratiſſimum eius puerperium animo & corde deuotiſſimè venerari ac retexere, diuini muneris eſt gratia: pro eâ verò contra hæreticam prauitatem dimicare ac vincere, opus eſt Spiritus ſancti, ac virtus Altiſſimi, qui eam obumbrauit: vt ſine coitu viri, & ſine vllâ corruptione, Deum & hominem pareret, virgoque ſemper permaneret. Pro quâ iam olim B. Hieronymum contra Heluidium hæreticum, & contra eius complices, ſcripſiſſe legimus: quos ita debellauit ac deuicit, vt deinceps vſque ad præſens nihil recidiuum erroris contra eam ſurrexerit. Sed quia quorumdam nunc fratrum rurſus impudica quaſi percontando laborat temeritas; decreui ad vos, Matronæ Chriſti, his ſcribere, quæ ipſi curioſiùs contra eius pudicitiam, quàm religioſiùs conantur explicare. Explorando partum virginitatis eius, & vterum pudicitiæ, introducunt, ac ſi peritiſſimi Philologi eſſent, callidè ſatis, diſputatione ſuâ, conluuionem vitiorum; in quâ concurrunt plurima erroris diſcrimina: dicunt enim, non aliter beatam Virginem Mariam parere potuiſſe, neque aliter debuiſſe, quàm communi lege naturæ, & ſicut mos omnium feminarum, vt vera natiuitas Chriſti dici poſſit. Alij autem inquiunt: Si non ita natus eſt, vt ceteri naſcuntur infantes, vera natiuitas non eſt: & ideò, ne phantaſia putaretur, aut ne, ſicut aqua per alueum tranſiiſſe, ita per vterum Virginis abſque naſcentis ordine natus credatur; pium eſt ſentire, ſic eum lege naturæ natum fuiſſe, ſicut ceteri naſcuntur infantes; & eam ſic peperiſſe, ſicut reliquæ pariunt mulieres. O cæca pietas, quæ tam impiè ſentit de Mariâ Virgine; & cæca præſumptio, quæ tam impiè loquitur de Chriſto! Non dico, quòd dicant virginitatem amiſiſſe, quæ neſciens virum, virgo concepit, virgo peperit, & virgo permanſit: ſed quia id ipſum, quod confitentur, negant; dum eam dicunt communi lege naturæ puerperam filium edidiſſe. Quod ſi ita eſt, vt aſtruunt & affirmant (quod abſit) iam Maria virgo non eſt; Chriſtus ſub maledicto natus eſt iræ filius, de carne peccati: & ipſa, quæ benedicta ab Angelo prædicatur, in maledictione adhuc permanens, ſub maledicto peperit. Alioquin quid eſt, quòd legem naturæ requirunt in Mariâ, vbi totum, quidquid in eâ fuit, poſſedit Spiritus ſanctus? quoniam eam virtus Altiſſimi obumbrauit. *Hinc facilè colligitur, non fuiſſe Gallorum iſtorum à Narbonenſi Prouinciâ deſcendentium errorem, quòd in verbis negarent S. Virginem non manſiſſe virginem, cùm re ipſâ negarent. Nam tametſi virgo conciperet, in dilatatione illâ, & modo legis naturæ mulieribus parturientibus conſueto, ſi clauſtra virginalia aperirentur (vt aiebant) virgo non permaneret. Cùm hoc percepiſſet S. Ildefonſus,*

fonſus, Regem admonuit, oportere Concilium totius Nationis (vt dicit Iulianus) Toleti contrahi: vbi diſputatum contra hunc errorem. Et conuicti quidem hæretici in Concilio validiſſimis S. Ildefonſi rationibus, cùm nollent reſipiſcere, damnati ſunt ad exilium, quod Rex exequi fecit. Et mirum alioqui mihi videbatur, in tanto gentis Hiſpanæ periculo non conflatum eſſe Concilium, nec IX. *annis, quibus præfuit S. Ildefonſus, nullum Concilium habitum Toleti, præſertim cùm eius anteceſſores multa habuerint. Pòst verò non contentus Concilij determinatione, vt ſuæ pietati ſatisfaceret, ac perſuaſioni populorum contrairet, ſcripſit librum de Virginitate, quem citaui, quemq; Monialibus ſui Ordinis Toletanis nuncupandum duxit. Vt hinc intelligatur, quanta fuerit pietas Hiſpanæ gentis in B. Virginem, cuius honorem & dignitatem virginalem, collectâ Synodo, & libris editis, tutatus eſt S. Ildefonſus. Et vbinam necanda venit hæreſis iſta perniciosa in Galliâ nata, quàm in Hiſpaniâ, quam præ ceteris mundi nationibus Virgo ſanctiſſima præelegit? cui adhuc viuens fauerat, & ſuâ corporali præſentiâ manifeſtiſſimè fortunarat? Hiſpania igitur hæreſum gladius, & locus occiſionis omnium errorum; quò, diuinâ prouidentiâ ita diſponente, alibi hæreſes exortæ, tandem gladio confodiendæ & iugulandæ detruduntur, idq; peculiari Virginis priuilegio. Nulla enim hactenus orta eſt hæreſis in Hiſpaniâ; alibi autem erumpentes ac natæ, ibi ſuffocatæ. Sic hæreſis Arriana, Priſcilliana, & Vigilantiana. Quòd ſi ſemper ſatis ſedulò, nunc maximè ſanctiſſimi Inquiſitionis officij diligentiâ, ſtudio, pietate ac vigilantiâ; cui à Deo, intercedente B. Virgine, & S. Iacobo, quidquid puræ fidei & religionis eſt (quod planè multum eſt, & pluſquam in aliis orbis regionibus) exertis vocibus omnes delatum fatentur; & meritò.*

Sed reuertamur ad noſtrum Luitprandum, qui ſanè legerat libros S. Ildefonſi, & (vt res ſe habet) intellexerat errorem iſtorum è Galliâ deſcendentium, cùm dicit, quòd more ceterarum mulierum dilatatis ac laxatis clauſtris virginalibus peperiſſet Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. *Etiam Concilij meminit, dicens:* S. Ildefonſus Concilio, ſermonibus & editis libris confutauit, & à Rege Receſuindo totâ Hiſpaniâ fecit exterminare. *Sed quòd non ſit liber iſte, ille alius, quem Synonymorum edidit, declarat idem, dicens:* Compoſuerat ante hæc tempora librum Synonymorum, vbi tenerè ac deuotè cum ſanctâ Virgine loquitur per modum Soliloquij, qui ſic incipit: Domina mea, Dominatrix mea, *&c. Sed dices, Quando habita eſt Synodus hæc? dico habitam eſſe primo die Decembris, & dilatam, ex Iuliano, vſque ad finem menſis.*

D. L. Hæreticos Narbonâ venientes, natione Gotthos, Theudium & Helladium, per Hiſpanias tominæ vagantes.] *Legendum* temerè. *De hiſce hæreticis infrà num.* 111. *Iulianus in Chronico num.* 338. *vbi refero P. Gabrielem Vazquez 3. par. diſp.* 121. *cap.* 21. *& virum ſingularis doctrinæ P. Alfonſum Vazquez in ſuo Ildefonſo lib.* 4. *cap.* 3. *fol.* 275. *P. Franciſcum Portocarrero in libello aureo de Deſcenſu Deiparæ Virginis Mariæ fol.* 34. *B. Ecce iterùm Iulianus in Chronico num.* 342. *&* 344. *Et adde illuſtrem locum Pelagij Ouetenſis Epiſcopi à me adductum inf. num.* 197. *vbi de Heluidio & Iouiniano: de quibus P. Theodorus Petreius in Catalogo hæreticorum, verbo* Heluidiani, *pag.* 83. *& verbo* Iouinianiſtæ, *pag.* 203. *Epiſcopus Guido de Perpiniano in Summâ de Hæreſibus cap.* 60. *&* 61. *& in hæreſi* 47.

P. H. 102. *Et* IX. *Decembris, euntibus Epiſcopis ad Eccleſiam S. Leocadiæ cum proceſſione, factum eſt miraculum apparitionis S. Virginis. Præterquam quòd dicit Iulianus Toletanus, hoc idem docet Cixilla in Vitâ S. Ildefonſi his verbis:* Atque conſpectui eius Virgo pulcherrima obſequens aduentaret; clamantibus Epiſcopis, Principibus, Presbyteris: *quia nulli alij poterant ibi eſſe Epiſcopi, quàm qui conuenerunt ad Concilium; & ob id dixit S. Leocadia:* Per vitam Ildefonſi viuit Domina mea. *Quia ipſe multùm laborauerat in Synodo contrahendâ; & conuicerat hæreticos, in publicâ totius Concilij luce oculisq;, diſputatione. Quod obſequium Virgini impenſum ſimili fauoris ſignificatione voluit Filius placidiſſimè compenſare. Habitum eſt ergo Concilium anno* DC. LXI. *& eo anno contigit mirabilis apparitio S. Leocadiæ virginis & Martyris. Sex annis poſt primum miraculum accidit ſecundum de Apparitione B. Virginis, ſcilicet anno* DC. LXVII. *nam eo anno fuit littera Dominicalis C. & fuit* XIX. *Decembris, dies Sabbati.*

De amiſſione memoriæ corporis S. Leocadiæ Cixilla in Vitâ S. Ildefonſi: de ſede eburneâ idem, & Breuiarium, vel Tabulæ S. Eccleſiæ Toletanæ, à ſacrâ Rituum Congregatione collectæ, approbatæ à P. Ribadeneira in Vitâ ſancti Ildefonſi.

102. Hoc anno XIX. die Decembris apparet.] *De hac apparitione Iulianus noſter in Chronico n.* 345. *Cixilla in Vitâ S. Ildefonſi, & alij plures. Quo autem nomine cenſeretur Eccleſia, vbi S. Leocadia B. Ildefonſo apparuit, dubium multis. Et ſciendum, S. Leocadiæ virgini & Martyri tres Eccleſias fuiſſe ſacratas; Collegiatas duas, tertiam Parochialem. Hæc in quâ alta & educata Virgo, quæ arci Regiæ proxima, Martyrem carcere detinuit; quæ Tago flumini impoſita eſt in ſuburbio Toletano, ſepultam cuſtodiuit. Blaſius Ortizius, Canonicus Toletanus, in ſummi templi Toletani Deſcriptione depingit graphicè cap.* 12. *fol.* 36. Huic Diuæ *(Leocadiæ)* Martyri tres in hac vrbe dedicatæ ſunt Eccleſiæ: quarum duæ Collegiatæ, tertia verò Parochialis; quæ, ſicut à maioribus accepi, fuit ædificata in ipſius domo propriâ. Ex Collegiatis verò, vna in carcere, qui à parte Meridionali Regio Capitolio eſt contiguus, vbi ſpiritum Altiſſimo reddidit: ibique in quadam ſpeluncâ, quâ vincta ſeruabatur, propriis digitis ſignaculum crucis ſaxo impreſſit: quod vſque adhuc magnâ religione colitur. Altera extra muros huius ciuitatis, vbi eius corpus ſepulturæ fuit traditum. *Paucis, rem tamen totam comprehendit Eminentiſs. Card. Cæſar Baronius in Martyrologio Romano* IX. *die Decembris:* Tres ibidem Baſilicæ in eius memoriam erectæ permanent; quarum prima, vbi nata; altera, vbi paſſa; tertia verò, vbi ſepulta fuit. *Plenius Illuſtriſs. Archiepiſcopus Garſias de Loayſa in Notis ad Concilium* IV. *Toletanum pag.* 364. *Refert idem in Hiſtoriâ Toletanâ Franciſcus de Piſa lib.* 2. *c.* 17. *fol.* 85. *col.* 2. *Paribus ferè tibiis concinit Lectio* VI. *in Officio proprio huius inuictiſſimæ Martyris. In iis Eccleſiis variè varia cogebantur Concilia.* Quibus [*verba ſunt* VI. *Lectionis*] tantus honos eſt habitus, vt in eis potiſſimùm multa Concilia Toletana, eaque frequentiſſima, habita. *Patet manifeſtè ex* IV. *Concilio, quod fuit celebratum in Baſilicâ ſanctæ Leocadiæ; & ex* V. *ibidem coacto: vtrobique conceptis verbis ſcriptum inuenies. In* IV. *ſic:* Hîc quippe, dum in Baſilicâ beatiſſimæ & ſanctæ Confeſſoris Leocadiæ omnium noſtrorum pariter iam cœtus adeſſet. *In* V. *ita:* Apud vrbem Toletanam diuerſis ex prouinciis Hiſpaniæ, Sacerdotes Domini in vno Pacis Collegio, in Baſilicâ ſanctæ Confeſſoris Leocadiæ, qui conſedimus. *Item ex* VI. *cuius en contextus:* Atque in Prætorio Toletano, in Eccleſiâ ſanctæ Leocadiæ virginis, debitis ſedibus collocatis. *Denique ex* XVII. *ibi:* Dum in Eccleſiâ glorioſæ Virginis & Confeſſoris Chriſti ſanctæ Leocadiæ, quæ eſt in ſuburbio Toletano, vbi ſanctum eius corpus requieſcit. *Vides non in eâdem, ſed in Eccleſiâ S. Leocadiæ cœtus adfuiſſe Conciliorum. Ad amuſſim tamen rem examinare libet & expedit, ſeruato numero Conciliorum & ordine.*

Baſilica D. Leocadiæ, cuius mentio in Concilio IV. *&* V. *ea dicebatur Eccleſia, vbi*

vbi alta & educata fuit sanctissima Virgo. Nomine & formâ patet. Nomine, quia alia est Prætorienſis; altera quæ in ſuburbio: vnde Basilica ea erat, quæ Parochialis, in ipsâ Virginis domo, & in vrbe Toleto erecta, quam Rex Sisebutus ædificauit. S. Eulogius, quamuis non Basilicæ voce, id periphrasi, & eleganti descriptione, Aulæq; nomine planè demonstrat, in Apologetico Martyrum fol.80.B. Toleti quoque [*hæc sunt eius verba*] beatæ Leocadiæ Aula miro opere, iubente prædicto Principe *(Sisebuto)* culmine alto extenditur. *Quid aliud Basilica significat, quàm miro opere, & culmine alto, quasi pendulo, structam regiam molem, & verè eam, quæ ab Eulogio recenſetur? Mutuemus, si placet, Basilicæ explanationem rectam ab Eminentiſsimo Cæsare Baronio* v. *die Augusti, ad illa verba:* Romæ in Esquiliis dedicatio S. Mariæ ad Niues. *ait enim:* Vox ista quidem etsi à Gentilibus accepta videatur, non abhorret tamen à phrasi diuinæ Scripturæ: nam atrium illud maius templi Salomonis Basilica dicitur in 2.Paralipom. c.4. & 6. licet Græcè ἀυλὴ legatur [*attende* Basilicam *&* Aulam *idem.*] quod alij vertunt, Atrium. Apud nos autem loquendi vsus obtinuit, vt non quæcumque Ecclesiæ appellentur Basilicæ; sed illæ tantùm, quarum augustior esset amplitudo. Vnde autem id acciderit, vt huiusmodi Ecclesiæ dicerentur Basilicæ, Isidorus lib.5. Originum hæc ait: Basilicæ priùs vocabantur Regum habitacula, vnde & nomen habent. *Pauciſq; interiectis, filum iterùm apprehendit:* Quod autem ad ipsarum [Basilicarum] structuram spectat, erant plures simul in longum iunctæ porticus, suffultæ columnis, æquis inter se distantibus spatiis, epistyliis desuper iunctis, velut intextis inuicem. *Eleganter describit Basilicam Romano more & eloquio lib.2. Metamorph. Ouidius:*

Regia solis erat sublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammasque imitante pyropo.

Coniunxit fortè Sisebutus plures in vnam domos, inter quas Virginis sanctæ habitaculum comprehendit. Suffragatur Archiepiscopus Toletanus Rodericus lib.2. Hist. cap.17. vbi de Sisebuto: Ecclesiam S.Leocadiæ Toleti miro opere fabricauit. *Non dixit, Prætorienſem; neque, in ſuburbio Toleti; ſed* Toleti, *id est, in meditullio Toletano, vt excludas Ambrosij de Morales interpretationem in Apologetico S.Eulogij, qui autumat, templum Sisebuti illud ipsum esse, quod extra vrbem hodie perdurat, non longè à flumine Tago. Rem extra dubitationem ponit & explanat Iulianus noster in Aduersariis num.287. &* 288. Ecclesia Parochialis [*hæc sunt verba*] quam S. Leocadiæ Sisebutus fecit, vocatur Basilica. Fuit, vt ex traditione maiorum accepimus, iuxta domum, vbi S.Leocadia Virgo & Martyr Toletana nata & educata est, ingens templum, seu Basilica, Mineruæ Carpetanæ dicata, vbi Reges Gotthi aliquando habitauerunt. Hanc, cum domo Sanctæ, fecit Sisebutus Ecclesiam eidem Diuæ sacratam, in quâ erant multæ porticus, & spatiosa deambulacra, & vocata est S.Leocadiæ vulgò Basilica.

Quæ dicebatur Ecclesia Prætorienſis? anceps & dubia quæstio,
Hîc opus hîc labor est. ——

Sed vt finem disceptationi imponamus, præmittere sanè oportet, Imperatoriam domum apud Romanos ideò dictam Prætorium, quia quemcumque militum imperatorem, antiqui Prætorem dixêre; & eorum tentoria, Prætoria appellabantur; hincq; Præfecti Prætorio vocati, de quibus extat insigne testimonium in l. vlt. C. de officio Rectoris prouinciæ, vbi Imp. Anastasius [non Leo, vt in vulgatis] Præfecto Prætorio rescripsit in hæc verba: Nulli iudicum, qui prouincias regunt, in ciuitatibus, in quibus sacra palatia aut Prætoria sunt, liceat, iis relictis, priuatorum sibi domos ad habitandum, veluti Prætoria,

toria, vindicare. *In his ergo ædibus Prætores seu Præsides habitare, aut ius dicere solebant. Congerit plura Dionysius Gothofredus ad dict.leg. vlt. & Guido Pancirol. in Thesauro Variar. lect. lib.2. cap.191. pag.283. &* 284. *Hinc apud D.Ioann.cap.18.nu.2.* *Iudæos non fuisse ingressos constat:* Καὶ αὐτοὶ οὐκ εἰσῆλθον εἰς τὸ πραιτώριον, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. Πραιτώριον *verbum Græco-barbarum est, vt inuenies variis Auctorum locis comprobatum in Glossario Ioannis Meursij Græco-barbaro, verbo* Πραιτώριον. *Appositissimè de Prætorij significatione S.Eulogius in Memoriali Sanctorum lib.1. circa principium pag.17. B. vbi de constanti & valido Martyrum ardore:* Et ita interriti, *inquit,* contra hostem publicum apertum veritatis erigentes vexillum, vtpote ante fores prætorij, & in ipso accessu palatij, proferentes testimonium, indicem perditionis, confusionis & ignominiæ. *De huiusmodi* Prætorio *intelligendus Tertullianus ad Scapulam cap.3.* Claudius Herminianus in Cappadocia, cùm indignè ferens vxorem suam ad hanc sectam transisse, Christianos crudeliter tractasset, soluséque in prætorio suo vastatus peste, cùm viuus vermibus ebullisset. *& D. Hieronymus Diogenis dolium festiuè vocat Prætorium lib.2.contra Iouinianum.*

Erat etiam Prætorium pars villæ latiùs ædificata, & patrisfamilias habitationi relicta.Vlpianus I.C.in l. Plenum. 12. *π. de vsu & habitatione.* Plenum autem vsum debet habere, si & villæ & prætorij relictus est. *Neratius item in l.2. π. de seruitutibus rusticor. prædior.* Rusticorum prædiorum seruitutes sunt, licere altius tollere, & officere prætorio vicini. *Claudat agmen idem Vlpianus in l.* Vrbana prædia. 198. *π. de verbor. significat. vbi Ioannes Gœddeius num.5. Dionysius Gothofredus litterâ M. & ad L.*Titio.34.§.3. *π.de Legat.2. ducatq; agmen inter Poëtas Martialis noster lib.10. Epig.79.*

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum:
Ad quartum breue rus emit Otacilius.

Hinc præluceo facem verbis Concilij VI. *Toletani, in ipso principio. Hæc sunt:* Atque in Prætorio Toletano, in Ecclesiâ sanctæ Leocadiæ virginis, debitis sedibus collocatis. *Vnde patet, Concilium coactum fuisse in Ecclesiâ Prætorio iunctâ, quod domus erat Augusta Regum Gotthorum; ideò legitur,* in Prætorio Toletano, *id est,* in arce Regiâ. *Sic interpretatur Ambrosius de Morales 2.part. Histor.lib.12.cap.23.* Celebrose *(Concilium* VI. *Toletanum)* en la Iglesia de santa Leocadia, i parece era la del Alcazar, porque se señala en particular, ser en el Pretorio de Toledo; i no ay que se pueda entender aqui por Pretorio sino el Alcaçar ò casa Real: a quien los Godos, gente guerrera, se puede creer, llamaban assi, por el mismo nombre que los Romanos, aquien ellos imitaban, nombraban en la guerra la tienda del General: i en paz vsaban en alguna manera deste nombre, como en la sagrada Historia Euangelica, i en otras partes se ve: i parece que para diferenciar la de otra Iglesia desta Santa, se le añadio este titulo. *In eamdem it sententiam doctissimus P. Ioannes Mariana in Histor. Hispan. Latino sermone scriptâ lib.6. cap.8. de* VI. *Toletano Concilio agens:* Ad D. Leocadiæ templum Prætorio vicinum (nunc arci Regiæ coniunctum est, veteris elegantiæ & amplitudinis vestigia retinens) ante diem v. Idus Ianuarij, salutis anno DC.XXXVII. Conuentus habitus est. *Demonstrarunt, inquam, hoc clarè illa verba Concilij,* in Prætorio Toletano: *quasi discrimen statuentia inter Ecclesiam Prætorienſem quæ arci contigua, & Prætorienſem quæ in ſuburbio sita: de quâ (& hæc est tertia Ecclesia S. Leocadiæ) mentio in Concilio Toletano* XVII. Dum in Ecclesiâ *(en verba)* gloriosæ virginis & Confessoris Christi S. Leocadiæ, quæ est in suburbio Toletano, vbi sanctum eius corpus requiescit, plerique

Hiſpaniarum & Galliarum Pontifices conueniſſemus. *De Prætorienſi ſuburbanâ noſter Iulianus in Chronico num.*343. Hoc anno [DC.LXVII.] S.Leocadia virgo & Martyr, nono die Decembris, in æde ſuâ Prætorienſi ſuburbanâ, Tago flumini contiguâ, apparet S. Ildefonſo Archiepiſcopo Toletano. *Et Luitprandus hîc, quamuis voce Prætorienſis tantùm inſigniuerit Eccleſiam, in quâ aſſerit apparuiſſe B. Virginem Regi Siſebuto, ſatis, quaſi digito ad fontem intenſo, indicans ſuburbanam fuiſſe, ipsâmet apparitione relatâ. Apertè infrà idem Luitprandus nu.*282. Machometo, Toleti Rege, ædificatur mirus pons ſuper Tagum ad columnam S. Leocadiæ Prætorienſis. *Dixit prope Tagum S. Leocadiæ Prætorienſis Eccleſiam. Sic in concordiam adduco quos inter ſe diſſidentes refert P. Ioannes Mariana in dict. cap.6.lib.6. Hiſt.Hiſpan. noſtro euulgatæ idiomate:* Celebroſe el Concilio, que fue ſexto entre los de Toledo, en ſanta Leocadia Pretorienſe, que algunas entienden fue la Igleſia de la Santa, que eſta iunto a el Alcaçar, llamado en Latin Pretorio, i en ſu vejez mueſtra raſtros de ſu antiguo primor i grandeza. Otros quieren, que la Igleſia de ſanta Leocadia la Pretorienſe fueſſe la que eſta fuera de la ciudad, porque tambien las caſas de campo ſe llaman Pretorios. *Hæc ſunt quæ addidit Mariana in vltimâ editione anni* M.DC.XVII. *Hiſpano ſermone concinnatâ. Hanc Eccleſiam* Regiam *appellat Raſis; fortè, quia aliquot Regum Gotthorum corpora ſeruabat ſepulta.* E en ſu tiempo *(de Theodoſio)* ficieron en Eſpaña la Igleſia de Toledo, que llaman la de los Reyes, e que los Chriſtianos llaman de ſanta Leocadia. *In aliâ verò Latinâ Hiſtorici tranſlatione ſic legitur:* Diocletiani tempore Chriſtiani, qui Toleti in Hiſpaniâ erant, Eccleſiam conſtruere cœperunt, quæ poſtmodum Regum dicta fuit. Chriſtiani ſanctam appellant Leocadiam. *Ex Iuliano noſtro in Aduerſariis n.* 289. *conſtat, apparitionem S.Leocadiæ in æde Prætorienſi ſuburbanâ fuiſſe, vt ipſemet retulit in Chronico dicto num.*343. *&* Regiam *appellatam. Audi Iulianum:* Et accepi ſimul à maioribus, in S. Leocadiæ ſacello Regio corpus ſepultum fuiſſe in aulæ ſacello maiori: & prope ſepulchrum Virginis in pariete locatum thronum fuiſſe Regis Receſuinthi, Gotthorum more, purpurâ auroque contectum. & tam propinquus ſedebat ſepulchro, vt ipſe per ſe Rex dederit gladiolum S. Ildefonſo, qui cum velo ſeruatur in æde maiori. *An in ſacello Regio ipſius ædis, diſcutit & diſputat doctiſs. V. D. Vincentius Turturetus in libro de Sacello Regio cap.2. pag.29. Iulianus, vt omnem moueamus lapidem, apparitionem S. Leocadiæ, eodem anno, quo apparuit ſanctiſſima Virgo Maria D. Ildefonſo, ſcribit; Luitprandus ſex annis antè, vt animaduertit hîc doctiſs. P. Hieronymus de la Higuera.*

D. L. 103. Dictus eſt etiam Abelardus.] *Alij legunt,* Adhelardus: *meliùs* Adalardus. *Vide Surium Tom.1. die* 11. *Ianuar. De iſto S. Geneſio, Corbeiæ Abbate, Iulianus in Aduerſariis num.*246.253.254.255.256. *&* 266. *In Vſuardo* 11. *die Ianuarij* Adalardum *reperies.* Apud Corbeiam depoſitio S. Adalardi Abbatis. *Cuius Vitam Ioannes Molanus ſcripſiſſe ait S. Ratbertum Abbatem, S. Adalardi in Gallicâ Corbeiâ ſextum ſucceſſorem. Noſter verò Iulianus in Aduerſariis num.*253. *apud Vſuardum aſſerit inueniri Feſtum Geneſij Adelardi, die tamen* XXI. *Maij, non* 11. *Ianuarij, vt Vſuardus & Surius. Verba eius ſunt:* Tranſlationis S. Geneſij, cognomento Abelardi *(lege* Adelardi) Feſti ex Corbeiâ in Hiſpaniam meminit Vſuardus in Martyrologio die XXI. Maij, & eiuſdem Sancti cum aliis, qui in eodem die celebrantur. *de cuius tranſlatione in Chronico n.*420. Inde *(ex Monaſterio Corbeienſi)* poſt centum annos, ad Eremum in littore maris prope Carthaginem Spartariam, vbi viuens degerat, tranſlatus eſt; vbi mirâ frequentiâ circumiacentium oppidorum Muzarabum

rabum viſitur. *& num.* 461. Per quoſdam Monachos Gallos allatum eſt corpus S. Abbatis Abelardi [Adelardi] vel Geneſij, ad littus Carthaginenſe, ex Corbeiâ antiquâ eius domo, ſancti viri Abbatiâ. *Sancto autem Geneſio ſucceſsiſſe Odonem in Abbatiâ Corbeienſi, teſtatur idem Iulianus num.* 255. *in Aduerſariis, & Concilio Sueſsionenſi interfuiſſe. De Adelardo Romam miſſo à Carolo Imp. ad Leonem Papam, extat teſtimonium in Concilio Aquiſgranenſi anno Chriſti* DCCC.IX. *quod inter Concilia Gallicana nouiſsimè edidit doctiſſimus P.Iacobus Sirmondus, è Societate Ieſu Presbyter: cuius morum ſuauitate, ingenitâ lenitate animi, omnigenâ doctrinâ, ſummâ religione frui mihi licuit, dum à Potentiſsimo & Catholico noſtro Rege Philippo IV. miſſus ad Ludouicum XIII. Galliarum Regem Chriſtianiſsimum, Pariſiis fui commoratus. Edidit, inquam, in 2. Tomo Conciliorum fol.* 256. *verba ſunt:* Cuius [quæſtionis de Proceſſione Spiritus ſancti] definiendæ cauſsâ Bernarius Epiſcopus VVormatienſis, & Adalardus Abbas Monaſterij Corbeiæ, Romam ad Leonem Papam miſſi ſunt. *Ex quo mortis annus in Iuliano à me aſsignatus venit corrigendus. Legati enim munere fungitur dicto anno* DCCC.IX. *& mortuus fuiſſe, in Iuliano excuſo videtur anno* DCCC. *vt patet ex margine dicto num.*420. *Firmatur hæc coniectura, ne dicam euidens emendatio, præſertim cùm in Synodo Nouiomenſi, habitâ anno* DCCC.XIV. *congregatum agnouimus Adelardum cum aliis Abbatibus, vt conſtat in Tomo* 2. *Conciliorum Gallicanorum fol.*327. *& iterùm in Concilio Attiniacenſi anno* DCCC.XXII. *fol.*448. *&* 450. *Suadetur item hæc emendatio ex eo, quia in margine Iuliani ab anno* DCCC. *vſque ad annum* DCCC.XXVIII. *non eſt appoſitus intercalaris numerus annorum. Hinc facilè credi poteſt, omiſſum fuiſſe numerum annorum in d. nu.*420. *& verum, qui chronologiæ correſpondet, ſcribi debere.*

*Hæc poſtquam delineaui, ad manum habui Chronicon Iuliani proprià P. Hieronymi de la Higuera manu exaratum; quo ea, quæ de S. Adelardo leguntur n.*420. *aſsignantur in margine ſub anno Chriſti* DCCC.XX. *& quæ ſequuntur in n.*421. *recenſentur contigiſſe anno* DCCC.XXVI. *Vnde & datur locus congruus Legationi Adelardi, & ſubſcriptionibus; quæ non excedunt annum* DCCC.XXII. *& quæ in d. n.*420. *refert Iulianus, ex annorum notatione contingere potuerunt vſque ad annum* DCCC.XXVI. *Niſi mauis, vt omnem moueam lapidem, Iulianum in Hiſtoriâ anni, in quo nondum è viuis exceſſerat Adelardus, de eius morte per anticipationem locutum. Multa in Chronico ſic debent intelligi, vt ipſemet teſtatur de Actis Apoſtolorum in Aduerſariis num.* 485. *& notat doctiſsimus P. Franciſcus de Biuar ad Fl. Dextrum anno Chriſti* CCC.VIII. *Comment.* 2. *num.* 2.

DCC.I. DC.LXIII.

Reparatus, XXXVI. Epiſcopus Rauennas, floret. 104.

Theodorus, Tharſenſis patriâ, Archiepiſcopus Cantuarienſis, opinione raræ ſapientiæ & prudentiæ floret. 105.

DCC.II. DC.LXIV.

Synodus Britannica habetur de controuerſiâ Paſchatis inter Anglos, & Hibernos, ſiue Scotos. 106.

107.

DCC.III. DC.LXV.

Flauius [a] Gundebertus, & Flauius [b] Protharisus, [c] Areberti Regis filij, regnant in Italiâ annum vnum.

a *al.* Gondebertus
b *al.* Portharisus *ſeu* Bertarisus
c *al.* Ariperti

DCC.IV. DC.LXVI.

108. [a] Gundebertus occiditur, [b] Protharisus fugatur.

[a] *al.* Gondebertus [b] *al.* Bertarisus

Flauius Grimoaldus, filiis Ariperth victis, demum fit Longobardorum Rex.

109.

DCC.V. DC.LXVII.

110. Feriâ quintâ in vigiliâ Expectationis B. Mariæ Virginis (quæ die sequenti celebrabatur) Festum Incarnationis (& seruatur lapis ab hoc tempore, in quo B. Virgo pedes posuit) celebratur in Hispaniâ, hoc est XV. Kalend. Ianuar. S. Ildefonsus, Archiepiscopus Toletanus, vidit (post apparitionem S. Leucadiæ, post nouem dies exclusiuè) B. Virginem multis Angelorum & Cælicolarum agminibus comitatam in Sede eburneâ, vnde solebat ipse concionari apud populum * præsidentem (quæ nunc sedes in magno pretio seruatur in æde S. Iustæ) in summo templo, eidem Virgini sacrato: quæ dulciter illum affata, cappâ donat cælitus elaboratâ.

* *al.* prædicentem, *aut* credentem

P. H. 110. Et seruatur lapis.] *Lapis marmoreus in maximo pretio & reuerentiâ populorum seruatur hodie in sacello Descensionis B. Mariæ Virginis in templo Toletano.*

D.L. Cappâ donat cælitus elaboratâ.] *De voce* Cappæ, *vide Iulianum in Chronico num.* 343. *&* 347. *& in de Eremiteriis Hisp. num.* 30. *& Nicolaum Rigaltium, virum doctissimum, cum quo mihi litteraria amicitia Lutetiæ Parisiorum inita nuper fuit, in Glossario Græco-barbaro, verbo* Κάππα; *Cerdam in Aduersariis sacris (quem, vti Præceptorem meum meritò & lubens, atque suspiciens, nomino; licet meum aliquando in suis operibus supprimat nomen) verbo* Cappa; *Couarruuiam in Thesauro linguæ Hispan. verbo* Capa; *P. Franciscum Portocarrero in libello de Descensu Virginis Mariæ; tum & alios, quos vidi, laudaui ad Iulianum in Chronico d. num.* 343. *& nunc nouissimè addo V. C. D. Vincentium Turturetum in* Sacello Regio, *siue* de Cappellis, & Cappellanis Regum, *cap.* 1. *num.* 2. *& seqq.*

DCC.VI. DC.LXVIII.

111. Elborenses in agro Carpetano Theudium & Helladium, importunos hæreticos, ad Hispaniam reuersos, & Elboram repetentes, audacter insanientes, ignominiosè verberant, & turpiter à suis sedibus amandant.

112. Cordubæ, Toleti, & in aliis Hispaniæ locis celeberrima memoria est S. Genesij Martyris Hispani, Cordubæ passi in persecutione sæuissimâ Imperatoris Neronis.

113. Hoc eodem anno appositus est in sacrario S. Ecclesiæ Toletanæ gladiolus, impensus à Rege Recesuintho Gotthorum B. Ildefonso, ad rescindendum velum S. Leucadiæ diuinitus apparentis. Nunc est in sacrario S. Iustæ Cathedralis tempore Maurorum, cum lapide marmoreo candidissimi coloris; vbi descendens de cælo

cælo sanctissima Virgo Maria pedes posuit: eratque suppedaneum Archiepiscoporum Toletanorum. voluitque B. Virgo decorare, & auctoritatem addere Cathedræ, quæ à B. Iacobo semper fuit primogenita filia Romanæ Ecclesiæ, & veritatis magistra; sed bonam partem huius Cathedræ translatam aliò cognoui.

Iulianus, qui posteà fuit Archiepiscopus Toletanus vrbis Regiæ, sapientiæ & sanctitatis opinione cum aliis Ecclesiæ Toletanæ Diaconis, Gudilâ & Felice, floret. 114.

Vigesimâ tertiâ die Ianuarij mensis, S. Ildefonsus, sapientiâ, vitæ sanctitate, & miraculis clarissimus, ad cælum emigrauit. In æde S. Leucadiæ (quæ domus eius fuit) ad pedes S. Eugenij prædecessoris sui sepelitur. Iulianus eius discipulus, & Archidiaconus hæc illi carmina sepulchralia condidit, & poni fecit: 115.

Alfonsi iacet hoc corpus venerabile saxo,
Quo Toletana nihil terra tulit melius:
Luciáque, & Stephanus clarâ de gente Gothorum,
Sed virtute magis nobilitante micat.
Inuenit iuuenis portum, sæcloque relicto,
Cœnobij cellas Agaliensis amat.
Hincque Toletanam raptatur Præsul ad vrbem,
Cui fuit in votis sede latêre suâ.

S. Torquatus fuit inter socios Archiepiscopi Accitanensis. 116.

Recesuinthus, Abbas Benedictinus Bracarensis, floret. 117.

Eodem anno Quiricus, ex Episcopo Barcinonensi, non multò pòst, Toletanam Ecclesiam regit; qui ex Abbate Agaliensi factus est Episcopus Barcinonensis. 118.

111. *De Elborensibus præterea, Luitprandus, & Iulianus Toletanus.* P. H.

Elborensis in agro Carpetano.] *Lege quæ notaui suprà ad num.* 101. D.L.

112. D. LAVRENTIVS BIVARIO SVO S. D.L.

Cordubæ, Toleti, & in aliis Hispaniæ locis celeberrima est memoria S. Genesij, Martyris Hispani.] *De S. Genesio milite, Hispano Martyre, Cordubæ passo, frequens mentio apud Iulianum in Chronico n.* 376. *his verbis:* Dirutæ sunt ædes sacræ S. Genesij, Hispani militis, Cordubæ passi. *in Aduersariis nu.* 139. Toleti habetur in honore S. Genesius Martyr Cordubensis, passus sub Nerone. *Idem agnoscere videtur ipsemet Auctor num.* 326. *dum ait, in primis Ecclesiæ persecutionibus, id est Neronianis, S. Genesium passum cum sociis,* XI. *Octobris. Martyrologium Romanum eumdem signat diem; sub quo tamen Imp. martyrium reportarit, non explicuit. Verba sunt:* Item passio SS. Anastasij Presbyteri, Placidi, Genesij, & sociorum. *vbi Illustriss. Cardinalis Baronius veteres tantùm manuscriptos refert. S. Genesij passim meminit S. Eulogius in lib.* 2. *Memor. Sanctor. cap.* 10. *num.* 13. *in Apologetico Martyrum num.* 19. *& in Vitâ S. Pelagij pag.* 114. *Quod etiam testatur Iulianus in Aduersariis num.* 289. Frequens est, *ait,* S. Genesij, militis Hispani, & Martyris, ad Cordubam, vt ferunt, passi, apud S. Eulogium Martyrem memoria. *Ambrosius de Morales in Apologetico Eulogij num.* 19. *scribit, S. Genesij Monasterium apud vi-*

cum

cum Tertios ſitum fuiſſe, auctoritate Aluari ductus in D. Eulogij Vitâ. Sed cùm Geneſium militem Hiſpanum, Martyrem Cordubenſem nondum Morales agnouiſſet, duos Geneſios Martyres, Romanum alterum, Arelatenſem alterum; illum exceptorem, hunc mimum XXV. *Auguſti celebratos, & in Martyrologio deſcriptos accerſit, & cum Hiſpano confundit. Hinc Eccleſiæ in Hiſpaniâ conſecratæ Geneſio, ſuo militi & Martyri. Extant hodie iam abhinc multis annis vel erectæ, vel refectæ. Secundas fert Iulianus in dicto num.* 289. *Aduerſar.* Cuius [*Geneſij*] corpus à Chriſtianis Cordubenſibus allatum eſt ex Cordubâ Alarcurrim, & reuelante Domino Imperatori Aldefonſo, qui Toletum lucratus eſt; cuius cauſsâ reſtituit Toleti S. Geneſio veterem Parochiam: celebratur xx. die menſis Auguſti [*legendum* XXV. die.] *Quæ verba (ſi liceat coniectari) in textum è margine, ab aliquo non huius reconditæ antiquitatis gnaro ſcripta, irrepſerunt: nam* XI. *die Octobris martyrium S. Geneſij Hiſpani recolitur, vti diximus. At temporis iniuria, quæ ſitu veritatem ſæpè obruit, nominumq; eorumdem confuſio introduxit celebrari S. Geneſium* XXV. *Auguſti, ab iis, quibus Romanus & Arelatenſis tantùm cogniti: quorum in Martyrologio Romano Feſtus dies. Hinc Madridienſes anſam arripuêre ad diem ſancto Geneſio ſacrandum* XXV. *Auguſti. Non enim eſt credibile, nec veroſimile videtur, Hiſpanos antiquitus S. Geneſij Arelatenſis vel Romani nomine inſigniſſe Eccleſias ſuas, dum Martyrem patriæ decus & ornamentum haberent, qui in Tutelarem referri iure, non iniuriâ, poſſit. Viri docti ſic ſentiunt, vt cum iudicio notat Hieronymus de Quintanâ in Hiſtoriâ Madridienſi lib.* 1. *cap.* 43. *fol.* 63. *col.* 3. *alioſq; in ſuam vocat ſententiam. Hæcq; ex eadem nominum appellatione æquiuocatio non inſolens apud Scriptores. Vidimus Geneſium Arelatenſem confundi cum Geneſio Romano à Mombricio, & Petro in Catalogo, teſte Baronio in Martyrologio* XXV. *Auguſti, littera E. Et, quod maius eſt, ad remq; mirificè conducit, idem accidiſſe reperio in S. Columbæ feſtiuitate, in quâ Lectiones Vitæ S. Columbæ Gallicæ legebantur, antequam Cordubenſis memoria erumperet in lucem. Notauit doctiſsimus P. Martinus de Roa, Latinæ & Hiſpanæ Muſæ ſuauium, proſâ verſâque oratione in Flore ſanctorum Martyrum Cordubenſium* XVIII. *Septembr. pag.* 149. *cuius verba tranſſcribere operæ pretium duxi:* El leerſe en los Maytines la Hiſtoria de la Santa de Francia, no tuuo otra cauſa, que no ſaberſe la de eſtotra de Cordoua, i auerſe engañado con la ſemejança del meſmo nombre, por falta de los Eſcritos de ſan Eulogio, que no parecieron, haſta el año de M.D.LXXII. en los Archiuos de la Igleſia de Ouiedo. *Et addit, Summum Pontificem Clementem VIII. vbi Lectiones S. Columbæ Gallicæ legebantur, proprias Hiſpanæ aſsignaſſe Columbæ. Dixit hæc ſuaui eloquio doctrinâq; ſingulari P. Franciſcus de Soria, è S. Baſilij Magni familiâ alumnus, in Sermone S. Geneſij fol.* 4. *pag.* 2.

Adſtipulatur huic coniecturæ Fl. L. Dexter, qui verum ſuum Patronum reſtituit Pallentinæ Eccleſiæ Hiſpanum Martyrem Antoninum, ſub Gentilium furore paſſum, cùm vſque adhuc, ab illius ciuitatis reſtauratione, Gallum Antoninum Martyrem (cuius tunc fama vulgatior erat) Pallentini ſolùm agnouerint. Vnde Gallicanæ Coronæ Stemmata, id eſt, tria illa aurea lilia, vſurparunt, & tamquam velum Regium, in noſtro Iure, ad omnes ædes Eccleſiæ ſuſpenderunt, & affixerunt poſtibus, quibus inſigni titulorum vice, eas ſibi Eccleſia vendicauit. Idem vtriuſque Martyris Antonini nomen induxit ciues; duxit eos manu apprehenſâ ad rectam Flauius. Eâdem inſiſtunt viâ D. Antonini Pallentini facta, quæ proferunt Vincentius Belluacenſis in Speculo Hiſtor. lib. 13. *cap.* 35. *apud quem* Carrionem, *non* Auarionem *flumen, legendum; iuxta quod martyrium conſecutus, & in ipſius vndas immiſſus Antoninus. Profert etiam D. Antoninus* 1. *part. Hiſtor. cap.* 1. *tit.* 8. §. 42. *nec diſcedit Eſquilinus lib.* 3. *Catalog. cap.* 24. *Notaui in Itinerario Gallico meo, quando ad ciuitatem Pallentinam conueni, & nouiſsimè P. F. Biuar in ſuo Supplici libello: dixeratq; antè anno Chriſti* CCC.VIII. *Comment.* 2. *num.* 11. *& eadem premens veſtigia Dom. Franciſcus de Sandoual, Abbas S. Saluatoris, & Canonicus Pallentinus, in ſuo Apologetico pro S. Antonino Hiſpano* §. 3. *à pag.* 11.

Flauius Lucius Dexter Geneſium Hiſpanum proponit nobis anno CCC. LIII. *num.* 3. *& Mantuæ-Carpetanum, vt multi interpretantur, non Cordubenſem; ibidemq; paſſum, & ſub Iuliano Imp. Verba ſunt:* Mantuæ Carpetanorum eſt in pretio Anaſtaſius Presbyter, Placidus, Geneſius, & ſocij; quia poſteà ſub Iuliano paſſi ſunt pro Chriſti fide illuſtre ſimul ibidem martyrium. *Triplici nodo triplex ſuccurrat cuneus: cùm inficias eant Luitprandus & Iulianus, Oedipum de hac Sphinge conſulo, & tamquam è tripode, vt aiunt, oraculum requiro à Myſtâ illo infulato: P. Franciſco de Biuar, peritioris litteraturæ intima adyta, doctrinâ, eruditione, & linguarum cognitione feliciter reſerante. O vtinam reſponſum det! diſcedere ab eo nefas & religio. Futurum ſpero: nouit enim vir bonus & litteratus conciliaturas. Locus medicas, ne dicam carnificas, deſiderat manus. Addam pro mantiſsâ, quam dicat ſortem; vltraq; ſortem erit acceſsio, & excurſui, in quo latè diuagatus, excuſatio legitima: penates mei & lares è regione templi S. Geneſij, qui eius numen deuotè ſuſpiciunt & venerantur.*

BIVARIVS D. LAVRENTIO SVO.

Quidquid gratiæ & dilectionis ſibi impendere poſſunt abſentes amici, puto & me debere tibi, & mihi deberi à te, non ſolùm ob propoſiti conſortium, ſed etiam ex debito noſtræ inuicem ſocietatis. *Non potuit hæc veriùs Abbati Pultarienſi ſuo Bernardus meus dicere, quàm ego tibi, mi Laurenti doctiſsime. Sed nunc ex Academiâ (vt eſt in prouerbio) te venire non dubito; tam doctè, tam ſubtiliter, tam concinnè ſcribis de Geneſio. Quid tamen è tripode oraculum requiris, qui ex tripode loqueris? At cum amico, inquis, loquor. Sed amicus vſque ad aras; nunc in ipſis aris amicum quæris. In aris quidquam negare, religio & nefas; ita tamen mea accipias, quæ de Geneſio dicturus ſum, quaſi hederam poſt anthiſteria offeram, id eſt, floralium tuorum adminiculo egentia.* Bernardus Epiſt. 75.

Agnoſco Geneſios Martyres quatuor (vt omiſſum faciam Geneſium Adhelardum, cuius etiam Luitprandus meminit) Romanum archimimum, Arelatenſem exceptorem; quorum cum laude nomina replicat Eccleſia quotannis ad XXV. *Auguſti: Hiſpanos item duos, Cordubenſem & Mantuanum: nam & poſteriores hos non minùs inter ſe, quàm à ceteris differre, multa ſunt quæ conuincant. In primis, tertium Geneſium concedendum nec mimum nec exceptorem; ſed Anaſtaſij Presbyteri ſocium, Martyrologium ipſum Romanum clamat* XI. *Octobris: quem Hiſpanum fuiſſe Dexter affirmat, & Geneſium Hiſpanum Martyrem Iulianus etiam & Luitprandus aſſeuerant. Ceterùm, nec Dexter Cordubenſis meminit, nec Luitprandus Mantuani. Iam duos prorſus fuiſſe, & tempus, & patria, & ſepulchra vtriuſque luce clariùs meridianâ manifeſtant: namque Cordubenſis Geneſius ſub Nerone paſſus eſt, auctore Luitprando, & Iuliano adſtipulatore; cuius tu, mi Domine, verba profers: Mantuanus verò, Anaſtaſij & Placidi ſocius, ſub Iuliano Apoſtatâ, poſt* CCC. *à nece Cordubenſis annos: nam perſecutio Neronis deſæuiit anno Chriſti* LX. *imò ab anno* LVII. *in Hiſpaniis viguiſſe, teſtes ſunt Ilipulitani, ſeu Granatenſes Martyres, eodem pro Chriſto occiſi, id eſt,* 11. *Neronis, vt habent tabulæ plumbeæ Dextro conuinentes. Iu-*

lianus autem Imperium iniit anno Domini CCC.LXI. *bienniumq́ in eo exegit. Ergo* CCC. *annorum intercapedo Martyres hoſce diſcriminare non valebit? Quod ſpectat ad patriæ diuerſitatem, Neronianus Martyr Rutenij in Celtiberiâ egit legionarium militem, & Cordubæ ceruicem dedit Chriſto: Iulianæus Vlyſippone ciuis vixit, Dextro etiam teſte, ad annum Chriſti* CCC.VIII. *(non quòd eo anno natus iam eſſet, ſed quòd eo loci de Vincentio & ſororibus Vlyſipponenſibus Geneſij conciuibus ſermonem faceret, inde occaſionem de Geneſio & ſociis agendi deſumpſit) & Mantuæ occubuit. Hoc ex eodem Dextro accipio ad annum Chriſti* CCC.LIII. *illud à Iuliano in Aduerſariis num.*149. *Rurſus Geneſius Cordubenſis, ſeu Rutenenſis, Cordubæ tumulum ſuſcepit, indeq́ Alarcurrim tranſlatus eſt. Mantuanus, ſeu Vlyſipponenſis, Mantuam cuſtodire creditur præſentiâ ſuâ: nuſquam enim inde traductus ſcribitur. Accedit non contemnendum è ſociis petitum diſcrimen: nam Cordubenſis ſine ſocio aliquo martyrio coronatus eſt, Mantuanus cum duobus, quos ex nomine ſciamus, Anaſtaſio & Placido, & cum aliis anonymis ferè viginti.*

*En cum Dextro Luitprandum & Iulianum conciliatos: ſolus Iulianus à ſe tantiſper diſſentit, dum num.*149. *Aduerſariorum*, S.Geneſius, *inquit*, Martyr Cordubenſis, paſſus ſub Nerone, celebratur XX. die menſis Auguſti *(ſeu potiùs, vt corrigis,* XXV.) dicitur Hiſpanus fuiſſe, & miles legionarius in caſtello Rutenenſi. *Et rectè quidem; ſed poſteà num.*326. *vtrumque videtur confundere, inquiens:* Rutenij in Hiſpaniâ, in Celtiberiâ XI. Octobris ſanctorum Martyrum Anaſtaſij Presbyteri, Geneſij militis, & ſociorum, qui in primis Eccleſiæ perſecutionibus paſſi ſunt. *Verùm hæc in Aduerſariis ſcripſit, quæ tumultuariè ante Codicis maturam confectionem perſcribebantur, ne memoria rerum excideret, & ex his poſteà tabulæ iuſtæ & æternæ fierent.* Quòd ſi eamdem vim, diligentiam auctoritatemque habeant aduerſaria, quam tabulæ (*hoc aliquando Cicero dixit pro Q. Roſcio*) quid attinet codicem inſtituere? *Anaſtaſium & Geneſium, quorum feſtiuitas* XI. *Octobris agitur, in primis Eccleſiæ perſecutionibus occiſos dicit; ſed abs re, cùm in vltimâ paſſi ſint, nequidquam his & Rutenij caſtello communi, ſed huic cum Cordubenſi. Standum proinde priori ſcripto num.*149. *& poſterius repudiandum. Standum eidem Iuliano, ſtandum & Luitprando, in Geneſij Cordubenſis cultum Toleti & Cordubæ erecta templa adſtruentibus, dummodò Madridienſe Geneſio ſuo ſacratum dicamus; tametſi procedente tempore, & tanti Martyris obliterata memoria Arelatenſis veneration cęſſerit.*

Addam pro coronide margaritum, quo lares tui tripudiantes occurrant Geneſio ſuo, & templum pro foribus ornent. E ſchedis meis, quibus multum defero, proferam tibi noſtrorum Acta Martyrum Anaſtaſij, Geneſij, Placidi, & ſociorum, quæ prædictis eximium præſtent munimen, & Mantuanis meis gratiſſima pro deſiderio ſint. Vtinam in patronorum ſuorum venerationem vehementiùs exardeſcant, & ob eorumdem memoriam templum Geneſio ſacrum frequentiùs viſitent, ac deinceps XI. *Octobris feſtam celebrent diem ſuorum Sanctorum propriam, & multis titulis venerandam. Sic verò habent:*

MARTYRIVM SS. ANASTASII, PLACIDI, ET GENESII, ET SOCIORVM.

Mortuo Conſtantino, & filiis eius, Iulianus tenuit Imperij habenas; qui à fide Chriſti, quam in Baptiſmo profeſſus fuerat, apoſtata factus, curauit idololatriam iterùm inſtaurare, & in toto Romano Imperio reſtituere: quâ occaſione ſuſceptâ, multos Chriſtianorum martyrio affecit; è quorum numero fuerunt Anaſtaſius, Placidus, & Geneſius, & ſocij eorum, in Hiſpanorum

norum regione pro Chriſto occiſi: quod quomodo acciderit, ad ſubſequentium deuotionem, & Sanctorum glorificationem, operæ pretium duximus enarrare.

Nati ſunt tres iſti Chriſti athletæ Vlyſippone, Luſitanorum vrbe; ſic tamen, vt ſolus Placidus Vlyſipponenſes habuerit parentes: nam Anaſtaſius parentes habuit Mantuæ ciues, quæ eſt Carpetanorum vrbs; Geneſius verò, Barcinonis: omnes tamen inter ſe ſanguine erant coniuncti. Sed cùm detinerentur Vlyſippone commercij cauſsâ; accidit, vt Anaſtaſio & Geneſio aucti fuerint. Hi cum Placido, non diſſimilis ætatis puero, educati ſunt in omni lege ſanctâ Dei ac ſcientiarum ſtudiis, in quibus periti admodùm euaſerunt; & multò magis ſanctis moribus & actionibus florere cœperunt, ita vt notiſſimæ fierent ipſorum virtus & doctrina.

Procedenti tempore Anaſtaſius ad Presbyterorum Ordinem aſſumptus, liberiùs prædicationi Euangelicæ inſiſtebat; in quâ Geneſius & Placidus erant illi fideliſſimi coadiutores. Prædicabant verò contra Arrianorum errorem, qui multos Chriſtianorum à puritate fidei aberrare faciebat, & contra idolorum culturam, quam Iulianus per miniſtros ſuos introducere ſatagebat. Cumque multo tempore Vlyſippone eſſent demorati, multis charitatis operibus inſiſtentes, placuit Anaſtaſio Mantuam patriam ſuam repetere, vbi non modicas facultates à matris morte hereditario iure ſuſceperat; eumque Placidus & Geneſius amici fidiſſimi comitati ſunt. Degebant in vnâ domo, & ſimul prædicationi & charitatis operibus inſiſtentes incedebant, pauperibus eleëmoſynas & afflictis ſolamen exhibentes: & præcipuè Chriſtianos in carcere detentos viſitabant & animabant.

Cumque fama Sanctorum ad aures Gubernatoris vrbis peruenisſet (qui cultui idolorum erat addictiſſimus, & eâ de cauſsâ viginti viros noſtræ religionis profeſſores & defenſores vinculis tenebat adſtrictos) ſanctos Martyres ad ſe iubet adduci: quorum fidem cùm exploratam haberet, nunc pollicitationibus, nunc minis & pœnarum infligendarum acerbitate eos abnegare curauit. Sed cùm irritum videret conatum ſuum, & Sanctorum emollire corda non valeret, eos duris vinculis innodatos in tetrum carcerem conduci iuſſit; vbi per dies aliquot duriſſimè afflictati ſunt: ſed ipſi in eo etiam conſtituti, à prædicatione non deſiſtebant; quâ nonnullos illorum, qui in fide acerbitate tormentorum vacillabant, forti & conſtanti animo eſſe fecerunt. Tandem XI. die menſis Octobris ad campum extra vrbem deducti, pro Domino decollati, martyrij palmas adepti ſunt. Quorum corpora conſanguinei ipſorum colligentes, intra domum propriam Anaſtaſij tumularunt. Et poſt dies octo ad eumdem ſupplicij locum viginti illi viri perducti, pariter pro confeſſione Chriſti decapitati in cælum euolarunt; eorumque corpora nocturno tempore Chriſtiani in eodem campi loco ſepelierunt, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, *&c.*

Hactenus, quæ mihi reſcripſit P. Franciſcus de Biuar. Succeſſit voto res; & vaticinio reſpondit euentus. Teſſeram amici do, in Antiquitatis Eccleſiaſticæ teſſeram & monimentum æternum, nomenq́ ſub Biuarij teſſerâ ſcribo. Schediſma, vel hypomnema, leui meo (ſic liceat fari) brachio exaratum, apponere non recuſo; quippe quod præiuit (non tamen vt me præeunte recitaret Sacerdos) ad S. Geneſij Acta in lucem eruenda, & ad eius illuſtrandam memoriam.

113. *De gladio, qui cum velo ſeruabatur, & adhuc ſeruatur in S. Eccleſiæ Toletanæ ſacrario, Doctor Blaſius Ortizius, & alij. Hodie in pyxide argenteâ concluſa ſunt iuſſu Illuſtriſſ. Card. Gaſparis à Quirogâ.* P.H.

Sed bonam partem huius Cathedræ tranſlatam aliò cognoui.] *Eacem* D.L.

prælucent Luitprando verba Aegidij Zamorensis, quæ locum, vbi Cathedra asseruatur, clarissimè manifestant; hæc sunt: Audiui, Christianos Toletanos in aduentu Saracenorum tulisse in saltum distantem à Trogillo duodecim mille passus, & ibi abscondisse Cathedram, & vnum lignum Crucis, & quamdam Imaginem; & à priscis temporibus in aëre luces apparere. *Hic tractus hodie ab incolis nominatur* Santa Cruz de la Sierra; *&, vt par est, à sancto hoc ligno deducitur appellatio. Suffragatur itidem Crux fulgidissima noctu pendens aëre vacuo, à multis visa, quæ ligni testimonium occulti perhibet, & nomen etiam oppido assignat, atque imponit. Antiqua fuit Romanorum colonia, pòst ab Arabibus diu occupata; & tandem à sancto Rege Dom. Fernando III. captâ iam Cordubâ, in ditionem redacta suam. Nunc verò nobilitata manet dominio & protectione Dom. Ioannis de Chaues & Mendoza, Comitis de la Calzada, Philippo IV. Magno Hispaniarum Regi Catholico Nostro à Consiliis in supremo & Regiæ Cameræ Senatu, necnon in consessu Militarium ordinum Præsidis meritissimi; qui nostram Hispaniam nobilitatis splendore & litterarum ornamento decorat. De huius, inquam, oppidi antiquitate, & luminum apparitione, videsis admirabilem narratiunculam, licet veram, apud P. Franciscum Portocarrerum in libello aureo de Defensu B. Virginis Mariæ ad Ecclesiam Toletanam, cap.24.*

P. H. 114. *De Iuliano ac Gudilâ sæpè facta mentio est in præcedentibus, anno* XIX. *Regis Recesuindi, &* VIII. *Pontificatus Ildefonsi. Moritur Toleti* XXIII. *Ianuarij. sic ex tabulis Toletanis, Martyrologio Romano, & ex Iuliano, qui sic habet:* Sequenti die, X. Kalend. Februarij, domicilio carnis exuitur, atque in Ecclesiâ B. Leucadiæ tumulatur, ad pedes sui conditus decessoris; cum quo creditur æternæ perfrui receptaculo claritatis. *Moritur die Martis, eo anno bissextili, litterâ Dominicali B. A. fecit illi carmen sepulchrale S. Iulianus, eius discipulus. Fuit præclarus & egregius Hispaniæ Doctor, vocatus* Chrysostomus, *&* Facula diuini Spiritus, Anchora fidei, *&* Malleus conterens audaciam hæreticorum exultantium fortissimè. *De operibus sancti Doctoris sic Iulianus:* Scripsit sanè quamplurimos libros luculentiori sermone potissimos, quos idem in tot partibus censuit diuidendos: *id est,* librum Prosopopœiæ, imbecillitatis propriæ; librum de Virginitate sanctæ Mariæ contra tres infideles; opusculum de Proprietate personarum Patris, & Filij, & Spiritus sancti; opusculum Annotationum actionis diuinæ; opusculum Annotationum in Sacramentis; librum de Gubernatione Baptismi vnum, & de Progressu spiritualis deserti alium. quod totum primæ partis voluit volumini connectendum. Partis quoque secundæ liber Epistolarum est, in quo de diuersis scripturis ænigmaticis formulis agit: personas quoque in titulos induxit, in quo etiam à quibusdam luculentiora scriptorum responsa promeruit. Partem verò tertiam Missarum esse, & Hymnorum. Atque vlterioris denique partis liber est; quartus versibus prosâque contextus, in quo Epitaphia multa, & quædam scilicet Epigrammata annotata sunt. Scripsit autem & alia multa, quæ variis rerum & molestiarum occupationibus impeditus, aliqua cœpta, aliqua semiplena reliquit. *Maxima tamen exiitit dubitatio, quomodo S. Iulianus non meminerit libri de* Viris illustribus, *nec* Historiæ Gotthorum; *quos esse S. Ildefonsi tutò scimus: nec similiter libri* Synonymorum; *quia de Virginitate liber est ille, quem dixi. Primò constat, Synonymorum librum esse S. Ildefonsi, ex testimonio Luitprandi, & quia ego vidi codicem M.S. ante* D.XL. *annos litteris Gotthicis in membranâ, qui seruatur in Cœnobio S. Trinitatis Toleti. Vnde mihi argumento est, non omnino perfectum absolutumq; fuisse relictum*

relictum à S. Ildefonso, vt etiam de Viris illustribus: *cui voluisset plures viros superaddere, si vixisset. Nec mihi placet solutio Graialis, vel Grialis Doctoris, quia est velut appendix librorum S. Isidori. De Chronico nulla mihi videtur esse dubitatio: nam Iulianus Toletanus eius meminit auctor plusquam quingentorum annorum: meminit & Lucas Tudensis, Morales, D. Garsias Loaysa, & præcipuè D. Rodericus Toletanus lib. 2. cap. 22. his verbis:* Et cùm B. Isidorus scripsit Gotthorum originem vsque ad v. annum Suintillæ, S. Ildefonsus scripsit tempora Gotthorum, Alanorum, VVandalorum & Sueuorum, à v. anno Suintillæ vsque ad XVIII. Recesuindi annum fideliter prosecutus. *Hunc librum citat generalis Hispaniæ Historia, citat Cardinalis Baronius, & Morales: quæ quia non erat omnibus omnino numeris absoluta, non fuit fortassis in animo S. Doctoris eum librum publicare, sed supprimere. Hoc Chronicon penes me habeo, Annotationibusq; illustratum.*

117. *Recesuinthi Abbatis, Ordinis S. Benedicti, Bracharensis ciuis, sit mentio & apud Iulianum; cum quo iuuene habuit multum vsum S. Ildefonsus, ad quem scripsit senior. Interfuit* XIV. *Concilio Toletano, vt Vicarius Leubanij Episcopi Metropolitani confirmat septimo loco: fuit egregius Poëta, & doctissimus Theologus, ex Iuliano.* P. H.

118. *De Quirico ciue & Episcopo Barchinonensi, qui fundauit in Episcopatu Barchinonensi Monasterium S. Eulaliæ, plura in eius Vitâ. Confirmat in* X. *Toletano, loco decimo, nomine* Quirici Episcopi Barchinonensis: *in* XI. *Concilio est Episcopus Toletanus anno* DC.LXXV. *& decimum habitum est* DC.LVI. *Ferè* XX. *annos post decimum, habitum est* XI. *Concilium Toletanum. Moritur statim postquam potio letalis propinata est VVambani. Fuit hic Quiricus, Monachus & Abbas Agaliensis, Ordinis S. Benedicti, vir egregius, & præclarè peritus. Sic Iulianus:* P. H.

A * Domino qui nomen habes pie, voce, Quirice,
Et Monachus, Præsul Barchinonensis, aue.
Agaliensis eras quondam sanctissimus Abbas,
Barchino te multùm Præsule gaudet ouans.
Te Toletano pietas præfecit ouili;
Diuisas Sedes Præsul amansque vides.
Nil vno melius fuit, aut te sanctius vno:
Et dementato Rege doleus moreris.
Te socium lætis Leocadia susçipit vlnis,
Corpus humo, mentem læta sub alta locans.
Gaude sorte tuâ, Præsul venerande Quirice;
Sic Dominus terris es, Dominusque polo.

* Kiricus *quasi* Κύριος *dicitur, id est,* Dominus.

DCC. VII. DC. LXIX.

Cæsarius, [a] Arcobricensis Episcopus, ex Monacho Monasterij Lirinensis, discipulus S. [b] Paronij, multùm floret. 119.

a *al.* Arelatensis

b *al.* Porcarij.

119. Discipulus S. Paronij.] *Lege* S. Boni, *qui fuit Lirinensis Monasterij restaurator.* P. H.

DCC. VIII. DC. LXX.

Petrus, Episcopus Achilensis, multùm floret. 120.

DCC. IX. DC. LXXI.

Vitalianus Papa obiit: succedit illi Adeodatus. 121.

DCC.X. DC.LXXII.

122. Hoc anno, Kalend. Septembris, moritur Toleti Imperator Flauius Receſuinthus; ſepelitur in æde S. Leocadiæ, vbi beata virgo & Martyr dicitur * arctata.

*Lege mactata.

123. Eodem anno, ſed III. Feriâ eiuſdem menſis, fuit electus in Regem Wiſegotthorum Rex Flauius Wamba, Palatinus, de nobiliſſimo genere Gotthorum; & vſque ad XIX. diem eiuſdem menſis dilata eſt vnctio, vt præſentibus Epiſcopis & Palatinis fieret, die Dominico ſupradicto ſacro Ianuario, & ſociis eius, in Eccleſiâ præſtantiori, ſacratâ B. Virginis Mariæ Aſſumptioni, Eccleſiâ primâ Toletanâ, à ſanctis Patribus conſtitutâ. Coronatur verò, ſacratur & inungitur Rex per Quiricum Archiepiſcopum Toletanum, aliis Epiſcopis miniſtrantibus.

P. H. 122. *Primo die Septembris moritur Toleti Rex Flauius Receſuinthus; ex Chronico Iuliani: ſepelitur in Leocadiæ carcere, vbi nunc eſt.*

P. H. 123. *De electione Regis VVambanis multa Iulianus in libro ſuo, & etiam Morales, Mariana, Iulianus Toletanus. De coronatione conſtat factam per Quiricum Toletanum in æde S. Mariæ Maioris cum magnâ celebritate.*

D.L. Dilata eſt vnctio.] *De vnctione Regum vide quæ notaui in num.* 8. *&* 87.

Die Dominico ſupradicto ſacro Ianuario, & ſociis eius.] *Fortè quia dies* XIX. *Septembris fuit illo anno dies Dominicus; vel loco* ſupradicto, *legendum*, dicato; *& loco vocis* ſacro, *legendum* ſancto.

Eccleſiâ primâ Toletanâ.] *Vide quæ dixi ad num.* 87. *in illis verbis*, Alficenſis, vel inferior. *Vbi adduco Iulianum in Chronico num.* 74.

DCC.XI. DC.LXXIII.

124. Ioannes, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, floret.

DCC.XII. DC.LXXIV.

125. * Aribaldus, Abimoaldi filius, XV. Rex Longobardorum.

*al. Gaubaldus, Grimoaldi

DCC.XIII. DC.LXXV.

126. Vndecima Synodus Toletana Toleti collecta à XVII. Epiſcopis, Præſide Quirico Toletano Pontifice, VII. Idus Nouemb. anno IV. Regis Wambæ, in Baſilicâ S. Mariæ.

127. Floret Gratindus, Abbas SS. Coſmæ & Damiani.

P. H. 126. *De* XI. *Synodo Toletanâ, quæ fuit ſub Rege VVambane, eſt mentio in ipſis Toletanis Conciliis tam M. S. quàm impreſſis: namque collecta eſt* IV. *anno Regis VVambanis æra* DCC.XIII. VII. *Idus Nouembris, anno* DC.LXXV. *cæpit anno* DC.LXXII. I. *die Septembris, annus impletus eſt* I. *die Septemb. huius anni* DC.LXXV. *incepit* IV. *à primo die menſis Septembris ab anno* DC.LXI. *vel* DC.LXII. *Non fuerat collecta Synodus Toleti per* XIII. *annos, vt diuturnitatem huius temporis notat idem Concilium* XI. *de quo ſic Rodericus lib.* 3. *c.* 11. Hic, *ſcilicet VVamba*, anno Regni ſui IV. in Toletanâ vrbe, B. Mariæ ſemperque Virginis atrio, in ſecretario, poſt tranſactos octo & decem perturbationum & diuerſarum cladium annos, Concilium ſalutis parauit: & iſtud fuit vndecimum Concilium Toleta-

Toletanum ſub Quirico, vrbis Regiæ Primate. Interfuerunt huic Concilio XVI. Epiſcopi, & multi Vicarij abſentium Epiſcoporum; cum quibus & tempora abſque Concilio prætereuntia deplorarunt. Sic ſacra Synodus: Eramus enim hîc vſque prolabentis ſæculi colluuione inſtabiles; quia annoſa ſeries temporum, ſubtractâ luce Conciliorum, non tam vitia auxerat, quàm * malitiam omnium regnantium otioſis mentibus ingerebat, *&c. Et inferiùs:* Vt qui de cauſſis antè poſt octodecim ſcilicet labentium annorum excurſum, in vnum meruimus aggregari conuentum. *Non loquitur de Conciliis alibi collectis, ſed in vrbe Regiâ: nam & in Cæſarauguſtanâ ciuitate ante annos* XIX. *& in Emeritenſi ante* IX. *Concilia contracta fuiſſe liquidò conſtat. Sedecim Epiſcopi coacti ſunt, præter Quiricum, & multi Vicarij: in excuſis ponuntur duo*, Arcauic. *&* Segouienſis, *& ſeptem Abbates. Vt inde colligatur, aliter legiſſe Dominum Rodericum Pontifices, & Vicarios huius ſacri Concilij, quàm modò nos in noſtris legimus exemplaribus.*

* *al.* matrem omnium errorum ignorantiam.

DCC.XIV. DC.LXXVI.

128. Rex Wamba, victo Paulo, ac profligatis omnibus hoſtibus ſuis, glorioſâ fruitur quiete: Toletum, ciuitatem Regiam, laxat, ac muris ambit; portam, quæ reſpicit Septemtrionem, S. Thyrſo, Toletano ciui, Martyriſque foris paſſo, dedicat: ſimiliter & S. Leucadiæ virgini & Martyri; & eam, quæ reſpicit Orientem, B. Marcianæ ciui, Martyriſque ac virgini ſanctiſſimæ: ſupra portam pontis S. Iuliano Martyri Toletano: pontis ferrati portam S. Damaſo Melchiadiſque ciuibus Mantuæ Carpetanorum, ac præcipuè diuo Michaëli, huius vrbis Diuo Tutelari, à fundamentis Eccleſiarum eius, & Angelo Tutelari ciuitatis contra dæmones meridianos.

129. Per hæc tempora florebat * in Auſtriâ Pipinus I. cognomine Vbertinus, Maior-domus Auſtraſiæ, pater Caroli Martelli, dicti Maximi, patris Milonis, cognomento de Angleris, Bernardi & Pipini II. Regis, & patris Caroli Magni, & etiam aliorum.

*al. in Neuſtriâ, *vel*, Auſtraſiâ, *vel*, in Aquitaniâ.

130. Habetur Concilium Toleti XII. die Nouembris anno VI. glorioſiſſimi Regis Wambani Wiſegotthorum: Toleti, inquam, quò confluxerunt omnes Epiſcopi Hiſpaniæ & Galliæ Narbonenſis, præſidente Quirico Metropolitano Toletano, vt totius Hiſpaniæ & Galliæ Narbonenſis Patriarchâ: diuiſæque ſunt omnes Sedes Hiſpaniæ cum ſuis limitibus & terminis (vt eas olim diuiſerat Conſtantinus Magnus, cùm Toleti Concilium Epiſcoporum totius Hiſpaniæ contraxit, auctoritate Silueſtri, & eidem Concilio dicitur præfuiſſe) ſic ſub Wambane Rege dati ſunt veteres ſingulis Sedibus termini. Quos immanitas perſecutionum ingruentium, tot bellorum rabies, & iniquitas temporum maiori ex parte deleuerat; ille ſuâ diligentiâ & ſtudio penitus reſtituit.

Anno V. Regis Wambanis coacta eſt Toleti hæc magna Synodus, in quâ diuiſæ ſunt Sedes per illum, præſentibus Metropolitanis, & ceteris Hiſpaniæ Epiſcopis, Abbatibus & Palatinis, & illis partiri

partiri Rex iniunxerat, vt visum esset, Diœceses, præsentibus; pro Toletano, & Suffraganeis, Sullo, Athanegono & Reccaredo; pro Hispali, & Suffraganeis, Adilogo, Elâ, Witizâ; pro Bracarensi, Wimaro, Vitulâ, Hicadile; pro Emeritensi, Idigno, Theodulpho, Ostulpho; pro Narbonensi, Salamino, Egisibarino, & Theudegildo: Toletani hinc partiti cum Complutensi, illinc cum Elborensi. Facta est hæc diuisionum formula, & expressa litteris per Petrum, S.Leucadiæ Diaconum; & Concilium habitum est præsente Quirico, vrbis Regiæ Archiepiscopo, & Primate totius Hispaniæ, tam citerioris quàm vlterioris.

Iudices designati sunt pro Toleto, Quiricus Archiepiscopus; pro Hispali, Iulianus; pro Bracarensi, Liuba; pro Emeritensi Prouinciâ Stephanus; pro Narbonensi Crescentius. Appellant omnes ad Primatem Toletanum: & in causâ Toletanorum ad Suasilium Abbatem, ex omnium consensu. Prudentiâ Quirici multæ lites subortæ compressæ sunt. Durat Concilium vsque ad finem mensis.

131. Prætoriensem Sedem SS.Petri & Pauli extra vrbem prope viam ad Talabricam, vel Elboram, distantem ferè mille quingentos passus, Wamba Rex nouiter Episcopali cathedrâ, Toletano Patriarchæ subiectâ, decorat, reclamante Quirico Toletano, & Capitulo Toletano; & in oppido Aquensi (quod nunc Talauera) olim dicebatur Elbora, Sede Episcopali subiectâ Emeritensi, in villulâ Aquis, nunc (Cazalegas) Sedem* constituit Episcopalem, consentiente Emeritensi Metropolitano, in honorem * S. Pemenij, Martyris antiquissimi ibidem quiescentis: quod nunc diu permansit.

* *al.* transtulit

* *al.* S. Pigmenij: *de quo vide Baronium* XXIV. *die Martij, in Martyrol.*

Beatissima Sedes de Columnâ in vrbe Cæsaraugustanâ, quæ constructa est iussu Virginis à B. Iacobo, cùm in Hispaniâ prædicauit anno XXXVII. à Natiuitate Domini, & consecrata eiusdem immaculatæ Conceptioni (quam omnes Apostoli prædicauerunt vbique) hoc tempore celeberrimo multorum peregrinorum contubernio visitatur.

P. H. 128. *Anno* DC.LXXVI. *iam bellis consopitis, Rex VVamba Gotthorum ornauit Toletum ædificiis publicis, muris, mœnibus, & pontibus. De quibus sic Rodericus in Histor. lib.*3. *cap.*11. Postquam igitur, *inquit*, Rex cum triumpho nobili fuit sedi Regiæ restitutus, sceptra Regni meditans, eleganter ciuitatem Toletanam muro & exquisito opere renouauit; quam & opere sculptorio versificando prætitulans, hoc in portarum epigrammatibus stylo ferreo in nitido lucidoque marmore fecit scribi:

Erexit fautore Deo Rex inclytus vrbem
VVamba, suæ celebrem protendens gentis honorem.

In memoriis quoque Martyrum, quas super eisdem portarum turribus titulauit, hoc similiter exarauit:

Vos Domini sancti, quorum hîc præsentia fulget,
Hanc vrbem, & plebem solito seruate fauore.

Vbi

Vbi verò positæ sunt hæ sanctorum Martyrum inscriptiones, sic ait Chronicon generale sub Rege Ildefonso X. Otrosi fizo escriuir en estos otros sendos marmoles estos versos, e ponerlos en las torres de las puertas de la ciudad, en aquellas que eran mas de aquellos santos Martyres, cuyas eran las vocaciones. *Quemadmodum ad portam Cambronum, S. Leucadiæ; ad Meridiem, SS.Felicis & Petri; in turri è regione SS.Petri & Pauli Prætoriensium, horum Apostolorum; è regione S. Iuliani, SS. Cosmæ & Damiani, S. Torquati, SS.Iustæ & Rufinæ, S. Marci, S. Sebastiani, S. Lucæ, S. Eulaliæ, SS. Seruandi & Germani. Quâ de re sic Doctor Ioannes Mariana lib.*6. *cap.*14. Puso el Rey (*scilicet VVamba*) cuydado en hermosear su Reyno de todas maneras, i en particular ensanchò la ciudad Real de Toledo, i para su fortificaçion leuantò vna nueua muralla con sus torres, almenas i pretiles, continuada por el arrabal de san Isidro, que llega de vna puente à la otra. Està Toledo de quatro partes, por mas de las tres çerrado del rio Tajo, que acanala lo entre barrancas muy altas, corre por peñas i estrechuras muy grandes. La quarta parte tiene la salida muy aspera i empinada, por donde la çerca vn muro de fabrica Romana mas angosto que el que hizo el Rey VVamba, cuyos rastros se veen à la plaça de Zocodouer, i à la puerta del Hierro. VVamba con intento de meter dentro de la ciudad los arrabales, i para mayor fortaleza, añadio la otra muralla mas abajo. Traxeronse para la obra piedras de todas partes, à lo que se entiende de vna fabrica Romana à manera de carro, que està alli çerca con figuras entalladas en ella de rosa, ò de rueda. El vulgo se persuade ser aquellas armas de VVamba. Las mismas piedras muestran lo contrario, ca estan sin orden, ni traza; sino como las trahian, assi las assentauan los officiales. *Hæc P. Mariana. Sunt illæ rosæ, vel tortulæ* Masopæ *ædificiorum ex ipso Circo allatæ, quarum meminit non semel Vitruuius, vt mihi significauit Ioannes Baptista Montenegro excellens Toletanus Architectus.*

S. Thyrso, Toletano ciui, Martyrique foris passo.] *De S.Thyrso plenè & doctè doctissimus P. Franciscus Biuar in Dextrum, anno Christi* CC.LXXXVI. *num.*2. *post Comment. fol.*303. D. L.

Dixit Luitprandus, foris passo: *quia martyrij palmam reportauit Apolloniæ in Græciâ: infrà num.*233. Toleti conditum est templum S. Thyrsi, vernulæ Christi, ciuis Toletani, passi Apolloniæ in Græciâ. *Appellauit eum* vernulam, *quasi* natiuum, *vel* naturalem; *quo pacto* vernaculam linguam *dicimus, &* saporem vernaculum. *De S. Leucadiâ extat illustris commemoratio, conceptis verbis, in antiquissimo Hymno, & testimonium; de quibus infrà in num.*75. *Concilij Toletani ad finem, inter Aduersaria Luitprandi. Et de sancto Iacobo sic:*

O verè digne sanctior Apostole,
Caput refulgens inclytum Hispaniæ,
Tutor nobis, & patronus vernulus.

Hæc docet & probat apud Dextrum anno Christi CC.LXXXVI. *num.*2. *doctissimus Biuarius meus. Conuenit, & suffragatur Iulianus in Chronico num.*73. In vrbe Apolloniâ Græciæ, sub Decio fidei illustre testimonium dat. *& num.*397. A Cixilano conditum est S.Thyrsi templum Toleti, ciuis Toletani, in Apolloniâ Græciæ passi. *vtrobique scintillas excussi quasdam.*

Pontis serrati portam S. Damaso Melchiadique ciuibus Mantuæ-Carpetanorum.] *De hisce Madridij duobus micantibus luminibus plures plura. De S. Damaso notauit eruditè doctissimus P.Franciscus Biuar in Dextrum anno Christi* CCC.LXVI. *num.*3. *& anno* CCC.LXXXVIII. *num.*8. *ex Baronio Tom.*4. D. L.

Annal. & aliis: nouissimè & plenè Hieronymus de Quintanâ in suo Madridio lib.2. cap.4. vbi satisfacit iis, qui Lusitanum defendunt; inter quos ego addo Augustinum Barbosam in Remissionibus Doctorum de Dictionibus, dict.131. nu.5. pag.62. col.2. & lib. de Officio Episcopi, part.3. alleg.60. num.11. Quamuis Quintana illa verba, quæ disputationibus dissidiisq; ansam dedêre, siue destinam & fulcrum, è Dextri codice non expungat; vti elidit noster P. Franciscus Biuar, & tamquam spuriis & nothis notam eis inurit, satius ducens conari respondere obuiàm euntibus. Vtramque recenset opinionem P. Andreas Schottus, Societatis Iesu Presbyter, exquisitæ industriæ & magni iudicij vir, in suâ Hispanicâ Bibliothecâ Tom.2. classe 1. Antiquorum pag.183. Nouissimè plenâ manu, longoq; excursu asserit Lusitanum Antonius de Sousa & de Mazedo in suo libro, cui titulus, Flores de España, Excelencias de Portugal, *cap.9. pag.93.*

De Melchiade idem P. Biuar in Dextrum, faustoq; illustrandi genere ad annum Christi CC.XLVIII. *&* CC.XCIX. *num.3. &* CCC.VIII. *Comment.2. nu.15. Videndus Quintana in suo Madridio lib.2. cap.1. præsertim fol.*104. *col.4. qui Iulianum nostrum refert in Chronico num.*72. Melchiades, qui posteà fuit Papa, nascitur in Hispaniâ, scilicet patribus Africis, apud vrbem Mantuam-Carpetanorum. *De vtroque sidere disserit, & inter omnes micat illustrissimè D. Gregor. Lopez Madera à Consiliis Magno nostro Regi Philippo IV. qui est mihi sæpè vocandus, in lib. de Excellent. Monarchiæ Hispan. cap.6. §.2. pag.45. col.2. & 3. vbi sedat & componit dissidia.*

D.I. Ac præcipuè D. Michaëli, huius vrbis Diuo Tutelari, à fundamentis Ecclesiarum eius, & Angelo Tutelari ciuitatis.] *S. Michaëlem Diuum Tutelarem, & Angelum Tutelarem agnoscit. De Eremiterio S. Michaëlis ante portam eidem consecratam vide Iulianum de Eremiteriis, num.5. his verbis:* Eremiterium S. Michaëlis à parte Orientali Toleti (coæuum Eremiterio Hispal. vbi imago B. Mariæ.....) distans ab vrbe Regiâ IV. milliar. passuum, non procul à fluuio Tago, ab Athanagildo conditum: nunc possidetur iure patrocinij ab Columbanis, genere nobili Muzarabum. *Mos erat Antiquis Eremiteria ante ingressum vrbium Angelis dicare, quò eas custodirent, defenderentq;, vt muneris est Angelorum qui ciuitates tuentur; iis, & imperiis, sui designati Angeli. Inter omnes micat deuotio erga D. Michaëlem, quem præesse Christianæ Ecclesiæ tutamini notum, vel ex ipsius variis apparitionibus, quibus partim in Occidentali, partim in Ecclesiâ Orientali, per multa miracula conspicuus redditur, & ostenditur. Præfuerat anteà Iudæis; constat ex cap.*10. *Danielis, num.*13. *vbi quartus Angelorum Michaël, Princeps populi Dei constituitur: quod Martinus Becanus, Societ. Iesu Presbyter, ex illis elicit verbis:* Nemo est aditor meus in omnibus his, nisi Michaël princeps noster: *Scholasticæ Theologiæ Tom.1. parte 1. tract.3. de Angelis cap.6. fol.*388. *gestaq; eius recenset desumpta ex dicto cap.*10. *& cap.*12. *& ex Epistolâ Canonicâ Iudæ, & Apocalyps. cap.*12. *Hinc tot Basilicæ D. Michaëli erectæ, de quibus Christophorus Besoldus in Discursu de Angelis, seu Geniis Imperiorum, pag.2. & 3.*

Dixi, Angelos esse eorum protectioni constitutos. Succinit Clemens Alexand. lib.2. Recognit. Scio tamen quid de Recognitionum libris senserit Bellarmin. de Libero arbitrio lib.5. cap.25. & Tractatu de Scriptoribus Ecclesiasticis anno Domini CCC. *& alij iudicauerint; sed de his in præsentiâ non est mihi curæ. Vide S. Dionys. Areopag. de Cælesti Hierarchiâ cap.9. De eâdem re apud Ethnicos passim. Dionys. Halicarnasseus lib.*8. *Crinitus de Honestâ disciplinâ lib.9. cap.3. Seruius ad 1. Georg. Gebhard. Elmenhorst. in Obseruation. ad Arnobium fol.*14. *Vetus etiam inscriptio:*

IOVI. OPTIMO. MAXIMO. GENIO LOCI.

Alte-

*Alteram affert Guido Pancirol. in Thesauro Variar. lect. lib.2. cap.*128.

Q. VOLVSIO. SATVRNINO. P. CORNELIO. SCI. COS. AVGVSTALES. QVI. NERONI. CLAVDIO. CAESARI. AVGVSTO. ET. AGRIPPINAE. AVGVSTAE. I. O. M. ET. GENIO. COLONIAE. LVDOS. FECER. XIII. KAL. MART.

Prudentius contra Symmachum lib.2.

Cunctis nam populis, seu mœnibus inditur, inquit,
Aut Fatum, aut Genius nostrarum more animarum,
Quæ sub disparili subeunt noua corpora sorte.

*E sacris D. Hieronymus in Ezech. cap.*28. Traditæ sunt Angelis ad regendum Prouinciæ, quasi iudicibus ab Imperatore. *Deus enim pulcherrimo ordine sparsit per hoc corpus vniuersi* φυλάττοντας μέρη τῆς γῆς, καὶ ἐθνῶν καὶ τόπων περίσαμψες, curantes terræ certas partes, præfectosque gentibus & locis. *Quæ omnia intus & in cute sciens noster Luitprandus, adiunxit Angelum esse Tutelarem contra dæmonia meridiana, exprimens ad viuum locum Psalmi* 90. *num.6. vbi loquitur sanctus Rex de Angelis, describitq; eorum virtutes; & pollicetur virum fore tutum, qui iisdem munitus est, & liberum itidem vaticinatur* à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano; *id est, à periculis, quæ latenter & palàm, nocte scilicet & meridie, potissimùm à dæmonibus, impendent; aliquando solo pauore spectrorum, aliquando à dæmone pestilente, & ab afflatâ lue. P. Ioannes Mariana sic interpretatur:* A peste, quæ apertè grassatur, non ab occultis cauſſis. *Genebrardus anteà dixerat idem, his verbis:* Pestem, siue grassetur noctu, siue die, non formidabis. *Ioannes Bochius strictim, vti solet, hanc sententiam Hebræorum esse asserit:* Etsi pestem, *inquit,* vel perniciem meridianam legant Hebræi; tamen per dæmonium meridianum intelligi terriculamentum quoddam, quod Empusam vocant, sunt qui putant. *In Parodiis Heroicis ad dictum Psalmum* 90. *priori adhæret interpretationi:*

Et vacuo curres animo, discrimina noctis
Nulla perhorresces, nec formidare diurnas
Fas erit, aut missas, neruo stridente, sagittas;
Nec metues cæcâ tectam caligine pestem:
Nec, quæ luce palàm mediâ grassatur. ——

Paribus ferè tibiis cecinit alius:

Noctis per atræ cæca silentia,
Non expaueſces cæca pericula:
Non luce grassantem timebis
Perniciem, nec aperta bella.

Lorinus, Iansenius, & alij plures, τὸ à dæmonio meridiano *intelligunt de* peste. *Nec ab iis discedunt, qui, vt ait Bochius loco suprà citato, dæmonium meridianum* Empusam *explicant. Nam Scholiastes Aristophanis in Ranis,* Empusam, *&* dæmonium meridianum *confundit;* Empusamque *spectrum esse dicunt, quod miseris & calamitosis solebat apparere. De cuius nominis vi consule Etymologicum, verbo* Ἐμπέδα. *Congerit plura Ioannes Bourdelotius in Petronium pag.*114. *ad illa verba Satyrici,* Noctu dieque non alio genere Furiarum, *pag.*1. *lineâ* 1. *& Adagiographus in* Empusa. *Iulius Cæsar Bulengerus lib.2. aduersus Magos cap.59. Gyraldus Syntag.*12. *Deor. pag.*349. *Raderus ad Q. Curtium lib.6. cap.7. pag.*348. *qui plures allegat; & ex iis doctissimus D. Antonius Ponce Santa Cruz in Prælectionibus Vallisoletanis ad librum Hippocr. de Morbo sacro, Textu* 17. *pag.*23. *&* 24. *ille verè Hispanus Aesculapius, id est, salutis medicus & assertor, ex Philosophiæ & Medicæ artis*

 adytis,

adytis, vtilißimis remediis in lucem erutis. Cumulat plura eruditâ manu Fortunius Licetus in Encyclopædiâ ad Aram Lemniam Doſiadæ, Poëtæ vetuſtißimi & obſcuriſſimi, ad illa verba, Ἐμπέσας νόσος. *pag.*124.

Quæ ſignificatio conuenit etiam Peſtilentiæ *venturæ: nam hæc & ſimilia terriculamenta, priuſquam graſſetur, diuagari docent multi. Obſeruat noſter Martinus Delrius (heu quondam amicus meus! lumen diuinarum atque humanarum litterarum ſplendidiſſimum) ex Procopio lib.*1. *de Bello Perſico, in lib.*2. *Diſquiſit. Magic. quæſt.*27. *ſect.*2. *num.*8. *Qui Procopius cùm ingentem & admirandam illam luem, quæ Iuſtiniani tempore orbem totum depopulata fuit, deſcribit, traditum ait, viſos in humanâ ſpecie dæmones verſari, & obuios percutere virulento & ardenti afflatu, & ab Hebræis* Meririm & Reſſaphim *vocatos: & aliquibus vigilantibus claro die (nota* Dæmonium meridianum*) & aliquibus in ſomniis noctu (nota* nocturnum*) id contigiſſe. Addo ego Dionem in Tito, qui ſcribit, homines giganteæ magnitudinis per ciuitates inceſſiſſe, quando Veſuuius mons flammas euomuit. Teſtatur & Dionyſius Halicarnaſſeus lib.*8. Romæ obuerſatas oculis nouas ſpectrorum facies; & hæc oculis atque auribus hominum ſæpè oblata. *Quæ in ſacrâ Scripturâ dæmones appellari autumo: Iſaiæ cap.*34. *num.*14. Et occurrent dæmonia onocentauris, & piloſus clamabit alter ad alterum.

Hinc apud nos Hiſpanos tale terriculamentum Eſtantigua *vocatur; quia ſub eâ figurâ apparet diabolus, à ſacris Auctoribus & ſanctis Patribus* Hoſtis antiquus *appellatus. Ita S. Gregorius lib.*2. *Epiſt.*23. *ad Iuſtinum Prætorem, relatus in cap.* Habet. 2. *q.*5. Habet hoc proprium antiqui hoſtis inuidia, vt, quos improborum actuum perpetratione Deo ſibi reſiſtente deiicere non valet, opinionem eorum, falſa ad præſens cumulando, dilaceret. *Sic Ionas Epiſcopus Aurelianenſis in lib.*1. *de Cultu imaginum, in princip.* Cùm ipſi non Apoſtoli Chriſti, ſed præcones eſſent hoſtis antiqui. *Congerit plura Ioannes Montholonius in Dictionario, verbo* Diabolus, *pag.*156. *De* Eſtantigua *celebris mentio in Hiſtoriâ Belli Granatenſis, à D. Didaco de Mendozâ ſcriptâ noſtro vulgari idiomate, pag.*124. *his verbis, vbi agit de bello inter Cæſarem & Sextum Pompeium in Bæticâ apud Mundam.* Donde oy dia, como tengo dicho, ſe veen inpreſas ſeñales de deſpojos de armas i caballos; i veen los moradores encontrarſe por el aire eſquadrones; oyenſe voces como de perſonas, que acometen. Eſtantiguas llama el vulgo Eſpañol à ſemejantes aparencias, ò fantaſmas, que el baho de la tierra, quando el ſol ſale, ò ſe pone, forma en el aire bajo, como ſe veen en el alto las nubes formadas en varias figuras i ſemejanças. *Et ab Ethnicis vſurpatur alio, ſed eodem ferè modo, quod Regius Vates edixerat. Ouidius* 4. *Faſtorum ad Palem:*

Tu dea pro nobis fontes fontanaque placa
Numina, tu ſparſos per nemus omne deos.
Nec Dryadas nec nos videamus labra Dianæ,
Nec Faunum, medio cùm premit arua die.

Vbi coniungit diei tempeſtatem, hoc eſt, meridiem; *& locum, per quem diſcurrebat Faunus, id eſt,* arua. *Poëtæ multa è Sacris deduxerunt, vt dixi in meo Pentecontarcho cap.*26. *docti Bibliorum lectione. Ouidius non inter vltimos huiuſce rei gnarus, nec infimo conſtituendus loco iis qui Metamorphoſeon libros euoluerint, quos plenos Hiſtoriæ ſanctæ documentis retortis, & ſuâ falsâ doctrinâ contaminatis, facili inuenient negotio. Legerat fortè in veteri Teſtamento* Meridiem, *&* Deſertum; *ſæpè pro eiſdem poni; vnde* dæmonium meridianum, *&* dæmonium deſerti, *apud doctos idem: quem gaudere ſiluis, & deſerta habi-*

habitare docent Procopius & Cyrillus in Iſaiam. ideoq; Faunum premere ſcripſit arua meridiano tempore, quaſi furentem & debacchantem. Ex veterum Gentilium opinione Pan (dæmonum meridianorum hic erat vnus, vt refert Delrius) tunc maximè iracundus & formidabilis credebatur, vt teſtatum reliquit Theocritus Idilio 1. *cùm æſtuabat dies: cauſſamq; reddit Pſellus lib. de Naturâ dæmonum, quia* hoc genus eſt ſolare, ideoque leonis eſt naturæ. *Deinde,* ſicut in noctis tenebris (*verba ſunt Origenis ad cap.*1. *Iobi v.*19. *ſi modò Origenes Auctor illius eſt operis*) ſic ſimiliter in medio meridie plures dæmonum tentationes ſe demonſtrant, quàm ceteris temporibus.

Ex his (vt, vnde digreſſi ſumus, reuertamur) iam patet, per dæmonem meridianum luem ac peſtem denotari, contra quam Angelus Tutelaris inſurgit in ſuæ tuitionem ciuitatis. Adſit irrefragabilis teſtis, erecta Romæ Baſilica in Mole Adriani à Bonifacio Rom. Pontifice D. Michaëli dicata, eâ ſcilicet de cauſâ, quia ibi apparuit recondens gladium in vaginam, qui anteà erat exertus; hocq; in ſignum peſtis ceſſantis. Adſtipulatur Gregorius Turonenſis, qui lib. 4. *Hiſt. Francor. cap.* 5. *ait aliam peſtem auerruncatam, S. Gallo rogante, & miniſtrante ipſo Angelo Dei nuntio, quem refert eruditiſſimus doctiſſimuſq; vir, religione pollens, vario litterarum ornamento apprimè teſſellatus, P. Martinus de Roa in Flore Sanctorum Cordubenſium, in Feſto Angeli Cuſtodis, pag.*10.

Dixit Luitprandus Tutelari Angelo portam ſacratam contra dæmones meridianos; *idq; fuit ſemper in voto Regi VVambæ, qui dicauit eas variis Diuorum numinibus: & idem teſtatus, in ædificiis, quæ erigebat, hos inſcribi curabat verſus;*

Vos Domini ſancti, quorum hîc præſentia fulget,
Hanc vrbem & plebem ſolito ſeruate fauore.

*Refert Doctor Franciſcus de Piſa in Deſcriptione Toleti lib.*1. *cap.*9. *& noſter doctiſſimus P. Hieronymus de la Higuera in huius memoriæ illuſtratione; priùs Mariana lib.*6. *Hiſt. cap.*14. *pag.*285. *col.*2. *Et Muzarabes adprecabantur ſanctam Leocadiam vrbis Toletanæ aduocatam, vt à contagio eos liberaret:*

Tu noſtra ciuis inclyta,
Tu es Patrona vernula;
Ab vrbis huius termino
Procul repelle tædium.

Huc alludunt ſtemmata Imperialia Toleti, in quorum ſummitate apparet Cuſtodius & Tutelaris Angelus, gladium ſtringens ad ſuam ciuitatem tuendam. Et Madridij ſupra portam, quæ de Guadalaxara *vocabatur antiquitus (cuius nominis vſque adhuc extat memoria) ſimili adſtabat formâ Angelus Tutelaris, vt mihi retulit D. Gregorius Lopez Madera, Eques Ordinis S. Iacobi, Philippo IV. Hiſpaniarum Regi Catholico à Conſiliis, eminentis litteraturæ & rerum Hiſpanicarum Antiquarius, I.C.q; prudentiſſimus doctiſſimuſq;.*

*De dæmone meridiano & nocturno vide P. Martinum Delrium ſuprà citato loco, vbi docet, B. Baſilium & Theodoretum tradidiſſe, Pſalmiſtam eo in ſenſu de dæmone meridiano locutum. ſed peritiore locum eruo in lucem è reconditâ Paraphraſi Chaldaicâ, ad cap.*4. *Cantic. num.*6. *verba ſunt:* Tenebat manibus ſuis artem patrum ſuorum iuſtorum, fugiebant nocentes ſpiritus tenebriones, & matutini ac meridiani dæmones de medio eorum; eò quòd Maieſtas gloriæ Domini reſidebat in domo ſanctuarij, quæ ædificata eſt in monte Moriach, & omnes dæmones & ſpiritus nocentes fugiebant ab odore incenſi aromatum.

130. *De diuiſione Sedium à Rege VVambane factâ fit hîc mentio à Luit-* P. H.

prando, qui fuit Auctor DC.XL. *annorum; & à Iuliano* CCCC.L. *& in libro, cui titulus est* Idatius, *Auctor antiquior; & in Generali Regis Aldefonsi Historiâ* CCC.L. *annorum. Ibi in codice Toletano M.S. antiquissimo sic habetur in fine diuisionum:* Acta sunt hæc Toleti in Concilio generali, omnibus voce dicentibus, Placet, Placet: præsentibus ac subscribentibus inuicto ac Serenissimo Rege VVambane, & Quirico Archiepiscopo Toletano, Hispaniarum Primate; ceterisque Archiepiscopis, cum suis Suffraganeis Diœcesum prædictarum; in Ecclesiâ S. Leocadiæ, ærâ DCC. X. per manum Petri. *Vixit autem plùs hic Rex VVamba annis quinque, & mortuus est. Credo legisse X. vt iam scripsi, cùm hac notâ significetur numerus* XV. *Sic anno* DC.LXXVII. *habita est hæc Synodus, & anni emergentes vsque ad principium anni* DC.LXXXI. *sunt anni quinque computati. Falluntur ergo qui putant, hoc factum* XI. *Concilio Toletano. Nam, præterquam quòd in illo Concilio nulla fit mentio huiusmodi Sedium diuisionis, hæc facta est in Concilio generali ac nationali totius Hispaniæ: vndecimum verò sub Quirico Præsule Toletano fuit solùm Prouinciale. Seruatâ tamen temporis ratione, interserendum est inter vndecimum & duodecimum Toletanum; quæ tria, tribus annis continenter labentibus, collecta sunt. Et quòd nulla habeatur huiusmodi Synodi ratio memoriaq;, ob id puto factum, quòd nulli Canones hîc decreti sunt, pertinentes ad morum reformationem, sed Sedium, quibus vti possent Hispaniæ Pontifices ad reformationem subditorum. Et ideò partes illæ Conciliorum, quæ ad sæcularia solùm pertinent, omnino inde auulsæ sunt, vocantibus Patribus Canones, qui vel ad fidem vel ad morum censuram iuuare possent. Lectæ sunt coram Rege veterum Regum Historiæ, & diuisiones Sedium antiquæ. Et, vt addit Iulianus Toletanus, cuicumque Metropoli tres Principes Palatini attributi sunt, qui testes essent oculati in diuisione singularum Sedium, & in numerandis ac assignandis iuxta veterum regulam & assignationem terminis. In quo Rex VVamba imitatus est Romanos; qui iubentes mensurari partes orbis, cuilibet viros graues & peritissimos designarunt, vt docet Atticus Historicus Græcus: qui, iuxta quorumdam sententiam, nactus est Augusti tempora. Harum diuisionum meminerunt omnes Auctores iuniores, Gariuaius, Vasæus, Mariana, Morales, & alij, vt Petrus Alcoçer in Historiâ Toleti, Doctor Beuter in Valentinâ. Quâ de re Iulianus Archipresbyter Toletanus pluribus agit.*

D.L. *Annorum vitæ Regis VVambanis vera computatio coëgit nostrum Hieronymum de la Higuera notam hanc X. in M.S. Codice à se inuentam pro* XV. *accipere: cùm tamen quadraginta proculdubio significet, vt ex multorum M.SS. Codicum Gotthorum collatione luculenter deprompsit Pompilienſis Episcopus D.F. Prudentius de Sandoual, in Animaduersionibus ad Historiam sancti Iacobi, Auctore Don Mauro de Castello Ferrer, cùm de Epitaphio Vrraccæ Reginæ, Regis Ranimiri vxoris, enucleando sese obtulit occasio, pag.*233. *Satius ego duxerim, non aliter exaratam in illo M.S. Codice; sed à librario, sciolo quidem, corruptè translatam; sic nimirum* X^V. *Nam quando* X *antecedit, & ligatur cum* L. *scilicet* X^L. *significat quadraginta; si verò* X *antecedit* V. *vti suspicor in autographo fuisse, denotabit quindecim. Vnde variè appositæ & coniunctæ, varia pertendit & demonstrat; ansamq; præbet erroribus calculi, non benè, nec ad amussim examinata. Hoc idem sensit Ambrosius de Morales* 3. *parte Chronic. Hispan. in excursu, quem ad finem prologi apposuit, in quo de Diplomatum obseruatione eruditè agit:* Ay tambien, *inquit,* otrà dificultad grande en los priuilegios muy antiguos de letra Gottica, para leer en sus numeros. Esta es, que los diez años señalados por x.x. tienen las mas vezes tales trabaçones entre si, que si no es con mucho vso de saber aquella lettra, i auer

auer visto mucho escrito en ella; i aun demas desto, si no es con tener gran vigilancia i cuidado en mirar los numeros, es cosa muy facil el errarse en vn diez. *Hactenus ille. Nec me latet, apud Romanos, teste Petro Diacono in litterarum Notis, hanc in vsu fuisse X ad* Decies *significandum; quæ tamen sine virgulâ* Decem *notabat. Consonat Aldus Manutius in Commentario de Veterum Notarum explanatione. Sed hæc vel Tabulariorum aut Pariatorum filiis notissima.*

131. *De designationibus nouorum Episcopatuum tempore VVambanis fit mentio in Concilio* XII. *primoq; sub Eruigio habito Toleti: nam Episcopi, vt Regi placerent, contra Decreta Patrum assensi sunt Regi petenti, vt Toleti in Sede Prætorienſi SS. Petri & Pauli poneret Episcopum: & in villulâ circa Elboram vel Talaberam, in Monasterio * S. Pimenij: similiter & in aliis locis obscurioribus: quod vt Regi tributum est leuitati; Episcopis quidem assentationi.* * Lege Pigmenij:

132. Et consecrata eiusdem [*Virginis*] immaculatæ Conceptioni, quam omnes Apostoli prædicauerunt.] *De immaculatâ Conceptione iam integra sunt volumina. Videsis Iulianum in Chronico num.*607. Qui [*D. Bernardus*] erat B. Virgini deuotissimus, qui faciebat celebrare festum eiusdem Dominæ cum magnâ deuotione; & fecit celebrare deuotiùs festum immaculatæ Conceptionis eius: quod prædicauit in Hispaniâ S. Iacobus; & incepit ab Apostolis, hoc, in Concilio, decernentibus. *In Aduersariis num.*395. Traditio [*eius sunt verba*] fuit ab Apostolis in Concilium congregatis, B. Virginem Mariam originali peccato incontactam esse. *Et quæ notauit Aegidius de Præsentatione Lusitanus, in libro de Immaculatâ Conceptione lib.*3. *q.*3. *artic.vn. sect.*1. *num.*3. *fol.*160. *col.* 2. *Extat antiqua Glossa marginalis in cap.*1. *verbo* Natiuitas, *de Consecr. dist.*3. *quam examinare, & ad rectam censuram trahere oportet; & ad id, à nemine, quod viderim, adducitur.* D.L.

DCC.XVIII. DC.LXXX.

133. Decimaquartâ die Octobris hoc anno datur pœnitentia Regi Wambano (erat enim dies Dominica) primâ horâ noctis: Rex in se reuersus tondetur, & accepto habitu Monachi Benedictini, cum Comite Alberto Pampliegam, eius Ordinis præcipuum Cœnobium, lætus * petiuisse dicitur. * *al. sed non rectè,* petiuit & se dicat.

134. Sequenti die, Feriâ secundâ, XV. mensis Octobris, votis omnium Palatinorum Eruigius (qui dato poculo dicitur Regem dementasse) Rex eligitur. Differtur coronatio & inunctio in sequentem Dominicam diem: quam (vt aliqui volunt) Archipresbyter, vel Archidiaconus Iulianus (nam ægrotauerat Quiricus, Archiepiscopus Toletanus) fecit. Quiricus, vel morte præuentus, vel ægrotus, vt communiter dicitur, vel Archiepiscopatu Toletano * abiens, propter scelus & impostaram Eruigij, cum Wambane Monasterium petit: vbi cum Rege reliquum vitæ laudabiliter confecit. * *al.* abiecto.

135. Iulianus hoc anno, vel præcedenti, sepeliuit sanctissimum Gudilam, Archidiaconum Toletanum, condiscipulum suum, in Monasterio S. Petri & Felicis, Tago flumini incumbenti; cui fecit hoc sepulchrale carmen in sepulchro:

Gloria Toleti iacet hac sub mole sepultus
Gudila, pars animi dimidiumque mei.

Qui

Qui ſenis à tenerâ mores ætate tenebat,
Et iuuenis fecit hîc iuuenile nihil.
Spiritus in ſacro reſidebat pectore Chriſti,
Exprimit hunc totum, moribus, ore, manu.
Pauperibus cibus eſt, viduis ſolamen, vt ægris
Grata ſalus: miſeris omnibus vnus erat.
Mercaris meritis multis, bone Gudila, cælum:
Nos deſiderium lancinat vſque tui.
Mœrentesque vocamus eum, quem ſuſtulit æther:
Proſequimurque piis funera lacrymulis.
Non violas, teneraſque roſas, non lilia cana
Spargimus ad tumulum, ſed bona vota, tuum.
Nos ergo è ſuperâ proſpecta candidus arce;
Teque amor, & moueat, Gudila, cura mei.
Mœnibus à patriis morbos auerte, famemque,
Hoſtilesque minas, dogmata falſa, dolos.
* al. *Toletiq; preces audi,* **Toleti ne temne preces, comitisque rogatus,*
Qui tibi dat carmen ſat Iulianus amans:
Oſſaque Felicis tua ſacrâ condit in æde,
Cuius mens ſuperis eſt ſociata choris.

A ✠ Ω

Obiit in pace ſeruus Dei, Domnus Gudila, Archidiaconus ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ VI. Kalend. Septembr. ærâ DCC.XVIII. id eſt, anno Domini noſtri Ieſu Chriſti DC.LXXX.

P. H. 133. *De confeſsione & pœnitentiâ Regis VVambanis ſic Alfonſus, vel potiùs Sebaſtianus Salmanticenſis, in Chronico de Eruigio:* Aduerſum Regem excogitans herbam, cui nomen eſt ſpartus, illi in potum miſcuit, & ſtatim Regi memoria eſt ablata; cumque Epiſcopus ciuitatis, ſeu Optimates palatij, qui Regi fideles erant, quos penitus cauſſa potionis latebat, vidiſſent Regem abſque memoriâ iacentem, cauſsâ pietatis commoti, ne Rex inordinatè migraret, ſtatim ei confeſſionis & pœnitentiæ ordinem dederunt. Cumque Rex à potione conualuiſſet, intelligens ordinem ſibi impoſitum, Monaſterium petiit, ibique, quamdiu vixit, in Religione permanſit. regnat annos VIII. menſem vnum, & in Monaſterio vixit annos ſeptem, menſes tres. *Iulianus aſſerit in adoleſcentiâ fuiſſe Epiſcopi Segouienſis Diaconum, qui in* VI. *Toletano pro ſuo Pontifice confirmat. Pòſt cognitâ eius prudentiâ, fortitudine, & animi præſtantiâ cum ſummâ pietate coniunctâ, inter Palatinos fuiſſe primo loco habitum. Mortuo verò Recceſuintho, iam ferè ſexagenarius nolens volens electus eſt. Fuit vir apprimè ſanctus, cui fauit impensè Deus: numquam habuit vxorem; neque genuit filium. Pòſt acceptâ pœnitentiâ, vt datus rebus Eccleſiaſticis, ſponte ſuâ Monaſterium petiit. Obiit* XX. *die Septembris, anno* LXXXVIII. *cum eſſet annorum* LXXV. *die Dominico, pridie Feſti S. Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ: ad cuius tumulum S. Iulianus hoc adiecit carmen:*

VVamba priùs, qui Petrus eras, Miſſæque miniſter,
Rex Gothicæ gentis relligione micas.
Sponte tuâ non affectas Regale cacumen,
Sed ſubis Imperij grande coactus onus.
Spes tua, conatuſque tuus, virtute potentis
Fretus, inauditas res operatus ades.
Nulla perinde tali res gratior vſque quiete eſt:
Cœnobium gaudens, poſt ſacra ſceptra, petis.
Septem ibi perpetuos Monachus benè præteris annos,
Inde oblatâ cælos morte beatus adis.
Felix VVamba tuâ cenſeris ſorte fuiſſe:
Tam benè qui calcat ſceptra, per aſtra volet.
Septem ſceptra tuæ gentis moderaris in annos,
Quæ finis haud morbi mole, ſed ipſe libens.

Et accepto habitu Monachi Benedictini cum Comite Alberto, Pampliegam, *&c.*] *Priuilegium, ſeu diploma D. Petri Caſtellæ Regis* XV. *die Octobris ærâ* M.CCC.LXXXIX. *narrat, VVambam ſumpſiſſe habitum monachalem in Monaſterio S. Vincentij de Pampliega: integrum apponit Franciſcus de Pisâ in Hiſtoriâ Toleti lib.* 1. *c.* 24. *Idem refert, qui Gloſſam ſcripſit perpetuam ad libros Ioann. de Menâ, primi inter maximos Poëtæ Hiſpani, in carmine* 272. *his verbis;* Fue deſpues eſte ſanto Rey [*de VVambâ loquitur*] Monge en el Monaſterio de Pampliga, i eſtuuo en la Religion ſiete años; è murio alla muy ſantamente. *Archiepiſcopus Rodericus* Pannisplicam *vocat lib.* 3. *Hiſtor. cap.* 11. *Vide quæ doctè pleneq; ſcripſit P. Antonius de Yepes in Hiſtoriâ Benedictinâ Tom.* 2. *Cent.* 3. *anno Chriſti* DC.LXXXI. *fol.* 333. *& adde Iulianum noſtrum in Chronico num.* 362. *Vbi autem ſepultus tandem iaceat, variè apud Auctores. Vide Morales lib.* 12. *ſuæ Hiſtoriæ cap.* 52. *Marianam lib.* 6. *c.* 14. *Comitem D. Petrum in Nobiliario tit.* 3. *in quo ſcribit de Gotthis Regibus, & Yepes vbi ſuprà pag.* 335. *col.* 1. *verſ.* Lo ſegundo ſe mueſtra. *qui opiniones inter ſe contrarias & fundamenta adducit.* D. L.

134. *De electione Eruigij & coronatione, Iulianus in Hiſtor. & Iulianus in breui Chronico ſic:* Suſcepit autem ſtatim ſuccedenti die ſecundâ Feriâ glorioſus Dominus Eruigius Regni ſceptra: quod fuit Idibus Octobris ærâ DCC.XVIII. Dilata vnctionis ſolemnitas vſque in ſuperueniente die Dominico XIII. Kalend. Octobr. ærâ quod ſuprà DCC.XVIII. Idem quoque glorioſus Eruigius Rex regnauit annos ſeptem, dies XXV. *Hæc ille. Sic intelligit Regni principium à die coronationis.* P. H.

Cum VVamba Monaſterium petit.] *Quid actum ſit de Quirico, varia dicunt Auctores. Alij, dolore illatæ Regi VVambæ iniuriæ mortuum eſſe, alij Pontificatum ceſsiſſe; hic addit, cum Rege petiiſſe Monaſterium Pampligenſe. Nihil de hoc Scriptores Rerum Hiſpanicarum, nec qui de Benedictinis ſcribunt.* P. H.

P. Hieronymus de la Higuera hîc ait, non vidiſſe in Annalibus Benedictinis Quiricum fuiſſe Monachum; aſſerit P. Antonius de Yepes in Hiſt. Benedictinâ Tom. 2. *Cent.* 3. *fol.* 335. *col.* 4. *vide eum.* D. L.

135. *De Gudilâ Archidiacono Toletano fit mentio in Concilio* XI. *collecto anno* DC.LXXV. Gudila, Eccleſiæ S. Mariæ Regiæ Sedis Archidiaconus, hæc geſta Synodica Cœnobij definita ſubſcripſi. *Felix Archiepiſcopus Toletanus in Vitâ S. Iuliani:* Denique dum ad puerilis formæ deueniſſet ætatem, ſanctæ memoriæ collegæ ſui Gudilanis Leuitæ ita ſociali vinculo eſt innexus, & inuiolabilis charitatis & indiuiduâ vnione eſt coniunctus, vt & ambos inuiolabilis charitas vnum eſſe oſtenderet, & vnitas in ambobus præfixa, non duas animas, ſed vnam iis ineſſe monſtraret. Tantaque erat inter eos ade- P. H.

adeptæ vnanimitatis communio, vt, secundùm Actuum Apostolorum historiam, in duobus corporibus vnum tantùm computaretur, & anima vna. Sistebant quippe in consilio prouidi, in definitione vni, in laudabili operatione concordes. Quippe diuino afflante Spiritu, theoriæ, id est, contemplatiuæ quietis, delectationis perfrui bono, & monasticæ institutionis constringi repagulo: sed quia aliter in supremi Numinis fuit iudicio, eorum est nihilominùs frustrata deuotio; cumque tamen minimè peregissent desiderati itineris cursum, non tamen desierunt à piæ deuotionis studio: & dum sibi mallent tantùm prodesse profugi, cœperunt postmodum proximorum saluti gliscentibus votis niti. Etenim in subditis docendis operosæ virtutis, in profectu eorum desiderabiles, in seruitute Dei feruentes; in desiderio decoris domus Domini strenui, in seniorum obedientiâ præstò, atque, si fieri posset, omnium emolumentum obtinuerunt virtutum, quibus animis feruentibus studebant. Igitur diuinorum iudiciorum dispensatione sanctæ recordationis Gudila Diaconus VI. Kal. Septembris funestæ mortis euentu anno VIII. VVambanis Principis, sub dignâ confessione Dei, clausit supremum curriculum. Cuius corpusculum in Monasterio sancti Felicis, quod est Cannensi in villâ dedicatum, dilectissimi socij sacrâ exhibitione honorificè requiescit humatum. *In Martyrologio SS. Ecclesiæ Placentinæ ante* CC. *annos M. S. sic habetur:* XXVII. Augusti Toleti S. Gudila Archidiaconus, Confessor & Doctor, S. Iuliani Archiepiscopi Toletani comes. *Et mirum est, cur non relatus in Martyrologium Romanum, recèns recognitum, potissimùm testimonio sanctissimi viri Felicis Archiepiscopi Toletani.*

D. L. Pars animi dimidiumque mei.] *Imitatur antiquos. Ausonius:*

Vado, sed sine me, quia te sine: nec nisi tecum
Totus ero, pars cùm sim altera, Galla, tui.

Non violas, teneraque rosas, non lilia cana
Spargimus ad tumulum.]

Tangit morem antiquum coronandi sepulchra rosis & floribus. de quo Lauinus Torrentius ad Sueton. in Augusto cap. 18. Ac floribus sparsis veneratus est. Consultusque, num Ptolemæum inspicere vellet, Regem, ait, se voluisse videre, non mortuos. *Ioannes Kirchmannus de Funeribus Romanorum lib.* 4. *cap.* 3. *Iac. Gutherius de Iure Manium lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 220. 221. *Petrus Morestellus in Pompâ ferali lib.* 8. *cap.* 14. *&* 15. *Ioannes Meursius ad Lycophronis Cassandr. pag.* 208. *Godescalcus Stevvechius ad Apuleium in Asino aureo pag.* 388. 389. *nouissimè Antonius Santorellus in Postpraxi Medicâ, seu de medicando defuncto, cap.* 45. *Idq; sæpè ex testamento iussum. Varias inscriptiones petunt à Iusto Lipsio, & Iano Grutero pag.* 237. 5, 744. 1, 804. 5. *& alibi. Hunc verò morem abhorruerunt Christiani antiquissimi, teste Minucio Felice in Octauio; qui id inter crimina eis obiectum à Cæcilio refert his verbis:* Sic reformidatis deos, quos negatis, non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis; reseruatis vnguenta funeribus, coronas etiam sepulchris denegatis, pallidi, trepidi, misericordiâ digni. *Vbi cumulat Geberhardus Elmenhorstius pag.* 20. *pungit strictim Ioannes à VVoueren pag.* 130. *& ex Clemente Alexand. lib.* 2. *Pædagogi cap.* 8. *Carolus Paschalius lib.* 4. *de Coronis cap.* 5. *Posteà autem amplexi sunt Christiani recentiores. Descendat bis ad testimonium D. Hieronymus Epist.* 3. *cap.* 1. *Heliodoro scriptâ:* Quotiescumque nitor in verba prorumpere, & super tumulum eius flores spargere, toties lacrymis implentur oculi. *Et ad Pammachium super obitu Paulinæ vxoris Tom.* 1. *Epist.* 26. *cap.* 2. Ceteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas,

las, rosas, lilia, purpureosque flores, & dolorem pectoris his officiis consolantur. *Prudentius Hymno* 10 *in exequiis defunctorum:*

Nos tecta fouebimus ossa
Violis & fronde frequenti.

Vbi Ioannes VVeitzius adducit Desiderium Heraldum lib. 1. *Aduersarior. c.* 6. *Iacobum Pontanum Progymnasmatum volum.* 3. *pag.* 2. *fol.* 879. *& seq. Franciscum Bencium Orat.* 26. *de Sepulturâ Romanorum: & ego addo Thomasium Porcacchium de Funerali pompâ antiquâ, sermone Italo conscriptâ, in tabulâ sepulchrali* 3. *fol.* 11. *Petrum Bacherium in Apologetico pro defunctis cap.* 13. *pag.* 222. *nouissimè Iulium Lauorium de Prisco & recenti funerandi more, tit.* 2. *cap.* 1. *à nu.* 115. *Agmen claudat Miles ille strenuus litterarius noster D. Ludouicus de Gongora, qui variis stellarum notis, veteris splendoris plenis, scripta variegabat sua, antiquis comparandus meritò:*

Sus vestidos conseruan, aunque rotos,
Algunos celestiales Cortesanos,
Guarnecelos de flores, forastero.

Illud denique non abs re visum obseruare, Romanos serere solitos stirpes & flores in tumulis eorum, qui de se benemeriti. Theophrastus lib. 6. *Histor. Plant. cap.* 7. Item quod desiderium [πόθος] vocant: cuius genera duo sunt; vnum, cui flos hyacintho similis; alterum decolor, album, quo in sepulchris vti mos est. & diuturnius verò idipsum est. *Plinius item lib.* 21. *Nat. Histor. cap.* 11. Sed maximè spectabilis pothos. Duo genera huius; vnum, cui flos hyacinthi est; alterum candidius, qui ferè nascitur in tumulis, quoniam fortiùs durat. *Ex Theophrasto Athenæus lib.* 15. *Dipnosophistarum ex vltimâ editione Isaaci Casauboni fol.* 679. *Iacobus Dalechampius in Annotationibus posterioribus, cum Isaaci Caupani Commentariis nuper editis,* pothum *esse* iasminum (iazmin *apud Hispanos*) *aliquos autumare ait. Alluxit huc Persius Satyrâ* 1. *versu* 53.

Nunc non è tumulo fortunatâque fauillâ
Nascentur violæ? ——

Ad quem locum Theodorus Marcilius.

A. Ω.] *Hæc signa seu notæ in sepulchris antiquitus apponebantur, ad denotanda ea Catholicorum, non Arianorum, esse. Fuit namque insigne labari Constantini Magni, vt passim est obuium. Christus namque Dominus noster, qui* principium *&* finis *est, hisce litteris primâ & finali Alphabeti Græci, suam ostendit Diuinitatem æqualem, Patris cum Diuinitate.* Ego sum (*Apoc. cap.* 1.) alpha & omega, principium & finis. *Quam Ariani negabant. De hac interpretatione, & hocce Hispanorum more vsitatissimo tempore Gotthorum, testatur Ambros. de Morales lib* 11. *Histor. cap.* 41. *pag.* 48. *Don Franciscus de Padilla in Historiâ Ecclesiast. Cent.* 4. *cap.* 49. *fol.* 249. *pag.* 2. *Nouissimè latè, & ad res Hispanas benè, animaduertit Gundisaluus Argote de Molina lib.* 1. *de Nobilit. cap.* 47. *pag.* 39. *& Quintana in suo Madridio lib.* 1. *cap.* 48. *cui dederunt ansam ad huiusmodi Antiquitatem in lucem eruendam celebres Versus inscripti supra alteram portarum Ecclesiæ S. Ioannis Madridiensis, quos transscribere operæ pretium duxi:*

Condita mille annis maneo, sacrata trecentis,
In labaro Ariada A negat, Ωque negat.
En graue Quintus onus Paulus tenet Vrbis & Orbis,
Tertius hæc & Iber sceptra Philippus habet.

Obseruaui in meo Itinerario, die quâ Carrionem appuli, cùm legatione Regiâ fungens Lutetiam cogitabam Parisiorum, & ex iis, quæ ibidem scripsi, constabit, etiam in magnorum virorum sepulchris insculptas has notas: nam in sarcophago

Comitum Carrionis in ipſomet ſtemmatum ſcuto inueni hoc ſacrum inciſum ſignum ☧. Atque id in Regiis itidem Diplomatibus obſeruaui: & notat Argote vbi ſuprà. quod vt pateat, ſignum & confirmationis rotam incidi curaui. En accipe:



Hoc LABARI *Signum, et Confirmationis* ROTA *conſpiciuntur in quodam Privilegio [quod, ab eâdem Rota, vulgò vocant* Rodado*] Sancti Regis Caſtellæ Ferdinandi III. exarato Guadalaxaræ Die XX. Septemb. Aera* CIↃ CCLXIV. *[hoc eſt Anno* CIↃ CCXXVI*] vbi confirmat Donationem Domuum et Vinearum, quas dedit Virgini Maximæ, ceteriſque Virginibus Monaſterij S. Dominici de* Madrid, *Dominus Aegidius Preſbiter S. Aegidij de* Guadalaxara, *et vt, hæreditario jure, habeant, perpetuò et poſſideant, cavit, conceſſit,* REX

Et, quod mirere magis, in collariis fugitiuorum apud Laurentium Pignorium in libello de Seruis pag. 21. vbi ait, id Romæ vidiſſe ſe inter Antiquitates à Læl. Paſchalino obſeruatas:

TENE ME. QVIA FVGI. ET
REVOCA ME DOMINO MEO
BONIFACIO LINARIO.
A ☧ Ω X.

Cùm enim deformare faciem ſeruorum inter Catholicos prohibitum, ne imago ad

ad ſimilitudinem pulchritudinis cæleſtis figurata macularetur, vt reſcripſit Imp. in l. Siquis. *C. de Pœnis. & eruditè obſeruat Petrus Oſtermannus in Commentario iuridico ad l.* Stigmata. *C. de Fabricenſibus, ſect. 4. pag. 9. compendiariâ quadam viâ ſe Catholici præcauebant; & eumdem aſſequebantur finem, ac ſi ſtigmate eos deformarent, legiq; parebant: & vt fidei teſſeram darent, collaria hiſce variegabant notis.*

Lucernæ etiam ſacris vſibus deſtinatæ hoc Chriſti Domini noſtri ſignabantur charactere. Vt enim antiqui Romani lucernis accenſis idolorum cultum manifeſtabant, quarum Plinius meminit lib. 34. cap. 3. ita Chriſtiani, ſuis in Oratoriis, iis etiam vtebantur; idololatriæ ritus, vbi Fidei non repugnabant, paulatim detorquentes & expiantes. Obſeruaui iamdiu in meo Pentecontarcho cap. 26. & 49. Lucernæ iconem propono ex ſacrorum Elæochriſmat. Myrothecio Fortunati Scacchi lib. 1. cap. 7. Tom. 1. vnde plura & docta pete.



Vnum hic non omittam, quod ad rem non leuâ conducit manu, litteram A *fuiſſe reuelatam ſub triangulari figurâ, hoc pacto* Δ; *quando primum Alphabetum mortalibus hominibus à tempore Adæ tradidit Deus: quod his teſtatur verbis Ioannes Martinius Siliceus, Archiepiſcopus Toletanus, in libro de Diuino nomine* IESVS, *cap. 3. pag. 22. vnde magno declarat myſterio locum ſuprà adductum D. Ioannis Apocal. cap. 1.* In figuris polygoniis *(inquit) hoc eſt,* plurium angulorum, prima figura eſt littera Δ, id eſt, triangulus æquilaterus; vltima, ſed non polygonia, eſt littera O, quæ omnium figurarum eſt capaciſſima. Nemo Chriſtianorum intra ambitum litteræ O recipietur, ſi non fecerit priùs moram in litterâ Δ; quæ principium eſt & fundamentum Chriſtianæ Religionis: in quo principio vna eſt eſſentia, & tres perſonæ. Qui ergo accedere cupit ad Deum infinitum & capaciſſimum

per litteram O significatum, oportet priùs credat ipsum esse vnum & trinum: vnum in essentiâ, & trinum in personis, quod per litteram Δ diximus designatum. *Hactenus Archiepiscopus.*

DCC.XIX. DC.LXXXI.

136. Hoc anno, VIII. Kalend. Ianuarij, in æde S. Mariæ Toletanæ Maioris, sanctus vir Iulianus, iam factus Presbyter, præsentibus omnibus * suæ nouemdecim Metropolis Episcopis, Palatinis, & Flauio Eruigio Rege, consecratur.

*al. suis nouemdecim Metropolitanis

137. Anno II. Regis Eruigij, v. Idus Ianuar. habita est in vrbe Regiâ Toleto, in Basilicâ SS. Apostolorum Petri & Pauli, Synodus Toletana, præside Metropolitano vrbis Regiæ Iuliano, Primate Hispaniarum, Iulianoque Sedis Hispalensis Episcopo, Liubâ Bracharensi, Stephano Emeritensi, Argebato Illiberitanæ ciuitatis Episcopo, viris doctissimis sanctissimisque: admisit alios triginta Episcopos, Vicarios tres, Abbates quatuor, Palatinos quindecim.

138. Isidorus Setabitanus, qui interfuit Concilio XVI. Toletano, composuit ordinem Concilij, & collectionem Conciliorum, quæ dicitur *Isidori peccatoris*, vel *Mercatoris*, in Chronico; quo cognomento vocatus est Isidorus super Isidori nomen.

P. H. 136. *Consecratus est in Ecclesiâ S. Mariæ S. Iulianus* VIII. *Kalend. Ianuarij, ipso die sanctissimo Natalis Domini anno* DC.LXXX. *qui incidit eo anno in diem Lunæ, cùm fuerit littera Dominicalis A.*

P. H. 137. *Concilium* XII. *Toletanum anno* II. *Regis Eruigij collectum Toleti* V. *Id. Ianuar. Rodericus collectum ait* V. *Id. Maij. Sic ille lib.* 3. *cap.* 12. Hic *(scilicet Eruigius)* anno Regni sui II. procurauit fieri Concilium XII. Toletan. V. Id. Maij, in quo fuerunt XXXV. Episcopi cum inæstimabili Clero, & Christianorum collegio laicorum: & hoc Concilium fuit sub Iuliano vrbis Regiæ Primate; & subscripserunt Iulianus Hispalensis, Liuba Bracharensis, Stephanus Emeritensis, & Suffraganei, & Vicarij absentium Prælatorum. *Nihil hîc de Abbatibus, nihil de viris Palatinis. Felix in Vitâ Iuliani:* Iulianus nactus est præfatæ vrbis Primatum. *Emphaticè dictum est,* Præfatæ vrbis Primatum. *quasi penes illam totius Hispaniæ resideret Primatus.*

D.L. *De* Liubâ Bracharensi *vide Illustriß. D. Rodericum de Acuña in Catalogo Archiepiscoporum Bracharensium cap.* 97. *pag.* 404.

DCC.XXI. DC.LXXXIII.

Pridie Nonas Nouembr. anno eiusdem Regis IV. habita est
139. Synodus decimatertia Toletana sub eodem Iuliano, à vigintiocto Episcopis, octo Abbatibus, vigintisex Palatinis, vigintiseptem
*al. Gratinus Vicariis Episcoporum absentium; & inter hos * Gratianus Presbyter, & Vicarius Argebadoni Illiberitani.

P. H. 139. *De Synodo* XIII. *Toletanâ ex Roderico vbi suprà: habita est* IV. *anno Regis Eruigij. Fuit quadraginta & octo Episcoporum.*

DCC.XXII. DC.LXXXIV.

140. Anno V. Regis Eruigij, in æde Prætoriensi suburbanâ sanctorum

rum Apostolorum Petri & Pauli, eodem præside, habita est decimaquarta Synodus Toletana.

140. *Habita est anno* V. *Regis Eruigij impleto* IV. *& ingressi in* V. *per sex dies; hoc est,* XX. *Nouembr. &, vt notat D. Rodericus* XII. *Kalend. Decembr. die Dominico habita est: nec dies, nec quòd dies esset Dominicus, est in M.S.*

DCC.XXIII. DC.LXXXV.

141. *....scribit ad Episcopos Hispaniæ, ad Eruigium Regem, & ad Toletanum Pontificem, Comitemque Simplicium, de Concilio sexto Constantinopolitano recipiendo.

*D. L. *deest* Leo II. Papa

DCC.XXIV. DC.LXXXVI.

142. Benedictus Papa, adhuc electus, scribit * Petro Regionario.

*D. L. *deest* de recipiendâ eâdē VI Synodo generali.

143. Patres Concilij decimiquarti Toletani scribunt Apologeticum à S. Pontifice Iuliano compositum; in eoque Concilio approbant, quod senserat & scripserat sanctus Pontifex Iulianus.

144. Quando Legati Concilij decimiquarti Toletani ferentes Apologeticum, venerunt cum illo Romam, vbi erat Papa Benedictus. Legatorum nomina hæc sunt: Benedictus Presbyter, Innocentius Diaconus, Constantinus Subdiaconus, [a] pòst Episcopus Pacis Augustæ, [b] Vincentius Episcopus Dumiensis, [c] Constantinus Egabrensis .....

[a] *in aliis,* Benedictus fuit postea Episc. Pacis Aug. [b] *al.* Innocēt. [c] *al.* Constantius Egitanensis.

145. ..... Papa posuit Canones Concilij XIV. Toletani in conspectu S. Petri.

D. L. *deest* Ioannes V. *hic enim Benedicto successit.*

146. S. Asodi, vel Asodani, corpus, passi Gazæ, transfertur Romam: & Antiquariæ in Bæticâ durat memoria Cornelij Proculi, & Cornelij Bassi, Pontificum cæsorum, à discipulis S. Iacobi ad fidem conuersorum.

143. Patres Concilij XIII. Toletani, *&c.*] *Vide num.* 144. *&* 149. *& Iulianum in Chronico, num.* 361. S. Iulianus *(inquit)* mittit Apologeticum cum expositionibus ad Papam Sergium, & Carmina ad Imperatorem Heraclium Iustinianum in laudem ipsius. Respondent illi eleganti epistolâ. *Sic legendum ex nostro Luitprando dicto num.* 149. *ibi:* Et ab vtroque litteras accepit. D.L.

DCC.XXV. DC.LXXXVII.

147. Hoc anno Rex Eruigius, positus Toleti in vltimâ ægritudine, posuit in Regni solio glorioßissimum filium, vel generum, Egicanem, die XVII. Kalend. Decembr. Feriâ V. & alterâ die Feriâ VI. id est, XVI. Kalend. Decembr. accepit pœnitentiam, & à iuramento fidelitatis & obedientiæ sibi præstito absoluit omnes Seniores; qualiter dicti Seniores accederent ad accipiendum in Dominum & Regem dictum Principem Egicanem, vt acciperent, & iurarent; accipiente iuramentum Regium, vel pro Rege, Domino Iuliano,

liano, Toletano Primate. Vnctus autem est sub eodem Patriarchâ in æde sanctorum Petri & Pauli intra vrbem VIII. Kalend. Decembr. & coronatus est ærâ DCC.XXV. in præsentiâ multorum Præsulum, Abbatum & Palatinorum.

P. H. 147. *De Eruigij cessione Regni, & collocatione in regio throno Gotthorum Egicanis filiæ suæ coniugis, eiusq; generi, sic S. Iulianus in paruulo Chronico:* In quo die in vltimâ ægritudine positus, elegit sibi successorem in Regno glorioſum nostrum Dominum Egicanem; & alterâ die, quæ fuit XVII. Kalend. Decembris die, sextâ Feriâ, sic idem Dominus Eruigius accepit pœnitentiam, & cunctos Seniores absoluit, qualiter coram dicto Principe glorioso Domino Egicane ad sedem Regni sui in Toleto accederent. *Hæc sanctus Iulianus. Sic Iulianus de vnctione Egicanis Regis:* Vnctus est autem Dominus noster Egica in Regno in Ecclesiâ SS. Petri & Pauli Prætorienſi, in die VIII. Kal. Decembr. die Dominico Lunæ XV. ærâ DCC.XXV. *Hæc ille.*

DCC.XXVI. D.C.LXXXVIII.

148. Anno primo ineunte Regis Egicanis, V. Id. Maij habita est Toleti decimaquinta Synodus in Ecclesiâ Prætorienſi, id est, Suburbanâ, versus Septemtrionem, SS. Apostolorum Petri & Pauli, præsente eodem Toletano Primate Iuliano, Suniefredo Narbonenſi, Floresindo Hispalenſi, Faustino Bracharenſi, Maximo Emeritenſi, Ioanne Sedis Illiberitanæ, & aliis LV. Episcopis, XI. Abbatibus, Vicariis Episcoporum V. & XVII. viris Palatinis.

P. H. 148. *De decimaquintâ Synodo Toletanâ habitâ sub Rege Gotthorum Egicano, sic Rodericus lib. 3. cap. 14. his verbis:* Huius tempore *(scilicet Egicanis)* inguinalis plagæ necessitas inualuit in Prouinciâ Narbonenſi: occasione cuius ad Narbonenſem Cathedram Episcopi pertinentes à Toletano Concilio excusantur; ita tamen, quòd eiusdem sacri Concilij instituta in singulis Cathedralibus Ecclesiis nuntientur & admittantur: & siquis Episcoporum hoc non fecerit, & anathemate feriatur, & quintâ bonorum parte mulctetur. Anno Regni eius primo, quintumdecimum Concilium celebratur in Ecclesiâ Prætorienſi SS. Apostolorum Petri & Pauli, omnibus Hispaniæ & Galliæ Episcopis aggregatis, beatæ memoriæ Iuliano clarescente sub sexagenario numero Episcoporum, & multiplici Christianorum collegio in circuitu assistente. In quo pro diuersis caussis, & absolutione iuramenti quod præfato Principi Eruigio noxialiter fecerat, expoſcit Synodum, vt soluerētur à iuramento. Eius tempore librum de tribus substantiis, quem dudum Romam miserat Primas sanctissimus Iulianus, & minùs cautè tractando Benedictus Papa Romanus indixerat reprobandum, ob id quòd voluntas genuit voluntatem, S. Iulianus veridicis testimoniis in hoc Concilio ad exactionem præfati Principis, per oracula eorum quæ Romam transmiserat, verum esse firmauit, & Apologeticum fecit, & Romam misit per suos Legatos Presbyterum Diaconum, & Subdiaconum, viros eruditissimos, & in omnibus Dei seruos, & in diuinis Scripturis imbutos, cum versibus etiam acclamatoriis, secundùm quod & olim transmiserat de laude Romani Imperatoris. quod Roma piè & dignè recipiens, cunctis legendum indixit; atque Imperator acclamando, Laus tua Deus in fines terræ, lectum sæpè notum

notum fecit: qui & rescriptum Domino Iuliano per suprafatos Legatos cum gratiarum actione, & cum honore remisit; & omnia quæcumque scripsit, iusta & pia esse deprompsit. Et fuit hoc quintumdecimum Concilium Toletanum, celebratum anno primo Regis Egicæ, V. Id. Maij sub Iuliano, vrbis Regiæ Primate; & subscripserunt Senfredus Narbonenſis, Floresindus Hispalenſis, Faustinus Bracharenſis, Maximus Emeritenſis, Metropolitani, & Sisuldus, Vicarius Cypriani Tarraconenſis, & alij Vicarij Episcoporum, qui non venerant caussâ legitimâ impediti; & fuerunt præter Vicarios sexaginta vnus.

Sed videamus quid de hoc dicat etiam Iulianus Archipresbyter S. Iustæ in Ecclesiâ Toleti. Sic in Chronico anno DC.LXXXIX. *quod multam lucem afferet huic Historiæ, & pietas ac obedientia Hispanorum declaratur.* Misit Leo Papa II. anno DC.LXXXIII. Episcopis Hispaniæ cum Petro Regionario Concilium sextum Constantinopolitanum, petens, vt illud illi confirmarent. Et Episcopi miserunt Apologeticum cum Nuntiis, quos infrà nominabimus, à S. Iuliano factum, vbi dicebat, Voluntas genuit voluntatem; & constare Christum tribus naturis vel substantiis. Obierat iam Papa Leo, & successit illi Benedictus; qui ante consecrationem suam sic scripsit Petro Regionario: Benedictus Presbyter, & in Dei nomine electus sanctæ Sedis Apostolicæ, Petro Notario Regionario: Iuxta quod tuam strenuitatem Apostolicæ memoriæ Dominus Leo Papa Hispaniam prouinciam ire disposuit ad præexcellentissimum & Christianissimum Regem, & sanctissimos Archiepiscopos, & Ecclesiarum omnium Præsules ibidem constitutos, simul & glorioſum Comitem, pro innotescendâ venerabilis sextæ Synodi definitione, acclamatione quoque, quæ & prosphoneticum dicit Reuerendissimorum Episcoporum, qui in eodem à Deo congregato Concilio conuenerunt, ad clementissimum Principem; & edicto eiusdem piissimi Principis vbique generaliter destinato, pro Apostolicæ nostrę fidei firmitate cum summo pietatis studio commissum ministerium perage: subscriptiones quoque Reuerendissimorum Episcoporum post eamdem Synodum ac definitionem cum summâ sedulitate atque vigilantiâ procura subiungi; vt eidem Reuerendissimi Episcopi, omnisque per eos religiosa prouincia, consortes nobiscum Catholicæ atque Apostolicæ traditionis & fidei comprobent; & apud Deum, ad cuius gloriam laus & stabilitas fidei Christianæ redigatur, commendatio eius atque susceptio ad salutem animarum proueniat. Officium perinde pietatis assumptum vigilantiâ atque diligentiâ condecoraris, festina perficere; quia & tibimetipsi thesaurizas boni operis fructum, & suscipientibus prouides cælestis regni beatitudinem per rectæ atque Apostolicæ fidei confessionem adipisci. *Alias misit ad Quiricum, iam tamen ad Monasterium profectum. Porrò Papa Benedictus accepit litteras, & Apologeticum S. Iuliani. Quippe nouus Papa Benedictus offensus est nouitate vocum, scilicet,* quòd Voluntas genuit voluntatem, & quòd Christus constaret ex tribus naturis, *vel* essentiis: *scripsit ad illum comiter, & verbotenus iussit latori, vt illum admoneret de propositionibus. Videns sanctus Doctor aliquos scandalizatos esse nouitate harum vocum, ad ipsum Papam misit libellum responsorium cum Petro Regionario Notario, & simul quædam carmina de Imperij laude; quæ ego excerpsi ex operibus S. Iuliani. quæ sunt huiusmodi:*

Latiùs Imperij maiestas præterit orbem,
Si pietas adsit, peruolat astra super.
Cæsaris ensis enim debet defendere Sedem
Immotam Petri, cui Deus ipse præest.

A quo ſuſcepit vires tituliſque cacumen,
Nónne illi, ô Cæſar, ferre decebit opem?
Romani decus Imperij iuga Regibus infert:
Illud agit populos, Gentibus illud adeſt.
Iuſtiniane tuæ frangatur robore dextræ
Barbarus omnis iners, perfidus omnis homo,
Cæſare te celebres portet noua Roma triumphos,
Nomen ei inuideat nobile Roma vetus.
Cæſare te referat virides Eccleſia lauros,
Portet ab hæreticâ conditione decus.
Et Monothelitæ ſubdant colla impia, Papa
Paſtor ſancte, tibi, clauigeroque Petro.
Vincat, & æternâ Sedes ſacra pace fruatur,
Cæſare te teneat Iuſtiniane ſolum.
Viue diu, Cæſar; quæ dat Benedictus, adora
Iuſſa libens, felix ſic quoque Cæſar eris.

Reſcripſit Iuliano, & adhuc mordet; & iuſſit Iulianum, communicato conſilio ſuo cum Rege Egicane, cogi Toleti Concilium Epiſcoporum Gentis Gotthicæ, & ſuæ, nationale & vniuerſale, I. *anno Regis Egicanis: & illic lectis Epiſtolis explicuit ſe, & fecit alium Apologeticum cum carmine in laudem ſancti Papæ Sergij, qui ſucceſſerat poſt alios Benedicto anno* DC.LXXXVII. *miſſis etiam tribus viris ſapientiſſimis ſanctiſſimiſq. ex Clericis S. Eccleſiæ Toletanæ, vt res tanta poſtulabat, ſcilicet Felice Archipresbytero, Vliſando Archidiacono, Muſairo primiclerio vel Subdiacono, cum litteris, & libro Apologetico, ac carmine. Lectis litteris ac libro, approbauit eum ſanctus Papa Sergius, & legendum omnibus dedit: & actis gratiis de labore & pietate, remiſit cum reliquiis, & ſuâ benedictione Nuntios cum litteris reſponſalibus. Carmina hæc ſunt deprompta ex eiuſdem S. Iuliani Epigrammatis, quæ ſunt in libro M. S. S. Iuſtæ:*

Ad te mitto libens codicem, ſanctiſſime Sergi,
Qui regis innumeras & moderaris oues.
Inclyta peruaſit nos laudum fama tuarum,
Quòd bonus & clemens ſis, pietatis amans.
Pectore, voce refers viuendique ordine Chriſtum,
Cuius & in terris fungeris officio.
Viue diu nobis, & mundo, candide Sergi;
Cui Iulianus ouans oſcula dat pedibus.
Accipe clementi, Sergi ſanctiſſime, vultu
Scripta mea; excubias corrige, Papa, meas.
Perlege quodcumque eſt, quod epiſtola noſtra docebit,
Atque animo exiles curre labente notas.
Eſt cenſura Dei tua, quidquid dixeris ipſe,
Hoc Deus in cælo duxerit eſſe ratum.
A Domino Chriſto ſumma eſt conceſſa poteſtas,
Claudere qui cælos, & reſerare, vales.
Ergo Pater Sergi, paruo benedicito fratri,
Vt fluat in noſtrum gratia larga caput.
Regis Egicani, populi memorare fidelis,
Pontificum benedic plebibus inde tuis.
Rore tuo vernabit ager Hiſpanus abundè,
Catholicamque colet tempus in omne fidem.

Quam

Quam fera tempeſtas Phlegethontis turbine nulla
Auferet ex linguis pectoribuſque piis.
Hei mihi, quàm timeo ne nos malus implicet error,
Demur & infandis Gentibus opprobrio.
Africa plena viris bellacibus arma minatur,
Inque dies victrix gens Agarena furit.
Ne meus iſte metus ſit verus, vindice Chriſto,
Ora pro populis, optime Papa, tuis;
Vt Deus auertat noſtrâ à ceruice ſecurim,
Detque pius veniam, te lacrymante, reis.

Vtriuſque Apologetici meminit Felix, Archiepiſcopus Toletanus, in Vitâ ſancti Iuliani, his verbis: Apologeticum fidei, quòd Benedicto Romanæ vrbis Papæ directum eſt. Item aliud Apologeticum de tribus capitulis, de quibus fruſtrà Romanæ vrbis Præſul viſus eſt dubitaſſe. *Nec alibi poſſe puto meliùs Hiſtoriam colligi rerum iſtarum, quàm ex Conciliis* XIV. *&* XV. *Toletanis: vbi omnia ſatis abundè declarantur. Nam in* XIV. *Can.* 4. *ſic:* Placuit proinde illo tunc tempore, Apologeticæ defenſionis noſtræ reſponſis, ſatisfacientes Romano Pontifici, & ipſa geſta firmare, noſtræque fidei ſenſum puriſſimâ verborum enodatione depromere. Et quia illic de hac geminâ voluntate & operatione IESV CHRISTI Filij Dei copiosè & dilucidè inſigniunt, quæ vera ſunt, quæ iam vtique Romanis partibus per Legatos Hiſpaniæ deſtinata ſunt. *Et in Concilio* XV. Poſt confeſſionem fidei, ad illa nos illicò conuertimus contuenda capitula, pro quibus muniendis ante hoc biennium B. memoriæ Romanus Papa Benedictus nos litterarum ſuarum ſignificatione monuerat. Quæ tamen non in ſcriptis ſuis annotare curauit; ſed homini noſtro verbo renouranda iniunxit: ad quod illi iam eodem anno ſufficienter congrueque reſponſum eſt. Nos tamen nunc eamdem renotationem hominis noſtri ſtudioſius relegentes, inuenimus, quòd in libro illo reſponſionis fidei noſtræ, quem per Petrum Regionarium Romanæ Eccleſiæ miſeramus, id primum Capitulum iam dicto Papæ incautè viſum fuiſſet à nobis poſitum; vbi nos ſecundùm diuinam eſſentiam diximus, Voluntas genuit voluntatem, ſicut & Sapientia ſapientiam; quod vir ille incuriosâ lectionis tranſcurſione præteriens, exiſtimauit hæc ipſa nomina, *&c. Hæc ex ipſo S. Iuliano. Ex quibus colligitur, paulò ante biennium profectum eſſe Romam Petrum Notarium Regionarium, qui attulit Apologeticum S. Iuliani: quod Papa Sergius diligenter lectum approbauit; & Magiſter Sententiarum citat eius nonnullas partes.*

Anno DC.XC. *pridie Nonas Martij, qui dies incidit in diem Dominicam, S. Iulianus, Archiepiſcopus Toletanus, Doctor egregius, mortuus eſt. Sepultus eſt in Baſilicâ S. Leucadiæ, vt prædeceſſor.*

DCC.XXVII. DC.LXXXIX.

Hoc anno miſit Dominus Iulianus, Toletanus Archiepiſcopus, 149.
Hiſpaniarum Primas, Concilium, Decreta & Carmina ad Papam Sergium, & Imperatorem; & ab vtroque litteras accepit.

Hoc anno habita eſt ſancta & vniuerſalis Synodus Nicæna 150.
CCC.L. Epiſcoporum contra hæreticos Iconomachos.

149. Hoc anno miſit Dominus Iulianus.] *Diximus ſuprà ad num.* 143. D.L.

151. Hoc anno, postridie Nonas Martij, obiit Toleti sanctus & sapientissimus Pontifex Iulianus, qui inter alia scripsit Chronicon Regum Wisigotthorum, ab ærâ CCCC.L. ad tempora Regis Egicanis. Cetera addidere Felix & Guntericus, Archiepiscopi Toletani. Sepultus est sanctus Pontifex Iulianus in æde S. Leucadiæ: quæ domus illius fuit. Posuit ei Felix, Episcopus Toletanus, hoc Carmen sepulchrale:

Assequeris sanctum in Cathedrâ Iuliane Quiricum,
Optimus in vitâ, clarus in eloquio.
Vita decens, & larga manus, & cura fidelis,
*Atque Dei *zelus, iudiciúque iubar,* *al. cœtus,
Fecit vt Hispanæ Genti sat amabilis esses,
Ordinibus cunctis, plebibus, atque viris.
Deseris ecce solum; sed te Deus intulit astris:* *al. heu! solium?
Et tua sat tanto vita beanda loco.
Inter Apostolicos resides, Iuliane, maniplos,
Robur Apostolicum conficis, atque decus.
Felicis memorare tui, Pater alme, Leuitæ,
Vt prece sit dignus seruus honore tuâ.
En tua membra damus tumulo: Leucadia ciuis
Corporis est custos: hîc sua cuna fuit.

A ☧ Ω

152. *Obiit in pace sanctissimus Pontifex Toleti Iulianus * pridie Non. Mart. Sedit in Patriarchali Solio annos* X. *menses* II. *dies* IX. *decessitque glorioso Regis Egicanis anno* V. *ærâ* DCC.XXVIII. *Felix Leuita, qui succedit in eâdem Sede.* * al. *postridie*

153. In eo tempore fuerunt in Hispaniâ decem linguæ, vt sub Augusto & Tiberio: I. Vetus Hispana, II. Cantabrica, III. Græca, IV. Latina, V. Arabica, VI. Kaldæa, VII. Hebræa, VIII. Celtiberica, IX. Valentina, X. Cathalaunica: de quibus in III. lib. Strabo, vbi docet, plures fuisse litterarum formas, & linguas in Hispaniis.

154. Hoc anno, Kal. April. in templo S. Mariæ, præsentibus Suffraganeis Episcopis, consecratus est Episcopus Tolet. Sisebertus (vt quidam volunt) Abbas, acutus ingenio, mediocri litteraturâ, sed Regiâ cognatione, cum Wambane Rege coniunctus, valdè arrogans, & rerum nouarum studiosus; licet fuerit in fide Catholicâ stabilis, & acris eius defensor; ideoque à dignitate posteà amotus.

P.H. 151. *Hoc eodem anno, scilicet* DC.XC. *consecratus est in Sede S. Mariæ Sisbertus (vt quidam volunt) Abbas Benedictinus, in Archiepiscopum Toletanum, loco S. Iuliani Pontificis Toletani, Feriâ* VI. *Octauâ Incarnationis Dominî nostri Iesu Christi.*

153. In

153. In eo tempore fuerunt in Hispaniâ decem linguæ, *&c.*] *Adducit Strabonis locum, vt confirmet ea quæ tradit, videlicet, variis linguis locutos esse in Hispaniâ eius habitatores: & idem tempore Augusti & Tiberij Cæsaris (sub quo floruit Strabo) contigisse, qui ex recensione Isaaci Casauboni talis est lib.* 3. Hi *(Turdetani)* omnium Hispanorum doctissimi iudicantur, vtunturque Grammaticâ, & Antiquitatis monumenta habent conscripta, ac poëmata, & metris inclusas leges à sex millibus (vt aiunt) annorum. Vtuntur & reliqui Hispani Grammaticâ, non vnius omnes generis: quippe ne eodem quidem sermone; *meliùs, qui vertunt* linguâ. *Græcè sic:* Καὶ οἱ ἄλλοι δ' Ἴβηρες χρῶνται γραμματικῇ, ἐ μιᾷ ἰδέᾳ, ἐδὲ γὰ γλώττῃ ἰδίᾳ. *Hunc adduxit Scriptorem P. Ioannes Mariana de Rebus Hispan. lib.* 1. *cap.* 5. *ad firmandam eamdem rem. Ideò dixerat doctissimus D. Alfonsus de Madrigal, Abulensis Episcopus, in Paralipom.* 1. *cap.* 1. *q.* 5. Quia Tubal vnicum idioma habuit, vnicam gentem nominauit, cùm dicatur de omnibus istis Geneseos X. Quòd omnes in suis linguis fuerunt, id est, quilibet habuit vnum idioma distinctum ab alio; & tamen in Hispaniâ fuerunt multæ linguæ à principio, & sunt: ideò quòd non solus Tubal terram istam habitaret, sed aliæ gentes cum eo venirent. *Duo hinc elicio: principale idioma gentis Tubal, fuisse & communè natiuumq; Hispanis: secundò, secum alias gentes alterius idiomatis adduxisse, quæ diuersis etiam differebant linguis; vnde in Hispaniâ plura idiomata erant. Primum etiam confirmo ex eiusdem Episcopi Abulensis auctoritate, quam magni facio; & meritò. In secundæ partis cap.* 25. *ad Eusebij Chronicon Commentario nostrâ linguâ scripto sic ait:* Es de considerar, que, como los Auctores ciertos dizen, España fue poblada de Tubal, hijo quinto de Iaphet, el qual en el derramamiento de las gentes, quando las lenguas se repartieron, vino con mucha gente de su lengua, que es aora la nuestra, aunque mucho limada è alterada de aquella primera condicion. *M. Maximi testimonium anno Christi* D.XIV. *quas turbas dedit! cuius verba:* Præter linguas, Latinam, Cimbricam, Gotthicam, in Hispaniâ erat lingua Cantabrica, & politior natiua Hispana, quæ copiâ verborum, elegantiâ & tumore, à Cantabricâ differebat. *Doctis sanè & laboriosis chartis docuit nos V. C. D. Gregorius Lopez Madera in secundâ editione Hispan. Monarchiæ cap.* 13. *Dixerat de his etiam doctissimus Bernardus Ioseph de Aldrete in Origine linguæ Hispan. lib.* 2. *cap.* 15. *Iterumq; magnum se cogitat exhibere athletam in eodem magno & admirando eruditionis spectaculo, non tamen in eamdem descendet arenam: & nouissimè omnia congerit & digerit, subtiliq; ingenio & magno iudicio scribit in Commentariis ad M. Maximum, vt nihil vltrà desiderari aut inueniri possit Addam aliud ex Iuliani Chronico num.* 376. *quo non lac lacti similius:* Loquebantur Muzarabes linguam Hispanam consuetam, & Gotthicam: præcipuè Toletani, qui politiores erant ceteris, nitorem linguæ vernaculæ natiuum inter Mauros obseruauerunt. Hæc à Tubale principium habuit; in contractibus & sermone vulgari cum Saracenis linguâ loquebantur Arabicâ, inter se sermone Gotthico vel Hispano vetusto *loquebantur. *Dixit, Toletanos ceteris esse politiores: quod diu obseruatum, & vsque ad hæc nostra tempora. Rex etiam Alfonsius, Sapiens nominatus, in curiis Toleti coactis iussit, si oriretur dubium circa alicuius vocabuli notionem antiqui Hispani, standum fore interpretationi, quam Toletani assignarent. Refert D. Franciscus de Pisâ* 1. *parte Descriptionis Toleti lib.* 1. *cap.* 35. *fol.* 56. *col.* 3. *priùs Alcoçer in Hist. Toleti. Legem verò de hac re loquentem in septem Partitis non me legisse memini, quamuis vulgò asserant inueniri.* * al. vtebantur.

DCC.XXIX. DC.XCI.

155. Kalend. Nouembr. hoc anno Regis Egicanis IV. habita est Synodus in vrbe Cæsarauguſtanâ.

DCC.XXX. DC.XCII.

156. Siſebertus veſte, quam beatus Ildefonſus diuinitus acceperat, contradicente Clero Toletano, vult indui; & præcipitatus amentiâ, contra Regem nouis rebus ſtudet.

P. H. *155. De Synodo Cæsarauguſtanâ memoria est in D. Garsiæ Loaysæ Conciliis Kal. Nouembris die Dominicâ, ærâ* DCC.XXIX. *hoc est, anno Christi* DC.XCI. *anno* IV. *Regis Egicanis.*

P. H. *156. Siſebertus voluit induere veſtem, quam B. Virgo S. Ildefonſo tradiderat. Quòd induit cappam, dicit P. Doctor Mariana cap.* 18. *lib.* 6. *Gariuay lib.* 8. *cap.* 44. *ſed Cixilla non hunc induiſſe veſtem, ſed inſediſſe cathedram eburneam, in quâ Virgo ſanctiſsima præſederat. Subiiciam verba Cixillani Epiſcopi Toletani, quæ ſunt hæc:* Reperit in cathedrâ ipſam Dominam ſedentem, vbi ſolitus erat ipſe reſidere, & populum ſalutare: quam cathedram nullus Epiſcopus adire tentauit poſteà, niſi Dominus Sisbertus: qui ſtatim ipſam perdens, exilio ablegatus eſt. *Hinc cœpit in barathrum malorum incidere.*

Die Veneris II. *Maij anno* VI. *Regis Egicanis, anno Christi* DC.XCIII. *priuatus est Sede rebusq; Sisbertus, & in exilium ad ergaſtulum ſui Ordinis pulſus. de quo ſic in cap.* 9. XVI. *Concil. Toletani, in hunc modum:* Vnde Sisbertus, Toletanæ Sedis Epiſcopus, talibus machinationibus denotatus repertus eſt: pro eo quòd Sereniſſimum Dominum noſtrum Egicanem Regem non tantùm Regno priuare, ſed & morte cum Flogello, Theodemiro, Liubilane, Liubigithone quoque, Teclâ & ceteris, interimere definiuit, atque genti eius, vel patriæ inferre conturbium & excidium cogitauit: qui etiam per Decreti noſtri definitionem, iam & loco & honore priuatus exiſtit. Ideò noſtrum in commune per huius Canonicæ ſanctionis decernit collegium, vt hoc ipſum vnionis noſtræ Decretum, quod etiam his Synodicis diffinitionibus innectendum decreuimus, omni ſubſiſtat valore ſubnixum, atque in perpetuum obtineat inconuulſabile robur. Ipſe verò Sisbertus pro ſui iuramenti tranſgreſſione, facinorisque tantâ machinatione, ſecundùm antiquorum Canonum inſtitutionem, quâ præcipitur, vt quiſquis inuentus fuerit talia feciſſe, & viuente Principe in alium attendiſſe pro futurâ Regni ſpe, à conuentu Catholicorum excommunicationis ſententiâ repellatur, honore ſimul & loco depulſus, omnibuſque rebus exutus; quibuſque in poteſtatem prædicti Principis redactis, perpetui exilij ergaſtulo maneat relegatus: ita nempe, vt, ſecundùm eorumdem antiquorum decreta, in fine vitæ ſuæ tantùm communionem accipiat; excepto, ſi Regia eum pietas antè abſoluendum crediderit. Simili quoque & ceteri de Religioſis, cuiuſlibet ſint Ordinis aut honoris; qui deinceps talia contra Principem egiſſe vel deniſſe reperti extiterint, cenſurâ multandi ſunt. *Et cap.* 12. Proinde, quia Sisbertus, Toletanæ Sedis Epiſcopus, eorum ſalubribus monitis nequaquam maluit ex humilitate dependere obſequelam, quò Eccleſiam Dei ordine debito regeret, humilitate inſtrueret, & exemplis ſalutaribus ad regna ſidera prouocaret; ſed bicipiti ſe percellens mucrone, ſuperbiæ videlicet atque periurij, glorioſum Dominum noſtrum Egicanem Regem non ſolùm voluit Regno priuare, ſed & mortis impenſione perimere; ideò non congruit

gruit nos prius Concilium inchoare, niſi illo priùs Canonicâ ac legali cenſurâ multato, in loco eius alius fuerit ſubrogatus Toletanæ Sedis Cathedram retenturus. Idcircò nobis omnibus in vnum collectis, idem Sisbertus Epiſcopus noſtro cœtui præſentatus, atque infidelitatis ſuæ machinationem patuli oris eſt affatu profeſſus. Vnde nos per huius noſtri decreti formulam ſæpè dictum Sisbertum, ſecundùm dictum edictum priſcum Synodicæ ſanctionis, ac decretum de talibus promulgatæ legis, ab Epiſcopali ordine & honore deiicimus, à perceptione corporis & ſanguinis Chriſti excommunicatum, in exilio perpetuo manere cenſemus: in fine tantùm communionem percepturum; excepto, ſi eum principalis pietas cum ſacerdotali conniuentiâ delegerit abſoluendum.

DCC.XXXI. DC.XCIII.

Anno VI. glorioſi Regis Egicanis VI. Nonas Maias habetur XVI. Synodus Toletana, LIX. Epiſcoporum, in Baſilicâ ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Feriâ VI. die S. Athanaſij Pontificis & Confeſſoris: in quâ (credimus auctoritate Romani Pontificis eâ de re conſulti) deponitur Siſebertus Præſul Toletanus, quòd rebus nouis ſtuderet contra Regem, & prolem Regiam, videlicet Flogellum, Theodomirum, *Liubilanem, *Vugioſanam, Theclam, ceteroſque Egicanis Regis filios, quos interimere conatus eſt. rebus ſuis omnibus exutus, anathemate percuſſus, & vſque ad mortem communicatione ſacræ Euchariſtiæ & conuictu Catholicorum priuatus, ad Monaſterium S. Petri Caradinenſis, ſine ſuffragio & loco, omnibus ſuis bonis confiſcatis, in exilium perpetuum detruditur. 157.

* *al.* Labilanem, * *leg.* Liubigithonem,

Felix, Iuliani diſcipulus, iam creatus Hiſpalenſis Epiſcopus, vir grauitatis & eximiæ prudentiæ laude clarus, voto Regis & Metropolitanorum, Toletanæ Sedi præficitur, ſuffragio pariter totius Concilij: qui Chronicon S. Iuliani Doctoris ſui, Toletani Archiepiſcopi, nonnihil auxit. 158.

158. *De electione Felicis, qui diſcipulus Iuliani ſanctiſsimi fuit in Eccleſiâ Toletanâ Archipresbyter, & inde aſcendit ad Eccleſiam Hiſpalenſem, & ſubrogatus eſt Sisberto Toletano, vt Mathias Apoſtolus proditori Iudæ, ſic eadem ſancta Synodus cap.* 12. Igitur, quoniam fauente Domino, Concilium eſt quo citiùs inchoandum ſecundùm præelectionem atque auctoritatem totiens dicti noſtri Domini, per quam in præteritis iuſſit Venerabilem fratrem noſtrum Felicem, Hiſpalenſis Sedis Epiſcopum, de prædictâ Sede Toletanâ iure debito curam ferre, noſtro eum in poſtmodum reſeruans idem decreto formandum: ob id nos cum conſenſu Cleri ac populi, ad ſæpè dictam Sedem Toletanam pertinentis, prædictum Venerabilem fratrem noſtrum Felicem de Hiſpalenſi Sede, quam vſque hactenus rexit, in Toletanam Sedem canonicè tranſducimus, & in eâdem Hiſpalenſi Cathedrâ fratrem noſtrum Fauſtinum, Bracharenſis Sedis Epiſcopum; necnon Felicem, Portulacenſis Eccleſiæ Epiſcopum, Antiſtitem in præfatâ Bracharenſi Sede ſimiliter Pontifices ſubrogamus. *Ex iis, & verbis edicti Egicanis, quæ ſubdit:* Alio tamen Epiſcopo principali electione ibidem conſtituto; *colligitur Primò,* P. H.

Reges

Reges Gotthos habuisse ius nominandi Episcopos in suo Regno. Secundò, iure transire de vrbe Hispalensi ad Toletanam, tamquam ad Sedem Primatem totius Hispaniæ. Tertiò, non fuisse Bracharensem Sedem primariam, quia inde non ascenderetur ad Hispalensem, sed potiùs descenderetur, vt re verâ factum est; ita vt ad Hispalensem demigraret Episcopus Bracharensis. De Felice sic Rodericus lib.3.cap.13. Qui grauitatis & prudentiæ excellentiâ nimiâ pollebat. *Idem generalis Historia, & in Gundemaro Loaysa. Hic licet in Sede iunior, saltem Hispalensi; tamen præest, vt manifestus totius Hispaniæ Primas.*

DCC.XXXII. DC.XCIV.

159. Hoc anno, v. Id. Nouembr. anno Regis Egicanis VII. habita est sub Felice, Toletano Præside, Synodus Toletana XVII. in æde S. Leucadiæ.

P.H. 159. *De Synodo Toletanâ* XVII. *quæ habita est in æde S. Leucadiæ anno* DC.XCVII. *sic Rodericus lib.3. cap.13.* Anno VII. Flauij Egicæ Regis, v. Id. Nouembr. fuit celebratum septimumdecimum Concilium Toletanum in Ecclesiâ S. Leucadiæ: vbi sanctum eius corpus requiescit, in suburbio Toletano, sub Felice vrbis Regiæ Primate, qui grauitatis & prudentiæ excellentiâ nimiâ pollebat; & subscripserunt Faustinus Hispalensis, Maximus Emeritensis, Vera Tarraconensis, Felix Bracharensis, Metropolitani, præter absentes, qui pro se Vicarios destinarunt. In quo Concilio idem Rex præsentialiter adfuit, & coram omnibus humi prostratus, se eorum orationibus commendauit; & tomum, quem in manu tenebat, Primati & Concilio offerens, super his, quæ continebantur, sibi satisfieri postulauit: & hæc omnia in libro Canonum plenissimè declarantur. *Quo loco prætereundum non est, doctissimum Rodericum, Pontificem Toletanum, non solùm sensisse, Primatum Toletanum incepisse à Bernardo, sed ab Eugenio Martyre, atque adeò sub Gotthorum Regibus Antistites Toletanos fuisse Primates.*

DCC.XXXIV. DC.XCVI.

160. Hoc anno, abdicato Imperatori Iustiniano succedit Leo.

DCC.XXXVI. DC.XCVIII.

161. Hoc anno, Flauius Witissa, cum potestate Regis, viuit in Gallæciâ, sic ordinante patre Rege Egicane.

162. Floret Toleti Iulianus Lucas, qui multa de vtroque Beroso collegit, & *concinnauit.

*al. continuauit.

163. Floret Corduba, quam Persæ condiderunt, quasi mensium summitatem; & Saldubam, quasi Salemdubam, summitatem pacis.

P.H. 161. *Constat Regnum Gallæciæ ex historiis Gotthorum, & aliis.*

D.L. 162. Iulianus Lucas, qui multa de vtroque Beroso collegit, & concinnauit.] *De Iuliano diximus in Aduersariis num.36. De Valerio Hispano, Berosi Fragmenta colligente, vide Flau. Dextrum anno* CCC. *num.13. De Beroso multi multa. Vide nouissimè F. Alfonsum Maldonado in Chronico vniuersali Tractatu 15. pag.92.*

D.L. 163. Floret Corduba.] *Dissidium vsque adhuc inter Auctores; alij aiunt, alij negant, Cordubam à Persis conditam. Ambrosius de Morales in 2. Tom. Histor. vbi de Cordubâ peculiari agit tract. fol.113. & in 4. Tomo Hispaniæ illustra-*

illustratæ inficias it, damnatq; fundamenta tamquam futilia pro asserentibus. Stat in contrarium Stephanus de Gariuay lib.5. Comp. Hist. pag.129. num.25. adducitq; Plinium lib.3. cap.1. Naturalis Historiæ in suam sententiam, dum ille refert, Persas in vniuersam Hispaniam peruenisse, ex M. Varronis traditione. Nunc verò hoc enixiùs defenderet, si Luitprandum nostrum ei videre contigisset, qui tam fidenter narrat Cordubam à Persis conditam; cùm etiam sit verisimile, ad similitudinem ciuitatum quæ in Persiâ erant, alias eorumdem nominum eosdem in Hispaniâ condidisse; vti apud Indos in Occidentalibus regionibus fecêre primi illi noui orbis accolæ Hispani. In Persiâ, prope fluuium Tigrim quædam iacet prouincia Corduena *nominata; ex quâ, leui intercedente mutatione, nostra potuit appellari* Corduba. *De* Corduenâ *Ammianus Marcellinus lib.25.* Quo temporis spatio, antequam hi mitterentur, si abusus Princeps paulatim terris hostilibus excessisset, profectò venisset ad præsidia Corduenæ, vberis regionis, & nostræ, ex eo loco, in quo hæc agebantur, centesimo lapide disparatæ. *& alibi pluries. Nec absonum erit coniectari, ex* Corduenâ, *&* Dubâ, *regione & voce Persicâ,* Cordubæ *nomen compositum.* Duba *namque summitatem videtur significare; & tam in* Cordubâ *quàm in* Saldubâ *(quæ hodie est* Zaragoza) *summitatem denotat. In* Cordubâ, *vt bono præeunte omine infinitum dicrum numerum, seu summitatem, illo nomine futuram ominaretur, quisquis* Cordubam *nominaret. In* Saldubâ, *vt quasi pacis summitas agnosceretur. Quid aliud* Sal, *quàm* pacem *portendit? 1. Esdræ cap.4. vers.14.* Nos memores salis. *Latè Bernardinus Gomez Comment. 4. de Sale à num.9. Ioachimus Zechnerus Auctor expurgandus in Cent.3. Adag. sacrorum, Adag.54. num.3. Vox, inquam, Persis familiaris, vel non ignota. Sic Barreirus à salinis frequentibus in eâ regione nomen fluxisse credit: montes enim salis fecundos non procul ab hac vrbe distare notum est. Refert & sequitur Lud. Nonius in suâ Hispaniâ cap.82. pag.252. Iterùm Bernardinus Gomez de Sale lib.1. §.38. pag.39. B. Etymologiam* Cordubæ *aliunde deducunt Ioannes Gerundensis Episcopus, lib.1. Paralipom. Gerardus Mercator in Atlante maiori in Bæticæ descriptione, Georgius Merula in suâ Cosmographiâ p.2. lib.2. cap.24. pag.366. à* Corde, *&* Bæticâ, *quasi* Cor-Bæticæ *dicatur. Multa ex his indicauit mihi doctissimus P. Franciscus de Biuar: quod libens candidè fateor.*

Denique ex hoc inter Auctores dissidio maius examinandum venit, in dignoscendâ Auicennæ patriâ. Cordubensem *in Hispaniâ multi;* Corduensem *in Persiâ non pauci agnoscunt: quos ad calculum reducere, & referre, nec otij nec operæ pretium est. Prætereo alios, qui Hispali tribuunt, & eorum suffragio ductum Paschal. Gallum in Bibliothecâ Medicâ, Conradum Gesnerum, Conradum Lycosthenem, & Iosiam Simlerum Tigurinum, Gasparum etiam Bauhinum Basileensem. Quid dicam de nostro Roderico Gonçalez de Clauijo in Legationis suæ Itinerario ad magnum Tamerlanum? is enim ait, Auicennam in insulâ, quæ Antiquis* Ebosus, *seu* Ebusus, *nunc* Ibiza *dicta, natum; ibiq; vsque ad sua tempora turrim quamdam, nomine Auicennæ insignitam, extare. Ex Arabicâ verò Historiâ, Hispanicè per Marcum Obelum Regium Interpretem conuersâ, Persam fuisse indigenam constat: & quamuis acerrimè soleam mea mihi vindicare; ita, quæ fortè aliena sunt, minimè mihi arrogare consueui.*

Eâdem ferè dubiâ coniecturâ veniunt examinanda, dealbandaq;, quasi ex eâdem fideliâ, cuius parentis sint Opera, vulgò Auicennæ tributa: nam in quodam antiquo manuscripto libro, qui asseruatur in ciuitatis Legionensis Ecclesiâ, Diuo Isidoro dicatâ, (eius exemplar apud me habeo) Isidori extolluntur esse, & falsò Auicennæ adscripta; eumq; Theodiscli Archiepiscopi Hispalensis

ope, traducunt plagiarium, qui ſuo idiomate & nomine euulgauit. vbi adducitur in teſtimonij teſſeram Lucas Tudenſis Diaconus in Chronico lib. 3. circa principium: Succeſſit, *inquit*, beatiſſimo Doctori Iſidoro Theodiſclus, natione Græcus, varietate linguarum doctus, exteriùs locutione nitidus, interiùs autem, vt exitus demonſtrauit, ſub ouinâ pelle lupus voraciſſimus: nam libros quoſdam de Naturis rerum, & Arte medicinæ, necnon & de Arte notoriâ, quos Pater Iſidorus facundo ſtylo compoſuerat, & necdum ad publicum venerant, in odium fidei corrupit, reſecans vera, & inſerens falſa, atque per quemdam Arabem, nomine Auicennam, de Latino in Arabicum tranſtulit. *Eminentiſſimus Cardinalis Cæſar Baronius Tomo* VIII. *Annalium, anno Chriſti* DC.XXXVI. *num. 9. ipſiſſimum Tudenſis locum refert; & ad calcem apponit:* Hæc Tudenſis; quem exſcriptum ex prototypo nobis conceſſit Franciſcus Pegna mei amantiſſimus, Rotæ Auditor. *Verba tamen manuſcripti Hiſpani tranſſcribere non recuſo: antiquitatem redolent, & ad illuſtrandam rem mirificè conducunt.* I tambien lo diçe Don Lucas de Tui, que hizo ſan Iſidoro vn muy ecelente libro de Medicina, el qual quedò en ſu camara, quando deſte ſiglo pasò; i antes que el dicho libro viniese à poder de alguna perſona que lo conocieſe, vino de las partes de Africa à ſuceder en la Silla Arçobiſpal de Seuilla vn Obiſpo malo, inficionado de la heregia Arriana, que ſe deçia Theodiſclo, i era Griego de ſu naturaleza, el qual tomò muchos libros, de los que ſan Iſidoro auia dexado en ſu eſtudio; i entre ellos hallò aquel libro de Medicina. i porque el tenia neceſidad de entender algunos nombres Arabigos, inuio por vn Moro letrado, que ſe los declaraſe, el qual era Medico, i ſe deçia Auicena. i en pago de ſu trabajo diole aquel libro, que ſan Iſidoro auia hecho, paraque el Moro ſe le intitulaſe à ſi miſmo, i como ſi el le vuieſſe compueſto; i aſſi ſe perdio la memoria de ſan Iſidoro. Quanto al dicho libro, afirman muchos, que eſte es el libro miſmo, que los Medicos tienen aora por principal, que ſe nombra Auicena. Diçen, que como aquel libro fue entonces traſladado de Latin en vulgar, paraque el dicho Moro lo pudieſe entender, el lo compuſo en ſu lengua Arabiga, i deſpues fue tornado à traſladar en Latin, como aora eſtà. Diçen, que en aquellas traſladaciones, por no ſer bien entendidos los vocablos, vuo muchos errores, los quales oy dia en el dicho libro ſe hallan. I muchas vezes ſe ha platicado en los Dotores de Medicina de corregir los dichos errores de Auicena, porque dizen, que ſon muy dañoſos, eſpecialmente en los Medicos nueuos, i no eſperimentados. Plegue à Dios, que haga preſto, i bien; porque ceſen los daños, que dellos ſe ſiguen à la ſalud corporal de infinitas perſonas. I muchos creen, que ſegun la abundancia de la çiençia i conocimiento, que ſan Iſidoro alcançò en las coſas naturales todas, ſi aquel libro ſuyo de Medicina no fuera corrompido, i ſe hallara el verdadero original, como el lo eſcribio, aquel ſolo baſtara, para curar todas las enfermedades, quanto la humanidad permitia, i no vuiera neceſidad de otro libro de Medicina. *Hactenus manuſcriptus. Pater verò Ioannes de Mariana è Societ. Ieſu in Hiſtoriâ Hiſpanâ Latino ſermone ſcriptâ lib. 6. cap. 7. ſtat contrà, anno* DC.XXXIX. *& rationem eruit è ſitu Chronologiæ, quam ait repugnare omnino, ſic:* Iſidoro defuncto, Theodiſclus, natione Græcus, ex aliquanto interuallo ſucceſſor in Eccleſiâ Hiſpalenſi ſubrogatus eſt. Hunc nonnulli affirmant, Iſidori libros, multis locis deprauatos, Auicennæ Arabi tradidiſſe, vt in linguam Arabicam conuerſos, ipſiuſmet nomine vulgaret. quod de Auicennâ falſum eſt: quippe Sorſani æqualis teſtimonio, in ipſius Auicennæ Vitâ, explora-

ploratum eſt, poſt trecentos ampliùs annos vixiſſe, neque veniſſe in Hiſpaniam, ſed in Perſarum regiâ vitam omnem propagaſſe. *Cui conuenit Hiſtoria Arabica ſuprà relata, in Auicennæ vrbanâ & palatinâ deſcribendâ vitâ: diſcrepat tamen in annorum computatione (quæ opinionis Marianæ caput & vnicum fundamentum eſt:) ea namque natum Auicennam profert circa annum* CCCC.XXVIII. *niſi (quod rectius puto) deducatur, Arabico more, à fugâ ſcilicet Mahometis; & tunc potiùs Marianæ faueret, quàm reſiſteret. Præiuit Marianæ Ambroſius de Morales Tomo 2. Hiſtoriæ Hiſpan. lib. 12. in Regis Chintillæ Vitâ fol. 127. litterâ E. qui totidem ferè verbis eadem de Auicennæ libris, quæ Mariana, refert. Hæc ſunt:* Lo demas que ſe eſcribe de ſu vida en vn libro impreſo muchos años ha en Salamanca, no lo tengo por tan autentico, en muchas coſas que alli ſe eſcriben de ſu vida i muerte; aunque tiene mucha autoridad el otro libro de la traſlacion i milagros deſte Santo, que eſtà junto con aquel; por auerlo eſcrito el Obiſpo Don Lucas de Tuy, i por ſer muchas de las coſas que alli ſe cuentan, de ſuyo notorias, i en otros buenos Autores teſtificadas. De las otras de la vida, porque ſe creen vulgarmente ſin fundamento, ſera meneſter moſtrar, como no lo tienen. Alli ſe diçe, que es de ſan Iſidoro la grande Obra de Medicina, que comunmente llaman de Auicena: porque Theodiſclo, que fue Arçobiſpo de Seuilla poco deſpues de ſan Iſidoro, hombre mal Chriſtiano i peruerſo, teniendo neceſidad de ſeruirſe de vn Moro, docto en ſu ley, i en otras coſas, llamado Auicena, para ciertas maldades ſuyas, en premio de lo que hizo por ſu mandado, le dio aquella Obra de ſan Iſidoro; para que traſladandola en ſu lengua Arabeſca, la publicaſe por ſuya. Auicena lo hizo aſſi, i ganò mucha fama i hazienda con el trabajo del Santo. Añaden alli, que ſan Ilefonſo deſcubrio eſta falſedad, i otras muchas, con que eſte maluado Theodiſclo quiſo corromper tambien las otras Obras de ſu Maeſtro. De parte del Santo, ay hartas coſas que contradiçen à eſto, i tambien de parte de Theodiſclo. Mas dexado todo eſto, lo de Auicena no puede ſer de ninguna manera verdad; i porque Sorſano, dicipulo i compañero perpetuo de Auicena en ſu vida, la eſcribio, i anda impreſa con ſus Obras. Alli ſe entiende como viuio mas de trecientos años deſpues deſtos tiempos de ſan Iſidoro. Tambien Auicena fue criado i priuado de los Reyes de Perſia, i con ellos anduuo ſiempre, como el miſmo Sorſano que lo acompañaba, lo afirma, i aſſi nunca vino en Eſpaña: i lo que ay del maluado Arçobiſpo Theodiſclo, preſto ſe vera en ſu lugar. *Hucuſque Morales. Igitur in re tam dubiâ, hinc inde decertantibus interpretibus & ſcribentibus, mihi datum eſt congerere, non aſſerere. Lectori fas ſit, per meę licebit, contendere, & diſcernere.*

DCC.XXXVIII. DCC.

Decentius, Epiſcopus Segobienſis, floret: ſub quo exciſa eſt à Mauris Segobia, & multi Monachi Benedictini à Mauris occiduntur: in his paſſus S. Fructuoſus. 164.

Hoc anno ſanctè moritur Felix Toleti, qui ſcripſit Vitam S. Iuliani, Toletani Archiepiſcopi, magiſtri ſui, IV. Nonas Iunij: ſepelitur, more maiorum, in Baſilicâ S. Leucadiæ, vbi Virgo nata fuiſſe dicitur & educata. Guntericus, eius Archidiaconus, poſuit illi hoc carmen: 165.

Te tenet, alme Pater Felix, Leucadia virgo
Corpore; ſed volitans ſpiritus aſtra tenet.

Nil tulit Hiſpanus grauius te aut rectius orbis;
Felix Paſtor eras, dum tibi vita fuit.
Iria, Toletum, Patrem priùs Hiſpalis ipſa
Vidit, & alloquio eſt ſat recreata tuo.
Hæc poſtrema tibi dat Guntericus amanti
Carmina, triſtitiam teſtificata ſuam.
Si poſſem lacrymis mercari aurique metallo,
Mercarer, Felix, ne morerere diu.
Eriperis Patriæ, ſenioque maliſque grauatus:
Grande operæ pretium plebibus vnus eras.
Quas tamen è ſuperâ poteris ſtatione leuare,
Alfonſo meritis Helladioque minor.
Gothica res (niſi fallor ego) minitata ruinam,
Eius & immensâ mole laborat opus:
Da vires, Gentique tuæ Patriæque faueto,
*Carmen Iſidori triſte, * minasque tene.*

* al. *micaxq; timet.*

A ✠ Ω

166. *Obiit ſanctæ memoriæ Pontifex Felix, Archiepiſcopus Tolet. Hiſpaniarum Primas & Patriarcha, anno vltimo glorioſi Regis Egicani, ſub die* IV. *Nonas Iunij, ærâ* DCC.XXXVIII. *currente: fuit eximius Poëta, magnus Concionator, acerrimus defenſor fidei, cliensque B. Virginis Mariæ.*

167. Eligitur in Sede Toletanâ Gundericus ex Epiſcopo Seguntino, comes diſcipuluſque cum Felice, cùm fuit Archidiaconus Toletanus & Archipresbyter. Ipſo die S. Ioannis Baptiſtæ, XXIV. die menſis Iunij, ponitur à Suffraganeis & Palatinis in Sede Toletanâ.

168. Gotthi deſtruunt Lacobricam, prope * Burſadam, hoc eſt, Molinam, vbi Sertorius vicit Metellum, Romanum Ducem.

* *al.* Burſandam, *& al.* Vrſandam, P. H.

165. *De Felice hîc multa. Obiit anno* DCC. *quartâ Feriâ* II. *die Iunij, die S. Marcellini. Scripſit Vitam Iuliani, Archiepiſcopi Toletani, Magiſtri ſui. Iacet in æde S. Leucadiæ Suburbanæ. Verè felix & fortunatus, quem Deus eripuit, ne tanto caſui captiuitatis Hiſpaniæ viuus poſſet ſupereſſe. Carmina, quæ ſequuntur, crediderim compoſita fuiſſe à Gunderico eius ſucceſſore, viro profectò docto & ſancto.*

P. H. 167. *Hoc eodem anno ſuccedit Gundericus Felici ex Saguntino; qui confirmauit in Concilio* XVI. *Toletano* XIV. *loco. Crediderim, hunc priùs fuiſſe Clericum Eccleſiæ Toletanæ: quem propter excellentiam morum, & doctrinæ magnitudinem, Rex Egica præfecit Eccleſiæ Toletanæ. Fuit natione Gotthus, vt eius nomen præ ſe fert. De quo ſic Rodericus lib.* 3. *cap.* 14. Per idem tempus Gundericus, Toletanæ Sedis Primas, ſanctimoniæ dono illuſtris habetur, & in multis mirabilibus clarior celebratur. *Illuſtriſſimus Præſul Garſias de Loayſa ſic agens de Eugenio I. & reliquis, Paterno, vel Patruino, Montano, Iuliano I. Euphemio, Helladio, vtroque Eugenio, II. & III. Felice, Ildefonſo, Iuliano XXI. Gunderico,* Quorum, *inquit,* mores integri & ſanctiſſimi, virtuteſque excellentes

lentes & ſingulares eos ſegregarunt ab omni conſuetudine mortali; ita vt miracula in hominum conſpectu viui & mortui ederent. *Generalis Hiſtoria ſic:* En aquella ſazon era Arçobiſpo de Toledo Genderico: è era home caſto, è de gran ſantidad; è por quien ſiçiera muchas virtudes è muchos milagros nueſtro Señor Dios; tal ſeruicio le auia el fecho. *Idem Gariuayus lib.* 8. *cap.* 46. *M. Aluarus Gomezius in Vitâ eius ſic ait:* Magnum detrimentum mors Felicis Reipublicæ attulit; nam protinus VVitiza, velut cuſtode & rectore amiſſo, cœpit peſſimæ ſuæ naturæ documenta & indicia dare. Gundericus tamen Felici ſuccedens, vir morum etiam probitate clarus (vt quem ob eius inſignes virtutes, & miracula adiuncta, Auctores ſui temporis fuiſſe aiunt in numerum Diuorum relatum) petulantiam hominis erumpentem coërcuit: & quamuis adoleſcentiæ proteruitate in licentiam omnem raperetur; tamen ætatis iunioris cauſsâ adhuc pudoris clauſtris non abruptis, Gunderico reuerentiam deferebat, eiuſque monitis & ſuaſu aliquot exempla bona edebat. Nam eo tempore quidam prodiderunt Monaſterium ab eo in Toletano ſuburbio conſtructum, duobus millibus paſſuum in Occidentem ab vrbe diſtans, quâ videlicet Talabricam itur; quibus ad aquam in Cœnobium deferendam arcus opere fornicato erant impoſiti. Algondorinum voce nunc Arabicâ locus appellatur, vbi prædia & oliueta ſunt, atque aliæ arbores cum vitibus conſitæ. S. Petro Monaſterium dedicauit, atque in eo feminas conuerſari iuſſit, quæ, iuxta Benedicti regulam, atris velis caput velarent. In quod quoniam maturioris ætatis mulieres, quam rerum humanarum tædium iam ceperat, admittebantur, Cœnobium matronarum, quas illa ætas Dominas appellabat, cognomen tenuit. Ceterùm mali genitoris prole in vitioſam naturam degenerante, aut Rege ipſo in omnia ſcelera poſteà effuſo, eas inceſtante, aut in ſolitudine licentiam ſuggerente, cùm incontinenter viuere prohiberentur, Toletano Pontifice curante, ad Aguilanis portam poſtmodum ſunt tranſlatæ. Eam verò Auctores illi fuiſſe dicunt, quæ nunc Gallianæ ac Virgineæ conceptionis appellatur. Aguila verò Gotthorum Rex in Hiſpaniâ regnauit anno Domini D.XLII. Sub quo matronarum tranſlatio in vrbem facta ſit anno Gundericus an Sinderedus ſucceſſor fuerit auctor, ab Auctoribus non traditur. Ego paruo tempore quo Gundericus vixit, nondum illas ſanctam diſciplinam, quæ ſolet in initiis Religionum feruere, proieciſſe tam citò crediderim: ſed poſt Gunderici Pontificatum, quando VVitiza Religionis & pudoris oblitus, vitiis omnibus habenas laxauit. Aliquot vltra paſſus, quà Daciani horti nunc ſunt, in huius Monaſterij monumentis, memoriam ad extremam planitiem quæ eſt vrbi ſubiecta, ædiculam Maiores eidem Diuo ædificaſſe opinor, quæ nunc Petri Viridis cognomen tenet. Quòd ad Tagum; ni fallor, inter hortos: ſic enim (quæcumque anni tempeſtas ſit) totus ille locus vernare videtur. Annum, aut paulò ampliùs, Gundericus inter viuos egit: nam & ille quoque Deo dilectus, antequam mali imminentes ingruerent, ex iis regionibus ad cælum euolauit anno Domini DCC.IV. Quis hic fuerit, quóve loco natus, inopiâ antiquorum monumentorum neſcitur. At Gotthici ſanguinis fuiſſe, nomen declarat. Gundericus Segontiæ Epiſcopus, in XVI. Toletano ſubſcribit, cuius Epiſcopatus ad Carthaginenſem prouinciam pertinet; facilè à prouinciali Eccleſiâ ad principalem potuit gradum facere. Hoc quidem compendio vtentes alij Gutericum deinde vocarunt, alij Goter, inde Godel: Godelorum familiæ nomen dedit, quæ ex vetuſtis ciuitatis noſtræ eſt, & in quâ aliquot Archiepiſcopi fuêre. Sed temporis longinquitate omnia conſumentis fermè in pauciſſimis durat ciuibus. *Vulgò* Gudiel,

Noſter Luitprandus ait iniſſe Pontificatum XXIV. *Iunij, die S. Ioannis Baptiſtæ, qui fuit eo anno Feriâ* V. *ſcilicet* DCC. *Primò fuit diſcipulus, Diaconus & Archipresbyter cum Felice, vt puto (qui duo diſcipuli S. Iuliani) & ideò nutritus in Eccleſiâ ſanctâ Toletanâ, ac per omnes gradus verſatus vſque ad Epiſcopatum Eccleſiæ Saguntinæ. Inde verò propter merita tranſlatus ad Toletanam.*

DCC. XXXIX. DCC. I.

169. Hoc anno Egica Rex Gotthorum moritur Toleti v. Idus Nouembr. & ſepelitur in æde S. Leucadiæ Prætorienſi extra muros, prope Tagum, cum ſuis maioribus.

170. Succedit illi in regno Wiſigotthorum Flauius Witiza, filius eius: conſecratur, inungitur, coronatur (vt Imperatores ſolebant Conſtantinopolitani, manu Patriarchæ eiuſdem vrbis) die Lunæ XVII. Kalend. Septembr. à Gunderico, Toletano Pontifice, & præſentibus Epiſcopis Metropolitanis & Palatinis, in æde S. Mariæ, quæ de Alficen modò dicitur.

171. Gundericus, Toletanus Archiepiſcopus, cum ſuis Suffraganeis ſacrat Eccleſiam S. Torquati, diſcipuli S. Iacobi, quem cum aliis vndecim fecit in Hiberniâ ex comitibus diſcipulos, quaſi Apoſtolos. Hæc vna fuit ex ſeptem quæ Toleti remanſerunt, ex pactis conuentis cum Mauris; & modò manet.

P. H. 169. *De anno, quo mortuus eſt Rex Egica, variant Auctores: nam Rodericus ait mortuum eſſe ærâ* DCC.XL. *hoc eſt, anno Chriſti* DCC.II. *at D. Garſias Loayſa, & alij anno* DCC.I. *quem ſequitur Gariuayus, P. Ioannes Mariana, & alij Scriptores.*

P. H. 170. *Eodem anno iniit Regni coronam ſolus VVitiza, quamuis cum patre regnauerit annos aliquot. Coronatur & inungitur (non in Eccleſiâ S. Petri Prætorienſi) die Lunæ* XIV. *Nouembr. in peruigilio feſti S. Eugenij, Archiepiſcopi Toletani & Martyris; facta verò eſt conſecratio in æde S. Mariæ Minoris Toleti, vt credi par eſt, cum ſummâ alacritate. Gariuayus affirmat, tunc fuiſſe VVitizam annorum* XIX.

Conſtat, hoc anno ſacratam à Gunderico S. Torquati Martyris Eccleſiam, ex ſigillo quodam ibi reperto, vt ego latiùs refero in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ ciuitatis Toleti.

D. L. *De coronatione & vnctione diximus ſuprà ad num.* 8. *&* 87. *De Eccleſiâ S. Mariæ de Alficen ad num.* 87.

DCC. XLII. DCC. IV.

172. Gunderico, Toletano Pontifice, & Hiſpaniarum ac Galliæ Gothicæ Patriarchâ Præſide, Fauſtino Hiſpalenſi, cum aliis quatuor Metropolitanis, & multis Epiſcopis ac Palatinis, in Baſilicâ Prætorienſi vrbanâ ſanctorum Petri & Pauli, anno IV. Regis Flauij Witicanis VIII. Kalend. Nouembr. Concilium Toleti celebratur: vbi de Fidei cuſtodiâ, & morum agitur reformatione, per illos ſanctiſſimos Pontifices, zelo, fide & mirabili ſanctimoniæ luce in totâ Hiſpaniâ fulgentes.

Gun-

Gundericus, Toletanus Præſul, ſapientiâ, prudentiâ, & (vt aliqui volunt) miraculorum gloriâ præclarus, valdè reſiſtit libidini & petulantiæ Regis Witizæ ſceleſtiſſimi. 173.

172. *De Concilio Toleti coacto, quod fuit* XVIII. *ſic ait Rodericus lib.* 10. *c.* 14. Hic in Eccleſiâ, *inquit*, S. Petri, quæ eſt extra Toletum, cum Epiſcopis & Magnatibus ſuper ordinatione Regni Concilium celebrauit, quod tamen in corpore Canonum non habetur. *Corpus Canonum reor vocari diptycham vel tabulam Conciliorum Toletanorum. Habitum eſt ex noſtri Luitprandi teſtimonio* VIII. *Kalend. Nouembr. vbi de formatione morum, & fidei cuſtodiâ, quæ morum corruptelâ ſenſim labaſcebat. Præfuit Fauſtinus, Hiſpalenſis Archiepiſcopus, & alij conuenerunt ſapientiſſimi ſanctiſſimiq; Pontifices, qui labentes Hiſpaniæ res ſuis orationibus apud Deum fulciebant, & egregiè tuebantur.* P. H.

173. *Sed qui maiori animi contentione effrenatis adoleſcentis VVitizæ conatibus obſiſtebat, vnus fuit ſanctus Pontifex Gundericus, vtpote qui ceteros vt ſanctimoniâ, ſic zeli magnitudine ſuperabat: tum etiam, quia propiùs res videbat, ac corruptelæ Regis intererat; non poterat non vehementer angi, & conflictari tot malorum certatim irruentium (vt quotidie pullulabant) præſenti calamitate.* P. H.

DCC. XLIV. DCC. VI.

Rex Witiza ſe effrenatè præcipitans per omne genus flagitij, legem nequiſſimam tulit, vt more Saracenorum cuilibet laico & Clerico liceret, quotquot poſſet alere, vxores & concubinas impunè domi ſuæ retinere. 174.

174. *De lege nefariâ ac execrandâ, quam circa plures habendas vxores VVitiza tulit, ſic Rodericus Toletanus:* Et cùm anteà petulanter ageret in occulto, iam nunc luxus impudicitiam publicat in aperto; &, laxatis habenis, nulli vitio ſe ſubtraxit. & vtinam ſolus in ſuis ſordibus periiſſet, nec nobilitatem Gotthorum Cleri & populi ſuis immunditiis infeciſſet! Ad tantæ enim perditionis & diſſolutionis peruenit cumulum, vt plures vxores & concubinas ad ſatietatem libidinis inſimul detineret: & exemplo ſimili viros illuſtres & potiores Gotthorum ad ſimilia facinora inducebat; quorum exemplo in minoribus populi peccata ſimilia inundabant. *& cap.* 15. VVitiza, *inquit*, facinoroſus timens, ne ſuis criminibus obuiarent, & populum ab eius obedientiâ reuocarent, dedit licentiam, imò præceptum, omnibus Clericis, vt vxores & concubinas, vnam & plures haberent, iuxtà libitum voluptatis. *Hæc Rodericus Toletanus:* P. H.

DCC. XLV. DCC. VII.

Gundericus primò blandè deprauatis legibus Regis Witizanis reſiſtit, mox palàm publicis ſermonibus & interminatione anathematis ferendi deterret. 175.

175. *Inter hæc non tacebat ſacratus Pontifex Gundericus: quinimò, iuxta regulas prudentiæ & charitatis, primò blandis cohortationibus & admonitionibus Regem reducere conabatur; at vbi non ſucceſſit, mox publicè, & interminatione anathematis, & aſperis vrgebat reprehenſionibus.* P. H.

DCC.

DCC. XLVI. DCC. VIII.

176. Hoc anno, IV. Kalend. Ianuarij, ſanctus Pontifex Gundericus, ætate, malis ærumnâque confectus, ſanctè placideque quieſcit in Domino. Sepelitur in domo natali S. Leucadiæ virginis & Martyris: lugentibus eum tamquam patrem, & lumen amiſſum, viduis, egenis & orphanis, effertur. Poſuit illi carmen ſepulchrale Synderedus, eius Archidiaconus, Poëta non inuenuſtus. quod hoc eſt:

Gunderice pater, viduis pes, lumen egenis:
Orphanus hoc omnis Præſule lætus agit.
Nactus es, ô genitor, ſcopuloſæ tempora vitæ:
Heu nocuit multùm conſuluiſſe benè!
Omnibus ipſe malis exemptus in æthere gaudes,
Atque ibi fers zeli præmia digna tui.
Diſcipulus tibi dat carmen, pro more, magiſtro,
Synderedus amans: quod cape, quæſo, libens.
Eſto memor noſtri, Gentis memor eſto Gothorum,
Rex VVitiza diu regnet, & aſtra petat.

A ☧ Ω

Obiit ſanctiſſimus Pontifex Gundericus in pace, ætate confectus, annos natus LXXXV. IV. *Kal. Ianuar. ærâ* DCC.XLVI.

176. *Hoc anno* DCC.VIII. *die* XXVIII. *Ianuarij mortuus eſt, imò ad beatam de mortali vitâ tranſlatus eſt ſanctus Pontifex Gundericus. Sepultus eſt cum omnium pauperum & bonorum multis lacrymis, in Baſilicâ Prætorienſi, hoc eſt, ſuburbanâ S. Leucadiæ.*

DCC. XLVII. DCC. IX.

177. Succedit illi in Sede Regiâ ſanctus vir Synderedus, patriâ Romanus; ſed in Eccleſiâ S. Mariæ Maioris Toletanæ per omnes gradus & ordines vſque ad Presbyteratum etiam euectus, ipsâ die Circumciſionis Domini: in æde maiori S. Mariæ, præſente ipſo Rege Witizane, Metropolitanis, & Epiſcopis, ac Palatinis præſentibus ſacratur, & cum gaudio recipitur.

178. Confirmauit hic Pontifex, quod Gundericus viuus fecerat: qui Moniales S. Benedicti longè ab vrbe degentes in ſolitudine prope viam, quæ ducit Elboram, vel Talaueram, ad vrbem tranſtulit, in ædem SS. Petri & Pauli Prætorienſem.

179. Hac per Gundericum factâ tranſlatione, ei fauet honorans Synderedus memoriam magiſtri & anteceſſoris ſui.

180. Hoc anno iubet Witiza ciuitates muratas muris nudari, arma deiici, præter Toletum, Legionem, Aſturicam; quòd ſibi perſuaderet in omni caſu ſibi fore fideles.

181. Conſtantinus Papa monet Witizam, vt legem abroget de ducendis

cendis vxoribus per Sacerdotes; alioquin eum Regno priuaturus: ille verò impatiens iræ, nihiloque melior factus, minatur ſanctiſſimo Papæ, ſe propediem Romam cum exercitibus aditurum, eamque captam expoliaturum ſanctis ſuis ornamentis, vt olim fecerant maiores ſui, vel dirutam deſolaturum.

Concordius, Toletanus Diaconus, compoſuit Homiliam in laudem S. Turibij, ex Monacho Benedictino Pontificis Palentini; quæ ſic incipit: *In noſtrum.* 182.

Synderedus, Epiſcopus Toletanus, iubente Rege Witizane, malè tractat Presbyteros ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ, *qui ſe flagitioſis Regis conatibus viriliter opponebant. 183.

* *al.* quia ſe flagitioſis Regis conatibus viriliter opponebat.

Witizæ conſilio impulſuque Synderedus Toletanus patitur, vt *Oppas frater Witizanis (aliis eſt filius) moribus nihilo Witizane melior, inuadat conſtupretque caſtiſſimam ſanctiſſimamque, & immaculatam Sedem Toletanam, quæ eò vſque vno legitimo conſociata ſponſo, ſanctiſſimè feliciſſimeque vixerat; nunc infeliciter, Oppane conſtupratore. 184.

* Archiepiſcop. Hiſpalenſis

177. *De Synderedo ſic Rodericus lib. 3. cap. 23.* Gunderico ſucceſſit Synderedus, Epiſcopus vrbis Regiæ Primas, ſanctimoniæque ſtudio clarus vſque ad tempora Roderici; & ſub iſto fuit perdita ciuitas Toletana. *de quo multa Aluarus Gomezius. Hoc vno maculauit ſanctimoniam ſuam & animi puritatem, quòd hic (teſte Roderico)* viros longæuos & honorabiles, quos in Eccleſiâ Toletanâ repererat, poſt mortem S. Felicis & Gunderici deceſſorum ſuorum, zelo ſanctitatis, licet non ſecundùm ſcientiam, cœpit grauiter infeſtare, & hoc ad inſtinctum VVitizæ, qui propter ſui nequitiam eorum iuſtitiam timeſcebat. *Hactenus Archiepiſcopus Toletanus.* P. H.

180. *Hoc de vrbibus ſumptum eſt ex Lucâ Tudenſi, de quo nihil Rodericus: quia poſteà ex optimis Auctoribus colligitur, Saracenos diruiſſe muros in vrbium expugnatione.* P. H.

181. *Erat tunc Conſtantinus Pontifex, eiuſq; currebat annus ſecundus. Miſit ad VVitizanem legatum, vt legem impiam & ſacrilegam, & contra omnem honeſtatis & pietatis rationem latam reuocaret. Acerbè & impatienter tulit hanc legationem VVitiza Rex; & iniquo perferens animo ſe reprehendi, reſpondit, ſe propediem Romam iturum, & more Regis Alarici prædeceſſoris ſui Romam demoliturum. Quod in nullo alio (quod recorder) Auctore reperire potui.* P. H.

184. *De inuaſione Oppanis (ſiue filius, ſiue frater fuerit VVitizanis) ſic Rodericus Toletanus lib. 4. c. 16.* VVitiza autem ſacrorum Canonum inimicus, Oppæ fratri ſuo, Archiepiſcopo Hiſpalenſi, contradidit Eccleſiam Toletanam, renuente Pontifice Synderedo; vt, ſicut ipſe ſe carnali, ita frater ſpirituali adulterio fœdaret. *Hoc loco Oppam fratrem Regis vocat.* P. H.

DCC. XLIX. DCC. XI.

Rodericus Palatinus, de Regio ſanguine Gotthorum, fauentibus nonnullis gentis ſuæ & generis, inuadit regimen contra Witizanem; ille verò vel morbo, vel cæde, Toleti decedit, anno Regni ſui X. vigeſimâ die menſis Decembr. exoſus Deo hominibuſ- 185.

nibusque tyrannus: & sepelitur, sine lacrymis, in æde S. Leucadiæ Prætoriensi in vrbe.

186. Synderedo Romam profecto, nolenteque ferre vim tyrannicamque oppressionem Oppanis intrusi, metuque Saracenorum irruentium relictâ; Sede Toletanâ, Romam petit.

187. Succedit in Sede Toletanâ, Synderedo Romam (vti diximus) profecto, Archiepiscopo Tolet. XXII. die eiusdem mensis (quæ fuit Dominica) Suineredus, præsente Oppane, Rege Roderico, & Episcopis & Palatinis.

188. Rex Rodericus, in principio Regni sui, lege latâ legem Witizanis de Clericis vxorandis, & alendis * simul compluribus vxoribus, abrogauit, & Oppanem Ecclesiâ Toletanâ depulit: Cabam Florindam, filiam Comitis Africæ limitanei Iuliani, violat. Arabes Hispaniam adeunt.

* al. secum

P. H. 185. *Tria hîc quærenda. Primum de Roderico, an per tyrannidem & vim, an per electionem inierit Regnum Gotthorum? Secundum, vbi VVitiza mortem obierit? Tertium, quoto nam anno cœperit? Sebastianus Salmanticensis ait per electionem, at Rodericus Toletanus per tyrannidem. Sic ille:* Igitur Rodericus, filius Theudefredi, quem VVitiza, vt & patrem, priuare oculis missus fuit, fauore Romani Senatus, qui eum ob Recesuinthi gratiam diligebat, contra VVitizam decreuit publicè rebellare: qui viribus præeminens cepit eum, & quod patri suo fecerat, fecit; & Regno expulsum, sibi Regnum electione Gotthorum & Senatus auxilio vindicauit. *Duo hîc ex quæsitis comprehendit: Rodericus ait obiisse Cordubæ, sic & Gariuayus. at sic Rodericus:* VVitiza itaque plenus abominationibus, vacuus Regno, orbus oculis, propriâ morte Cordubæ, quò Theodefredum relegauerat, exul & exrex vitam finiuit ærâ DCC.LI. *Salmanticensis & Luitprandus Toleti, sepultumq; aiunt ibidem; noster verò in æde Prætoriensi S. Leucadiæ: quia, vt docet benè Gariuayus, hæc erat Regia Gotthorum sepultura. Fallitur Sampirus, quia ponit eius mortem anno* DCC.IX. *insinuans intelligere, hoc anno rebellasse Rodericum; sed ille nihil de rebellione; sed ait, post mortem VVitizæ electum Rodericum die* XX. *mensis Nouembris. Obiit VVitiza scilicet Feriâ* VI. XXII. *die Nouembris: Rodericus consecratur & inungitur in æde S. Leocadiæ Prætoriensi, in vrbe Regiâ à Synderedo, legitimo Pontifice Toletano, præsente Oppane intruso; à quo noluit Rodericus consecrari. Intererat magnus numerus Pontificum & Palatinorum in Regiâ coronatione.*

P. H. 188. *De hac lege sic ait Aluarus Gomezius in Vitâ Synderedi:* Ego tamen vetustum in Ecclesiâ Toletanâ fori Gotthici codicem vidi: in cuius lib. 3. tit. 9. lege 18. aduersus Sacerdotum impuritatem lex grauissima Roderici Regis nomine habetur, vbi vxores grauissimis pœnis interdicuntur. *Recentiores codices pro Roderico Recesuinthum habent; sed id vitiosè positum, series rerum gestarum ostendit: siquidem ante VVitizanem ea labes Hispaniam non infecerat; legem tamen siquis requirit, reperietur apud me in codice M. S. vetusto sub nomine Reccaredi Regis:* Quia quantò munditiam carnis sacra auctoritas imperat, tantò hanc appetere omnes ministros eius clamor informat. Ideò nos ponere finem illicitis ausibus ritè compellimur; quoniam & ipsis diuinis nutibus deuotissimè placere conamur. Igitur quemcumque Presbyterum, vel Diaconum, aut Subdiaconum, deuotæ viduæ pœnitenti, seu

seu cuicumque virgini, vel mulierculæ, aut sæculari, matrimonio aut adulterio commixtum esse euidentissimè patuerit; mox vt Episcopus aut iudex repererit, talem commixtionem disrumpere non tardet, redacto illo in sui Pontificis potestatem, sub lamenta pœnitentiæ, iuxta sacros Canones eum deponet. Quoniam districtionis huius seueritatem si torpor implere neglexerit, idem Pontifex duas auri libras fisco persoluat, & commissum malum vindicare non differat. Quòd si corrigere hoc nequierit, aut ad Concilium appeller, aut Regis auditibus hoc nuntiet. Mulieres verò, quæ fuerint huiusmodi immunditiis implicitæ, centenis verberibus à iudice verberentur, & commiscendi se illis aditus omnino negetur; seruatâ ab Episcopis & super hoc scelere in vtroque sexu Patrum sententiâ, quæ Canonum Decretis agnoscitur ordinata. In vlciscendis tamen huiusmodi sceleribus non damus passim accusandi vel puniendi licentiam, nisi aut manifestis delictis patuerit scelus, aut legitimè fuerit hoc ipsum malum accusatum atque conuictum, quatenus nullâ videamur intentione vel ordinatione Patrum transgredi præcepta sanctorum, aut obuiare sacris legibus antiquorum. Flauius Rodericus Rex. *Hæc habet lex.*

Lege latâ contra legem VVitizanis, *&c.*] *De huius legis VVitizæ latione multi multa, & ferè omnes nostri Historiographi. Stephanus de Garibay lib.* 8. *Comp. Hist. cap.* 47. *P. Ioannes Mariana lib.* 6. *Hist. Hispan. cap.* 19. *his verbis:* Magno numero concubinas vxorum iustarum loco cultuque habuit: lege latâ, vt id cunctis liceret tum promiscuo populo, & Proceribus, tum viris sacratis. *Dixerat priùs Rodericus, Archiepiscopus Toletanus, lib.* 3. *de Rebus Hispaniæ cap.* 15. Et cùm anteà petulanter ageret *(VVitiza)* in occulto, iam nunc luxus impudicitiam publicat [*melius, vt in aliis,* luxus impudicitiæ publicatur] in aperto, &, laxatis habenis, nulli vitio se subtraxit Et vtinam solus in suis sordibus periisset, ne nobilitatem Gotthorum Cleri & populi suis immunditiis infecisset! Ad tantæ enim perditionis & dissolutionis peruenit cumulum, vt plures vxores & concubinas, ad satietatem libidinis, simul detineret: exemplo simili viros illustres & potiores Gotthorum ad similia facinora inducebat. *Lucas Tudensis in Chronico Mundi ærâ* DCC.XXXIII. *agens de VVitizâ:* Et ne aduersus eum insurgeret sancta Ecclesia, Episcopis, Presbyteris, Diaconibus & ceteris Ecclesiæ Christi ministris carnales vxores lasciuus Rex habere præcepit. Et ne obedirent Romano Pontifici, sub mortis interminatione prohibuit. *Iisdem pænè verbis Alfonsus* * *de la Spina in Fortalitio Fidei (quod perperàm cuidam Guilielmo tribuit Posseuinus in Bibliothecâ lib.* 9. *cap.* 3. *Thomas Bozius de Signis Ecclesiæ Tomo* 1. *lib.* 5. *sig.* 16. *cap.* 11. *exemplo* 11. *pag.* 385. *& de Ruinis Gentium aduersus impios Politicos lib.* 7. *cap.* 4. *pag.* 638.) *Quam legem vti caussam Hispaniarum deuastationis agnoscit Lucas Tudensis vbi suprà:* Istud quidem caussa pereundi Hispaniæ fuit, sicut scriptum est: Abundauit iniquitas, & refrigescet charitas multorum. *Paribus ferè tibiis Alfonsus de la Spina loco superiùs adducto:* Hæc quidem caussa, *inquit,* pereundi Hispaniæ fuit: tota enim Gotthorum nobilitas in conuiuiis, libidinibus & vitiis immersa, Altissimum ad iracundiam prouocauit. *Extat insigne testimonium in Decreto, ex Bonifacij Martyris Epistolâ ad Echeldobaldum Anglorum Regem, relatâ in cap.* Si gens Anglorum, *dist.* 56. *cuius verba, quia rem comprehendunt totam, hîc transscribere non grauabor:* Si gens Anglorum (sicut per istas Prouincias diuulgatum est, & nobis in Franciâ & in Italiâ improperatur, & ab ipsis Paganis improperium est) spretis [*nota hæc*] legalibus connubiis, adulterando & luxuriando, ad instar Sodomiticæ gentis, fœdam vitam duxerit; de tali commixtione meretricum

D. L.

* Asserit P. Ioannes Mariana lib. 22. de Reb. Hisp. c. 13. Suffragatur Historia M.S. Enrici III. Hisp. Regis Cathol. ad finem, in eius morte.

æstimandum est degeneres populos, & ignobiles, & furentes libidine fore procreandos, & ad extremum vniuersam plebem ad deteriora & ignobiliora vergentem, & nouissimè, nec in bello sæculari fortem, nec in fide stabilem, & nec honorabilem hominibus, nec Deo amabilem esse venturam; sicut aliis gentibus Hispaniæ, & Prouinciæ, & Burgundionum populis contigit: quæ sic à Deo recedentes fornicatæ sunt, donec Iudex [*aliàs* Vindex] omnipotens talium criminum vltrices pœnas, per ignorantes legem Dei, id est, per Saracenos, venire & sæuire permisit. *Iisdem verbis Iuo Episcopus Carnotensis in Decreto parte* 8. *cap.* 224. *vbi illustrissimus & doctissimus D. Rodericus de Acuña, Archiepiscopus Bracharensis, plura cumulat. Eadem refert, quamuis non eisdem verbis, Ioannes Filesacus lib.* 1. *Selectorum cap.* 9. *pag.* 139. *&* 140. *Prædixerat hæc D. Methodius, alijq́. viri sanctitate & litteris verè magni, vt testatur M. Didacus de Valera in Hist. parte* 4. *cap.* 125. *fol.* 114. *col.* 3. *Stephanus de Garibay Comp. Hisp. Hist. cap.* 49. *anno* DCC.XIV. *pag.* 376.

De S. Methodio Alfonsus de la Spina dicto lib. 4. *Fortalitij Fidei cap.* 8. *incipit,* Primus passus, *fol.* 344. *col.* 2. *plenè Hispaniarum Doctor & mundi stupor Alfonsius Tostatus, Abulensis Episcopus, omnium disciplinarum genere ornatissimus, ad cap.* 16. *Genesis, prope finem. Audi sis; nam appositissimè loquitur, explicans illa verba,* Qui vocauit nomen eius Ismaël. *ait ergo:* Abraham imposuit istud nomen filio suo, quia audiuit per reuelationem ea quæ gesta fuerant inter Agar & Angelum; vel quia ipsa Agar reuelauit supradicta Abrahæ, vt contigerunt. De isto Ismaële dicit Methodius Martyr, qui chiliades sæculorum in quibusdam arcanis descripsit: De genere Ismaël quatuor Principes futuri erant, qui vocantur Vineæ filij (fortè pro vesaniâ tamquam ebrios sic vocauit) Zeb, Zebee, Oreb, Salmana, qui egressi sunt de solitudine contra filios Israël: qui victi per Gedeonem retrusi sunt in solitudinem, de quâ exiuerant. Dicit etiam quod futurum est, quòd filij Ismaël semel exeant, & obtineant orbem, per octo hebdomadas annorum, id est, per quinquagintaquatuor annos; & vocabitur via eorum via angustiæ: in sacris locis interficient Sacerdotes, & ibidem cum mulieribus dormient; & ad sepulchra Sanctorum religabunt iumenta: hoc autem erit pro nequitiâ Christianorum. De hoc ait Dominus per Ezechielem: Fili hominis, voca bestias agri, & exhortare illas, dicens: Congregamini, & venite, eò quòd sacrificium magnum immolo vobis, manducate carnes fortium, & bibite sanguinem excelsorum. Hæc autem omnia ab isto viro sancto prænuntiata, ad litteram venerunt super nos in miserabili Hispaniâ, quando tempore Regis Roderici Arabes totam Hispaniam vastauerunt, multo tempore detinentes terram. Hæc enim perspicua sunt ex vulgatis Chronicis Hispanorum. *Hactenus Abulensis, qui verba D. Methodij subinde inserit. Fr. Alfonsus de la Spina, eadem & alia ex D. Methodio transscripsit; illa tamen notatu digna:* Græcia in captiuitate erit, in occisione Africa erit: similiter Ægyptij Orientales, & Asia sub graui tributo in auro & argento erit: Hispania gladio peribit, & captiui ducentur habitatores eius. *Quæ ferè iisdem verbis inueniuntur in Bibliothecâ veterum Patrum ex editione Michaëlis Sonnij, Parisiis, anno* M.D.LXXXV. *Tomo* 2. *col.* 522. *sub titulo,* D. Methodij, Patarensis Episcopi & Martyris, de Rebus quæ ab initio mundi contigerunt, quæque deinceps contingere debent, Reuelationes per paraphrasin translatæ incerto Auctore.

Varij variè verba D. Methodij transtulêre, quamuis in sensu appareant iidem. Opus Græcè ab Auctore scriptum; Latinè tantùm extat vetustissimum M. S. in Bibliothecâ S. Victoris Parisiensi: ex quo desumpsi exemplar, dum Legatio-

gationis Regiæ fungebar officio. Aliis SS. Græcorum Operibus idem accidit. Accedit in testimonium D. Cyrilli Τ῾ πόμνημα *in D. Ioannem, de quo Heinsius in Aristarcho sacro, siue in Exercitationibus sacris ad Nonnum cap.* 11. *Salianus tamen in* 1. *Tomo Annal. anno mundi* M.DCC.LVI. *memorat Græco-Latinum excusum in Orthodoxographis à Grinæo Basileæ editis; sed (post Pererium) quædam ex hisce Reuelationibus, non tam D. Methodij scripta, quàm commenta Rabbinorum existimat. Torniellus, mediam viam tenens, adeò esse dubia & incerta putat, vt pariter, neque prorsus probari, nec improbari posse affirmet. Cui assentitur Iacobus Bolduc lib.* 1. *de Ecclesiâ ante Legem pag.* 67. *Eminentiss. Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis hunc libellum Reuelationum suppositititium censeri ait. Dubius & anceps Historicis Græcis annumerat Gerardus Ioannes Vossius lib.* 2. *cap.* 16. *pag.* 199. *Vnicum tantùm, vt alia omittam, ex meâ coniecturâ, adducam testimonium, ad vindicandas D. Methodij Reuelationes, ipsius nomine circumlatas. Id est: in earum textu inuenitur scriptum, vbi agit de Saracenis inuadentibus Hispaniam & Galliam:* Et erunt, tamquam locustæ, in multitudine, quæ congregabuntur à vento; & erit in eis pestilentia & fames; & exaltabitur cor exterminatorum, & in superbiam elabetur, & loquentur excelsa, vsque ad tempus constitutum eis. *Prædixit Maurorum multitudinem locustarum figurâ: qui quidem* magnam Galliæ partem emensi, victricibus armis in Aquitaniam irrupêre, & Garumnâ transmisso, Burdigalam, diruti templis, deuastarunt, atque Engolismenses, Petragorios, Sanctones Pictonesq́. eâdem belli flammâ deuorarunt, donec Carolus Martellus hostibus processit obuiàm prope Turones, Ligeri fluuio traiecto, vt pro munimento à tergo esset. Vbi, Barbarorum aduentu, totis vtrimque viribus dimicatum, & Christianorum virtute innumeri hostes fuêre deuicti, trecentis septuagintaquinque millibus ex eorum exercitu cæsis. Vnde Nobiles Turonenses in stemmata Locustas induxêre sua, trophæa victoriæ à Mauris reportatæ indicantes. Gentis multitudo à locustis mutuatâ comparatione significatur, Iudic. c.* 6. *n.* 5. *&* c. 7. *n.* 12. *Id satis notum; in vastationem tamen: vti in ædificationem ab apibus, quarum examen ad deducendas colonias, condendasq́. ciuitates, bono, vt ferebatur, augurio sibi desumebant Antiqui. Athenæ namque Atticæ, ex responsis Apollinis Delphici, tredecim colonias vno tempore in Asiam deduxerunt; Ione Xuthi & Creüsæ filio Imperatore. Sic Vitruuius scripsit lib* 4. *c.* 1. *cui suffragatur Velleius Paterculus lib.* 1. *Hist. Duces autem classis extitêre Musæ, sub apum specie, teste Philostrato in Melete. Illarum verò coloniarum primaria fuit Ephesus, celeberrima Christianorum primitiuo conuentu, vt inuenitur scriptum Act. Apost. cap.* 20. *D. etiam Ioannis Euangelistæ morâ & morte illustris, emporiumq́. totius Asiæ recognitum, & summo honore habitum; quod attingere in id proficiscenti Proconsuli necessarium fuit, vt respondit Vlpian. I.C. in l.* 4. *π. de Officio Proconsulis & Legati. Hinc apis imagine Ephesij nummos suos signarunt, & Dianæ symbolis. Vide in symbolam, & fidei tesseram, hoc venerandæ Antiquitatis monimentũ:*

* P. Ioann. Marian. li. 6. Hist. Hispan. c. 3. Tom. 1. anno DCC. XXXIII. Scipio Dupleix 1. To. Hist. Gal. an. Christi DCC. XXVI. pag. 262. ex Paulo Diac. & Roderico Ximenez Archiep. Toler. & passim in Descriptionibus & Itinerariis Galliæ: Paulus item Merula in Cosmographiâ 2. p. l. 3. p. 494.



Apum enim examen, contra aruſpicum vanitatem proſperum etiam aliquando fuiſſe, memorat Plinius lib. 11. *Natural. Hiſt. cap.* 17. *Erant denique coloniarum emiſſarum notæ. ſic Varro:* Cùm examen exiturum eſt (quod fieri ſolet, cùm adnatæ proſperè ſunt multæ, ac progeniem veteres emittere volunt in coloniam, vt olim crebrò Sabini factitauerunt, propter multitudinem liberorum) huius quòd duo ſolent præire ſigna, ſcitur. *Ad rem mirificè Virgilius lib.*4. *Georg. vbi apum naturam inter multa deſcribens, ait:*

Prima fauis ponunt fundamina, deinde tenaceis
Suſpendunt ceras; aliæ ſpem gentis adultos
Educunt fœtus; aliæ puriſſima mella
Stipant, & liquido diſtendunt nectare cellas.

*Quem Seneca refert & illuſtrat Epiſt.*84. Apes, vt aiunt, debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt; deinde quidquid attulêre diſponunt, ac per fauos digerunt. *Plura inuenies apud Laurentium Pignorium in libro Symbolarum Epiſtolicarum, Epiſt.*48. *pag.*205.

*De S. Iſidoro, vt iam excurſui longiſsimo finem imponam, & filum iterùm apprehendam, Lucas Tudenſis lib.*3. *Chronici in principio. Ex eo Eminentiſs. Cardinalis Baronius Tom.*8. *Annal. anno Chriſti* DC.XXXVI. *pag.* 340. *litt. D. & Conſtantinus Abbas Caietanus, in ſuo Hiſpalenſi S. Iſidoro, P. Ioannes Mariana lib.*6. *Hiſt. Hiſp. cap.*7. *Tom.*1. *P. Iacobus Bleda in Chronico Maurorum Hiſt. lib.*2. *cap.*1. *Ipſius verba prophetica mihi communicauit M. Aegidius Gonzales d'Auila, Regius Hiſtoricus, litterarum bono publico natus, exarata vetuſtiſsimis characteribus in membranâ peruetuſtâ. Hæc ſunt:*

VÆ TIBI HISPANIA, BIS PERDITA,
TERTIO PERDENDA PROPTER MALAS NVPTIAS.

Tranſtulit in noſtrum è Latino ſermonem M. Didacus de Valera d. 4. *p. Hiſt. c.*125. *in Epiſtolâ ad Regem Hiſp. D. Ioannem II. cui titulus affixus,* Da pacem Domine, *pag.*116. *col.*3. Pues Señor, vos ſolo, aquien por Dios es la cura deſtos Reynos encomendada, quered dar paz en nueſtros dias, è no querais, que en vueſtros tiempos ſea verificado aquel dicho de Iſidoro, que deçia: O mezquina Eſpaña, dos vezes eres deſtruida, è terçera vez lo ſeras por caſamientos ilicitos. *Quamuis inſinuare videatur, tunc nondum adimpletam propheticam illam comminationem: de quâ item P. Iacobus de Bleda in dict. Chron. Maur. Hiſp. lib.*2. *cap.*1. *ad principium. Quæ ſanè tempore Roderici Regis Gotthorum, VVitizæ anteceſſori* * *ſimilis (eſto quòd legem de maritandis Clericis, ductis pluribus vxoribus, abrogauerit) omnino reſpondit euentui. Et fuit tertia Hiſpaniæ deuaſtatio. Confirmant id manifeſtè quidem D. Iſidori verba, dum ait, tunc iam bis deſtructam Hiſpaniam, & tertiò deuaſtatum iri. Suffragantur omnes ij, qui aſſerunt, D. Iſidorum locutum de VVitizæ ſceleſtiſsimis nuptiis, legum auctoritate munitis; inde ſaltem agnoſcentes præceſſiſſe, ante D. Iſidori tempora, duplicem Hiſpaniæ ruinam. Doctè, vti ſolet, illuſtrat omnia Illuſtriſsimus Archiepiſcopus Bracharenſis, D. Rodericus de Acuña, in Catalogo Epiſcoporum Portucalienſium* 1. *part. cap.*11. *fol.*119. *Denique paria faciet bonus reliquator, ſi digitis & aure calluerit verum à falſo diſcernere, & ſupputare optimo examine rationes, in quibus tres Hiſpaniæ deuaſtationes & ruinas offendet. Non enim eas enumero, quæ ante Chriſti fidem omnibus in Regnis Hiſpaniæ ſuſceptam contigêre: ſed eas tantùm, quæ, poſtquam in iis Religio Chriſtiana vbique viguit, funditus euerterunt. Ea namque verè floret Reſpublica, vbi verus Deus colitur, & timetur, amaturq́: atque illius certa eſt ruina, vbi à vero Dei & diuini cultus tramite deuiatur.*

*Stephan. de Garibay in Comp. Hiſt. lib. 8. c. 48. ann. DCC.L. p. 372. Bozius de Sign. Eccleſ. To. 1. lib. 5. fig. 16. c. 11. exemplo 11. p. 385 & de Ruinis Gent. lib. 7. c. 4. p. 638.

I. Floret in Hiſpaniâ Religio Chriſtiana.

1. *Hunc totis vlnis amplexata fuit Hiſpania Tertulliani tempore, imperante Septimio Seuero, ſub quo*[a] *vixit. Verba eius ſunt lib. aduerſus Iudæos cap.*7. [b] In quem enim alium vniuerſæ Gentes crediderunt, niſi in Chriſtum, qui iam venit? cui enim aliæ Gentes crediderunt? *Et paucis interiectis, enumeratiſq́; multis nationibus, de Hiſpaniâ ſic effatur:* Hiſpaniarum omnes termini.

[a] Tertul. ipſe lib. 1. Apolog. c. 4. Eminent. Card. Bellar. de Scriptorib. Eccl. in tertio ſæculo an. Chr. cc III. p. 44. Greg. Eberlinus de Orig. Iuris c. 55. n. 7. pag. 407. Ioan. Bertrand. de Iuriſperitis li. 1. p. 95.
[b] Vbi Pamelius num. 41.

* *Diocletianus Imp.*[c] *anno Chriſti* CCC.III. *bellum, quod ante octo annos concitarat ſæuiſsimum, crudelioribus edictis exacerbauit; &, vt D. Auguſtinus*[d] *eſt Auctor, templa Chriſtianorum euerti, libros ſacros exuri, Chriſtianos homines infames haberi, & publicis honoribus arceri imperatum: additum deinde, vt Eccleſiarum Præfecti interficerentur, Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Coſſ. Incendiis, proſcriptionibus, cædibus, è terris Chriſti cultum ita exterminare conatus eſt, vt nulla diuturnior aut immanior extiterit perſecutio. Et adhuc legi lapidem in Hiſpaniâ teſtatur Thomas Bozius de Signis Eccleſiæ Tom.*2. *lib.*17. *ſig.*76. *cap.* 3. *pag.*392. *in quo inciſum à Diocletiano.* Ex Hiſpaniis Chriſti nomen prorſus abolitum, & deletum. *Quem blanditiis potiùs quàm rei veritate poſitum, in ipſius adulationem duco: Chriſti namque nomen ab Hiſpaniæ terminis omnino amandatum non fuit, licet immanis fuerit perſecutio. Huius lapidis meminit Eminentiſs. Cardin. Cæſar Baronius Tom.* 2. *Annal. anno Chriſti* CCC.IV. *pag.*787. *& Cluniæ, quam* Coruña del Conde *vocamus, extare affirmat: quem ad id adducit noſter doctiſsimus Bernardus Ioſeph de Aldrete in variis Antiquitatibus Hiſpaniæ lib.*2. *cap.*22. *pag.* 310. *Inſcriptio talis eſt:*

[c] P. Mariana li. 4. Hiſt. Hiſp. c. 12. Tom. 1.
[d] Li. 18. de Ciuit. Dei c. 52. li. 7. de Baptiſmo cont. Donatiſtas cap. 1. Arnob. lib. 4. ſub finem. Optatus li. 3.

* Concidit.

DIOCLETIAN. IOVIVS. ET. MAXIMIANVS. HERCVLIVS
CAESS. AVGG.
AMPLIFICATO. PER. ORIENTEM. ET. OCCID. IMP. ROM.
ET. NOMINE. CHRISTIANOR. DELETO
QVI. REMP. EVERTEBANT.

& alia talis:

DIOCLETIAN. CAES. AVG. GALERIO. IN. ORIENTE
ADOPT.
SVPERSTITIONE. CHRIST. VBIQ. DELETA
ET. CVLTV. DEORVM. PROPAGATO

*Has inſcriptiones Iuſtus Lipſius proponit inter eas, quas euulgari curauit pag.*280. *num.*3. 4. *è Schotti Schedis aliorumq́;, & Adolphus Occo in veteribus Hiſpaniæ inſcriptionibus pag.* 24. *num.*2. & 3. *eaſq́; acceptas refert Ambroſio de Morales, qui primus edidit Tom.*1. *Chron. Hiſp. lib.*10. *in Diocletiano & Maximiano cap.*26.

Floret in Hiſpaniâ Religio Chriſtiana.

*Floret in Hiſpaniâ Chriſti Religio ſub Imp. Theodoſio Magno, qui publicâ edixit lege, vt Damaſi, Romani Pontificis, & Petri Alexandrini Epiſcopi, de Religione, quæ ſectarum opinionibus diſtrahebatur, placita rata haberentur. Sic P. Ioannes Mariana lib.*4. *Hiſt. Hiſp. cap.*20. *in principio, Tom.*1. *Thomas Bozius de Ruin. Gentium lib.*7. *cap.*4. *ex Sozomeno & Theodoreto.*

Concidit.

*Execrabili ſectâ Priſcillianiſtarum, magna rei Chriſtianæ facta iterùm iactura, & Hiſpania à VVisigotthis deſtructa fuit. Cuius iacturæ meminit Salunianus lib.*6. *de Gubernatione Dei, ex Rithershusij editione, pag.* 224. *& lib.*7. *pag.* 255. *qui vixit anno* CCCC.LX. *& Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis pag.*122. *Meminerunt & alij; S. Iſidorus, Archiepiſcopus Hiſpalenſis, in Tractatu de Ortu & Obitu Tom.*2. *pag.*165. *col.*1. *in editione Madridienſi, Idacius in Chronico ab Epiſcopo D. F. Prudentio de Sandoual editus, pag.* 29. *num.* 16. *Thomas Bozius de Signis Eccleſiæ Tom.*1. *lib.*5. *ſign.*16. *cap.* 11. *exemplo* 9. *&* 10. *& Tom.* 2. *lib.* 24. *ſigno* 99. *cap.* 1.

* *Poſteà*

* Floret in Hispaniâ Relig. Christiana.
[a] P. Ioan. Mariam. lib. 6. Hist. Hisp. c. 14. anno D.LXXXVI.
* Concidit. D.L.

* *Posteà verò, cùm Veritas Religionis Christianæ ab Imp. Reccaredo* [a] *esset restituta, ab eâ discessit* VVitiza Rex, *& Rodericus: sub quo tertiò fuit destructa Hispania, quam* * *maximo Christianæ legis dedecore & detrimento Saraceni occuparunt: & D. Isidori propheticæ prædictiones adimpletæ fuerunt.*

Cabam Florindam filiam.] *De nomine filiæ Comitis Iuliani anceps & ambigua apud Auctores quæstio. Multi eam vocant Florindam; inter quos Abulcacim Tarif, si Michaëli de Lunâ credimus in Historiâ Regis Roderici lib.* 1. *c.* 8. *Bleda in Chronico Maurorum Hispaniæ lib.* 2. *cap.* 4. *fol.* 127. *col.* 1. *Abbas Don Martinus Carillo in suis Annalibus, anno Christi* DCC.XI. *Alij verò Cabam appellant: Stephanus de Garibay lib.* 8. *Compend. Hist. cap.* 48. *P. Ioannes de Mariana lib.* 1. *Hist. Hisp. cap.* 21. *Tom.* 1. *qui antiquæ Historiæ Roderici Regis monimenta sequuntur. Luitprandus noster illam vtroque insigniuit nomine, quasi innuens, proprio Florindam vocatam fuisse, adiectitio Cabam; quæ vox inhonestam apud Arabes feminam designat, deducta ab Hebræo verbo* קָבַב maledicere, *quasi maledicta mulier, quæ dissolutis moribus libidini dedita omnibus prostat. Hinc* קְבָה *dictum* lupanar. *Quâ de re plura cumulat & digerit eruditâ sanè manu Sebastianus de Couarruuias in linguæ Castellanæ Thesauro, verbo* Caua. *Annuuntq; ferè omnes qui de Hispaniæ excidio scripsêre. Renuit vnus aut alter, doctus tamen & eruditissimus vir, qui fuisse Cabam negat, in primâ suâ editione Mediolanensi Animaduersionum ad Hist. P. Marianæ p.* 98. *quamuis id in Madridiensi nouissimâ omiserit; fortè, an consultò, nescio. Lector videat & perpendat.*

DCC. L. DCC. XII.

189. Seniores Ecclesiæ Toletanæ, mortuo Suineredo, Iulianum, cognomento Vrbanum, Toletanæ Sedi præficiunt, ætate confectum, discipulum S. Ildefonsi Toletani.

190. Coacta est Londini in Angliâ Synodus pro sacrarum Imaginum defensione: vt Synodus Constantinopolitana prima.

DCC. LI. DCC. XIII.

191. Synodus Romana prima pro defensione sacrarum Imaginum.

DCC. LII. DCC. XIV.

192. XI. die Nouembr. & Dominicâ, Rodericus, vltimus Gotthorum Rex, curru subuectus eburneo, trahentibus sex candidissimis equis, ferico auroque * venustus, à Saracenis prælio victus est post octo dies, post varios ancipitesque bellorum casus; & ex eo tempore paulatim venerunt Hispaniæ in manus Arabum victoriis insultantium & grassantium.

* *al.* vestitus.

193. In Betoniâ, oppido Sarandulæ, ad montem quemdam, vbi à primis Christianæ Religionis incunabulis constructum erat templum S. Saluatoris celeberrimum, multi ex variis partibus confugiunt Pontifices; qui plebes eò confugientes docebant, & Sacramentorum eduliis nutriebant; & à Mauris obsessi, dum Sacris operarentur, seruatâ in puteo profundo sanctissimâ Eucharistiâ, omnes necati sunt. Erant ex iis Caurienſis, Elborensis, Ciuitatensis,

sis, Salmanticensis, Visensis, Lamicensis, & non pauci Sacerdotes & Diaconi sanctissimi.

192. *Quidam ponunt primum Arabum in Hispanias aduentum anno* DCC.IX. *alij* DCC.X. *& crediderim alios de aliis æris quidem, & dissimilibus, loqui. Prima transmissio, secundùm Rodericum lib.* 3. *cap.* 18. *facta est æra* DCC.L. *cùm Iuliano Comite & Taric transmissi super Algeziram centum equites, pedites etiam quadringenti, qui quatuor nauibus transierunt. Fuit hoc anno* XCI. *egiræ Arabum, reuerà Christi* DCC.IX. *in mense, qui dicitur Ramadam. Hæc dicitur prima Saracenorum in Hispanias irruptio; sed fallit mensis. Isti quingenti Mauri, centum (vt dictum est) equites, quadringenti verò pedites, primùm Algeziram spoliant, inde littore Lusitaniæ & Bæticæ, per Comitatum Nebulæ, & Marchionatum Gibraleonis, ac Algaruem dispersi; multos vitâ, nonnullis rebus spoliantes, domum redeunt onusti captiuis & pretiosissimis spoliis. Hæc omnia facta docet Rodericus sub primum Saracenorum ingressum, adhuc viuente VVitizâ: statim narrat abiisse Toleto Romam Synderedum Archiepiscopum Toletanum. Sed quî fieri potest, vt sub illo perdita sit ciuitas Toletana, cùm ille fugerit? Hæc verò ciuitas perdita fuit anno* DCC.IX. *vt posteà primò ex historiis & priuilegio Regis Adefonsi VI. constabit. Secundò, quòd sub illum primum ingressum fugerit, docet Rodericus; narrato primo illo ingressu Saracenorum, subdit:* His diebus Synderedus, de quo diximus, vrbis Regiæ Præsul & Primas, aduentum Arabum expauescens, & VVitizæ insolentiis fugatus, Romanæ patriæ sese dedit, oues deserens, vt mercenarius, non vt Pastor: ingressi sunt iterùm, *&c. Tertiò, vt constat ex cap.* 19. *lib.* 3. *Roderici. Quo die menséve victus fuerit Rodericus, Auctores non omnino consentiunt. Rodericus die Dominicâ* V. *Idus Mensis Xabel Arabum, egirâ* XCIII. *(pro* XCVI.*) anno* DCC.XIV. *Gariuay* IV. *Septembris; sed reuerà fuit die Dominicâ,* XI. *Nouembris, die S. Martini Pontificis & Confessoris, egirâ Arabum* XCVI. *qui fuit anno* DCC.XIV. *Cœpit hoc anno Xabel* III. *Nouembr. fuit anno* DCC.XIV. *Dominicalis littera G. & sic dies Dominica* XI. *Nouembris.* P. H.

DCC. LIII. DCC. XV.

194. Hoc anno Imp. Constantinopolitanus Anastasius coactus, Imperio se abdicauit XIIII. Kal. Septembr.

195. Per hæc tempora S. Babylas, Episcopus Virinensis & Pampilonensis (vtrobique enim prædicauit) animo videndi captiuos & miseros Muzarabes, Toletum venit: & inde ad Odonem oppidum: & propè in Eremiteriolo pueros docet primas litteras; & venit cum duobus Fratribus, qui fiunt Eremitæ; & posteà omnes martyrium patiuntur.

195. Per hæc tempora S. Babylas.] *Idem refert Iulianus in Chronico num.* 413. *quamuis discrepet in tempore. Extat adhuc Eremiteriolum, quod appellatur* de san Babyles, *tribus à Madridio leucis distans, & ab oppido Odone dimidio milliari, cui S. Babylas fortè nomen dedit. Recolitur eius memoria in Odone* XXIV. *die Ianuarij; & à quibusdam asseritur ibi seruari & suspici corpus eius.* D.L.

DCC. LIV. DCC. XVI.

196. Hoc anno succedit in sacrosanctâ Petri Principis Apostolo-

rum Sede Constantino Papæ Gregorius huius nominis Secundus.

197. Eodem anno Synodus Romana sub Gregorio Papâ Secundo.

DCC.LV. DCC.XVII.

198. Hoc anno Iulianus, cognomento Vrbanus, cum Principe Pelagio, aliisque Ducibus Palatinis, Toleto in Asturias asportant arcam sanctarum Reliquiarum, & corpora SS. Iuliani, & Compluto Asturij, cognomento Serrani, sanctissimorum olim Episcoporum Toletanorum, metuentes ne * captâ ciuitate per Saracenos illas irreuerenter & impiè tractarent.

* *al.* captiuitate

P. H. 198. *Sunt qui putent, Vrbanum dictum esse Iulianum, & Iulianum cum Pelagio portasse Toleto Reliquias arcæ sanctæ; noster Auctor putat non fuisse Iulianum, sed Vrbanum, quia Iulianus Doctor sanctus, Archiepiscopus Toletanus IV. fuit ante Synderedum. Id verè quidem; sed noster Luitprandus dicit, Vrbanum fuisse binominem: & ita non est idem, qui S. Iulianus Archiepiscopus Toletanus; sed longè alius, atque etiam diuersus à Iuliano Lucâ, Diacono Toletano, qui scripsit Vitam Regis S. Pelagij.*

De sancto Serrano plura super M. Maximum Cæsaraugustanum.

D. L. Toleto in Asturias asportant arcam, *&c.*] *De harum Reliquiarum asportatione vide sis Rodericum Archiepiscopum Toletanum, libr. 4. Histor. cap. 3. & Isidorum Pacensem anno* DCC.XIX. *Sebastianum Salmanticensem Episcopum in Historiâ editâ à D. Don Fr. Prudentio de Sandoual, Episcopo Pampilonensi, pag. 45. col. 1. & 2. & pag. 50. col. 2. nostrum Iulianum in Chronico num. 377. pag. 87. qui graphicè describit omnia, & anteà scripserat num. 369. & 371. Adducam celebre testimonium ex manuscripto antiquissimo codice membranaceo, Gotthicis litteris exarato, quem mihi communicauit clarissimus doctissimusq; vir D. Don Franciscus de Eraso, Comes de Humanes, qui nobilitatem cum scientiarum cognitione morumq; suauitate apprimè coniunxit, Potentissimo nostro Philippo IV. Hispaniarum Regi Catholico pacis belliq; in supremo Indiarum Senatu à Consiliis, & Serenissimi Ferdinandi Infantis Cardinalis Cubicularius, equitiiq; primus Præfectus. Verba M.S. sunt:* Tunc Pelagius Fafilæ, qui erat ex gente Gotthorum, acceptâ arcâ cum Sanctorum pignoribus, quibus nunc Ouetum gloriatur, & cum Iuliano Toletano Archiepiscopo, & cum multis Christianis intrauerunt Asturias, quæ erant vallatæ montibus, & inhabitabiles. *Dixerat Sebastianus loco suprà citato iisdem ferè verbis:* Cuius *(arcæ)* præsentiâ nunc gloriatur Sedes Ouetensis sublimitùs. *Lege Baronium ad ann.* DCC.XCI. *Tom. 8. pag. 414. priùs D. Ludouicum Episcopum Tuci, in Chronic. Hisp. Ildefonsum de Carthagenâ Burgens. Episcopum, in Anacephalæosi Hispan. Vasseum in Chronicis ann.* DCC.XCI. *Lucium Marin. Siculum lib. 1. Hist. Hisp. cap. de sacris ædibus; & lib. 5. cap. vbi sacras Ecclesiæ S. Saluatoris Ouetensis recenset Reliquias, quæ quidem ab hac depromptæ arcâ fuêre. Ambros. de Morales lib. 13. Hist. Hisp. in Vitâ Ildefonsi el Casto, sic nuncupati, cap. 38. Aldefonsum Venero in Temporum Chronicis fol. 44. Iacobum Bleda Dominicanum in libro Miraculorum Crucis, miraculo 61. vbi de Cruce ab Angelis fabrefactâ circa annum* DCCC.XXVI. *Ildefonsi verò* XXXV. *Adde dilucidè scribentem P. Franciscum Portocarrerum in lib. de B. Virginis Mariæ descensu in Ecclesiam Toletanam cap. 29. & 30. vbi catalogum Reliquiarum apponit, non tamen integrum: is inseritur testimonio, quod ex voto peregrinis Ouetum proficiscentibus ad eas inui-*

inuiscendas datur. Verba sunt: Vniuersis & singulis Christi fidelibus, has præsentes litteras inspecturis, notum facimus, quòd Deus suâ mirabili potentiâ quamdam arcam de lignis imputribilibus à discipulis Apostolorum factam, Dei imaginibus plenam, ab vrbe Ierosolymitanâ, tempore quo deuastata est à Cosdrâ Rege Persarum, transtulit Africam, ab Africâ in Carthaginem, à Carthagine Hispalim, ab Hispali Toletum, à Toleto in Asturis ad montem appellatum Sacrum, & inde ad istam sanctam Ecclesiam sancti Saluatoris, quæ dicitur Ouetum. Quæ quidem arca ibi aperta fuit, in quâ aperientes multas arcellas aureas, argenteas & eburneas inuenerunt: quas summâ cum reuerentiâ aperientes, viderunt quædam scripta, singulis Reliquiis ibi reconditis alligata. Quæ omnia manifestissimè declarabant. Inueneruntque magnam partem de sindone Domini, quâ inuolutus iacuit in monumento, eiusque pretiosum sudarium, suo cruore sanctissimo insignitum, quo speciosissima eius facies cum sacratissimo capite cooperta atque inuoluta fuit: quodque ter in singulis annis, eâ quâ decet reuerentiâ, ostenditur; videlicet in Festo solemni sanctarum dictarum Reliquiarum, quod incidit die decimatertiâ Martij, ac Feriâ VI. in Parasceue, nec non in festo Exaltationis sanctæ Crucis, die decimaquartâ Septembris. Plurimum de verâ Cruce Domini: octo spinas coronæ Domini: de pannis in quibus iacuit inuolutus in præsepio: de pane Cœnæ Domini: de Mannâ, quam pluit Dominus filiis Israël: magnum fragmentum cultri B. Bartholomæi, quo fuit excoriatus: pallium quod dedit Regina cælorum Ildefonso, Archiepiscopo Toletano, *&c. Et postquam aliæ multæ referuntur Reliquiæ, sequuntur hæc:* In quorum fidem & testimonium nos Decanus & Capitulum almæ Ecclesiæ Ouetensis has præsentes litteras exinde fieri fecimus. *Hactenus quæ inueniuntur apud Portocarrerum; plenius apud Pelasium Ouetensem, cuius insertum agnoscit, eiq; vendicat Episcopus D. Prudentius de Sandoual in Hist. Sebastiani Salmantic. Episcopi pag. 50. col. 2. & 51. col. 2. en accipe:* His igitur præmissis, quæ arca Sanctorum gloriosissima teneat pignora, scripto subtitulauimus, eam manifestantes populis fidelibus. Tenet enim crystallinam ampullam cum cruore Domini fuso, videlicet è latere illius imaginis, quam quidam Christicola verè in vrbem secum adduxit; quoniam quorumdam Iudæorum perfidia, ad depressionem veritatis Christi, Christi ligneam effigiem ligneæ crucis perforauit in latere, de quo exiuit sanguis & aqua, ad ipsorum Iudæorum perfidiam conuincendam, & sanctæ Ecclesiæ fidem roborandam. De ligno Domini: de sepulchro Domini: partem ex spineâ coronâ: de sindone Domini: de tunicâ Domini: de pannis vbi iacuit in præsepio inuolutus: de pane, quo saturauit Dominus quinque millia hominum: de pane Cœnæ Domini: de Mannâ, quam pluit Dominus filiis Israël: de terrâ montis Oliueti, vbi Dominus ascensurus pedes tenuit: de terrâ, vbi Dominus pedes tenuit, quando Lazarum resuscitauit: & de sepulchro ipsius Lazari. & quod est dignum summâ veneratione, in Ecclesiâ sancti Saluatoris habetur vna sex hydriarum, in quibus Dominus in nuptiis aquam vertit in vinum, vt Euangelica monstrat veritas, integra. De lacte Matris Domini: de vestimento eius: ipsum pallium, quod dedit ipsa Regina cæli Ildefonso, Toletanæ Sedis Archiepiscopo, pro laudibus in honorem sanctæ ipsius virginitatis celebratis (vbi ipse sanctus Episcopus glorioſus contulit aduersus hæresiarchas * Eluidium atque Iouinianum) sic dicens illi, circumstantibus tam Angelorum quàm & Sanctorum multiplicibus choris, inenarrabili luce circumscriptis: Accipe hoc munus, quod tibi de thesauro Filij mei attuli. Manus sancti Stephani: sandale dextrum

* *Contra quos scripsit librū Synonymorū. Vide ad id quæ notauit Hieron. de la Higuera nu.* 101. *& qua ibid. ego strictim tetigi.*

dextrum ſancti Petri Apoſtoli: frons Ioannis Baptiſtæ: de capillis Innocentium, & articulos digitorum: de oſſibus trium puerorum, Ananiæ, Azariæ, Miſaëlis: ex capillis, quibus Maria pedes Domini terſit: de petrâ montis Sinai: de pallio Eliæ: pars piſcis aſſi, & faui mellis. Eſt ibi verò clauis paruula, in quâ eſt ferrum de catenis beati Petri Apoſtoli incluſum: & crux, in quâ eſt lignum Domini, & capilli beati Ioannis Baptiſtæ: quod B. Gregorius Papa ad B. Leandrum, Hiſpalenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, tranſmiſit. Multa prætereà ſanctorum oſſa Prophetarum; multa etiam aliorum ſanctorum Confeſſorum atque ſanctarum Virginum diuerſa pignora, ibi in capſis aureis & argenteis tenentur recondita: quæ nos ſcribere omnia ipſa abnegat infinitas. Crux ibi monſtratur opere Angelico fabricata ſpectabili modo. Nunc reuertamur ad ſuperiorem Hiſtoriam vnde incepimus. *Denique, vt bono Reipublicæ litterariæ conſulam, antiquum huius arcæ monumentum, quod inter Tabularia Eccleſiæ Ouetenſis aſſeruatur, & mihi communicauit doctiſſimus vir Ludouicus Tribaldus à Tolcto, noſtræq; laus Hiſpaniæ, tranſſcribere non grauabor. tale eſt:* Reynando Siſebuto en Eſpaña, en tiempo de Heraclio, quando Coſdra deſtruyo à Ieruſalem; Philippo Presbytero tomò vna arca, que eſtaua en la caſa ſanta, i auia ſido hecha por mano de los diſcipulos de los Apoſtoles, de madera de ſetin incoruptible; i recogio dentro della las mas principales Reliquias que en la caſa ſanta eſtauan, i embarcoſe con ellas la buelta de Poniente, porque no viniesen à poder de infieles. Deſembarcò en Tunez, donde eſtuuo haſta la era DC.LVIII. que fue el año del Nacimiento de DC.XX. de alli lleuò eſta arca Fulgentio Obiſpo Ruſpenſe à Cartagena en Eſpaña, i de alli à Sevilla, i de alli à Toledo; donde eſtuuo haſta la deſtruicion de Eſpaña, en la era de DCC.LXIII. que es año de DCC.XXV. yendoſe entonces perdiendo Eſpaña. El Principe Don Pelayo, i el Arçobiſpo Don Vrban de Toledo, la lleuaron con la caſulla de ſan Illefonſo, i otros libros i Reliquias, à Aſturias; i pueſta en Monte ſacro, eſtuuo haſta en tiempo de Don Alonſo el Caſto ſu tercero año, que fue era de DCCC.XXX. que es año de DCC.XCII. traida que fue con veneracion por eſte Rey à la ſanta Igleſia de Ouiedo. Deſpues de algun tiempo la quiſo viſitar el Obiſpo Poncio, i ſalio tanta claridad, que cegaron muchos de los que aſſiſtian alli. Deſpues en la era de M.C.XIII. que fue el año de M.LXXV. el Rey Don Alonſo el Seſto fue alla deſde Zamora en romeria con gran deuocion, conuocando los Obiſpos de Aſtorga, Palencia i Ouiedo. Deſpues de muchas proceſſiones, i plegarias, i ayunos, i ſacrificios, permitio Dios, que ſe abrieſe tan gran teſoro, i ſe manifeſtaſe à todos. Cuyo catalogo es largo i marauilloſo. *Quæ in hac deſcriptione ad Chronologiam ſpectant, examinat accuratè, anſam ad id ei præbente Pelagij Epiſcopi Ouetenſis hiſtoriâ, P. Franciſcus Portocarrerus dicto lib. de Deſcenſu B. Virginis Mariæ cap. 28. Pro coronide adduco Marietam lib. 22. de ciuitate Ouetenſi, & Arcâ.*

DCC.LVI. DCC.XVIII.

199. Eodem etiam anno, menſis Iulij die IV. quidam de genere ſancti Ildefonſi, primi nobileſque Palatini, qui putauerant aliquando poſſe Toletum defendi, ac ob id detinuerant eius ad Aſturias tranſlationem; iam defenſione diffiſi, effodiunt corpus ſanctiſſimi conſanguinei, ciuis & Patroni Toletani, & ad vrbem Zamoram

moram efferunt; ibique cum theſauro cæleſti remanent; & illis morientibus memoria corporis excidit.

199. *Anno* DCC.XVIII. *paulò ante captiuitatem Regiæ ciuitatis Toleti, delatum eſt Toleto Zamoram à quibuſdam cognatis S. Ildefonſi, eius corpus, ibiq; remanſerunt deferentes. Quatuor ergo annis poſt mortem Roderici delatum eſt Toleto corpus ſanctiſſimi Doctoris & ciuis Toletani Ildefonſi.* P. H.

DCC.LVII. DCC.XIX.

Vigeſimaquartâ die menſis Maij, feſto ſancti Vrbani Papæ & Martyris, Feriâ ſextâ occupant Arabes Toletanam vrbem, ſub eâ pactione, vt ſeptem Eccleſiæ remanerent pro Chriſtianis Muzarabibus, ibidem manentibus, cum graui etiam tributo. 200.

200. *Magna varietas inter Auctores, quonam anno capta fuerit ciuitas Toletana. Rodericus putat paulò poſt ingreſſum & dominationem Saracenorum. Sed noſter hic Auctor, & Iulianus, atque alij putant anno* DCC.XIX. *Et ſuppoſito tamquam vero fundamento, hoc quòd capta eſt & reſtituta Chriſtianis die Dominicâ* XXV. *Maij, die S. Vrbani, ex ratione Aſtronomicâ neceſſarium eſt, vt incidat in annum* M.LXXXV. *vt Annales Toletani teſtantur, docetq; donatio quædam facta Cellæ-noua* IV. *Id. Auguſti, æra* M.C.XXIII. *id eſt, anno* M.LXXXV. tempore Sereniſſimi Principis Aldefonſi, in anno quando preſſit Toletum à Saracenis. *Hoc tamquam firmo iacto fundamento, ex priuilegio Regis Adefonſi, quod vocatur* Dos S. Eccleſiæ Toletanæ, *æra* M.C.XXIV. XV. *Kalend. Ianuarij, anno, & ferè ſeptem menſibus à captione ciuitatis, ait ſic ibi:* Quæ ciuitas abſcondito Dei iudicio CCC.LXVI. annis fuit à Mauris poſſeſſa. *Retrocede cum ſupputatione ab anno* M.LXXXV. *quo recepta fuit, ad annum* DCC.XIX. *numerantur æqualiter anni* CCC.LXVI. *ita vt nec redundet, nec ſuperſit, nec deſit vllus annus. Eodem igitur die, quo capta fuit, recepta eſt, ſcilicet* XXV. *die Maij: capta Feriâ* VI. *recepta verò die Dominicâ, feſto ſancti Vrbani Papæ & Martyris.*

De captiuitate Toleti diximus ad num. 87. P. H. D. L.

DCC.LX. DCC.XXII.

Synderedus, olim Archiepiſcopus Toletanus, interfuit & confirmauit quoddam Concilium Romanum ſub Gregorio Papâ II. nec multò pòſt Romæ grandæuus moritur, dolore confectus malorum Hiſpaniæ: ac in Baſilicâ Petri ſepelitur. 201.

Florebat ciuitas Granata, quæ & Illiberis Florentina; cuius prima domina Natta dicta, quia..... 202.

201. *Synderedus interfuit cuidam Synodo Romanæ; poſteaq; moritur, & in æde S. Petri Principis Apoſtolorum ſepelitur. De Synodo plures in Conciliis, Garibay, Morales, & alij.* P. H.

202. Florebat ciuitas Granata, quæ & Illiberis Florentina.] *Ex lapidibus legendum* Illiberris, *& dicebatur* Florentina. *Sic inuenitur ſculptum in quodam lapide, qui Granatæ in magno habetur pretio dicato Furiæ Sabinæ, videlicet:* D. L.

FVRIÆ SABINÆ TRANQVI
LINÆ
AVG.
CONIVG. IMP. CAES. M. AN

TONI. GORDIANI. PII. FEL.
AVG. ORDO. M. FLOR. ILLI-
BERRITANI. DEVOTVS. NV-
MINI
MAIESTATIQVE. SVMPTV
PVBLICO POSVIT
D. D.

Et in alio etiam:

II. VI. CORNE.....
NICIPI FLORENTINI
ILLIBERRITANI. DEVOTVS
ORDO. NVMINI MAIESTATI
QVE. SVMPTV PVBLICO POSVIT
CORNELIAE.....
F. SEVERINAE
FLAMILAE
AVG. MATRI
VAL. VEGETI
.....
CONSVLIS
FLORENTINI
ILLIBERRITANI
D. D.

Huius Valerij Senecam mentionem facere autumo, dum eum Hiſpanum Oratorem agnoſcit. Horumq; lapidum meminit Licentiatus Franciſcus Bermudez de Pedraza in libro, cui affixit titulum, Antiguedad i Excelençias de Granada, *lib.2. cap.7. pag.35. & 36. vbi doctè explicat. Addo Iulianum in Aduerſariis num.* 175. Illiberis, vel municipium Florentinum Illiberritanum, idem eſt: & Illiberitani, ſeu Florentini. Pro quo in quibuſdam corruptis Codicibus legitur, Liberini. Ex hoc municipio progreſſi ſunt quidam ante Chriſti natalem, qui condiderunt in Italiâ ciuitatem Florentinam. *Dixeras in Chronico n.* 22. Baſilius ciuis municipij Florentini, ibi *(lege* vel) Illiberritani, *&c. & in Aduerſariis num.* 171. Baſilius, *id eſt,* Baſileus, ciuis municipij Florentini Illiberritani. *Plenâ, eruditâ, cultâque manu cumulat, diſponit, iudicioq; integerrimo decidit Doctor Gregorius Lopez Madera à Conſiliis Philippo Hiſpan. Regi Catholico, in Sacro ſuo monte Granatenſi cap.23. vbi Dom. Didacum de Mendozâ in Hiſtoriâ belli Granatenſis, & Hieronymum de Çurita in Annal. lib.20. cap.42. refert. Ad virum doctum illum, tamquam digito ad fontem intenſo, te mitto; operæpretium, ſi euoluas, erit; D. Ferdinandum de Mendoza, in Concilio Illiberitano lib.1. cap. 1. pag. 4. 5. & 6. qui hos & alios recenſet lapides.*

De Nattâ *varij varia; multa idem D. Gr. Lopez Madera ſcribit eodem libro cap.17. & Couarruuias in ſuo Theſauro linguæ Hiſpan. verbo* Granada. *Ea verò quæ deſunt, in Autographo haud poſſunt legi: coniecturam faciat Lector, & ſuppleat.*

DCC. LXII. DCC. XXIV.

203. Beda Anglo-Saxo, Monachus Benedictinus, floret.

204. Ioannes Manſur, Damaſcenus, vir doctus & pius.

DCC.

DCC. LXIII. DCC. XXV.

Synodus Orientalium contrahitur in Tyro, pro defenſione ſacrarum Imaginum, Ioannis Damaſceni operâ. 205.

DCC. LXIV. DCC. XXVI.

Hoc anno habita eſt ſancta Oecumenica Synodus Romana contra hæreticos Iconomachos.

DCC. LXV. DCC. XXVII.

Flauius Eutychius Patricius ſuccedit in officio Paulo Exarcho Rauennatum: fuit vir egregius & præſtans. Toleti celebris eſt memoria ſanctorum Iuſti & Abundij ſub Numeriano in Bæticâ paſſorum, à tempore S. Doctoris Iſidori, qui illos eleganti Hymno decorauit. 206.

DCC. LXVII. DCC. XXIX.

Synodus Conſtantinopolitana contra Imagines. 207.

DCC. LXVIII. DCC. XXX.

Gregorius II. obiit Romæ III. Idus Februarij. 208.

DCC. LXIX. DCC. XXXI.

Gregorius III. ſuccedit in Sede Petri Gregorio II. 209.

DCC. LXX. DCC. XXXII.

Synodus collecta Auguſtæ in Germaniâ à S. Bonifacio. 210.

DCC. LXXII. DCC. XXXIV.

Theodorus XLIV. Epiſcopus Mediolanenſis, & S. Bonifacius, primus Archiepiſcopus Moguntinus, florent. 211.

Vrbicarius, primus Archiepiſcopus Viennenſis, celebratur. 212.

DCC. LXXVIII. DCC. XL.

Gregorius III. obiit IV. Kalend. Decembris. 213.

Leo Imperator obiit Conſtantinopoli XIII. Kalend. Iulij. 214.

DCC. LXXIX. DCC. XLI.

Zacharias Monachus, ex Presbytero Cardinali creatur Papa Kalend. Decembr. conſecratur III. Nonas Decembr. 215.

Quartâ die Octobris moritur Toleti ſanctus vir Iulianus, cognomento Vrbanus, vir pius, doctus & excellentis ſpiritus; nec multò pòſt S. Euantius Archidiaconus. 216.

216. *De morte S. Vrbani, quo die fuerit, nos docet noſter Luitprandus, ſcilicet* IV. die Octobris, anno DCC.XLI. poſt Toletum captum XXII. anno, ſanctè moritur Feriâ VI. *Sed dubitari ſolet, num ſit annumerandus inter Toletanos Antiſtites. Primò, quia in nullo catalogo veterum, ſcilicet in S. Aemiliano, nec in Toletano ſacrario, à tempore Regis Adefonſi VI. ſcriptus inuenitur.* P.H.

nitur. Secundò, quia Pelagius Episcopus Ouetensis bis vocat illum veterem Melodium Regiæ ciuitatis Toletanæ. eius sunt hæc verba: Per idem tempus Frodoarius Accitanæ Sedis Episcopus, Vrbanus Toletanæ Sedis vrbis Regiæ Cathedralis veteranus Melodius. *Et paulò pòst:* Per idem tempus, *ait*, viri Doctores, & sanctimoniæ studio satis pollentes Vrbanus & Euantius, satis læti ad Dominum pergentes, requiescunt in pace. *Tertiò, quia non potest admittere vna eademq; Sedes duos Pontifices viuentes; viuebat autem Romæ Synderedus cùm electus est Vrbanus; non videtur ergo fuisse Pontifex Toletanus. Nihilominùs tamen D. Rodericus, Archiepiscopus Toletanus, non semel vocat eum Toletanum Archiepiscopum, & Historia generalis Hispaniæ; Lucas Tudensis, D. Garsias Loaysa Archiepiscopus Toletanus; bis, semel in catalogo, iterùm agens de Primatu Ecclesiæ Toletanæ, de quo posteà: ante hos Luitprandus Auctor ferè* DCC. *annorum, & Iulianus Archipresbyter, D. Gariuayus, Morales, Mariana; ego in Historiâ Toletanâ, Doctor Blasius Ortizius Canonicus Toletanus, Alcozer lib. 2. cap. 3. Fr. Ioannes Marieta, & alij. Argumentis verò sic satisfit. Ad primum respondetur, catalogos Toletanorum Antistitum esse mirè diminutos. Ad secundum, non tanti faciendam esse Pelagij auctoritatem, vt illam præferamus testimoniis tot Auctorum, qui Pelagij scripta non semel versarunt: & hanc opinionem sequitur M. Aluarus Gomezius in Vitâ ipsius Vrbani Pontificis. Ad tertium, credendum est de sanctitate Synderedi, non fugisse, sed iuisse Romam impulsum iniuriis, quas accipiebat ab Oppane, &, si animus illi fuit non reuertendi Toletum, liberè resignasse; ac ideò Toletanos Sacerdotes, consulto Rege Roderico, elegisse sanctum Pontificem Vrbanum. Non potest aliud sentiri nec dici, vel de prudentiâ Sacerdotum Toletanorum, & Euantij Archidiaconi, vt contra ius fasq; viuenti Synderedo sufficerent Vrbanum: vel de sanctitate ac animi moderatione Vrbani, vt contra iustitiam electus suam admitteret electionem. Canonicè igitur electus, non ambitione dominandi, sed voluntate Deo patriæq; seruiendi Pontificatum adiit. De quo præter laudes Pelagij Pontificis Ouetani cap.* 18. *lib.* 3. Viri autem longæui (de quibus diximus) Vrbanum virum sanctimoniæ in Episcopum elegerunt. *sic Garsias Loaysa fol.* 278. *Concil. Toletan.* Vrbanus, *inquit*, Præsul, eò quòd Synderedus abiisset, Primatus honorem suscepit. Qui, vt erat vir sanctus, constanti & forti animo inuictoque insignem illam sustinuit calamitatem, cui multum adiumenti ad pondus miseræ seruitutis ferendum attulit Euantius Archidiaconus Toletanus. Erant enim ambo præclarâ docti disciplinâ, & eâ cognitione Ecclesiasticâ informati, quâ Toletanam Ecclesiam sanctissimus instruxerat Ildefonsus. Vrbanus igitur in tantâ rerum commutatione non destitit, quibus potuit, rebus prouidere: libros complures, sacras Diuorum Reliquias atque corpora studiosè ac accuratè collecta, & in capsam summâ cum veneratione inclusa, in montanos Astures diligenter portanda curauit. Hæc verò beata capsa in Ecclesiâ Oueti posteà cum multis aliis Reliquiis sanctè collectis magnâ cum pietate hodie colitur, & ibi illa asseruatur: Cameræ sanctæ nomen est inditum. Miserandis Vrbani temporibus, diuinus cultus & Sacramentorum vsus cœpit Toleti magnâ ex parte immutari imminuique: illa namque amplitudo, summaque auctoritas Præsulis Toletani ad sex tantùm Parochias, & exiguum fidelium numerum redacta, iniquis admodum finibus inclusa est. Nec satis fuit paucitate esse imminutos; verùm, qui superfuerunt fideles, assiduâ Maurorum familiaritate & consuetudine vsi, & sæuissimâ persecutione deterriti, in Religione Christianisque institutis turpiter fluctuare cœperunt: quos vt firmos in fide efficerent, & ad pericula subeunda excitarent, curam & studium maximum adhibuerunt Vrbanus, Euantius, aliique

aliique pij. *Aluarus Gomezius putat mortuum Oueti, nec ob mœrorem & animi deiectionem, ac ætatis ingrauescentis iustum impedimentum rediisse. Sed penes me plus habet ponderis, quòd iste sciebat esse se Pontificem Toletanum, nec excusabatur in tantâ rerum perturbatione ac ouium periculo, illas in manibus luporum relinquere. Venit citra dubium Toletum, ibiq; anno* DCC.XLI. *mortuus est; sepultusq; (vt opinor) in æde S. Iustæ, quæ tunc erat Sedes & Cathedra Toletanorum Pontificum. Vir dignus immortalitate, quâ fruitur; & qui referretur in catalogum Sanctorum, vt etiam Gundericus ab illo tertius. Sed benè est, quòd illi multiq; alij Pontifices Toletani sanctissimi scripti sunt in æterno libro vitæ, quam assecutos piè credo.*

DCC. LXXXII. DCC. XLIV.

In Carpetaniæ finibus multæ virgines Moniales Benedictinæ, ne violarentur à Mauris, à Deo consecutæ sunt vt à terrâ absorberentur; quædamque campanula statis diei horis, quâ vocante conueniebant ad preces, auditur. 217.

Hoc loco nonnulli ponunt Suineredum, & XI. annos dicunt ab illo gubernatam sanctam Ecclesiam Toletanam, in miserrimo temporum & rerum afflictarum quidem successu. 218.

In Carpetaniâ, tractuque Aurelianensi S. Veranus exulat, Episcopus Tarraconensis. Colitur XIX. Octobris. 219.

Pelagio diuinitus in spelunca liberato, succedit filius Froila; Froilæ verò Aldefonsus Catholicus gener. 220.

217. *Idem refert Iulianus in Aduersariis num.* 550. Frequenter in quibusdam Hispaniæ locis audiuntur subtus terram sonitus campanarum; vbi creduntur fuisse monasteria sacrarum Virginum, quæ, ne venirent in manus falacium Maurorum, petierunt à terrâ sorberi: vt in iugis Carpetanis prope Margelizam in Carpetaniâ in templo S. Quiteriæ, & alibi. D. L.

218. *Luitprandus Vrbano sufficit* Suineredum: *hunc vocat catalogus Ecclesiæ Toletanæ* Sugifredum, *Loaysa* Sumeredum, *& Iulianus Archipresbyter; alij vocant* Suniderédum. *Eius meminit Gariuayus, Morales, Mariana, Loaysa in catalogo, quem texit super Concilium Toletanum sub Rege Flauio Gundemaro. Substituunt Vrbano Cixilanem. Dat illi Luitprandus* XI. *annos, Iulianus Toletanus* VI. *codex Loaysæ* XX. *Non dubito, quin fuerit vir sanctissimus, vt illa tempora, verè calamitosa & infelicia, vehementer postulabant. Nec enim de prouidentiâ diuinâ aliter sentiendum est, quin rebus afflictis, & propemodùm desperatis, tales exhibeat Pastores, qui vitæ exemplo præeant, & doctrinæ salutaris pabulo commissas oues passim reficiant. Gothicum fuisse Pontificem hunc, nomen præ se fert; & fit mihi maximè verisimile, fuisse in Ecclesiâ Toletanâ nutritum, mortuumq;, in Ecclesiâ Toletanâ S. Iustæ sepultum.* P. H.

219. *Aurelia in Carpetaniâ oppidum est, non procul ab Ocaniâ: ibi dicit Luitprandus exulasse S. Veranum, à Mauris, vt creditur, illuc missum; vel, quod magis credo, Tarracone se illuc contulisse, vt se contulit Acci Frodoarius, Episcopus Accitanus, Toletum. Fuit vir sanctus. In tabulis Aurelianensibus talis Episcopus non exstat: dicitur fuisse Tarraconensis: agitur eius dies festus* XIX. *Octobris. sic in Martyrologio Romano recentiori hoc die:* In territorio Aurelianensi S. Verani Episcopi. *Putat Baronius hunc esse Pontificem Cabilonensem, quia Gregorius Turonensis agit de illo lib. 9. cap. 4. his verbis:* Erat enim eo tempore ipse Pontifex magnis virtutibus præditus, ita vt plerumque in- P. H.

firmis signum virtutis imponens, statim sanitatem, annuente Domino, restitueret. *Floruit anno* D.LXXX. *Sed hic alius est: nam Sedes & tempus & locus id facilè monstrant videnti. Fuit alius Veranus Episcopus Lugdunensis, ad quem scribit S. Hilarius Papa: & Petrus de Natalibus lib.*10. *cap.*50. *ponit Veranum Gabalitanum Episcopum, tempore Imp. Valentis. Crediderim, hunc sanctissimum Pontificem Veranum Toleti multos annos altum, & Vrbani facultatibus sustentatum, donec in tractu Aureliæ, vel Aureliano, in Carpetaniâ felices dies obijt: &, vt credi par est, Toletum est eius sanctissimum corpus allatum. Nam ad hanc Regiam vrbem, licet à Mauris possessam, tamquam ad domicilium pietatis, & portum naufragorum tutissimum, Episcopi è suis Sedibus confugerunt, vt Odoarius, Clemens, Veranus, & alij. Quod non parum auget pietatis studium, quo semper hæc Regia ciuitas vti solet in calamitosos & miseros Episcopos. In quo certè seruatur Canon* XXI. *Concilij Sardicensis; vbi Præside Hosio Cordubensi præcipitur, vt Episcopi à suis Sedibus pulsi, in aliis ciuitatibus recipiantur benignè & humanè, vt dicti tractati sunt.*

DCC. LXXXIV. DCC. XLVI.

221. Petrus, cognomento Pulcher, regit Ecclesiam Toletanam post Concordium, & priùs alios annos quinque. Fuit hic scriptor nobilis, & acerrimus fidei defensor.

222. Hoc tempore scribit etiam Toleti, iam ætate ingrauescente, Diaconus Iulianus Lucas, qui de Rebus Hispaniæ libros edidit.

P.H. 221. *Mira varietas est inter Auctores de Petro Pulchro: nam nulla Diptycha Toletanorum Pontificum vetus illum habet. Vasæus testatur se legisse in Pelagio Ouetensi; at, qui penes me est, eius non meminit. Vasæum sequuntur D.Garsias Loaysa, Magister Aluarus Gomezius, Luitprandus, Iulianus Archidiaconus S.Iustæ; sed in modo ponendi ac loco discordant. Vasæus ponit post Cixilanem; in catalogo VVormatiensi ponitur post Concordium ante Cixilanem; in Luitprando anno* DCC.XLVI. *post Suineredum & Concordium; sic etiam Iulianus: quos ego sequendos duxi. Sic de illo Garsias de Loaysa in Gundemaro:* Toletum verò, licet in Maurorum ditione esset, Primatus iure & auctoritate vtebatur: nam in defuncti Cixilæ locum Petrus, qui propter elegantem corporis formam Pulcher cognominatur, cooptatus est. Fuit litteris apprimè eruditus, & in Religionis obseruantiam & pietatem ita accensus, vt non modò in vrbis suæ curam sollicitè incumberet, omnibusque periculis diligenter prouideret, verùm etiam aliorum Hispaniæ Præsulum necessitatibus consulendum arbitraretur. Nam cùm ad eum peruenisset, Paschatis computum ritè & canonicè Hispali non obseruari, ad Episcopum & Hispalensem Clerum super eâ re scripsit, quid tenendum esset. Quod verò attinet ad Paschatis computum, ex Conciliorum decretis nemini licebat, præterquam Primatibus Episcopis, quid constans & firmum esset decernere. Sic stabilitum est in Concilio Carthaginensi III. Can.I.& XII.Tolet.IV.Can.IV. Brachar. II. Can.IX.Concil.I.Arelat.c.4. *Magister Aluarus Gomezius, ingenij & iudicij laude præclarus, in Vitâ Petri docet, adeò castimoniæ custodem & amicum fuisse, vt à Froilane Rege contenderet, vt legem conderet, quâ abrogaret turpissimas & incestas Sacerdotum & Clericorum nuptias, quæ superfuerant in Hispaniâ ex concessione præcipitis VVitizæ: post quinque annos sacerdotij, ætatis & mœroris damno confectus, in fata cessit. Nec enim sine grauissimo dolore poterat videre iniurias, quas à Mauris Toletum ferebat: sepultusq; est, vt eius prædecessores, in æde S. Iustæ. Suspicor librum misisse ad Heeram Archiepiscopum Hispalensem, qui præerat Ecclesiæ illi per hoc tempus. Credo hunc Petrum positum in Canone Gothico.*

Successit illi Concordius: cuius meminerunt tres Diptychæ Toletanorum Archiepiscoporum, VVormatiensis, Iuliani, Luitprandi, Ortizij, Moralis, Gariuayi, Toletani Petri, Zamalloæ, & D. Garsiæ Loaysæ. Hunc ponit Aluarus Gomezius sæculo Silonis; sed fallitur, quia præcedit Cixilanem & Elipandum, qui in Silonis incidit ætatem, & ad illum scripsit, ab eoq; litteras accepit: & in catalogo D Loaysæ ponitur anno DCC.LX. *Cixila* DCC.LXXV. *Elipandus* DCC.LXXXIV. *Nullo ergo modo potuit incidere in tempora Silonis, qui cùm nouem annis regnasset, in Cixilanis ætatem incidit, vt ex litteris iam dictis manifestè patet. Mortuus est Concordius anno* DCC.LXXV. *post quindecim annos Pontificatus, & multos labores exantlatos pro tuendo grege suo, & defendendâ Christi religione: quos vt abundasse magis ærumnis mihi certum est, sic diuinitus maximis refectos visitationibus, & sanctitatis laude vehementer floruisse, mihi persuadeo.*

222. *Iulianum Lucam, natione Thessalonicensem, hoc tempore Toleti floruisse, & res gestas illorum temporum posteritatis memoriæ mandasse, præter Florianum Occampum, testantur Gariuayus & Luitprandus. Vide quæ dixi de Iuliano Lucâ in Aduersariis num.*36. P. H.

DCC.LXXXVI. DCC.XLVIII.

Etiam florebat Toleti sanctissimus vir * Odoarius Episcopus Accitanus, & Ioannes Episcopus Hispalensis, qui sacras Scripturas de Latino transtulit in Arabicum, quæ iam in Hispaniâ lingua vulgaris erat; in exiguo fuit vsu lingua Latina. 223. * al. Fodarius

S. Papa Adrianus scribit ad Egilanem Episcopum Illiberitanum, ex Abbate Monasterij Agalensis Toletani. 224.

S. Vrbicius asportat corpora sanctorum Martyrum Iusti & Pastoris intra vrbem Complutum, id est, *Guadalfaxaram*, ex Campo laudabili, vbi priùs sepulta fuerant, & reperta diuinâ reuelatione ab Asturio Serrano: translata primùm in Galliam, deinde prope ciuitatem Hoscam. 225.

Egilæ, Abbatis Agalensis, & Episcopi pòst Illiberitani, Toleti celebris est memoria. Hic in vrbe *Tadere*, seu *Securâ*, natus. 226.

Sub Egilâ floruit Toleti Venantius Monachus, qui fecit Homiliam S. Adelphi, Toletani Pontificis; quæ falsò adscribitur Petro Episcopo Rauennati. 227.

Passus est Ledesmæ, quæ Latinè *Bletissa* dicitur, S. Nicolaus, puer vndecim annorum, dictus, cùm erat Saracenus, nomine patrio *Halli*, Alcamanis Saraceni Reguli filius, Galafri Regis Toleti frater; Gallianæ, coniugis Caroli Magni, *patrui; & cum eo duo Presbyteri Muzarabes Christiani, Nicolaus & Leonardus, pridie Kalend. Nouembr. 228. * al. patruus.

223. *De Odoario Episcopo Accitano, Pelagius Ouetensis, Rodericus, Generalis Historia, & alij. De Ioanne Hispalensi sic Rodericus lib.*4. *c.*3. Fuit apud Hispa- D.L.

lem glorioſus & ſanctiſſimus Ioannes Epiſcopus, qui ab Arabibus Caut Almatram vocabatur, & magnâ ſcientiâ in linguâ Arabicâ claruit, & multis miraculorum operationibus glorioſus effulſit: qui etiam ſacras Scripturas Catholicis expoſitionibus declarauit, quas ad informationes poſterorum Arabicè compoſitas reliquit. *Aluarus Gomezius & alij putant Archiepiſcopum Toletanum.*

P. H. 226. *Tader nomen eſt fluuij, dicti* Segura, *qui Murciam vrbem prætergreditur, & in mare, non procul hinc, ſe exonerat. Vrbs dicta* Securis, *prope quam naſcitur* Tader.

D.L. Tadere, ſeu Securâ, natus.] *Idem refert Iulianus in Chronico num.* 388. Egila Tadere ciuitate natus, quæ nunc Secura, Abbas Agalienſis, ſanctitate doctrinâque florebat Toleti. *Frequens mentio eſt de* Tadere *ciuitate ſub nomine* Securæ: *nam in diuiſione Sedium factâ à Rege VVambâ, aſſignans ipſe terminos Epiſcopatus Menteſani, ait:* Menteſa. hæc teneat de Ecigâ vſque Securam; de Lilâ vſque Puxilena. *& vbi de Accitanâ Sede:* Acci. hæc teneat de Securâ vſque Montaneam; de Arcatel vſque Carachuel. *Optimè, vt ei moris eſt, doctiſſimus religioſiſſimusq; amicus noſter P. Franciſcus de Biuar, ad Fl. Dextrum anno* CCC.VIII. *com.* 2. *num.* 3. *explicat, quòd nomen* Securæ *non erat ſub VVambâ nouum, vt patet ex Idacio anno* DCCCC.XXV. *Intus oppidum, callis quidam eſt vulgò dictus* Phœnicis, *qui creditur factus à Phœnicibus: y enim aliquando ibidem habitarunt. eſt callis fornicibus & arcubus operis antiquiſſimi ſtructus. Nec legentibus Hiſtoriam id dubium eſſe poteſt; cùm manifeſtè liqueat Romanos & Carthaginenſes, vel ibidem reſediſſe, vel frequentaſſe, concurſaſſeq;. Feſtus Rufus Auienus, agens de fontibus Theodori fluminis, & eius vicinâ, ſic ſcribit:* Iſta Phœnices priùs loca incolebant. *Tempore tamen Romanorum, quonam nomine* Secura *appellata fuerit, non affirmant Auctores. Molèzius in Obſeruationibus ad Ptolemæum aſſerit eſſe* Seguiſam. *nec abludit ſitus, quem illi dat Ptolemæus, tribuens vndecim gradus & ſemis longitudinis, triginta octo & ſemis latitudinis; & quemadmodum octo leucæ ſunt longitudinis à* Securâ *ad fontes Bætis, ſic à* Seguiſa *ad eoſdem fontes. Nec parum adſtipulatur, cùm nomen* Segura *videatur corruptum à* Seguiſa. *Idem eſt iudicium Antonij Nebriſſenſis, quàm optimè de totâ Hiſpaniâ meriti. Alij dicunt habuiſſe nomen fluminis: neque enim inſolens eſt, vrbes & flumina eodem nomine gaudere. Confirmat hoc Iulianus in Chronico num.* 178. *qui ex M.S. Higueræ ſic venit corrigendus:* Securæ, quæ & Tader etiam dicitur à propinquitate fluminis, per eius terminos interlabentis, nomine ſancta Briana, virgo ſanctiſſima. *De quo flumine, & id genus aliis, doctè Bernardus Ioſeph de Aldrete in Origine Caſtellanæ linguæ, lib.* 1. *cap.* 15. *pag.* 102. *Dicta eſt quondam* Altamira, *vt ſpecula, vnde maximus in omnes partes eſt proſpectus:* è Securâ *namque multæ regiones æſtimari poterant. Hinc corruptè dicta* Copea, *quaſi* Scopeum, *&* Dianium *dictum* Meroſcopeum, *quaſi* diurna ſpecula. *Tempore Saracenorum* Toman, *vel* Odonam, *nuncupata, id eſt* Securitas; *quòd locus ſit inacceſſus & tutus. Si liceat autumare, non abs re erit coniectari, Deam* Securitatem *ibidem Romanis in cultu fuiſſe; quæ pingebatur ſedens in quâdam ſellâ regiâ, manu ad malas admotâ, & alterâ virgam tenens. Extat nummus æreus, quem apud me ſeruo, cum hac inſcriptione:*

NERO CLAVDIVS CÆSAR AVG. GERMAN. PONT. MAX. TRIB. POTES. *in alterâ facie,* SECVRITAS AVGVSTI. *cum eius Deæ effigie. Alterum numiſma eſt M. Iulij Philippi: in facie,*

IMP. M. AVRELII SECVRITAS PERPET. *in reuerſo,* SECVRITAS ORBIS. *Habet Dea* Securitas *in alterâ manu cornu copiæ. In aliis nummis* SECVRITATI PERPETVAE *inſcribitur. In nummo Antonini Pij,* SECVRITAS *Dea lauro redimita viſitur, cum hac inſcriptione,* SECVRITAS PVBLICA. *Ideò in hoc oppido hæc Dea colebatur, quia* Secura *dicebatur. Igitur aliquando* Taderem, *nonnumquam* Seguiſam, *&* Altamiram; *poſtremò dictam hanc ciuitatem* Securam, *non immeritò affirmare poſſumus. De* Securâ, *& eius flumine, Raſis Hiſtoricus Saracenus, quem beneficio doctiſſimi eruditiſſimiq; viri cunctis æquabilis (vt cum Tacito loquar) D. Bern. Ioſeph de Aldrete, Hiſpano ſermone manuſcriptum habeo:* E termino de Lerida con el de Tarragona; è Lerida yace al Setentrion de Tarragona contra el ſol leuante de Cordoua, è yace ſobre el rio de *Segre, è eſte rio ſale de la Sierra Segura. E quando fundaron eſta villa, toma eſte rio en el termino de Pilares, è eſte rio entra en el Ebro ſo vn Caſtillo que a nombre Menaça ò Viçueça. E eſte rio da oro fino, lo que non dan otros rios: è entra en eſte rio otro rio, que ha nombre Vocaira; è eſte, è los otros rios entran en el rio de las Oluas, que llaman Cleridas. *Non eſt prætereundum, flumen* Taderem *tranſire per oppidum* Cieça, *quod puto eſſe* Viçueça, *& hoc dici* Menacem. *quod nonnulli etiam* Malachæ *tribuerunt: vnde Feſtus Rufus Auienus libro de Littoribus Hiſpaniæ ſic declarat, ex editione Lugdunenſi Iacobi Chouet, anno* M.D.XCVI.

* al. Segura,

Malachæque flumen, vrbe cum cognomine,
Menace priori quæ vocata eſt ſæculo.

Strabo lib. 3. *id reprehendit his verbis, ex verſione Guilielmi Xylandri, & recenſione Iſaaci Caſauboni:* In hac orâ prima vrbs eſt Malaca, tanto à Calpe, quantum ab hac Gades, interuallo. Ea habet emporium, quo vtuntur qui in oppoſito littore viuunt, multumque ibi conficitur ſalſamenti. Sunt qui hanc eamdem putant cum Mænacâ, quam vltimam Phocæorum verſus Occaſum ciuitatem accepimus. Sed errant: nam Mænacæ longiùs à Calpe diſſitæ atque euerſæ rudera, Græcanicæ vrbis veſtigia retinent: Malaca magis ad Punicæ formam accedit. *Ex quibus, quaſi per tranſennam, notandum,* Mænacem, *&* Malacam, *non eamdem eſſe vrbem, imò longè inter ſe diſſidere. Hinc* Mænaca *longè abeſt à Gadibus & Calpe:* Malaca *eſt vltima littoris maris noſtri, Occaſum verſus; &* Mænaca *multùm quidem eſt orientalior:* Malaca *vrbs formæ Punicæ,* Mænaca *verò Græcanicæ: atque ob id puto hanc eſſe, de quâ locutus eſt Raſis Hiſtoricus; à quo denique* Secura *vocatur* Tademir, *his verbis:* Parte el termino de Iaen con el de Todemir *(quaſi dicat Tadermira)* yace Todemir al ſol de leuante de Cordoua, è Todemir es muy apreçiado lugar, è de muy buenas arboledas, è toda ſu tierra riegan dos rios, aſſi como fazen en tierra de promiſſion, que ha buena propiedad de tierra natural. E aqui ay veneros de que ſale buena plata. E Todemir a junto aſſi todas las bondades del mar, è de la tierra. De Todemir à Cordoua ay andadura de quatro dias de home de à cauallo. *Licentiat. Ioannes de Robles in Hiſtoriâ Apparitionis S. Crucis de* Carabaca, *cap.* 1. *pag.* 3. *pro Theodomirâ* Carabacam *accipit; & ab eo noſter doctiſſimus vir, ingenuarum artium ingenuus Profeſſor Ludouicus Tribaldus Toletus in ſuâ Epæneſi Ibericâ pag.* 31.

Chriſtiferæ ſplendore Crucis Thedomira coruſcat.

Sed quod magis mirere, anno M.D.XIX. *hoc oppidi nomen Todomir adhuc in vſu erat. ſic inueni ſcriptum in libello, cui titulus,* Queſtion de Amor, *in ipſo principio:* Vn cauallero, que Vaſquiran auia nombre, de naçion Eſpañola, natural de la ciudad de Todomir. *Olim fuit Regni ſolium, vt ex priuilegio Imp. Adefonſi, Comitis Raimundi filij, patet; quod conceſſit Petro Eccle-*

siáq; Aurienſi (vt in Tabulario huius Sedis ſeruari audio) arâ M.C.XCV. *vbi confirmat inter alios Rex* Securæ, *qui ſubditus erat huius Imperatoris. Noſter Luitprandus de* Tadere *in Aduerſariis, num.*291. *vbi de* Mundâ *fluuio, & ciuitate; vt ibi dicemus: Iulianus item in Aduerſariis num.*365. *&* 366. *Stemmata* Securæ *ſecuris & pinus erant.* Pinus *inſigne fuit apud Romanos Cybeles matris Deûm: quam tutelarem eos habuiſſe in ciuitate antiquiſsimâ* Securâ, *poſſumus non immeritò ſuſpicari.* Securis *verò ſignificat, in illâ Romanorum vanâ diſciplinâ,* Iouem Libra-Deum; *quia* Libris *linguâ Lydorum* Securis *eſt, vt teſtatur Pierius lib.*42. *Hieroglyphicorum, verbo* Securis. Securis *verò ſignificat ſecuritatem in ſuppliciis inferendis. Inde eſt quòd Reges Lydorum, & Conſules ac Magiſtratus præferebant lictores cum ſecuribus. Demoſthenes vocabat Phocionem ſecurim, quia ſingula quæque ſecabat; & ſic adeò pollent* Securenſes *acie ingenij, vt omnia diſſecent, rimentur & intelligant.*

P. H. 227. *Egila fuit Abbas Agalienſis miræ pietatis in Chriſtianos afflictos. Hunc puto poſteà fuiſſe Epiſcopum Illiberitanum, ad quem ſcribit Dominus Papa Adrianus, & ad Ioannem eius Archipresbyterum. Verſabantur multi tunc errores in Hiſpaniâ, partim ignoratione bonarum litterarum, partim ingruentibus priſtinis abuſibus circa celebrationem Paſchæ, ieiunium diei Veneris & Sabbati, circa caſtitatem Clericorum. De quibus & aliis ſic Baronius Tom.*9. *anno Domini* DCC.XCV. *num.*12. Scripſit ad alios, vt ad Egilam in Hiſpaniâ Epiſcopum; ipſumque hortatur de fide orthodoxâ tuendâ pro ieiunio ſextæ Feriæ & Sabbati celebrando. Idem Adrianus ad Egilam, ſeu Ioannem Presbyterum, de conſeruatione caſtimoniæ in Hiſpaniæ partibus prædicandâ Epiſtolam ſcripſit; & de Paſchali feſtiuitate, vt eo tempore celebretur, quando à Romanâ celebratur Eccleſiâ. Item eum monet de prædeſtinatione hominis, ſiue ad bonum ſiue ad malum, de coinquinatione eorum tam in eſcis quàm in potu: de diuerſis erroribus, & eorum pſeudo-ſacerdotibus, qui viuente viro ſortiuntur vxores: de libertate arbitrij, ac de multis aliis capitibus, in partibus illis contra fidem Catholicam exortis. In fine eos hortatur, vt omnes ſint concordes, & Canones ſeruent, vt omnes non obedientes ſalubribus præceptis excommunicent. *Interim illud oportet obſeruare, iſtum Egilam Abbatem impetraſſe ab Adriano Pontifice, vt ab VVilichario, Galliæ Senonenſi Archiepiſcopo trigeſimooctauo, conſecraretur. Poſteà iam conſecratus miſit Romam Serranum Diaconum, & Victorianum Clericum cum litteris; ac de multis quæſtionibus conſilium petiit. quod & Pontifex lubens communicat, modò Romanæ Sedi ſeſe ſubiiciat, ac characteres Pontificios amplectatur, & ſeſe opponat illis, qui ieiunia Feriæ ſextæ & Sabbati reiiciebant, vt patet ex Epiſtolâ ad eumdem Egilam Epiſcopum.*

P. H. 228. *S. Nicolai Martyris Ledeſmæ paſſi hoc anno pridie Kalend. Nouembr. extat Vita eleganter ſcripta à Doctore Fr. Ioanne Aegidio, Monacho Franciſcano; & in eius ſepulchro, & in libris Bibliothecæ S. Franciſci Zamorenſis aſſeruatur. Fuit inſignis Martyr; & ibi habetur in magnâ veneratione.*

D. L. *De Ioanne Aegidio, & eius operibus, diximus in Epiſtolâ proſphoneticâ ad Iulianum.*

DCC.XC. DCC.LII.

229. Cixilla, Petri Pulchri Archidiaconus, fit Toleti Pontifex. Præ-
* *al.* Iuphed eſt annos XXI. ſub * Iuceph & Abderaman, Regibus Toleti.

P.H. 229. *De* Cixilâ *fit mentio in omnibus Diptychis Epiſcoporum Toletanorum: qui ſcripſit Vitam S. Ildefonſi, & Epiſtolam ad Silonem, & Reſponſionem eius ab illo ſuſcepit; quæ litteris exarata Longobardicis olim aſſeruabatur in Eccleſiâ Toletanâ. De quo ſic Illuſtriſs. Loayſa in Gundemaro:* Idem, *inquit,* munus Cixila non minori diligentiâ præſtitit. Is enim pietate & diſciplinâ Spiritus ſancti conſpicuus. *Hæc ille. Fuit hic Archidiaconus Petri Pulchri, ex ipſo Luitprando.*

DCC.XCIV. DCC.LVI.

Hoc anno delatum eſt corpus S. Leucadiæ virginis & Martyris, 230.
Toletanæ ciuis & Patronæ, Ouetum Toleto per Argericum Abbatem Agalienſem, & Petrum Abbatem S. Leucadiæ, & Andream Muzarabem Aben-lupi Ficulnei filium, & alios viros Toletanos primores.

230. *Anno* DCC.LVI. *delatum eſt corpus S. Leucadiæ Toleto Ouetum.* P.H.
Cauſſa transferendi corpus hæc eſt, quòd Abderrahman Rex Cordubæ, ſeu Miramolinus Saracenorum, inſtinctu quodam dæmonum, cœpit per Hiſpanias magnificentiſsimas Sanctorum Baſilicas diruere, corpora ſanctorum Martyrum cremare; & ne id exerceretur per ſummam impietatem in pretioſiſsimas S. Leucadiæ, Toletanæ ciuis, Patronæ & Martyris Reliquias, Argericus Abbas Agalienſis, & Petrus Abbas S Leucadiæ, & Andreas Muzarabs, Aben-lupi Ficulnei filius, vir Toleti primarius, ſummâ diligentiâ ac ſecretò deportarunt. Extat Oueti ara capax ſanctarum Reliquiarum cum nomine ſanctæ Virginis, modò vacua, manifeſtum hoſpitij ſacri monimentum.

DCCC.IX. DCC.LXXXI.

Sub hoc tempus venit Toletum Carolus Magnus ſub Rege 231.
Galafrio, eiuſque filiam Gallianam, Chriſtianam factam à Cixillane Pontifice Toletano, duxit vxorem: pro quâ ſingulare certamen iniuit cum Bradamantio, Regulo Complutenſi, vel Guadalfaxaræ, vaſtæ molis toruique vultus gigante; quem in prælio victum interfecit.

S. Vrbicius, S. * Bafardi Abbatis Benedictini diſcipulus, in 232.
[a] Valle-nocea floret: colitur Kalend. Nouembr. * *leg.* Baſſacij

Toleti conditum eſt templum S. Thyrſi vernulæ Chriſti, ciuis 233.
Toletani, paſſi Apolloniæ in Græciâ, prope Mezquitam maiorem; [a] D.L. *Lege* Valle-Nocitâ, *& vide Fr. Diegum in Antiquit. Hoſcæ lib.*2. *c.*33. *fol.*175. *col.*2.
conſecratumque eſt à Domino Cixillane Archiepiſcopo Toletano, cum magno periculo.

Abdalla, primus Rex Securæ, mirificè floret opibus & famâ. 234.

Petrus, Abbas Agalienſis, Toleti in pretio habetur. 235.

Celeberrimus habebatur in Hiſpaniâ Cixilla, quòd anno DCC. 236.
LXXVI. contraxit Concilium Toleti ex mandato litteriſque Adriani Papæ contra Egilanem Epiſcopum Illiberitanum, nolentem die Sabbati à carnibus abſtinere: concurrunt ad Concilium ex omnibus Hiſpaniæ partibus.

231. *De aduentu Caroli Magni in Hiſpanias teſtes ſunt Annales Hiſpanorum, præcipuè Chronicon generale, Onuphrius, & alij, qui ex eodem Onuphrio in Cæſaribus, & Chronico generali, & ex Nicolao Clemente Tralæo. Sic ille in Carolo:* P.H.

rolo: Caroli Magni multæ vxores: Gallianâ Toletani Regis filiâ nati Carolus, Pipinus, Ludouicus, scilicet Pius, successor in Imperio. *Huius vxoris non meminit eius à secretis. Hoc benè viderat Trælæus; & nihilominùs facit primam vxorem Gallianam, eiusq; filium Ludouicum Pium. Quæ non exigua laus est Gentis Toletanæ, ex quâ prodierat femina, quæ partu fecunda dominos Imperio Romano ministraret. Est Toleti semita quædam per compendium, quæ vocatur semita Gallianæ: & Toleti sunt horti Regij dicti Gallianæ: & arx prope S. Fidem, olim fuit dicta arx Gallianæ. in Gallià palatium quoddam, quod ad hanc vsque diem appellatur Gallianæ. Regis Galafri mentio est apud Rasim Maurum Historicum, & apud Historicos rerum Toletanarum, non obscura.*

D.L. *In Historiâ Archiepiscopi Roderici manuscriptâ, & ab ipsomet in Hispanam linguam translatâ, de quâ infrà, huius Regis (seu Viceregis) hæc extat memoria:* E fue se para la ciudad de Toledo [*el Conde Don Morante*] que en este tiempo era alli Rey, por Abdarrahamen, Galafre.

D.L. Sub hoc tempus venit Toletum Carolus Magnus, *&c.*] *De his eruditè noster doctissimus P. Franciscus de Biuar (ô & Musarum & dulce decus meum!) in Epistolâ ad me missâ de Auctore, & eius scriptis, §. 2. vbi de Chronico.* Gallianam *vocant Historici Galafri filiam; inter quos D. Rodericus Archiepiscopus Toletanus, non in Historiâ Latinâ, sed in Hispano sermone compositâ, quam habeo M.S. ab ipsomet Archiepiscopo translatam, & ab incerto Auctore additam locupletatamq;. Locus huius Historiographi est in Vitâ D. Fruelæ, cap. 34. cuius epigraphe talis:* De las cosas que en el noueno año aconteçieron, è como vino Carlos à Toledo. *Discrepat in anno à Luitprando; ait enim Carolum venisse Toletum anno* DCC.LXI. Andados nueue años del Rey Don Fruela, que fue el año de la Encarnaçion del Señor de DCC.LXI. años, Carlos à el que llamaron Maynete, auiendo gran desauenimiento con su padre el Rey Pipino por las cosas que fazia, que no le pareçian bien, tomò consigo a vn Conde que auia nombre Don Morante, porque sabia ya el aquellas tierras de Moros, è era muy conoçido, è fue se para la ciudad de Toledo. *Et paulò pòst cap. 35. refert, Carolum duxisse vxorem Gallianam, quam in Galliam ad illum asportauit D. Morante. Verba sunt:* Fuè se entonçes Don Morante con Galiana por medio de esos montes, con miedo de que no recreçiesen los Moros: è anduuo siete dias, que nunca entrò en poblado, que toda la tierra era llena de Moros: è al cabo de pocos dias llegaron à Paris. E Carlos, quando lo supo que venian, saliolos à reçebir con gran caballeria, è lleuò à Galiana à sus palaçios; è ficola luego bautizar, è tornarla Christiana, è casò con ella ansi, como selo prometio: è Carlos recibio entonçes la corona del Reyno, è le llamaronlo de alli adelante Carlos el Grande. *Discrepat item à Luitprando, dum asserit, Gallianam baptizatam fuisse Parisiis, & Luitprandus Toleti. De Gallianâ suprà num.* 248. *Galli Historici suffragantur. nouissimè Auctor Epitomes Regum Galliæ, qui suo idiomate scripsit huius Imperatoris gesta, Doctor Petrus de Salazar & de Mendozâ, Canonicus Pœnitentiarius Toletanæ Ecclesiæ, vir eruditissimus, & in Historiæ Hispanicæ cognitione versatus, in Prologo ad Lectorem in Chronico, quod scripsit de Magno & Illustrissimo illo Cardinali de Mendozâ, vbi ait, & negat. Cuius verba ipsissima apponere operæpretium duxi:* En su tiempo vino à Toledo el Emperador Carlo Magno, Rey de França, i dexò por su amigo muy estrecho al Rey Galafre. Lo demas que lleuò à su hija Galiana, i casò con ella, i que la labrò palaçio en Burdeos: lo del Moro Bradamante, i las armas que hizo en el Valsamonial, entre Olias i Cabañas, ni lo digo, ni lo creo. *Quod vltimum iterùm asseuerat in eâdem Historiâ lib. 2. cap. 56.*

pag.

pag. 388. col. 1. Iulianus noster idem recenset num. 395. quod Luitprandus hîc: & virginem honestissimam pulcherrimamq; fuisse Gallianam addit.

232. *S. Vrbicius tulit corpora sanctorum Iusti & Pastoris, eâdem propemodum occasione, quâ Toletani S. Leucadiæ, & ad Gallias tulit; reuersus verò, prope Oscam in Valle Nocitâ vixit sub disciplinâ S. Lifardi Abbatis Benedictini: moriturq; vir sanctus pridie Kal. Nouembris, anno* DCC.LXXI. *& miraculis clarus, Oscæ colitur, & in sepulchro honorificè conditus est. De quo multa in libro Translationis SS. Iusti & Pastoris Martyrum, quem Ambrosius Morales Historicus Regius piè composuit.* P. H.

233. *De Toleti templo, S. Thyrso dicato, extat Epistola Regis Silonis ad Cixilanem Episcopum Toletanum, Gotthicis litteris scripta, quæ nunc cum Apologiâ excusa est. Hoc ædificasse Cixilanem, testatur Epistola & Hymnus, ab eodem Cixilane compositus in laudem sancti Martyris; vbi inter alia sic habet:*

Hanc tibi Domine Cixila condidit.

De S. Thyrso diximus ad num. 128. D. L.

236. *Concilium Toleti coactum per Cixilanem Episcopum Toletanum, ex litteris Adriani Papæ contra Egilam, vel Egilanem, Episcopum Illiberitanum, præter testimonium huius Auctoris, colligitur ex Epistolâ eiusdem Pontificis Adriani ad omnes Episcopos Hispaniæ. Nam cùm amanter Pontifex Adrianus hortaretur Egilam, vt non solùm ipse seruaret ieiunium sextæ Feriæ & Sabbati, sed contradicentibus illud suaderet; respondit ipse parum ciuiliter & modestè, se ab Adriano dissentire. Id sanctus Pontifex ægrè ferens, ad Episcopos Hispaniæ scripsit; coram quibus Egilam accusat, quòd errores Vincentij Magistri sui amplectatur, & extra Catholicam disciplinam docere conetur; ac monet illos, vt ab erroribus eius sibi caueant, ac illum in viam reducere studeant. Quod non aliâ commodiore ratione facere potuerunt, quàm sistere eum coram nationali Synodo, quæ collectore Cixilane, vt Hispaniarum Primate, habita est Toleti. vbi credo hominem, depositis erroribus suis, in se rediisse. Cuius rei illud argumentum est satis efficax, quòd à Diptychâ Pontificum Illiberitanorum non est expunctus Egila; alioqui proculdubiò expungendus, si pertinax in proposito maneret. Quod Dei Genitricis Mariæ precibus, & præsenti S. Iacobi, Cæciliyq; Martyris, primi Illiberitanorum Apostoli, patrocinio tribuendum censeo. In quo planè relucet mira Pontificum Hispanorum erga S. Rom. Sedem reuerentia & obseruantia: qui in medio durissimæ captiuitatis non dubitarunt (vt iussi fuerant) Synodum multorum Episcoporum Toleti colligere, & ibi caussam Egilanis Episcopi examinare.* P. H.

Contra Egilanem Episcopum Illiberitanum nolentem die Sabbati à carnibus abstinere.] *De abstinentiâ ab esu carnis in die Sabbati extat Gregorij VII. Pont. Maximi decretum in Synodo celebratâ Romæ; quod refertur à Gratiano de consecrat. dist. 5. in cap.* Quia dies. *cuius sunt verba:* Quia dies Sabbati apud sanctos Patres nostros in abstinentiâ celebris est habitus; nos eorumdem auctoritatem sequentes, salubriter admonemus, vt quicumque se Christianæ religionis participem esse desiderat, ab esu carnium, eâdem die (nisi maiori festiuitate interueniente, vel infirmitate impediente) abstineat. *Quæ est admonitio, non præceptum. Ieiunare autem Sabbato constituit Innocentius I. Pontifex: cuius meminit Gratianus in suis decretis, de consecrat. dist. 3. cap. 13. ex Epist. 1. cap. 4. In Hispaniâ verò, aut Innocentij tunc decretum non omnino receptum, sicut nec in Orientalibus Ecclesiis; aut posteà diuturnis ac molestissimis bellis aduersus Arabes Mahumetanos, qui totam fermè prouinciam occuparant, per* DCC. *& eo ampliùs annos continuos gestis, in annonæ angustissimæ penuriâ per contrariam inductam consuetudinem abroga-* D.L.

tum,

tum, vt ait hisce ipsissimis verbis F. Alfonsus Chiaccon in Tractatu de Ieiuniis, & variâ eorum apud Antiquos obseruantiâ. Inuenio etiam aliquando abstinuisse Hispanos, vt noster refert Luitprandus; aliquando verò non: & varius inde subinde ortus mos. Vide sis illustre testimonium tempore Regis Alfonsi VIII. qui post partam illam victoriam, quæ vocatur de las Nauas de Tolosa, *abstinendum ab esu carnis die Sabbati, in gratiarum actionem deuotè vouit. Refert P. Ioannes Mariana lumen litterarum, Hispaniæ decus, lib.* 10. *Historiarum cap.* 24. Haud, *inquit*, multò maiori fide nixum est, quod cuiusdam Historici testimonio à nonnullis inuenio affirmatum: ex hoc tempore in Hispaniâ religionem à carnibus abstinendi diebus Sabbati, ac intestinis tantùm & extremis animalium partibus vescendi, susceptam esse; veteri more, quem Gotthi ex Græciâ transtulerunt, vnde sacra primùm acceperunt, hoc temperamento emollito. *Desumpsit ex Fernando Perez de Guzman in libello, cui titulus,* Valerio de las Historias, *lib.* 1. *tit.* 4. *cap.* 7. *vbi nostro Hispano sermone sic ait:* Fue hecho voto de no comer carne el Sabbado en España.

DCCC.XX. DCC.LXXXII.

237. & 238. Elipandus, Archidiaconus Cixilanis Pontificis Toletani, succedit in Sede Patriarchali Toletanâ pro Domino Cixilane, magistro suo; ad annum DCCC.X. præest.

239. Malâ persuasione Felicis Vrgelitani Pontificis, magistri sui, labitur in fœdum de Adoptione Christi errorem; sed Epistolis Adriani Papæ & Caroli Magni Pipini Francorum Regis filij, ad mentem & verum sensum Ecclesiæ redit.

240. Florebat Toleti Ioannes Presbyter, doctus & sanctus: ad quem mittit litteras Adrianus Papa Romensis.

241. Hoc tempore Muzarabes Toletani grauiter premuntur à Mauris, impositis nouis vectigalibus.

242. Hoc anno fui Lugduni, & ex conuictu cum viris & tabulariis eius Ecclesiæ, cognoui duos fuisse Genesios; alterum seniorem, * ante circiter CC. annos, vel saltem * C.XL. alterum [qui paulò priùs] decesserat, dictum Abhelardum, consanguineum Caroli Magni, qui Monachus Benedictinus maluit quietem, quàm negotia.

*imò leg. qui ante non multos annos, *al.* C.L.

243. Hic ipse interfuit Concilio Francofordiensi: & non assensit errori Gallorum & Germanorum, asserentium sacras Imagines habendas, non colendas. Contra quem senserunt omnes Doctores Hispaniæ.

244. Magia per dæmones Toleti docetur in spelunca, quam dicunt vulgò Herculem condidisse; vnde diuulgari cœpit per Hispanias, & dicitur Scientia Toletana.

245. Catholico Regi succedit Froila, Froilani Aurelius, Aurelio Silo, Siloni Alfonsus Castus, huic Mauregatus.

246. Silo Rex mortuus est, sepultusque Prauiæ in templo S. Ioannis Baptistæ, quod ipse condiderat.

237. *De*

237. *De Elipando pluribus Morales, Mariana, Gomezius & Loaysa, qui cum Baronio hominem hæreseos insimulat; cùm nullo modo sic notandus veniat homo, qui nec malitiosè nec pertinaciter adhæsit errori suo, sed ab Adriano Pont. Maximo prænonitus se collegit, & resipuit, vt benè docet Gabriel Vasquezius Theologiæ Professor in Complutensi Gymnasio, libro de Adoptione Christi. quod noster Luitprandus docet exertis verbis num.* 239. P. H.

241. *De persecutione, quam Muzarabes Toletani passi sunt à Saracenis, non opus est aliis maioribus argumentis, quàm videre ferox & inciuile Maurorum ingenium, pertinax eorum in Christianos odium, & miseram captiuorum conditionem. Similia passos esse Christianos Cordubenses post sexaginta annos, docet pluribus S. Eulogius, excellens Martyr, & electus Toletanus.* P. H.

244. *Magia dicta est* Scientia Toletana, *quòd Toleti doceretur in spelunca, quam Herculis vocant, loco satis accommodato ad similes incantationes, & dæmonum præstigias. Legatur Vita S. Aegidij Dominicani: qui cùm iret Lutetiam Parisiorum ad discendam Medicinam, inuitatus in viâ à dæmone, aliquot annos in hac spelunca exegisse, & doctore eodem dæmone, Magias ibi didicisse dicitur.* P. H.

Magia per dæmones Toleti docetur.] *De Magiâ Toletanâ Iulianus in Aduersariis num.* 198. *his verbis:* Magia à primis Phœnicum temporibus durauit Toleti in quodam antro Herculi consecrato, & durat adhuc, dicitur que Scientia Toletana. *Idem in Chronico huc respexit num.* 624. Magiæ Toleti lubricæ factæ sunt. *Gariuayus lib.* 5. *Compend. Histor. cap.* 4. *pag.* 131. *cuius verba apponere operæpretium duxi:* Con el tiempo los pobladores de Toledo vinieron, como varones muy doctos, à enseñar à las gentes diuersas çiençias, especialmente la Astrologia: i no pararon hasta hazer lo mesmo en la Magica, la qual siendo por ello llamada Arte Toledana, conserua hasta oy dia su nombre, llamandola assi en algunas partes. D. L.

De spelunca Herculis multa apud Hispaniæ Historicos. D. Franciscus de Pisa in Historia Toleti lib. 1. *cap.* 5. *discriminat hanc spelunam ab illâ fatidicâ Regis Roderici; sed nec verbum quidem addit de Necromantiâ, quæ ibi docebatur. P. Martinus Antonius Delrius (heu! quondam meus) meminit huius spelunæ in Proloquio ad libros de Magiâ, sic:* Legimus post Saracenicam per Hispanias illuuionem, tantum inualuisse Magicam, vt, cùm litterarum bonarum omnium summa ibi esset inopia & ignoratio, solæ fermè dæmoniacæ artes palàm Toleti, Hispali, Salmanticæ docerentur. *Et iterùm lib.* 2. *q.* 27. *sect.* 2. *pag.* 132. *col.* 2. *A.* An ergo ex hoc genere Iobi, *ait*, vexator satan? Opinor, & illi, qui Salmanticæ & Toleti in spelunca maleficas & curiosas artes adhuc auorum nostrorum memoria docebant. *De Historiâ S. Aegidij, quam in suis Notis ad hunc numerum refert P. Hieronymus de la Higuerâ, vide Abrahamum Bzouium in Annalibus Ecclesiasticis anno* M.CC.XXX. *num.* 9. *Maximilianum Sandæum Societatis Iesu in* Grammatico Profano, *Commentat.* 7. §. 25. *pag.* 226. *& plenâ manu scribentem Reu. P. Ferdinandum del Castillo, Ordinis Prædicatorum facem illustrem, in Historiâ generali S. Dominici,* 1. *part. lib.* 2. *cap.* 72. *vbi recenset pacta dæmoniaca, quæ inibant & iurabant discipuli, antequam spelunam ingrederentur. Primò, vt omnino recederent à fide Catholicâ, Deique lege, seque submitterent potestati & voluntati diaboli, Magiæ illius doctoris. Secundò, vt blasphemarent de fide, & Baptismo, abiurarentque. Tertiò, vt dæmoni in recognitionem supremi dominij rubricarent conscriberentque chartam proprio contrahentium sanguine corroboratam, in tantæ dementiæ detestabile firmamentum & homagium: sanguine enim dæmones gaudent, & eum amare dicuntur. Quapropter quotiescumque fiebat Necromantia, cruor aquâ miscebatur,*

batur, cuius colore alliciebantur facilè. Extat cap. Nec mirum, *26. quæst. 5. §.* Necromantici, *vnde P. Ferdinandus decerpsit. Refert Paulus Grilandus in Tractatu de Sortilegiis cap. 2. D. Emanuel de Valle de Moura de Incantationibus, seu Ensalmis, Opuscul. 1. sect. 1. cap. 2. num. 14. Et vt rictus oscitationesq; antri Toletani illustres, non oscitanter lege lepidulam narratiunculam Comitis* Lucanor, *cap. 13. de quodam Decano, nominato* Don Illan, *qui Toleti degebat: in quâ inuenies non rudera, nec rudia, sed spelunca aliqua expressa delineamenta. De Salmanticensi verò non possum non addere versus antiquo nostro numero & idiomate concinnatos, in libello, cui titulus:* Triumphus Raimundinus. *vbi Auctor Petrus Gonzalez de Trasmiera Genealogicas illius ciuitatis Descriptiones stemmatagz cecinit:*

Estudio Nigromanteso
De la cueua Cypriana,
Do es opinion Castellana
De siete quedar vn preso.

Quamuis irrideat huius antri aliqua vestigia D. Franciscus Torreblanca Villalpando lib. 2. de Magiâ diuinatrice cap. 11. num. 4. his verbis: Præter illud, quod de antro Hispaniæ, D. dicto Peña Clemensi, vulgus iocatur, in eo dæmones responsa dare consueuisse: nam illud fuit olim S. Cebriani [Cypriani] Ecclesiæ subterraneum in Salmanticensi vrbe, in quo Clemens Potosi, eius Sacrista, postquam Magicæ artis Professores ab Hispaniâ expellerentur, quòd illic secretò doceret, locum fabulæ dedit, vt accepi à præceptore meo Gabriele Henriquez, Primario Iuris Ciuilis Salmanticensi Doctore, & nunc Regio Consiliario. *Hactenus Torreblanca. Doctissimus tamen Delrius in dicto Proloquio ait cryptam illam se vidisse:* Et ego vidi gymnasij nefandi vestigium, quam virilis animi mulier Isabella Regina, Ferdinandi Catholici vxor, vix ante annos centum & triginta cæmentis saxisque iusserat obturari.

P. H. 246. *De sepulturâ Regis Silonis, in oppido* Prauiâ, *docet idem Rex in Epistolâ suâ ad Cixilanem Toletanum Archiepiscopum.*

DCCC. XXI. DCC. LXXXIII.

247. Siloni succedit solus in Ouetensi Regno Alfonsus Castus, strenuus vir, & pudicitiæ studiosus.

248. Mauregatus, patruus Alfonsi Regis, vir spurius, contra Regem Alfonsum rebellauit periculosè.

DCCC. XXIII. DCC. LXXXV.

249. In Castro Octauiano prope Barcinonem sancta Maria, Ioseph, Victor, & Theodorus, Sancti Dei.

250. Hoc anno Elipandus Toletanus Pontifex miserat legationem ad Carolum Magnum, & librum, in quo petit vehementer ab eo, cum legi faceret.

DCCC. XXIV. DCC. LXXXVI.

251. Toletani grauissimè ferunt iugum Maurorum.

252. Synodus vniuersalis Nicææ septima habita, trecentum & quinquaginta Episcoporum, contra hæreticos Iconomachos congregata: in quâ interfuit Pantaleon Episcopus Valentinus ex Hispaniâ, &

& Theodorus Presbyter Badæ prope Carthaginem Spartariam (nunc sic vocata est, vel propè) olim dicta Thyar. Interfuit etiam Nicephorus Presbyter S. Mariæ de Columnâ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, & Agapius S. Thyrsi Monasterij Toletani Abbas, pro Domino Elipando Pontifice Toletano, eiusque Vicarius.

Hoc anno moritur degener Rex Mauregatus: ex æquo cælo* serusque exosus, sepelitur verò Prauiæ. 253. * *al.* suisque

Et Abderahmam Maurorum Imperator moritur Cordubæ post annos XXIX. Imperij Saraceni. 254.

Hoc tempore Zuleiman Rex Toleti fit etiam Rex Cordubæ; succeditque in Imperio Mahumetano totius Hispaniæ patri suo Abderahmam, ipse natu maximus. 255.

Moritur admodùm senex post triginta annos Turpinus, qui scripsit grauiter Vitam Caroli Magni; posuitque eum* Adrianus Papa pro sancto Rebobero exule. 256. * *al.* Gregorius

251. *Premebantur Toletani vectigalibus immodicis & malis tractationibus Saracenorum, vt de Christianis qui degebant Cordubæ, ex luculentâ S. Eulogij constat narratione.* P. H.

252. *Cogitur septima Synodus generalis Nicææ anno* DCC.LXXXVIII. *trecentorum quinquaginta Episcoporum, ex Onuphrio in Chronico Ecclesiastico.* P. H.

Illuc missi sunt Nicephorus Archipresbyter S. Mariæ de Columnâ Cæsaraugustanæ Ecclesiæ, à S. Iacobo instructæ, & Agapius Abbas S. Thyrsi Toletani, Vicarius Archiepiscopi Toletani Elipandi: vt videatur sedulitas Pontificum Hispanorum, qui numquam defuerunt rebus necessariis, sed iuuerunt rem Christianam, adeuntes per se, vel per suos, ciuitates quantumcumque remotas, vbi similia cogerentur in rebus maximis & necessariis Concilia.

Badæ.] *In Fl. Dextro anno* CCC.LIII. *num. 2.* Bagæ *legitur: vtrobiq;* Badæ *legerem: nam est, quæ hodie* Baza. *Vide nostrum R. P. Franciscum de Biuar.* D. L.

Nunc sic vocata.] *In M. S.* nunc vocata est, vel propè; *quia* Baga *fortè appellabatur.*

Zuleiman Rex Toleti, fuit totius Hispaniæ Miramolinus, ex Roderico in Arabum Historiâ, ex Garibayo & Rase, & aliis Historiis rerum Saracenicarum. P. H.

DCCC. XXVIII. DCC. XC.

Socrates, Sozomenus, Philippus, Scriptores Ecclesiastici, & doctrina Ioannis Cassiani Monachi, florent. 257.

DCCC. XXXI. DCC. XCIII.

Adrianus Papa Synodum contrahit* Romæ. 258. * *al.* Francofordiæ.

DCCC. XXXIII. DCC. XCV.

Elipandus Archiepiscopus Toletanus, hoc anno Toleti Synodum contrahit petitione sancti Regis Caroli Magni, & hortatu Gumesindi Archidiaconi Toletani, discipuli sui, & Lupi viri Muzarabis, Toletani primarij, XIII. die mensis Aprilis, die Dominico, in die festo S. Hermenegildi Regis & Martyris, apud 259.

S. Iustæ Secretarium: ad quam conuenerunt multi Episcopi & Abbates; & coram illis dixit Elipandus, se stare determinationi sanctæ Ecclesiæ Romanæ circa determinationem negotij de Adoptione Christi (in quo deceptus fuit) idque cum lacrymis tam eius, quàm aliorum.

260. Peracto Concilio, egit gratias Elipandus Carolo Magno; scribitque sancto Pontifici Adriano, qui vehementer gauisus illi gratulatur: mittitque Elipandus multos libros Gotthicè scriptos ad Carolum.

P. H. 259. *De Concilio, quod Elipandus contraxit Toleti, hortatu Regis Caroli Magni, & impulsoribus Gumesindo Toletano Archidiacono ac Lupo Muzarabe, meminit etiam Iulianus hoc eodem anno. Habitum est ipso die S. Hermenegildi Regis & Martyris* XIII. *Aprilis, qui eo anno in Feriam* II. *incidit. Et locus est hic illustris ad probandum, tunc, scilicet anno* DCC.XCV. *celeberrimum illum diem fuisse Christianis Muzarabibus; adeò vt in illo, tamquam celeberrimo sacratissimoq; die, principium daretur Concilio.*

P. H. 260. *De gratiarum actione Pontificis Elipandi ad Carolum Magnum, est in Iuliano frequens & magna quidem mentio. De actis Adriano gratiis nihil alibi, nisi quòd crediderim, hac occasione iussisse Pontificem Adrianum Elipando, vt ipse tamquam Hispaniarum Primas indiceret per Hispanias Litanias* XXIII. XXVI. XXVIII. *die Iunij pro salute Regis Caroli Magni. quod exponit Adrianus eidem Carolo, & petit, vt, sicut fiebat in Hispaniâ, sic eisdem diebus iubeat fieri in suis Regnis. quod est signum quanti fieret in Hispaniâ Carolus.*

D. L. *Vide quæ notaui ad Epistolam Tractemundi Luitprando missam num.6.*

Mittit Elipandus multos libros Gotthicè scriptos ad Carolum.] *Idem asserit Iulianus in Chronico num.*414. Et cum Legatis mittit [*Elipandus*] supellectilem multorum librorum Gotthicis litteris scriptorum: in iis Concilia Toletana, Chronica Dextri, Maximi fragmenta, Braulionis, Heleccæ, Taionis, & aliorum; & Luitprandi posteà ego misi Fuldam. *Horum meminit librorum Doctor Salazar de Mendoza in Vitâ S. Ildefonsi cap* 18. §.7. *pag.*163.

DCCC.XXXIV. DCC.XCVI.

261. Defuncto Papâ Adriano, succedit illi Leo III. Papa.
Hoc anno habetur in Germaniâ Synodus Aquisgrani.

DCCC.XXXV. DCC.XCVII.

262. Constantinus Imperator coactus est ab Irene abdicare: quæ regit Imperium cum multâ laude.

DCCC.XXXVII. DCC.XCIX.

263. Corpus S. Iacobi, Zebedæi filij, quod vbinam tumulatum iaceret, multos annos penitus ignorabatur, à Theodomiro Irensi Pontifice diuinitus patefit.

264. Venerunt auxilio Regis Alfonsi, cognomento Casti, quidam Duces, Comes Cenomanensis, Anselmus Comes Palatinus, Rolandus frater Abhelardi, cognomine Genesij; & postulauerunt corpus

corpus S. Leucadiæ virginis & Martyris, Toletanæque ciuis, Toleto delatum Ouetum: & Rex non potuit vllo modo negare. Delatum est ad vrbem Suessonum, & post ducentos annos à quodam Comite Montis Henao, in Hannoniâ, Suessonibus ad Cellense Monasterium S. Gisleni, Episcopi & Confessoris.

263. *De reuelatione factâ Theodomiro Pontifici Irienſi, quâ reseratum est corpus S. Iacobi Maioris Apostoli, multa Historia Compostellana, & Morales, Gariuaius ac Mariana.* P. H.

DCCC.XXXVIII. DCCC.

Hic annus felix fortunatusque fuit orbi quidem Hispano, Carolo Magno regente Romæ Imperium Occidentis. 265. *Dubito in M.S. de hac lectione.*

265. *Annus octingentesimus felix fuit ac fortunatus toti terrarum orbi pro coronæ acceptione sancti Regis & Imperatoris Caroli.* P. H.

DCCC.XXXIX. DCCC.I.

Collecta est in Germaniâ Synodus Saliburgensis. 266.

DCCC. XLI. DCCC.III.

Moritur Constantinopoli sanctus Patriarcha Tharasius, maximus fidei defensor, VII. Kalend. Martij. 267.

DCCC.XLIV. DCCC.VI.

Nortingus Episcopus hac tempestate floret. 268.

DCCC.XLVIII. DCCC.X.

Hoc anno Elipando Archiepiscopo Toletano, viro prudenti, humili, ac in zelo fidei Catholicæ feruenti, sanctè mortuo, suffi- 269.
citur Archidiaconus eius Gumesindus. Ipse verò cum pauperum & viduarum lacrymis sepelitur in Ecclesiæ S. Iustæ secretario.

Gumesindus successor, ac discipulus illi posuit ex more Got- 270.
thico carmen sepulchrale.

Multi ex Hispaniâ, præcipuè Toleto, ex Muzarabibus, pressi iu- 271.
go Saracenorum, quæsitis occasionibus, clanculùm, vt possunt, ad Gallias confugiunt.

Hoc anno Comes Suessonensis ab Alfonso impetrat corpus 272.
S. Leucadiæ; defertque Oueto Suessonem.

269. *Anno Domini* DCCC.X. *moritur sanctus Pontifex Elipandus, & sepelitur in æde S. Iustæ Toletanæ; succedit illi in Sede Toletanâ Gumesindus; ex catalogis S. Aemiliani, Toletano Gotthico, & aliis: quem etiam ponit Iulianus Archidiaconus Toletanus.* P. H.

271. Multi ex Hispaniâ] *& præcipuè ex Toletanis Muzarabibus, ob oppressiones assiduas Maurorum, ad Gallias migrant. Hos Carolus primùm amanter excepit, & Ludouicus posteà terris donat. de quo sequens Ludouici diploma, in quo mirificè refulget eius pietas, charitas & amor in patriam Toletum. De quâ re sic Baronius Tom.*9. *Annalium anno* DCCC.XV. Eodem, *inquit*, tempore P. H.

pore in Occidente, cùm Hiſpaniæ duriſſimo Saracenorum premerentur iugo, complures populi, duræ ſeruitutis impatientes, magis diligentes ſeruire Chriſtianis, quàm Chriſti hoſtibus Mahometanis, inde migrarunt, ſuis bonis relictis, in Gallias. At Imperator maximè Pius Ludouicus, tantum abeſt vt ſuſcipere voluerit eos in ſeruos, vt æquâ conditione, quâ Francos, illos omnino voluerit eſſe liberos, concedens eiſdem quoque agros, quos colerent, vnde viuerent; ſed, quod maius eſt, vt tributorum exhibitione vellet eſſe immunes. *Extant de hoc duæ Epiſtolæ à Pithœo ex Archiuis Metropolitanæ Eccleſiæ Narbonenſis, quæ olim parut Gotthis. Quo tempore crediderim inter familias, quæ Toleto migrarunt ad Gallias, vetuſtiſſimam etiam permigraſſe Figuerarum, quorum ſunt hodie nonnulli modò ab iis profecti, viri primarij nobilitate, ac rerum geſtarum gloriâ ſatis laudabiles, dicti Ioannes & Petrus Figuera; qui non procul oppido ſancti Floris domicilium habent.*

Sed reuertamur ad priorem Epiſtolam, quæ ſic habet: Hoc eſt præceptum remiſſionis, ſeu conceſſionis, quod fecit Ludouicus Imperator Hiſpanis, qui ad ſe confugerunt: In nomine Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, Ludouicus diuinâ ordinatione & prouidentiâ Imperator Auguſtus, omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, & noſtris præſentibus, & futuris, in partibus Aquitaniæ, Septimaniæ prouinciæ, & Hiſpaniæ, conſiſtentibus in locis ſcilicet illis, quæ diximus à Francis, Saracenis fuiſſe ſublata. Sicut nullius veſtrûm notitiam effugiſſe putamus, qualiter aliqui hominum propter iniquam oppreſſionem & crudeliſſimum iugum, quod eorum ceruicibus inimiciſſima Chriſtianitati gens Saracenorum impoſuit, relictis propriis habitationibus & facultatibus, quæ ad eos hereditario iure pertinebant, de partibus Hiſpaniæ ad nos confugerunt, & in Septimaniâ, & in eâ portione Hiſpaniæ, quæ à noſtris Marchionibus in ſolitudinem redacta fuit, ſeſe ad habitandum contulerunt, & à Saracenorum poteſtate ſe ſubtrahentes, noſtro dominio liberâ ac promptâ voluntate ſeſe ſubdiderunt: ita ad omnium hominum notitiam peruenire volumus, quòd eoſdem homines, ſub noſtrâ protectione & defenſione receptos, in libertate conſeruare decreuimus; eo videlicet modo, ſicut ceteri liberi homines, cum Comite ſuo in exercitum pergant, & in Marchâ noſtrâ, iuxta rationabilem Comitis noſtri ordinationem atque admonitionem, explorationes & excubias (quod vſitato vocabulo VVaſtas dicunt) facere non negligant; & miſſis noſtris, aut filij noſtri (quos rerum opportunitate in illas partes miſerimus) Legatis, qui de partibus Hiſpaniæ ad nos tranſmiſſi fuerint, paratas faciant: & ad ſubuectiones eorum veredas donent. Alius verò cenſus ab eis, neque à Comite, neque à iunioribus & miniſtralibus eius exigatur. Ipſe verò pro maioribus cauſſis (ſicut ſunt homicidia, raptus, incendia, deprædationes, membrorum amputationes, furta, latrocinia, alienarum rerum inuaſiones, & vndecumque à vicino ſuo criminaliter aut ciuiliter fuerit accuſatus, & ad placitum venire iuſſus) ad Comitis ſui mallum venire omnimodis non recuſet. Cetera verò minores cauſſas, more ſicut hactenus feciſſe noſcuntur, inter ſe mutuò diffinire non prohibeantur. Et ſi quiſquam illorum in partem, quam ad habitandum ſibi occupauerat, alios homines vndecumque venientes attraxerit, & ſecum in portione ſuâ, quam ad partiendum adduxerit, habitare fecerit, vtatur illius ſeruitio, abſque vllius contradictione vel impedimento; & liceat illis diſtinguere ad faciendas iuſtitias, quales illi inter ſe diffinire poſſint. Cetera verò iudicia criminalia, actiones, ad examen Comitis referuentur. Et ſi aliqui ex iis hominibus, qui ab eorum aliquo attractus eſt, & in ſuâ portione collocatus, locum reliquerit; locus tamen, qui relictus

relictus eſt, à Domino illius, qui priùs eos tenebat, non recedat. Quòd ſi illi propter lenitatem & manſuetudinem Comitis ſui, eidem Comiti honoris & obſequij cauſsâ quidpiam de rebus ſuis exhibuerint, non eis hoc pro tributo vel cenſu aliquo computet: aut Comes ille, vel ſucceſſores eius, hoc nec in conſuetudinem præſumant, nec eos ſibi, vel hominibus ſuis, aut manſionaticos portare, aut veredas dare, aut nullum cenſum, vel tributum, aut obſequium, præter id quod ſuperiùs comprehenſum eſt, præſtare cogat; ſed liceat tam iſtis Hiſpanis, qui præſenti tempore in prædictis locis reſident, quàm iis qui adhuc ad noſtram fidem de iniquorum poteſtate fugiendo confluxerint, & in deſertis atque incultis locis per noſtram vel Comitis noſtri licentiam confidentes ædificia fecerint, & agros incoluerint, iuxta ſupradictum modum, ſub noſtrâ protectione atque defenſione in libertate reſidere, & nobis ea, quæ ſuperiùs diximus, tam cum Comite ſuo, quàm cum miſſis eius, pro temporum opportunitate, alacriter atque fideliter exhibere. Nouerint tamen iidem Hiſpani, ſibi licentiam eſſe conceſſam; vt, ſi in vaſſatiuam Comitibus noſtris more ſolito commearent, & ſi beneficium aliquod quiſpiam eorum ab eo, cui ſe commendauit, fuerit conſecutus; ſciat ſe de illo tale obſequium ſeniori ſuo exhibere debere, quale noſtrates homines de ſimili beneficio ſenioribus ſuis exhibere ſolent. Idcircò has noſtræ auctoritatis litteras dare eis decreuimus, per quas decernimus atque iubemus, vt hæc noſtræ liberalitatis atque manſuetudinis conſtitutio erga illos tenore perpetuo ab omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris inuiolabiliter conſeruetur. Cuius conſtitutionis in vnaquaque ciuitate, vbi prædicti Hiſpani inhabitare conſueuiſſe noſcuntur, tres deſcriptiones eſſe volumus; vnam, quam Epiſcopus ipſius ciuitatis habeat, & alteram quam Comes, & tertiam ipſi Hiſpani qui in eodem loco conuerſantur. Exemplar verò harum in Archiuo noſtri palatij cenſemus reponendum; vt ex illius inſtructione, ſi quando (vt fieri ſolet) aut ipſi ſe reclamauerint, aut Comes, vel quilibet alter cauſſam contra eos habuerit, definitio litis fieri poſſit. Hanc quoque conſtitutionem, vt per diuturna tempora à ſanctæ Eccleſiæ fidelibus, & noſtris, & veriùs credatur, & fideliùs conſeruetur, manu propriâ ſubſcripſimus, & annuli noſtri impreſſione ſignare iuſſimus. ✠ Signum Domini Imperatoris Sereniſſimi Domini Ludouici. D. Vzadus Diaconus ad vicem Heliſachar recognouit. Datum Kal. Ianuar. anno (Chriſto propitio) Ludouici Imperatoris piiſſimi Auguſti III. Indictione octauâ. Actum Aquiſgrani in palatio Regio, in Dei nomine. Amen.

Sed illi qui præerant Chriſtianis iſtis, iniquè & duriter illos tractabant; iſtiq; erant ex illis, qui venerant ex Hiſpaniâ: hi porrò conqueſti ſunt apud Imperatorem. Ille verò ſic reſcripſit:

In nomine Domini. Amen. Notum ſit omnibus fidelibus ſanctæ Eccleſiæ, & noſtris, tam præſentibus quàm futuris, ſeu etiam ſucceſſoribus noſtris: Quia poſtquam Hiſpani, qui de poteſtate Saracenorum ſe ſubtraxerunt, & ad noſtram ſeu Genitoris noſtri fidem ſe contulerunt, & præceptum auctoritatis noſtræ, qualiter in Regno noſtro cum ſuis Comitibus conuerſari, & noſtrum ſeruitium peragere deberent, ſcribere eis, & dare iuſſimus; querimoniam aliqui ex Hiſpanis noſtris auribus retulerunt, duo capita continentem. Quorum vnum eſt, quòd, quando iidem Hiſpani in noſtrum Regnum venerunt, & locum deſertum, quem ad habitandum occupauerunt, per præceptum Domini & Genitoris, ac noſtrum, ſibi ac ſucceſſoribus ſuis ad poſſidendum adepti ſunt; ij qui inter eos maiores & potentes erant, ad palatium venientes, iſta præcepta Regalia ſuſceperunt: quibus

suſceptis, eos qui inter eos minores & infirmiores erant, & loca ſua benè excoluiſſe videbantur, per illorum præceptum & auctoritatem, aut penitus ab eiſdem locis depellere, aut ſibi ad ſeruiendum ſubiicere conati ſunt. Alterum eſt, quòd ſimili modo de Hiſpaniâ venientes, & ad Comites, ſiue *Vaſſos noſtros, vel etiam ad Vaſſos Comitum commendauerunt, & ad habitandum atque colendum deſerta loca acceperunt, quæ vbi ab eis exculta ſunt, ex quibuſuis occaſionibus eos inde depellere, & ad opus proprium retinere, aut aliis dare ad præmium voluerunt. Quorum neutrum iuſtum nobis aut rationabile videtur, *&c. Prohibet ne id fiat ampliùs.* Et de hac Conſtitutione noſtrâ ſeptem præcepta conſcribere iuſſimus: quorum vnum in Xarbonâ, alterum in Charcaſſonâ, tertium in Roſcillonâ, quartum in Emporiis, quintum in Barchinonâ, ſextum in Gerundâ, ſeptimum in Beterris haberi præcepimus; & exempla eorum in archiuo noſtri palatij, vt prædicti Hiſpani ab illis ſeptem exemplaria & accipere & habere poſſint. Datum IV. Idus Februar. anno (Chriſto propitio) Imperij Domini Ludouici piiſſimi Imperatoris, piiſſimi Auguſti .... Indictione IX. Actum Aquiſgrani in palatio Regio, in Dei nomine feliciter. Amen. Arnaldus ad vicem Heliſachar recognouit. *Poſteà Septimania data eſt Bernardo Duci, vel Comiti Barchinonenſi, quem ab Hiſpaniâ accerſitum ſuo præfecerat cubiculo; ſicq; voluit per Hiſpanum hominem regi colonos ex Hiſpaniâ illuc delatos. Hic Bernardus vocatus eſt Dux Septimaniæ in Galliâ Narbonenſi. Nec tunc, ſed poſteà, contigit, vt Aluarus & Iſidorus fratres S. Eulogij Doctoris Cordubenſis, & electi Epiſcopi Toletani, ex vrbe Cordubenſi inibi exularent. de quâ re in Epiſtolâ eiuſdem ad VVileſindum Epiſcopum Pampilonenſem:* Olim, Beatiſſime Papa, cùm dira ſæculi fortuna, quæ fratres meos, Aluarum & Iſidorum, à ſolo abducens, pænè in vlteriores Togatæ Galliæ partes apud Ludouicum Regem Boioariæ exulare fecit; cùm me etiam propter eos diuerſas regiones, & ignota atque laborioſa itinera, ſubire compelleret, *&c.*

*an vaſſallos

P.H. 272. *Anno Domini* DCCC.XXXIV. *allatum eſt corpus S. Leucadiæ Oueto Sueſſiones per quemdam Comitem Andegauenſem, qui venit adiutum Ordonium Ranimiri filium, contra Muzam Regem Toleti: & cùm ille deuotiſſimus eſſet ſanctæ virgini & Martyri Leucadiæ, quæ ſeruabatur Oueti, petiit à Rege ſacrum corpus; & illud Andegauum attulit. Collocat demùm anno* DCCC.XXXIX. *vt affert Baronius in Annal. Tom 9. ann. D.* DCCC.XLI. *nu. 7. Sic Nithardus Hiſtoricus, nepos S. Caroli Magni ex filiâ Bertâ, inquit:* Cumque Sueſſonicam peteret vrbem Carolus, Monachi de S. Medardo occurrerunt illi, deprecantes, vt corpus S. Medardi, S. Sebaſtiani, Tiburtij, Petri & Marcellini, Marij, Marthæ, Audifaz, Abacum, Oneſimi, Mereſinæ, Leucadiæ & Remigij Rothomagorum Archiepiſcopi, in Baſilicam, vbi nunc requieſcunt, & iam tunc maximâ ex parte ædificata erat, transferret: quibus acquieſcens inibi remanſit; &, vt poſtulauerant, Beatorum corpora propriis humeris cum omni veneratione tranſtulit: inſuper & villam, quæ Bernacha dicitur, rebus eiuſdem Eccleſiæ addidit. *Hæc ille. Ex hoc Monaſterio poſtmodum tranſlatum eſt corpus huius glorioſæ Martyris ad Flandriam. Vnde rectè dicitur in Vitâ eius perantiquâ, miſſâ ad Patres Toletanos, primùm ex Hiſpaniâ ſacras eius Reliquias allatas eſſe ad Galliam: & inde reuerà tranſlata fuit ſancta virgo ad Monaſterium S. Gilleni in Monte Henao: vnde Toletum rediit* CCC.XL. *annis poſt hanc tranſlationem factam Sueſſionem. Reperitur celebris alia facta per Archiepiſcopum Cameracenſem corporis S. Leucadiæ cum ſuo velo ex vno loco ad locum honoratiorem: nec ea fuit prima, quæ facta eſt ex Monaſterio Andegauenſi in Galliâ ad Belgicum*

Belgicum Monaſterium S. Giſleni in Monte Henao; quia de primâ nihil apud Monachos hos reperitur.

DCCC.LIV. DCCC.XVI.

273. Hoc anno cogitur in Germaniâ Synodus *Triuiacenſis.

*al. Aquiſgranenſis.

Hoc etiam anno contrahitur Synodus ad villam Theodonis. 274.

DCCC.LV. DCCC.XVII.

275. Carthagine Spartariâ habetur in pretio memoria ſancti Abbatis & Epiſcopi Abhelardi, cognomento Geneſij, ex genere Caroli Magni Imperatoris, qui pòſt ibi fuit.

276. In honore præcipuo habetur per Hiſpanias Epiſtola Catholica S. Iacobi Zebedæi filij, quam ſcripſit duodecim tribubus per Hiſpaniam diſperſis: quod ex Apoſtoli Iacobi diſcipulis acceperunt poſteri; ab his S. Melantius, vſque ad hæc tempora; hinc Dexter, Maximus, Iſidorus collegerunt. Et habetur in Miſſâ ſancti Iacobi à * *Pater noſter*, à diſcipulis ſancti Iacobi incepta, à Melantio aucta: vbi citantur teſtimonia huius Epiſtolæ, tamquam Iacobi Zebedæi: quæ Miſſa toti Hiſpaniæ & Galliæ Narbonenſi communis fuit. Quæ videre non potuit Euſebius Cæſarienſis, & ideò Ieroſolymitano Iacobo, vt notiori, illam attribuit.

*al. ab diſcipulis cepta, à tio, & au aucta,

277. Hoc tempore Nicander Poëta Hiſpanus Toleti floret.

278. *Artinodus Monachus Gothus Auguſtinianus, in Sciſlæ Toletano Monaſterio huius Ordinis, vt Martyr, in pretio habetur.

*al. Erthinodus

Stephano Quinto ſuccedit in Sede Petri Paſchalis.

275. *S. Geneſius de la Xara in territorio Carthaginis Spartariæ celeberrimus habetur, cuius corpus ibi dicitur quieſcere, at nihil certi habetur de eius Vitâ. Præterea traditur eius dies feſtus incidere in feſtum Geneſij Arelatenſis, menſe Auguſto; quo nimirum die frequentiſſimus eſt concurſus populorum ex agro Carthaginenſi, eôdem religionis cauſſâ confluentium. Dicitur hic fuiſſe conſanguineus Caroli Magni, ex ſorore nepos, frater Rolandi Ducis Gallorum fortiſſimi; ex Iuliano Toletano & Luitprando. Fuit hic ſanctus binominus: nam vocatus eſt etiam Adelardus, ſic in Galliâ; in Hiſpaniâ frequenter vocatur Geneſius. Sic in veteri ſermone Hiſpano:* No lloraua ſan Gines, que era vna ſanta perſona, mas rogaua à Dios del çielo, que quando le aplaze abona. *& ibidem loquens cum B. Virgine:* Que otra vez que me libraſtes, de plata os hize corona; mas ſi aora nos librades, de oro os la fare toda. *Credo, cùm ex Galliâ profectus eſt ad inſulam Eruſon, vel Ebuſam, & grauiſſimâ tempeſtate iactatus: in eâ inſulâ Monaſteria condidit: fuit multorum Monaſteriorum pater; & eius corpus allatum eſt ad littus quoddam Carthaginis, vbi & viuens aliquot per annos cæleſtem vitam duxerat; at Corbeiæ mortuus eſt, ibiq; carmen ſepulchrale ſacer habet eius tumulus: celebratur eius dies anniuerſarius* II. *die Ianuarij. de quo ſic Galeſinus in ſuo Martyrologio:* Apud Corbeiam ſancti Abhelardi Abbatis: is regio genere natus, Caroli Magni conſobrinus, rebus huius ſæculi ſpretis atque contemptis, vigeſimo ætatis anno fit Monachus: quo in vitæ genere hoc præter cetera habuit, vt quotidie bis ſaltem, manè ac veſperè, ſua alienaque peccata profuſis vberrimè lacry-

P.H.

mis deploraret. Abbas autem creatus, ita omni virtute floruit, vt Antonij sanctissimi Abbatis nomine aliqui eum appellarent. Meritorum igitur magnitudine cumulisque, ætate in Religionis studio actâ, animam Deo reddidit. *Hoc ipso die apud Molanum:* Apud Corbeiam, *inquit,* depositio sancti Adalardi Abbatis. *In Scholiis:* Adelardi Vitam scripsit S. Ratbertus Abbas, sextus S. Adalardi in Galliâ Corbeiâ successor, qui & Paschasius magis vsitatè dicitur. *Et sicut Ratbertus dictus est & Paschasius, ita vt fuerit binominis; sic & S. Adelardus cognominatus est etiam Genesius. In illo tractu Carthaginensi plures Genesij nominantur. Tanta est deuotio populorum ad illum sanctissimum Abbatem. Hæc in gratiam Murciensium & Carthaginensium dicta sint: alibi in Historiâ Hispaniæ Ecclesiasticâ paulò fusiùs.*

D. L. *De S. Genesio de la Xara extat libellus nostro idiomate scriptus à P. Melchiore de Huelamo Franciscano; plenè Franciscus Cascales in Hist. Murciæ, discurs. vltim. cap. 7. pag. 451. & seqq. Vide infrà num. 291. & 307. Iulianum in Aduersariis num. 435. 436. 437. 438. 439. & 450.*

P. H. 276. *Nicander Poëta Hispanus anno* DCCC.XV. *Toleti floret sub Gumesindo, qui S. Cyriaci Episcopi Anconitani scripsit Martyrium versibus, vt refert Galesinus in Annotationibus* IV. *Non. Maij fol.* 102. *pag.* 2. *Nihil de hoc vidi.* * In Chron. num. 421. *Meminit huius etiam Iulianus* hoc anno, & eum ciuem Toletanum facit. Quod ad Toletanorum gloriam accedit, quòd tempore tam barbaro Toletum tales gemmas produxerit, & in mediâ hieme similes rosas.*

D.L. *Huius Poëtæ autumo esse versus, qui in Silij Italici opere ad limen ipsius apponuntur, in editione Gisleni Iansenij Antuerpiæ anno* M.DC.I. *Versus & eorum inscriptio sunt:*

Ambrosij Nicandri Toletani in singulos Silij Italici libros catalepses.

Catalepsis primi.

Bellorum hîc causſæ, Pœnoque obsessa Saguntos
Est duce, legatos Latias quæ mittit in oras.

II.

Romanam prohibet nauem contingere portus
Hannibal: huic clypeus datur, & ruit alta Saguntos.

III.

Gadeis Pœnus adit, sortes petit æquore Bostar;
Dux Alpes superat, Taurinis qui sedet aruis.

IV.

Ticini clades canitur, Trebiæque ruina:
Hîc Appenninum transit cum milite Pœnus.

V.

Insidias Tyrius ductor struit, hinc Trasimenus
Romanam indoluit stragem, tremit Itala tellus.

VI.

Romam quisque petit, prima audit Punica bella
Serranus, referente Maro, & mouet agmina Pœnus.

VII.

Obuius Hannibali Fabius venit; isque cadentem
Collegam eripuit fato, cui reddit honores.

VIII.

Conueniunt Varrone duce ad fera bella cohortes,
Italiæ & cladis signa infelicia surgunt.

IX.

Collegâ inuito Cannarum prælia Varro

Scultus

Stultus init, portenta vetant, fugitque cruentus.

X.

Cannis occumbit Paulus, quem Pœnus honorat:
Spes Italas Fabius renouat, Varrone recepto.

XI.

Ad Tyrios socij defciscunt, pectine Teutras,
Gesta virûm canit, & Mago Carthagine certat.

XII.

Parthenopen dux Pœnus adit Nolamque resedit
Ad Capuam, trepidæ tenditque ad mœnia Romæ.

XIII.

Pœnus ab vrbe redit Capuam, tellure & Iberâ
Scipiadæ occumbunt, natus descendit Auernum.

XIV.

Arte Syracosiam expugnat terrâque marique
Vrbem Marcellus, fœdat latè omnia pestis.

XV.

Scipio ad Hispanas iuuenis tunc nauigat oras,
Marcellusque cadit, cadit Asdrubal ense Neronis.

XVI.

Hispanos vicit dux Scipio, tecta Syphacis
Hospes adit, patrio celebratque in funere ludos.

XVII.

Aduehitur Romam Cybeles; hinc Scipio Pœnum
Deiicit Asdrubalem, prostratoque hoste triumphat.

278. *De Artinodo Iulianus in Chronico num.* 422. *P. M. Ioannes Marquez in lib. de Ordine S. Augustini cap.* 11. §. 3. D. L.

De Scisså diximus suprà num. 46.

DCCC.LVIII. DCCC.XX.

Gratiosus Episcopus Rauennas XLIV. multùm floret. 280.

DCCC.LXIV. DCCC.XXVI.

Dum sanctus Abhelardus, cognomento Genesius, erat in exilio apud Carthaginem Spartariam, apud insulam Eron (nunc * Grossam dictam) multis vltrò citroque missis litteris se consolantur, ipse Gumesinduſque Toletanus Archiepiscopus, qui ex eodem erat genere & gente progenitus. 281. *al. Grillam.

DCCC.LXVI. DCCC.XXVIII.

A Machometo Toleti Rege ædificatur mirus pons super Tagum ad * alueum S. Leucadiæ Prætorienſis. 282. *al. columnam.

DCCC.LXVIII. DCCC.XXX.

Gumesindo Archiepiscopo Toletano succedit in Sede Wistremirus Archipresbyter Toletanus, vir sanctus, pius, & in pauperes egregiè propensus; sedet annos XXVIII. sub Gubernatore ciuitatis Toletanæ Ambrosio. 283.

284. * Erigitur Toleti Academia Philoſophiæ, Medicinæ & Aſtro-
*al. Eligitur logiæ, eò concurrentibus Hiſpaniæ doctiſſimis.

P. H. 283. *Gumeſindo defuncto, per electionem Metropolitanorum Epiſcoporum, eligitur VViſtremirus ciuis Toletanus, ex genere Ficulneorum, & Archipresbyter S. Iuſtæ. Fuit hic vir ſanctiſſimus, ex teſtimonio ſancti Martyris, & electi Toletani Pontificis Eulogij, dicentis in Epiſtolâ ad VVilieſindum Epiſcopum Pampilonenſem:* Poſt quintum diem Toletum reuerti, vbi adhuc vigentem ſanctiſſimum ſenem noſtrum, faculam Spiritus ſancti, & lucernam totius Hiſpaniæ VViſtremirum comperi: cuius vitæ ſanctitas totum orbem illuſtrans, hactenus honeſtate morum, celſiſque meritis Catholicum gregem refouet: multis apud eum diebus degimus, eiuſque angelico contubernio hæſimus. *Data eſt hæc Epiſtola anno Domini* DCCC.XLI. *quo tempore regebat hanc Eccleſiam vir ſanctitate vitæ, morum integritate, litteris & ſapientiâ clariſſimus, qui poteſt cum Ambroſio, Auguſtino iure comparari: quem vocat in primis* faculam Spiritus ſancti, lucernam totius Hiſpaniæ: cuius tanta fuit ſanctitas, vt eius ſplendor totum orbem perfunderet. *Vocatq; populum Muzarabum Toletanorum* Catholicum. *Felix pecus, quod tali Paſtore gubernatur. de quo pulchrè Morales in hunc locum:* Ingentis gloriæ Toletanis Muzarabibus Chriſtianis profectò fuit, talem ac tantum virum hoc tempore Epiſcopum habuiſſe. Sed Cordubenſibus meis inde etiam præſtantiſſimæ laudis decus deriuatur, diuum videlicet Eulogium eodem ipſo tempore habuiſſe, qui multorum Epiſcoporum ſuffragio, & Toletani populi ſanctis ſtudiis, dignus haberetur, qui VViſtremiro (quali, bone Deus, Antiſtiti!) ſuccederet. Idque circumſpecto iudicio, & maturâ deliberatione factum prorſus eſt, cùm ex hac apud ſe commoratione Toletana Muzarabum Eccleſia nobili experimento didiciſſet, quem virum dignis ſtudiis & populi voluntate requireret. Debet autem ſancta Eccleſia Toletana plurimum diuo Eulogio, quòd ſanctiſſimi Præſulis memoriam conſeruauerit; Aluaro itidem Cordubenſi, qui ad hoc vſque ſæculum noſtrum notitiam electi Antiſtitis tranſmiſerit, qui Martyr eſſe tandem promeruerit. *At verò cùm* hactenus *dicit Eulogius, intelligere licet, eo ipſo anno, quo ſcripta fuit hæc Epiſtola, vixiſſe adhuc VViſtremirum Archiepiſcopum. Aluarus verò vocat ſanctum Epiſcopum* Diuinæ memoriæ VViſtremirum Epiſcopum. *Scriptus eſt in tribus veteribus Epiſcoporum Toletanorum Diptychis, in Luitprando, Iuliano, in catalogo Garſiæ Loayſæ, Moralis, Ortizij; ſed illum vocat corruptè* Heniſtrentium *pro VViſtremiro: meminit & Gomezius, ego in Hiſtoriâ Toleti, Petrus de Alcozer in Hiſtoriâ Toletanâ, Mariana, & plures alij. Vir fuit VViſtremirus dignus, qui inter ſanctiſſimos Pontifices referretur in Martyrologio; ſed reformatores eius diem obitus ſanctiſſimi viri autumo prorſus ignorauiſſe. De hoc aliàs: non minimam partem fuiſſe reor ſanctiſſimi ſenis approbationem, vt populus Toletanus approbaret electionem, quam de ſancto Eulogio fecerant Epiſcopi Metropolitani ad apicem Toletani Pontificij.*

P. H. 284. *De Academiâ Toleti erectâ, vbi floruerunt Philoſophia, Aſtrologia & Medicina, nihil mihi mirum; cùm hæc Regia ciuitas ſemper fuerit omnium altrix artium & alumna.*

D. L. Erigitur Toleti Academia Philoſophiæ, Medicinæ, Aſtrologiæ, *&c.*] *Antiquus in Hiſpaniâ Academiarum vſus, & graduum. Aluarus in Vitâ S. Eulogij:* Sed cùm iam *(hæc ſunt eius verba)* annos iuuentutis attingeret, Diaconi miniſterio fungitur, atque ita in breui, meritò vectus ad ſuperiorem gradum Presbyterij ſublimatur; moxque Magiſtris ordine *(hoc eſt, more examinis*

minis adhibito) & vitæ moribus, ſociatur. *Noſter Iulianus in Chronico nu.521. vbi de Monaſterio Agalienſi ait:* Sic finiuit illa domus, illa, quæ fuerat ſanctitatis & religionis officina, & per pluſquam CCCC.L. annos tot Archiepiſcopos Patriarchali Sedi dedit, & tot Sedibus contribuit Epiſcopos, tot etiam Doctores toti Hiſpaniæ & Galliâ quondam Narbonenſi: ex quo, velut ex equo Troiano, tot viri ſanctiſſimi doctiſſimique certatim prodierunt. *De hac re alibi in Iuliano & Luitprando mentio num.244. vbi vide quæ diximus, & Paulum Iouium in lib.33. cuius ſunt verba:* Poſtremò eam [*Africam*] inualeſcente Mahometis ſectâ, Saraceni è Syriâ, Ægypto Arabiâque, inducti religionibus, tantâ vi inuaſerunt, vt, pulſis Chriſtianis, inuectâque & latè propagatâ ſuperſtitione, in Hiſpaniam vſque victores tranſſcenderint. Et cùm Afri, Numidæ, Mauri, & denique omnes Pœnorum gentes noua ſacra facilè ſuſcepiſſent; in Illiberi Bæticæ Regiâ vrbe, quam Granatam noſtri vocant, poſita eſt Maurorum ſedes, & Cordubæ gymnaſium cum celebri bibliothecâ conſtitutum, vbi Arabicarum litterarum Profeſſores iuuentutem docendo, excipiendoque intermorientes apud Græcos optimarum ſcientiarum atque artium diſciplinas, cum inſigni gloriâ floruerunt. *Refert Theodorus Zuingerus in Theatro vitæ humanæ vol.26. lib.vnico f.4063. col.2. De Academiis, & earum antiquitate, peculiarem Commentarium edidit Iacobus Middendorpius, doctum ſanè ac laborioſum: & de vtilitate, neceſſitate & antiquitate ſcholarum ſcripſit Admonitionem Panegyricam Ioannes Althuſius, Auctor donec expurgetur prohibitus. Ab Ogygis enim temporibus in Hiſpaniâ celebres & illuſtres Academiæ fuêre; præcipuè in tractu Bætico & Turdetano, cuius habitatores litteratiſſimi habiti; eâ regione* Bæticâ, *à fluuio; ab incolis,* Turdetaniâ *nominatâ. Sic Strabo lib.3. in ipſo limine:* Hi omnium *(de Turdetanis loquitur, ex recenſione Iſaaci Caſauboni)* Hiſpanorum doctiſſimi iudicantur, vtunturque Grammaticâ, & antiquitatis monimenta habent conſcripta, ac poëmata, & metris incluſas leges à ſex millibus, vt aiunt, annorum. Vtuntur & reliqui Hiſpani Grammaticâ, non vnius omnes generis; quippe ne eodem quidem ſermone. *Docuit in Turdetaniâ Grammaticam Aſclepiades Myrleanus, teſte eodem Geographo in eodem etiam libro. Ex quo idem refert Alfonſus Garſias Matamorus in* Apologeticâ narratione de Academiis, litteratisque viris Hiſpaniæ. *Eius verba ſunt:* His temporibus nondum litteras in Græciam Palamedes inuexerat, & multis cùm Poëtis, tum Philoſophiâ, Bætica florebat, quæ poſt Phœnicum illud celebre litterarum emporium (quod primum in orbe conditum à Xenophonte proditur) inſignem Academiam habuiſſe fertur; in quâ Aſclepiadem Myrleanum litteras docuiſſe Strabo numerat. *Secundas fert Morales in ſuâ Cordubâ 2. Tom Hiſtoriæ pag.107.* Aſſi queda que Cordoba eſtaua en eſta Region de los Turdulos, de los quales diçe eſte miſmo Autor [*Eſtrabon*] eran tenidos comunmente en Eſpaña por los mas ſabios de toda ella. Tenian, diçe el, letras i eſtudios dellas, i libros de inſigne antiguedad; tenian vſo de Poëſia, i ſus leyes eſcritas en verſo de tiempo antigo, que deçian era de ſeis mil años. *Meminit etiam Strabonis Iacobus de Valdes, in libro de Dignitate Regum Regnorumq; Hiſpaniæ cap.5. num.8. & Frater Ioannes de la Puente lib.3.* De la conueniençia de las dos Monarquias *cap.21. §.2. quamuis Valdeſium reprehendat, litterâ G. Nunc autem nouiſſimè de Cordubenſi Academiâ, & de aliis Hiſpaniarum inclytis P. Roa eruditè, vti ſolet, in lib.* del Principado de Cordoba *cap.6.p.25.B. Hiſpanis autem amorem innatum eſſe ad perquirendos libros, ad artes addiſcendas, dicit Oldradus de Ponte in Conſilio 84. incipit:* An expediat habere multos libros. *Et lepidam narratiuncu-*

lam

lam ſcribit his verbis: Et Hiſpani conſueuerunt circa hoc eſſe curioſi; vnde narrat Ioannes, quòd Hiſpani, volentes habere copiam librorum, inuitauerunt eum, & dederunt vinum rubeum, mixtum cum albo, vt inebriatus commodaret eis libros: ac ipſe notat codice de Dolo. l. Dolum. *Hactenus Oldradus. In iis etiam Academiis antiquis, vt in recentioribus noſtris, dignitatum gradu, ſeu nomine, Magiſtri decorabantur. Diximus iam ex S. Eulogio, & ex noſtro Iuliano. Addam nunc,* Grammaticos, Philoſophos, Doctores *appellari ſolitos. Suetonius Tranquillus temporibus quibuſdam ſuper viginti Grammatices celebres ſcholas fuiſſe in Vrbe tradit. Sunt autem Grammatici, vt inquit Cicero, interpretes Poëtarum, verſanturq; non ſolùm circa ſermonem, ſed etiam circa Hiſtorias & carmina cuagantur. A Latinis* Litterati *vocantur. Apud Græcos nimiùm ſibi indulgebant in quæſtionibus inutilibus diſcutiendis: Quem numerum remigum Vlyſſes habuiſſet? priórne ſcripta fuiſſet Ilias, an Odyſſea? & id genus alia. Increpat eos Seneca de Breuitate vitæ.* Operosè nihil agunt, *inquit,* qui in litterarum inutilium ſtudiis detinentur, quæ iam apud Romanos quoque magna manus eſt. *Deridet Quintilianus lib. 1. & A. Gellius lib. vlt. hanc Litteratorum anxiam nimis & futilem curam. Iterùm Seneca Epiſt.* 88. Ergo illa diſcamus, quæ Homerum fecêre ſapientem. Hoc quidem me quærere: Vtrùm maior ætate fuerit Homerus, an Heſiodus, non magis ad rem pertinet, quàm ſcire, an maior Hecuba fuerit, quàm Helena, & quare tam malè tulerit ætatem. *Huiuſmodi tricis eos experiebatur, imò detinebat implicitos, Tiberius, referente Suetonio eius Vitâ cap.* 70. Quæ mater Hecubæ; quod Achilli nomen inter virgines fuiſſet; quid Sirenes cantare ſint ſolitæ. *At boni Grammatici, & non Grammatiſtæ, ab iſto ineptiarum ſtulto labore cauent, quem cane peiùs & angue vetant & fugiunt, de Republicâ litterariâ benè meriti, & bono publico conſulentes. De his mentio apud I.C. in l.* Si duas. §. Grammatici. *π.* de excuſationibus tutorum. *Quibus dabatur immunitas munerum; negata iis qui primas tantùm litteras docebant. l. 2. §. vlt. π.* de vacatione munerum. *l.* Ne gradatim. §. *vlt. ϖ.* de muneribus & honoribus. *Doctè ad id Cuiacius in Recitationibus in Pandectas in dict. l.* Si duas. §. Grammatici. *Qui verò liberales profitebantur artes, & fideliter diſcebant & docebant,* Doctores *appellabantur. Id paſsim Suetonius in Iulio cap.* 42. Iulius Cæſar *(eius ſunt verba)* omnes Medicinam Romæ profeſſos, & liberalium artium Doctores ciuitate donauit. *De Hadriano Spartianus in eius Vitâ:* Doctores, qui profeſſioni ſuæ inhabiles videbantur [*ſenio aut morbo,*] ditatos honoratoſque à profeſſione dimiſit. *Lampridius de Alexandro Seuero:* Grammaticis ſalaria inſtituit, & auditoria decreuit; & diſcipulos cum annonis pauperum filios, modò ingenuos, dari iuſſit. *Vbi vides* conſtituta ſalaria. *Deſcendat, ſæpè vocatus, Suetonius in arenam, in Veſpaſiani Vitâ cap.* 18. Veſpaſianus primus è fiſco Latinis Græciſque Rhetoribus annua centena conſtituit. *Capitolinus in Antonino Pio:* Rhetoribus, *inquit,* & Philoſophis per omnes prouincias, & honores & ſalaria conſtituit. *Euſebius in Chronico refert, Quintilianum primum publicam ſcholam Romæ, & ſalarium è fiſco accepiſſe; quem cum Suetonio in concordiam conatur adducere magnus ille Lipſius in ſuo Louanio lib. 3. cap. 7. qui de hac re plenâ & eruditâ manu cumulat multa, & diſponit rectè; vti in de Bibliothecis ſyntagmate cap.* 11. *Secundas fert in hac quæſtione non ſecundus Samuel Petitus lib. 4. Miſcellaneorum cap. 1. de numero, hæreſi & ſalario Grammaticorum, Rhetorum & Philoſophorum, vndique petitis teſtimoniis, quæ huc tranſcribere non eſt opus; imò opus infrunitum erit. In nouo etiam orbe,* Scholæ, Doctores & Salaria. *Ex Gomarâ tranſcripſit Lipſius cap. 6. Louanij, vbi de Mexicanis legiſſe ait, ſcholas in eorum templis fuiſſe, & ad eas diuites præſertim nobilesq; filios ſuos miſsitare ſolitos ab anno ætatis quinto: ibiq; à præceptoribus ſuis docebantur, coërcebantur, neque egredi fas erat. & ad vſum inuentutis huius terræ & agri dabantur, è quibus fructus & annonam colligebant. In Oriente Brachmanæ, & Gymnoſophiſtæ cœtus ſuos docendi diſcendiq; habuêre: hodieq; durat nomen ipſum Brachmanarum; & in Iapone Bonziorum, qui magnos diſcentium cœtus, & in primariis oppidis habent.*

DCCC.LXXIV. DCCC.XXXVI.

In territorio Zamorenſi, oppido Albugenſi, floret, opinione raræ ſanctitatis, Sæculina virgo Benedictina. 285.

DCCC.LXXVI. DCCC.XXXVIII.

Aluarus & Iſidorus, fratres S. Eulogij, qui pòſt fuit electus Archiepiſcopus Toletanus, ad Boioariam exulant. 286.

285. *Anno* DCCC.XXXVI. *in territorio Zamorenſi, oppido Albugenſi, vulgò Albugela (eſt Latinè Albucella Antonino, & Albocella Ptolemæo in Vaccæis) floret S. Sæculina virgo, Abbatiſſa, vt credo, Ordinis Benedictini, cuius memoria eſt in Martyrolog. Hiſpan. & in Breuiario membranaceo S. Eccleſiæ Abulenſis,* XXIII. *Iulij celebratur feſtum ſimplex de eâ; ſic ibi:* Sancta Sæculina ex vrbe Albugenſi, claris natalibus orta, nobili viro, cui matrimonio iuncta fuerat, vt continentiam ſectaretur, Deo precibus annuente, perſuaſit. Quo ex hac luce ſubtracto, monaſticam vitam eligens, Cœnobium ingreſſa, quod pater exſtruxerat, cum pluribus feminis ieiuniis & orationibus vacans, Deo humiliter deſeruiebat: vbi, poſt plurima ſigna, congregatis ſororibus, datoque eis pacis oſculo, migrauit ad Chriſtum. *Nuſquam nec in Martyrologio, nec in alio, quàm in hoc loco Luitprandi, & in Tabulis Eccleſiæ Abulenſis de hac reperi.* P.H.

DCCC.LXXVIII. DCCC.XL.

Theodemirus Monachus Benedictinus, Epiſcopus Calagurritanus, Claudio Taurinenſi Epiſcopo ſuccedit. 287.

287. *Theodemirus Monachus Benedictinus, & pòſt Epiſcopus Calagurritanus, vir apprimè pius & doctus, ſcripſit contra Claudium Hiſpanum Epiſcopum Taurinenſem Iconomachum librum elegantem pro imaginum defenſione. Fuit hic Claudius vir fallax, qui ex Capellano Ludouici factus eſt Epiſcopus Taurinenſis. Sæpè bellauit contra Mauros, vt patet ex rebus geſtis Auguſtæ Taurinenſis: contra quem ſcripſit (vt dictum eſt) Theodemirus, & Ionas Epiſcopus Aurelianenſis, & ſpiritu Dei concitatus ſanctus ſenex VViſtremirus Epiſcopus Toletanus,* facula Spiritus ſancti. *De Claudio ſic VValfridus Strabo, de rebus Eccleſiaſticis:* Claudius quidem Taurinenſis Epiſcopus, ſed in veritatis itinere, nominis ſui ſimilitudine, nutabundus inter ceteras vanitatum ſuarum ineptias, cupiens hæreſim de imaginibus renouare, antequam diuerſorum contra eum ſcribentium telis, ſuo iudicio damnatus, interiit: & fortaſſe qui Imperatoris, velut in nummo, contempſit imaginem, ante tribunal ipſius, proteruitatis ſuæ, & pariter ingratitudinis vel inquietudinis pœnas exſoluit. Non enim leuem iniuriam ſæculi potentes ſibi putant illatam, ſi imaginem ſuam, vel nomen in quolibet numiſmate à ſubiectis deſpici cognouerint & calcari. *Viuebat per id tempus VValfridus* P.H.

Strabo; & ideò testi præsenti ac viuenti fides habenda est. Fuit autem Claudius discipulus Felicis Vrgelitani hæretici; similis omnino patri fuit filius.

DCCC.LXXXII. DCCC.XLIV.

288. Hoc anno fit iudex Muzarabum Gundericus Toleti, vir pius, iustus, & Deum valdè timens.

DCCC.LXXXIV. DCCC.XLVI.

289. Martinus Secundus, Romani Papæ *famâ in Gallæciâ floret.
*al. frater

290. S. Aluarus, socius S. Eulogij, mirificè floret Cordubæ.

291. S. Fructuosi memoria celebris habetur apud Ligures.

292. Contra Claudium Episcopum Taurinensem Iconomachum scribit S. Wistremirus Archiepiscopus Toletanus.

P.H. 290. *De Aluaro Cordubensi, S.Eulogij contubernali, multa apud eum mentio est. Fuit illustrissimo genere natus, vt qui à sancto & modestissimo viro S.Eulogio* Serenissimus *appellatur: quod nomen, non nisi in Reges, aut è Regio sanguine procreatos, cadere videmus. Scripsit Vitam S.Eulogij, & mortem, ac officium precum, & hymnum in eius laudem Asclepiadeis versibus composuit, & librum, qui dicitur Scintilla, testimoniis sanctorum Patrum concinnatum: opus eo tempore valdè necessarium, in quo erat tanta librorum omnium penuria. Indiculus luminosus non est eius, vt mox videbimus. Non credo vxorem duxisse, sed egisse vitam cælibem. Post mortem S. Eulogij* XII. *annos plus minúsve moritur sanctissimè Cordubæ, quarto die Maij, lumen & splendor Muzarabum Cordubensium; dignus sanctus vir (vt fertur) qui Sanctorum catalogo adscriberetur. Fuit, prout illa tempora ferebant, vir planè doctus: in cuius laudem lubet hoc carmen adnectere:*

Aluare Muzarabum decus, & quem Corduba iactat
Emeritum, sacrâ cingere fronde caput.
Te pietas, te cana fides, studiumque sciendi,
Eulogio & sociat fœdus amicitiæ.
Hoc dixisse sat est; nam cetera sustulit ætas;
Quem canet admirans inuida posteritas.

D.L. *Quæ scripsit P.Higuera, Iuliani testimonio confirmantur in Chronico n.433. hoc eodem anno:* Aluarus *(hæc sunt verba)* ex Regio semine Gotthorum, amicus & collega studiorum S. Eulogij, litteris & sanctitatis opinione floret Cordubæ. *Cuius etiam meminit idem Iulianus num.430. Nunc habeo opera quæ extant manuscripta in Archiuo sanctæ Ecclesiæ Cordubensis, emissurus in lucem, si per tempus licuerit.*

P. H. 292. *Scripserunt multi contra Claudium Iconomachum, vt VValfridus,*
* D. L. De Ionâ vide not. 6. in Epist. Tractemundi. ** Ionas Aurelianensis; sed claudè, nec omnino secundùm Ecclesiæ Romanæ, Ecclesiarum omnium magistræ & regulæ, dogma Catholicum. Quæ duo circa sacras imagines docet; & nullo modo frangendas aut abiiciendas, sed debito cultu venerandas. Ii Patres, qui conuenerunt ad Concilium Francofordiense, reclamantibus S. Ecclesiæ Romanæ Legatis, recipiendas & habendas censuerunt, vt sint velut alphabeta indoctis & imperitis, nullo tamen modo venerandas. De quo sic Baronius 9. Tom. anno Domini* DCCC.XXV. *num.74. pag.761.* Verùm *(inquit, agens de Ionâ Aurelianensi, qui scripsit contra Claudium Iconoclastam)* verùm, *inquam,* sic Ionas confecit bestiam, vt tamen ab Ecclesiâ Catholicâ præmio dignus minimè fuerit iudicatus; quippe qui etsi pugnauit aduer-

aduersus Iconoclastas, non tamen è castris Ecclesiæ orthodoxæ, à quâ errore pristino ex parte dissensit; dum ita non confringendas esse prædicauit imagines, vt tamen eas non esse venerandas assereret: ex eorum classe vnus ipse, qui ad ornatum dumtaxat, & ad instruendum de rebus gestis fideles, non autem ad venerationem esse debere imagines in Ecclesiâ sensit. Quem vnà cum aliis eiusdem sectæ gregalibus superiùs confutauimus. *Hæc Baronius. Scripsit ad Ionam Lupus Ferrariensis Abbas Epist.27.* Excellentissimo Præsuli Ionæ, Lupus æternam in Domino salutem. Librum vestrum (sicut rogasti) excurrimus; sed vt parcissimè dicamus, immutare in eo nihil voluimus, vt operis vestri sitis ipsi correctores, cuius estis auctores: siquidem expendenda nobis fuit teneritudinis & tenuitatis nostræ ratio, & ætatis ac ordinis vestri habenda consideratio: nec facilitatem ac delectationem quamdam reprehendi, quam in quibusdam notare solemus, debuimus imitari. *Hæc ille. Addit Baronius:* Debuisset vir doctus & pius reprehendisse Antistitem de errore contra Ecclesiam hîc insinuato.

Præter Theodomirum Monachum, Dungalus non ignobilis eiusdem temporis Scriptor, & VVistremirus, vtpote Scriptor contra Iconoclastas & errores imaginum, Archiepiscopus Toletanus, vir doctissimus & sanctus, & ipse Lupus, scripserunt de Crucis & imaginum adoratione. Constat hoc ex Epistolâ eiusdem Lupi ad Eginhardum Scriptorem rerum à Carolo gestarum. Est Epistola 4. occasione reprehendendi Claudij Taurinatis Episcopi negantis sacras imagines venerandas esse. Res hæc venit ad aures Imperatoris Michaëlis Græci, qui misit Legatos suos ad Ludouicum Imperatorem, qui in hoc errabat, dicens imagines tenendas omnino quidem, sed nullatenus adorandas esse. Qui etiam ad Eugenium Papam misit suos Oratores, vt peterent à Papâ, vt litterati Galli disputarent eâ de re. Et sanctus Pontifex arguit temeritatis Legatos, scilicet Freculphum Episcopum, & Adegarium, quòd rem tantis sæculis ab Ecclesiâ obseruatam, certam & constitutam, vellent ausu quodam temerario in quæstionem reuocare. Tandem ipsis insistentibus licentiam petitam concessit. Facta est collectio prope Parisios anno Domini DCCC.XXV. *non coacta Synodus. Quæ in illâ collectione decreta fuerunt, satis posteritas erubescit. Prodiit in lucem actus Francofordiensis sine nomine Auctoris, aut Bibliothecæ vnde petitus sit codex ille; quod tyrannicè factum Cardinali Baronio doctissimo pientissimoq; fuisse planè videtur. Tunc est abiecta septima Synodus generalis. Quâ de re sic Baronius anno* DCC.XCIV. Vetustissimum omnium Chronicon hac ætate conscriptum, sub Ludouico Imperatore, Caroli filio; Synodus, inquit, etiam quæ ante paucos annos sub Irene & Constantino filio eius congregata, & ab ipsis non solùm septima, verùm etiam generalis erat appellata; vt nec septima nec vniuersalis haberetur diceretúrve, quasi superuacua omnino ab omnibus abdicata est. *Hæc eadem totidem verbis apud Aimonium descripta leguntur. Chronicon itidem eodem tempore scriptum, nuper à Pythœo editum, hoc eodem anno iisdem verbis:* Pseudosynodus Græcorum, pro adorandis imaginibus, habita ab Episcopis, damnatur; in eodem videlicet Francofordiensi Concilio. *Et Ado Viennensis, qui scripsit sub Carolo nepote huius Caroli Magni, eadem verbis iisdem. Idem Regino, sed & alij complures longè nobiliores Auctores. Verùm de ipsis primis Auctoribus, qui interfuerunt eidem Francofordiensi Concilio, priùs perueştigandum est, quomodo ex aduersantium scriptis, capitulari scilicet libro illo, inducti sint, vt Nicænam Synodum condemnarent. Mirum est quomodo sint obcæcati isti Doctores, non inspectis veris Actibus, & reclamantibus Legatis Adriani, & contrariis eos fallentibus credere maluerint; nisi quòd coacta sit Synodus à Constantino & Irene,*

qui noluerunt recipere vxorem filij sui filiam Caroli Magni. & Ionas Aurelianensis fuit in sententiâ huius erroris, sic: Illud, quod imaginum adoratores ad suum errorem muniendum respondisti scripsisse, ita inquiens: Non putamus, imagini, quam adoramus, aliquid inesse diuinum, sed tantùm pro honore, cuius effigies talis, eam veneratione adoramus; vnà autem reprehendimus ac detestamur, qui cùm eorum scientiam non subterfugerint, imaginibus nihil esse diuini, maiori digni sunt inuectione, eò quòd delatum honorem diuinitati impenderint infirmo & egeno simulacro. Quantumque huius erroris sectatores & defensores à verâ exorbitent religione, non opus est per singula meâ declarare narratione. Idipsum etiam nonnulli Orientalium, qui eodem sceleratissimo mancipantur errore; sed obiurgantibus respondere solent; Tribuat Dominus suâ gratuitâ pietate, vt tandem aliquando, & isti & illi ab eadem exuantur superstitione, & Apostolicis disciplinis salubriter instructi, traditioni renouentur Ecclesiasticæ. *Et inferiùs:* Illi, qui nimio & indiscreto amore ob honorem Sanctorum imaginibus supplicant: nescio an temerè idololatræ sint, aut vocandi videantur; sanè potiùs ab hac superstitione adhibito rationis moderamine reuocandi, quàm idololatræ (cùm vtique sanctæ Trinitatis fidem veraciter credant & prædicent) nuncupandi.

Eiusdem malæ opinionis videtur fuisse VValfridus Strabo, de rebus Ecclesiasticis cap. 8. Nunc autem de imaginibus & picturis, quibus decus Ecclesiarum augetur, dicenda sunt aliqua: quia & earum varietas nec quodam cultu immoderatè colenda est, vt quibusdam stultis videtur. *Et inferiùs:* Si enim ideò quia nouimus non adorandas nec colendas icones, conculcandæ sunt & delendæ picturæ. *Hæc ille. Eiusdem fuit classis Amalarius, Altigarius, seu Elisagarus, Treuolphus, Adegarius. Inter hos numerandus est & Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis contra Ioannem Episcopum cap.* 20. Septima autem apud Græcos vocata vniuersalis Pseudosynodus de imaginibus (quas quidam confringendas, quidam adorandas dicebant; neutra verò pars in intellectu sano definiens sine auctoritate Apostolicæ Sedis) non longè ante nostra tempora Nicææ est à quàm plurimis Episcopis habita, & Romam missa, quam & Papa Romensis ad Franciam direxit. Vnde tempore Caroli Magni Imperatoris, iussione Apostolicæ Sedis, generalis Synodus in Franciâ, *Francofordiæ scilicet,* conuocante præfato Imperatore, celebrata: & secundùm Scripturarum tramitem traditionemque maiorum ipsa Græcorum Pseudosynodus destructa, & penitus abdicata: de cuius destructione non modicum volumen, quod in palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore, per quemdam Episcopum missum. *Et inferiùs:* Auctoritate itaque huius Synodi *(Francofordiensis videlicet)* nonnihil repressa est imaginum veneratio. Sed tamen Adrianus, & alij Pontifices in suâ opinione perseuerarunt: & mortuo Carolo, suarum pupparum cultum vehementiùs promouerunt: adeò vt Ludouicus Caroli filius, libro longè maiori insectatus sit imaginum cultum, quàm Carolus. *Hæc Hincmarus. Quo loco satis irreuerenter & de cultu sacrarum imaginum, & de sententiâ irrefragabili Romanorum Pontificum loquitur. Nec ignorare poterant illi Patres, regulam infallibilem veritatis esse sanctam Sedem Romanam. At verò Anastasius Bibliothecarius, in Præfatione quam præmisit septimæ Synodo:* Quæ super venerabilium imaginum adoratione præsens Synodus docet *(Nicæna scilicet)* hæc & Apostolica Sedes vestra, sicut nonnulla conscripta fuerant, antiquitus tenuit, & vniuersalis Ecclesia semper venerata est, & hactenus veneratur; quibusdam dumtaxat Gallorum exceptis, quibus vtique non-

nondum est harum vtilitas reuelata. Aiunt namque, quòd non sit quodlibet opus manuum hominum adorandum: quasi non sit codex Euangeliorum, opus manuum hominum, quem quotidie osculantes adorant. venerabilior canis, quem non esse opus manuum hominum, proculdubiò non negabunt: similiter & forma sanctæ Crucis, quam se adorare omnes vbique Christiani fatentur. *Duo collige ex Anastasio; solos quosdam Pontifices Gallos non admittere adorationem imaginum, non omnes; &, præter hos, nullos aliarum nationum Episcopos. Vnde pernicioſa hæc hæresis, tametsi Gallia proxima sit Hispaniæ, eius membra non peruasit, nec eam infecit. Imò cùm scripsisset de non adorandis, sed frangendis imaginibus Claudius Hispanus, Taurinas Episcopus, isq; liber, vtpote Scriptoris Hispani, manibus tereretur Hispanorum; VVistremirus Toletanus Pontifex, & Hispaniarum Primas, zelo Dei feruens, vt* facula Spiritus sancti, *ne quibus ille liber noceret, aut sententia Patrum Gallorum illos decipere posset, scripsit luculentum librum (vt docet hîc Luitprandus, & Iulianus Toletanus Archipresbyter) contra Iconoclastas, & eos, qui non reuerenter adorant sacrosanctas Sanctorum imagines. Quod credo factum, adhibitis ad Concilium Toletanum Metropolitanis Episcopis, & viris doctrinæ splendore & vitæ sanctimoniâ præclaris. Quod quidem cedit in maximam laudem, tum gentis Hispanæ, tum maximè sanctæ Sedis Toletanæ gloriam, quæ diuino beneficio tales Pastores & Pontifices non minùs doctos quàm sanctos, zelo fidei Catholicæ flagrantes, quàm famæ celebritate conspicuos, semper vt mater Hispaniarum nacta sit. Vtinam hoc opus, vt pium & egregium, nunc extaret! Posset in illo, ceu in limpidissimo quodam speculo, sedulus Lector intueri expressam imaginem morum ac doctrinæ, quibus sanctissimus vir & Pontifex VVistremirus totam Hispaniam, ceu quibusdam clarissimis radiis illustrauit. fecit Deus, vt, sicubi latet tantus thesaurus, in lucem prodeat iam tandem, ad eius gloriam & multorum vtilitatem, & vt omnes intelligant, quanti semper Toletani Pontifices fecerint sententiam sanctissimorum Romanorum Pontificum; vt ne latum, quod aiunt, vnguem & ab eorum sensibus & placitis vmquam recesserint, quin eorum statutis facilem & beneuolam aurem (vt par est) accommodarint.*

DCCC. LXXXVI. DCCC. XLVIII.

S. Blasius, Episcopus & Martyr, qui in Hispaniâ apud Centumfontes, oppidum Celtiberiæ, passus est tempore persecutionis Neronianæ, anno sexagesimo septimo; miraculis * celebris micat. 293.

* *al.* crebris

293. *S. Blasij Martyris Hispani, sub Decio passi, celebris memoria est apud Hispanos. Toleti seruatur eius sacrum cranium in Cœnobio sanctæ Trinitatis. extat Ioannis & Manuelis ante trecentos circiter annos Diploma donationis Monasterio sancti Blasij Centumfontani, vbi dicitur donationem illam fieri ob reuerentiam S. Blasij Martyris ibidem sepulti.* P. H.

De sancto Blasio Iulianus in Chronico num. 434. S. Blasius apud oppidum, vocatum Centumfontes, in Celtiberiâ, in Neronis persecutione in Hispaniâ Martyr patitur. *Non abs re mihi visum, verba Fratris Thomæ de Truxillo apponere, qui in Tomo 2. Thesauri Concionatorum fol. 637. col. 2. sub titulo,* De beato Blasio Hispano, *sic ait:* In oppido de Cifuentes in extremitate Regni Toletani, in quodam Monasterio Monialium B. Dominici, est insigne quoddam sepulchrum ex lapide alabastrite, vbi dicitur esse corpus beati Blasij Hispani. Aliqui verò dicunt esse eumdem Blasium, quem celebrat Ecclesia Catholica III. Februarij. Ceterùm, quòd ille Sanctus diceretur Blasius, certum quidem est: ita enim ibi ab omnibus affirmatur; quòd autem D. L.

tem sit ille, de quo suprà diximus, magna quidem est eâ in re difficultas: quamuis ostendant, prope flumen Tagum ruinas cuiusdam ciuitatis, quam ipsi dicunt appellatam fuisse Sebasten. Ostendunt etiam speluncam quamdam, in quâ vir sanctus habitaret, & vbi eum iussserit comprehendi Præses Agricolaus, cùm fuisset indicatus à canibus venantibus. Indicant etiam præterea, & assignant ibi nomen prouinciæ Cappadociæ, & alia multa ostendunt, quæ videntur conuenire illi alteri sancto Blasio Episcopo. Sed tamen iam vniuersa Ecclesia recepit illum Blasium, de quo superiùs dictum est, tamquam Episcopum & Martyrem, Sebastæ in Cappadociâ illâ Asiæ Minoris, non autem illâ de Alcarriâ. Itaque quidam alius esse debet hic Blasius; qui tamen idem habet nomen, & fuit etiam sanctus. *Hactenus Frater Truxillo. Sic Morales, Marieta, Dadilla.*

DCCC. LXXXVIII. DCCC. L.

294. S. Anacirardus Eremita ex Germaniâ venit in Lusitaniam, & in ripâ fluminis Tagi, prope ciuitatem Scalabim, sanctè degit; & reuersus ad Italiam, non procul à lacu Tigurino, vulneribus confectus, martyrizatur IV. Februarij.

P. H. 294. *De Anacirardo facit mentionem Molanus* IV. *die Februarij; sed vocat* Lietphardum. *Lege Surium hoc die.*

295. DCCC. XCV. DCCC. LVII.

Vide P. Ioan. de Roâ Soc. Iesu in Vitâ Martt. Cordub. p. 41. B.

Patitur Cordubæ Rodericus & Salomon, domo Lusitanus, prope vrbem dictam in Bæticâ Tuccim vetus, aliquibus Fossina.

296. Hoc anno Wistremirus, Toletanus Primas, iubet deponi Samuelem Episcopum Illiberitanum, propter nefandam vitam: quod exequitur Dauid Hispalensis Archiepiscopus; sufficit illi Geruasium.

297. Hoc anno sufficitur per Toletanum Wistremirum, defuncto Episcopo Vrcitano (Vrci, nunc Portella) Genesius, aliàs Abhelardus Episcopus, qui fuerat Lugdunensis in Galliâ, vir sanctus, Milonis cognomento Bernardi filius, frater verò Rolandi, Ducis Palatini.

298. Wistremirus, vir sanctus (qui vocabatur à S. Eulogio Facula Spiritus sancti) Lupi Ficulni frater, domo Toletanus, ex ipsis eius Muzarabibus natus, senio confectus moritur. Sepelitur in æde S. Iustæ. Succedit illi Bonitus, qui posuit sepulchrale carmen:

A. *Obiit in pace S. vir VVistremirus* XXXI. *Decembris.* Ω.

D. L. 297. Vrci, nunc Portella.] *Diximus ad num.* 38. *de oppidulo Portellâ, seu Portiellâ, vel Portelliâ (sic hìc legendum* Portellia, *vel* Portella, *aut* Portiella) *vbi laudaui Diploma Sancij Regis, cuius nunc verba, quæ ad rem conducunt, apponere non recuso.* Dono, inquam, vobis in Valle de Ostella, prope villam quæ dicitur Portiella, Monasterium, quod dicunt S. Ioannis, cum suis terminis; & in Pampiloniâ parochiam de S. Cæciliâ; & in Valle de Garonio, Monasterium quod dicitur Zeyazahassa.

298. *De*

298. *De felici obitu & die mortis sanctissimi VVistremiri, Episcopi Toletani, potest nos facere certiores Luitprandus, qui vixit post hoc tempus ferè centum annis. multa de eo suprà.* P. H.

DCCC. XCVI. DCCC. LVIII.

Eligitur in Concilio Episcoporum Toleti sanctus Eulogius. 299.

DCCC. XCVII. DCCC. LIX.

Bonitus, sanctæ Ecclesiæ Toletanæ Archidiaconus, eligitur Toletanus Pontifex. De hoc dicitur iuisse ad patriam suam Clarum-Montem Aruerniæ, & ibi fuisse donatum veste cælesti à beatâ Virgine Mariâ: sed Toleti scriptis litteris ad Samsonem Cordubensem, ipse eum absoluit. 300.

Leander, trigesimus sextus Abbas Agaliensis, floret. 301.

299. *De electione sancti Eulogij in Episcopum Toletanum, loco sanctissimi Pontificis VVistremiri, sic Aluarus in Vitâ sancti Eulogij:* Nec illud, *inquit*, omittendum in hoc Opere reor, quòd post diuinæ memoriæ VVistremiri Toletanæ Sedis Episcopi * in eamdem Sedem ab omnibus comprouincialibus & confinitimis Episcopis electus, & dignus est habitus, & pro relatu omnium comprobatus. *Iam depositus est post VVistremirum in sacrario vel secretario sanctæ Ecclesiæ Toletanæ: quin & D. Garsias Loaysa in Diptychâ Toletanorum Pontificum, ponit anno Domini* DCCC. LIX. *cum hoc elogio,* S. Eulogius electus, Martyr. P. H. * *Aliquis deest.*

300. *Bonitus Archidiaconus S. VVistremiri, cuius est Indiculus luminosus, ex Iuliano, qui passim Aluari nomine circumfertur, electione Pontificum comprouincialium succedit S. Eulogio.* P. H.

De Indiculo luminoso dicam infrà num. 309. D. L.

Sed Toleti scriptis litteris ad Samsonem Cordubensem, ipse [*Bonitus*] eum absoluit.] *Samson viuebat Cordubæ tempore S. Eulogij, posteà fuit Abbas sancti Zoili; vir doctus, & subtili ingenio, in Philosophiæ & sacrarum Litterarum studiis versatus, vt ait Ambrosius de Morales. Quem Samsonem in Concilio Cordubensi Hostigesius Malacitanus Episcopus, conuitij notam ei inurens, hæreticum nominauit: vnde ansam arripuit ad scribendum Apologeticum contra eum, tribus libris distinctum; cuius latè ipse in Præfatione Operis meminit. Omnia comprehendit noster Iulianus in Chronico num.* 440. Noluit [*Bonitus*] interesse Concilio Cordubensi, in quo grauiter erratum est contra Samsonem Abbatem; vbi & ille Samson vir doctissimus & sanctissimus fuit. Fecit Apologeticum, quod seruatur in sanctæ Iustæ Toletanæ bibliothecâ. *Fortè dixit,* grauiter erratum est, *ad Hostigesij conuitium respiciens. Bonitus absoluit Samsonem, vt ait Luitprandus. Quo non contentus Iulianus, successor Boniti, pro defensione Samsonis conuocauit Synodum. Noster Archipresbyter id testatur in Chronico num.* 444. *his verbis:* Ab illo [*Iuliano*] cogitur Synodus in defensione Samsonis cum Concilio. D. L.

De Samsone inuenta fuit quædam inscriptio cymbali ærei, non admodum longè ab oppido, quod Trasierra *vocant; typisq; expressam debemus Ambrosio de Morales, de Republicâ litterariâ benemerito, in eius Notis ad lib.* I.

Memo-

Memorialis D. Eulogÿ num. 9. inſcriptio hæc eſt:

OFFERT HOC MVNVS SAMSON ABBAS IN DOMVM SANCTI SEBASTIANI MARTYRIS CHRISTI. ERA DCCCC. ET XIII.

Vide & Epigramma à Cypriano Archipresbytero Cordubenſi compoſitum; cuius epigraphe: Epitaphium, quod idem in ſepulchro Domini Samſonis edidit, metro heroico:

Quis quantúſve fuit Samſon clariſſimus Abbas,
Cuius in vrnâ manent hac ſacra membra ſub aulâ;
Perſonat Heſperia, illius famine fota.
Flecte Deum precibus, Lector, nunc flecte peroro,
Æthera vti culpis valeat conſcendere terſis.
Diſceſſit longè notus, plenuſque dierum;
Sextilis namque menſis die viceſimâ primâ,
Sextilis namque menſis primo & viceſimo ſole.
Æra DCCCC.XXVIII.

Qui Cyprianus fuit Poëta, vt apparet ex Epitaphio, & ex aliis verſibus, quos congerit idem Ambroſius de Morales ibidem num. 6. Suffragatur noſter Iulianus in Chronico num. 519. Poſuit illi [*Blaſio*] carmen Cyprianus, eius diſcipulus. *Et in Aduerſariis num.* 284. Eâ de re extat hymnus, qui ſic incipit: Lætare Toletum. quem compoſuit Cyprianus Archidiaconus Cordubenſis, ad petitionem Adulfi Comitis, Anathagildi Abbatis, & Valentiniani Presbyteri, Toleto oriundorum. *De Apologetico Samſonis alibi Iulianus:* Cùm ſanctus vir Cyprianus venit Cordubâ Toletum, attulit ſecum librum Apologeticum Domini Samſonis, qui poſitus eſt in bibliothecâ ſanctæ Iuſtæ, pro magno theſauro.

DCCCC. DCCC.LXII.

302. Iulianus ſuccedit in Sede Toletanâ ſancto viro Bonito. Fuit doctus, vt illa ferebant tempora. Synodum coëgit.

DCCCC.III. DCCC.LXV.

303. Iuliano ſuccedit Petrus, vir pius. Coëgit Synodum.

P.H. 302. *Bonito, Toletano Præſuli, ſuccedit Iulianus Archidiaconus; qui priùs fuit Monachus Agalienſis.*

P.H. 303. *Iuliano ſuccedit in Sede Toletanâ Petrus, vir doctus: & hic habuit Toleti Synodum de rebus ad religionem neceſſariis.*

D.L. *Vide Iulianum in Chronico num.* 448. *in hæc verba:* Iuliano ſancto, Toletano Præſule defuncto, in Sede Toletanâ ſuccedit Petrus, Archidiaconus eius. Qui Iulianum ad S. Iuſtam, Toletanam metropolim, eleganter, vt illa tempora ferebant, compoſuit, & appoſuit eius viri Sanctorum memoriam, & carmen. *Sic in M.S. Patris Hier. de la Higuera.*

DCCCC.IV. DCCC.LXVI.

304. Succedit Petro alter Petrus in Sede Toletanâ, vir bonus.

305. Floret memoria ſancti Creſcentis in Cæſarone, & Viennâ, vbi fuit Epiſcopus.

306. Floret in monte Serrato ſanctus Ioannes Guarinus Eremita.

DCCCC.

DCCCC.VII. DCCC.LXIX.

Sub id tempus Dulcidius, Presbyter Toletanus, ex Bertâ Oſorij Gunderici ſorore natus, Orator Regis Legionis ad Imperatorem Cordubæ. 307.

Hoc anno fit tranſlatio Reliquiarum ſanctæ Obduliæ Palmâ Toletum. 308.

Toletum fertur *Indiculus luminoſus*, quem ſanctus Bonitus ſcripſit Cordubæ. 309.

Obiit Cordubæ ſanctus vir Patricius Aluarus IV. die menſis Maij. 310.

307. *De Dulcidio Presbytero Toletano eſt celebris mentio in Hiſtoriis Hiſpaniæ: qui cùm exactè calleret linguam Hiſpanam & Arabicam, mitti ſolebat Orator à Regibus Oueti ad Reges Cordubæ. Hunc credo alium fuiſſe ab eo, qui poſt ſeptuaginta & quinque annos fuit Epiſcopus Salmanticenſis.* P.H.

309. *Indiculus, quem Bonitus compoſuit Cordubæ, negotiorum cauſſâ ibidem commoratus, affertur Cordubâ Toletum poſt mortem Boniti.* P.H.

De Auctore Indiculi luminoſi, *varij variè. Ferè omnes agnoſcunt Aluarum eſſe. Sic Epiſcopus Placentinus, quem refert Ambroſius de Morales in Vitâ S. Eulogÿ, in fine; quamuis non certo eum ſequatur pede, dum primùm Aluaro opus tribuit, paucis verò interiectis dubitet his verbis:* Vnum illud eſt, quod vt Aluari opus illud eſſe non credam, omnino perſuadet: quia nimirum diui Eulogij ibi mentio nulla fit. Nec arbitror Aluarum in tantâ beneuolentiâ continere ſe potuiſſe, quin eius eadem ſcribentis meminiſſet. *Recantauit tamen meliori ductus, vt ait, ratione 3. part. Hiſtor. General. lib.* 14. *cap.* 3. *fol.* 95. *eoq; nititur fulcro; nimirum quia Aluarus in Vitâ S. Eulogÿ recenſet ſe tale quid operis concinnaſſe.* D.L.

Iulianus VViſtremiro tribuit in Chronico num. 438. *ſecundasq; fert P. Hieronymus de la Higuera in Notis ſuprà ad num.* 300. *Quamuis tantùm eum referre, quæ inueniſſe fatetur apud Iulianum, non verò ſuam de hac re protuliſſe ſententiam, poſſimus dicere. Luitprandus denique hîc, vel alium laudat Auctorem, Bonitum ſcilicet; vel, ſi ſenſus patitur, ſcripſiſſe tantùm, non compoſuiſſe* Indiculum *affirmat. Iulianus etiam, diſſimilis ſibi, in Epiſtolâ proſphoneticâ Alberto Fuldenſi ſcriptâ, veſtigiis Luitprandi inſiſtit, his verbis:* Indiculum luminoſum Boniti Pontificis Toletani. *quare alterutro in loco corrigendus. Inter opera tamen Aluari, quæ in ſanctâ Eccleſiâ Cordubenſi aſſeruantur,* Indiculus *inuenitur, & ſuo contextu patrem appellare videtur eumdem Aluarum: in quod proniùs inclino.*

DCCCC.XX. DCCC.LXXXII.

Marinus Columbi filius ex Gallæciâ, matre Hiſpanâ, & patre Fabricio, ex Diacono Cardinali conſecratur Papa. 311. *Vide infrà nn.* 320.

311. *De Marino Hiſpano plura docet Iulianus Toletanus.* P.H.

DCCCC.XXI. DCCC.LXXXIII.

Theophylactus Archiepiſcopus Bulgarorum floret. 312.

Habebatur pro Martyre in Hiſpaniâ * Comes Milo de Angleris, cognomento Bernardus, leuir Caroli Magni: qui Milo cum 313.

* *al.* Rolandus Comes, cuius fuit pater Milo

filio Abhelardo, cognomento Geneſio, venit in Hiſpaniam, & rectà adiit Alfonſum Caſtum, Legionis & Oueti Regem Catholicum, & detulit corpus S. Leucadiæ *Sueſſones, vt refert Nitardus, nepos Caroli.

*al. Sueſſonibus,

314. Selua, Abbas Agalienſis, Toleti mirificè floret.

D.L. 313. Et rectà adiit.] *Legendum ex meliori exemplari*, Et rectè iuuit. *Confirmatur ex Iuliani Aduerſariis num.*450. *vbi ſic:* Recteque Regem Alfonſum dictum Caſtum adiuuit.

DCCCC.XXVIII. DCCC.XC.

315. Ioannes Epiſcopus Toletanus nouem menſes ſedit.

316. In oppido Prunis, vel Pruſæ, in Carpetaniâ, Raymundus Metallinenſis Paſtor Luſitanus, mirus in pauperes, ſanctus floret.

DCCCC.XXX. DCCC.XCII.

317. Ioanni Toletano ſuccedit in Sede Bonitus Secundus, vir egregiæ mentis, & ſatis prouidus in pauperes & ſuos.

P. H. 315. *Iuliano Toletano Præſuli defuncto ſuccedit Ioannes: Ioanni Toletano ſuccedit in Primate Sede S. Bonitus II.*

P. H. 316. In oppido Prunis, vel Pruſæ, *quod quinque millibus paſſuum abeſt Occaniâ, fuit opilio ſanctus, nomine Raymundus, adeò fide plenus, & operibus charitatis inardeſcens, vt viuus mortuusq́, multis clarueri nobilitatusq́, ſit miraculis. Hic dicitur fuiſſe Metellinenſis in Luſitaniâ, vbi eius memoria eſt adhuc viuax: nam colli flumini Anæ incumbenti, nomen eſt Collis Raymundo; quia fortaſsis dum ad extremum hiemali tempore gregem illuc ageret, ibi paſcere ſolebat. Mira eſt oppidanorum erga hunc ſanctum virum deuotio, quem Supplicatione publicâ quotannis indigitare ſolent confluentes ex oppidis multi.*

D.L. In oppido Prunis, vel Pruſæ.] *Vide infrà num.*331. *Iulianus in Chronico num.*453. In oppido Prunis, Pruſæ, vel Cluſæ, in Carpetaniâ, nunc Ciruelos, Raymundus Paſtor patriâ Metellinenſis, & Puteolis ibidem ſanctus Patronus, quia fuit Epiſcopus Puteolanus in Hiſpaniâ. Fuit autem Raymundus, vt dixi, Metellinenſis, in quo tempore florebat in Cathaloniâ S. Frater Ioannes Guarinus Luſitanus: & opinione ſanctitatis & illuſtrium ſignorum clarus habetur: cui erexerunt tunc ciues Prunitani in loco Tago proximo Eremitorium. Celebratur ab antiquo tempore eius dies tertio die Paſchatis Domini. *Sic inueni poſt excuſum Iulianum in autographo P. Hieronymi de la Higuera.*

DCCCC.XXXIII. DCCCC.XCV.

318. *al. Oſtianus,* S.*Oſtanus, Epiſcopus Aucenſis in Hiſpaniâ, interfuit Concilio Ouetenſi: moritur in tractu Biuarienſi xxx. Iulij. Relatus inter Sanctos in catalogo numeratur.

319. Cordubenſes Muzarabes ædificant intra vrbem templum; dubium ne Geneſio Martyri, ibidem paſſo in perſecutione Imperatoris Neronis, an Abhelardo, cognomento Geneſio, conſanguineo Caroli Magni, Epiſcopo Abbatique glorioſo.

318. Bi-

318. Biuarium.] *Hodie* Biuar, *prope Burgos, patria celeberrima Ducis, numquam ſatis pro dignitate laudati, Roderici Didaci. Hinc tractus Biuarienſis. Hic obiit* xxx. *die Iulij.* Oſtanus Epiſcopus & Confeſſor in territorio Biuarienſi eodem die obdormiuit in Domino. *Fuit Epiſcopus Aucenſis: confirmat anno* DCCC.XC. *in Priuilegio, vbi ait:* Sub Dei gratiâ Oſtanus Epiſcopus confirmat. P. H.

Inter varia venerabilis Antiquitatis monimenta, hoc ex Corinthio ære conflatum ſeruo: quo ne Lector fraudaretur, & vt de eo benè meritus eſſem, exprimendum curaui. Tale eſt; idq́, genus alia Anton. Auguſtinus nomiſmata videtur vocare. D.L.

DCCCC.XXXIV. DCCC.XCVI.

320. *D.L. *Alij legunt* Marinus, *ex Iuliano: vide quæ diximus ad n.*311. *Martinus & Romanus, natione Gallæci, mittuntur à Ioanne Papâ ad Alfonſum Regem Legionis & Oueti.

DCCCC.XXXVIII. DCCCC.

321. *D.L. *Vide ſupra n.*316. *Prunis in Carpetaniâ moritur ſanctus Raymundus Paſtor, vir pius, ſimplex, manſuetus, largiſſimus in pauperes.

320. Martinus.] *Alij legunt* Marinus, *vt in margine notaui. Meminit Marini noſter Iulianus in Chronico (vt ait P. Higuera) num.* 458. Marinus & Romanus, natione Gallæci, in Hiſpaniam mittuntur ad Adefonſum Legionenſem Regem, à Ioanne Papâ Romenſi: venientes Legionem, comiter excipiuntur à Rege. *Diaconum agnouit idem Iulianus in Chronico num.*501. Marinus Diaconus miſſus eſt à Ioanne ad Ouetenſem Regem, *&c. & Luitprandus ex Diacono creatum Summum Pontificem.* D.L.

321. *Anno* DCCCC. *moritur in oppido Prunis ſanctus vir Raymundus; quem tametſi pauperem, meritis tamen ditiſsimum credo; nec defuiſſe multos Angelos, qui eum comitarentur, & miracula, quæ mortem eius facerent glorioſiorem.* P. H.

DCCCC.XL. DCCCC.II.

322. Bonito de viuis ſublato, ſufficitur in Sede Toletanâ Patriarchali Archidiaconus eius Seruus Dei, non minùs opere quàm nomine; qui librum ſcripſit, *quòd Filius Dei Chriſtus videt in cælo faciem Patris*. Sedet annos ſeptem.

323. Sancti Luciani Pontificis & Martyris, comitis ſancti Dionyſij Areopagitæ, oſſa Bellouaco ad vrbem Vicenſem tranſlata ſunt. Alij putant Leuciani Reguli Carpetanorum corpus, paſſi cum Quiteriâ, cum corpore S.*Marci allatum.

*al. Martiani al. Martiæ

324. Opinio fuit, in Hiſpaniâ prædicaſſe Iacobum ſanctum Euangelium, à fratre Ioanne nondum ſcriptum, vt docet Chryſoſtomus, & claræ Diuinitatis adyta orbi prædicaſſe.

325. Corpus ſancti Leuitæ Vincentij * Agenenſis Valentiâ delatum per quoſdam: nunc ſeruatur in Algaruio.

* al. Nonnagenenſis P.H.

322. *Bonito ſufficitur in Sede Toletanâ eius Archidiaconus* Seruus Dei. *Fuit nobilis Scriptor: ſcripſit enim librum, quem compoſuit, probans* quòd Chriſtus videret Patrem; *contra nonnullos, qui malè hoc negabant. vt mirum ſit, quàm locuples fuerit hæc ſancta Eccleſia Toletana Pontificum ſanctiſſimorum doctiſſimorumq; : ex quâ, velut ex equo Troiano, certatim prodierint Scriptores nobiliſſimi; qui ſicut vitâ, ſic & libris editis mirum in modum ſanctam Eccleſiam Dei illuſtrauerint.*

DCCCC. XLIII. DCCCC. V.

326. Duæ Rhemenſes Synodi de diuerſis rebus collectæ.

DCCCC. XLVIII. DCCCC. X.

327. Orontius Epiſcopus Toletanus XIX. annos ſub Abderragmane & Almanſore Toletum gubernantibus.

DCCCC. LII. DCCCC. XIV.

328. Orontius congregat Toleti Concilium Epiſcoporum.

P.H. 327. Seruo Dei *ſuccedit in Eccleſiæ Toletanæ gubernatione præclarus vir Orontius, qualem illa tempora difficilia & valdè calamitoſa planè exigebant; qui Paſtoris altitudine & animi ſanctitate præſtaret ad ſubeunda maxima quæque pericula, quæ tunc maximè ſeſe fidelibus offerebant.*

P.H. 328. *Is ſanctus Pontifex, non oblitus muneris Pontificij, in mediis Saracenorum diſcriminibus Concilium colligit.*

DCCCC. LIV. DCCCC. XVI.

329. Rhegino, Abbas Prunienſis, Benedictinus Hiſtoricus.

DCCCC. LVI. DCCCC. XVIII.

330. Ægidius, Tuſculanus Epiſcopus, Ioannis Papæ Legatus Apoſtolicus, Polonos ad fidem Chriſtianam conuertit.

331. Obiit vir ſanctus Rudeſindus pridie Nouembris: ſepelitur Dumij.

DCCCC. LX. DCCCC. XXII.

332. Rodulphus Burgundio contra Berengarium Imperatorem creatur Imperator: durat in Imperio annos quatuor.

DCCCC. LXII. DCCCC. XXIV.

333. Chriſtiani Muzarabes miſeris modis à Saracenis tractantur eo tempore: quorum odium id declarat.

334. Floret S. Eugenia virgo & Martyr: quæ in territorio Cordubenſi vrbe Vticâ (nunc *Marmolexos*) paſſa anno DCCCC. XXIII. patri-

patribus Cordubenſibus Chriſtianis, decollata eſt. Chriſtiani Muzarabes, ob memoriam martyrij, poſuerunt Cenotaphium verſibus acroſtichis.

DCCCC. LXVIII. DCCCC. XXX.

Thecla virgo Benedictina floret ſanctitate, Conchæ Camporum. 335.

DCCCC. LXIX DCCCC. XXXI.

Hoc anno corpus S.* Cyriaci repertum eſt à quodam bubulco: quod ab Hiſpanis ad Gallias priùs allatum fuit. 336.

*D.L. *Fortè legendũ* Cyrici, *pueri, filij S. Iulittæ.*

336. *Corpus huius Cyriaci credo eſſe ſancti Martyris Anconitani, qui* IV. *die Maij cum Annâ matre Ieroſolymis grauiſſima tormentorum genera pro Chriſto paſſus eſt.* P. H.

Corpus ſancti Cyriaci.] *De S. Cyriaco Iulianus in Chronico num.* 468. *vbi & in autographo doctiſſimi P. Hieronymi de la Higuera, quod poſt editionem Pariſienſem feliciter nactus ſum, ſic legitur:* S. Cyriaci corpus tranſlatum eſt ad Gallæcias ex Hiſpaniâ; inuentum eſt Hiuernis ab Vebulco anno DCCCC. XXX. *Legendum fortè,* ad Gallias, *loco* ꝫ ad Gallæcias; *&* à bubulco, *vbi* ab Vebulco *legitur; ſi Iulianum cum Luitprando componas. Vide quæ notaui in margine.* D. L.

DCCCC. LXX. DCCCC. XXXII.

Baſilius ſedet in Sede Toletanâ annos XXIII. vir probus. 337.

Hoc anno Rex Toleti Mezquitam maximam amplificat. 338.

Baſilius ſcribit ad Siluanactum & Florecindum Presbyteros. 339.

Marinus Diaconus Hiſpanus, Galliâ veniens, mittitur à Ioanne Papâ ad Præſulem Toletanum, qui libros Gotthicos Miſſales, Breuiarios, Sacramentales, Oratorios, examinans, Catholicos inuenit. 340.

337. *Baſilius Pontifex præclarus habetur; qui videns Chriſtianos mirificè deprauari ex frequenti conuictu colloquioq; Saracenorum, vt huic tam inueterato malo faceret ſalutarem medicinam, Concilium contrahit comprouincialium Epiſcoporum.* P. H.

340. Marinus Diaconus, *&c.*] *De viſitatione factâ à Marino extat mentio apud Iulianum in Chronico num.* 501. *cuius verba apponam, quia illuſtrant etiam Luitprandum numero ſequenti:* Marinus *(hæc ſunt)* Diaconus miſſus eſt à Ioanne ad Ouetenſem Regem: qui libros Gotthicos eximios [*fortè* examinans] Catholicos inuenit. Viſitanis [*legendum* Viſitanus] *& coniungendum cum voce ſequenti,* clarus, *vt legatur ſic:* Viſitanus clarus habetur doctrinâ & vitæ ſanctimoniâ, qui coëgit Concilium Toleti ad inueniendum remedium, ne Muzarabes Toletani, imò totius Hiſpaniæ, Saracenis coniuncti, illorum cærimoniis communicarent. D. L.

DCCCC. LXXIV. DCCCC. XXXVI.

Baſilius Toletanum Concilium contrahit; quo prouidetur, ne Chriſtiani detrimentum acciperent conuictu Saracenorum. 341.

Baſilio ſuccedit Bonitus Tertius: ſedet Toleti annos duos. 342.

P.H. 342. *Succedit Basilio Bonitus III. huius nominis. Sub hoc fuit Toleti Subdiaconus, noster Luitprandus; & posteà Diaconus Ticinensis.*

DCCCC.LXXV. DCCCC.XXXVII.

343. Ioannes Seruus Dei succedit in Sede: annos decem sedet.

344. Sub hoc, & in hoc anno, multi Martyres passi sunt in Hispaniâ, & nonnulli degenerauerunt à fide. quâ de re exstat Epistola elegantissima, zelo & feruore fidei plena, quam scripsit sanctus Ioannes Seruus Dei, Toletanus Primas, ad omnes Hispaniæ Muzarabes: vt Primas & Patriarcha totius Hispaniæ, scripsit ad omnes Ecclesias Hispaniarum.

P.H. 343. *Variè loquuntur Auctores de temporibus Ioannis* Serui Dei: *quia Garsias Loaysa putat obiisse anno* DCCCC.XXVI. *sed in codice S. Aemiliani sic habetur:* Ioannes ærâ DCCCC.LXIV. *legunt Morales & Loaysa* ærâ DCCCC.LXIV. *sed reuerà est* DCCCC.XCIV. *quia ex Gariuaio lib. 9. cap. 4.* X *quadraginta valet* XL. *sic obiit anno Domini* DCCCC.XXVI. *Idem sentit Frater Bernardus Brito Bracharensis, vir egregiè doctus & peritus, in quadam Epistolâ quam ad me misit. Hoc loco prætereundum non est, existimasse Aluarum Gomezium, quem sequuntur Morales & Loaysa, hunc fuisse vltimum Episcoporum Toletanorum. Ponam verba Loaysæ in Gundemaro, quæ sic habent:* Ioannes verò Dei Seruus, vitâ & miraculis clarus [*fallitur in sequentibus*] qui *(supparem facit Ioannem Eulogio)* qui, *inquit*, iisdem ferè temporibus, quibus martyrium sustinuit Eulogius, primam Toleti Sedem, consentientibus Clero & populo, tenuit: in tantâ rerum permutatione, & aperto discrimine, suas partes strenuè atque viriliter egit. Nam & furori indomito, sanctissimisque moribus immanitati restitit, impotentemque tyrannidem constitutis vitæ præclaris oppugnauit. Quamobrem Ioanne vsurâ vitæ priuato, designari successorem Mauri non sunt passi. Fuit ergo Ioannes ferè vltimus Episcoporum, qui Toleto in Maurorum seruitute præfuit: vnde Pastore centum & quinquaginta caruit annos; donec ab Alfonso sexto Rege ciuitas oppugnata est. Christiani autem Muzarabi, quamuis carebant publico primoque Pastore, in spiritualibus, velut Episcopum, S. Iustæ Parochum constituebant: quem electum summâ cum obseruantiâ suspiciebant ac venerabantur. *Hæc ex scriniis Gomezij doctissimi hausit Garsias Loaysa; quæ nituntur fundamento satis debili. Cùm non inuenissent ad manum Episcopos Toletanos, putarunt omnino cessasse primum hoc Hispaniæ Pontificium, nec caussam cessationis aliam dari posse, quàm Maurorum prohibitionem. Hæc ad speciem dicta, carent omni probabilitate, & veritatis fortitudine. Nam si propterea cessarunt omnimodè Toletani Pontifices, quòd essent Maurorum conatibus contrarij; peterem quibus in rebus? & si Episcopi Toletani erant odiosi Saracenis, cur non essent Episcopi & Cordubenses, & Hispalenses, & aliarum Sedium Pontifices? Sed videmus post mortem huius Ioannis* Serui Dei *fuisse Cordubæ, Hispali, & aliis in locis Pontifices, quid ni essent in Regiâ vrbe Toleti? In fine cuiusdam libri M. S. in quo continetur nouum vetusq; Testamentum litteris scriptum Gothicis, & est in bibliothecâ sanctæ Ecclesiæ Toletanæ, sic habetur:* In nomine Domini Saluatoris nostri Iesu Christi. Auctor huius libri, in quo nouum vetusque (omne) seruatur Testamentum, Seruandus diuæ memoriæ fuit: cùm enimuerò natus eruditusque in beatâ Hispalensi Sede, posteà Cathedram Batisgitanæ meruit tenere. A quo inclyto viro concessus est hic codex

codex Ioanni sodali intimoque suo. Qui etiam postquam in hanc eximiorem Sedem Spalensis mutatus à patruo suo beatæ memoriæ Stephano, sapientissimo luculentissimoque Spalensis Sedis Episcopo Felici, item Episcopo Primæ Toletanæ Sedis nutritus, ad Sacerdotij ordinem dedicatus, & ad Carthaginem Sedem missus est Episcopus; & iterùm inde translatus, Cordubæ, magnæ Regiæque Sedis Præsul electus. Ex quâ Sede egregiè incolumis corpore ac mente decreuit hunc codicem perfectum Domino Deo offerre in suprafatâ Hispalensi Sede, penes memoriam sanctæ semperque Virginis Mariæ, X. Kal. Ianuarij, ærâ M.XXVI. cum tali conditione, vt nullus Clericorum audeat hunc codicem aut mutare à suprafatâ Sede. Et siquis, quod absit, fecerit, sit à Deo, & Angelis suis, Sanctisque omnibus condemnatus.

Ex quo loco constat, anno DCCCC.LXXXVIII. *scilicet* XXXVI. *annos post mortem Ioannis* Serui Dei *fuisse Pontifices Stephanum Hispalensem, Seruandum Bastigitanum, posteà Ioannem primò Carthaginensem, mox Cordubensem, & Felicem Toletanæ Sedis Episcopos extitisse. vt his addam, antè vigesimoquinto anno, quo Toletum expugnaretur ab Alfonso Toletanorum Imperatore, fuisse Toletanæ Sedis Paschalem, quem adfert Dominus Loaysa in suis Conciliis, & est depictus inter Toletanos Pontifices in libro, qui de* B. Virgine Mariâ *scribitur, litteris Gotthicis scriptus, qui fuit Fr. Magistri Ioannis à Vega, celeberrimi quondam Concionatoris, & modò seruatur in Cœnobio sanctissimæ Trinitatis Toletano; vbi in fine sic:* Benedictus es Domine, qui adiuuisti me, & consolatus es me. Ego miser Salomonis Archipresbyter, seruus Dei indignus, & peccator, scripsi hoc libellum de Virginitate S. Mariæ Virginis & Dei genitricis Domini, & ad finem vsque conscripsi, in ciuitate Toleto, in Ecclesiâ sanctæ Mariæ Virginis, sub metropolitanæ Sedis Domno Paschalis Archiepiscopi XVIII. Kal. Octobr. in ærâ millesimâ centesimâ quinque. notatum sub die sextâ Feriâ, horâ tertiâ, in diem sancti Cypriani Episcopi. *Fuit annus iste* M.LXVII. *littera Dominicalis G.* XIV. *Septembris ergo celebratur Festum S. Cypriani. Obseruanda est memoria S. Mariæ Virginis de Alficen in vrbe Toletanâ. Ex his apparet, Pontifices etiam fuisse Toleti post Ioannem, & illos Episcopos sanctæ Iustæ fuisse Toletanos Pontifices; sic dictos, quia in illam Ecclesiam coirent, tamquam ad summum Toletanorum Muzarabum templum; & vbi Pontifices Toletani Sedem Episcopalem & dominium habebant.*

Vide linguæ Latinæ pro calamitoso sæculo impietatem.

344. *Magnam fuisse persecutionem Christianorum sub Ioanne* Seruo Dei, *multosq; pertulisse martyrium, docet Epistola eius ad omnes Christianos Hispaniæ Muzarabes: quæ nunc seruatur in Archiuo Ecclesiæ S. Clementis Toleti, Ordinis Benedictinarum, vel Cistercienſium Monialium. Hunc notum fuisse sibi Pontificem fatetur in hoc Chronico Luitprandus anno* DCCCC.XLIV. *& miras eius laudes texit.* P.H.

DCCCC.LXXXII. DCCCC.XLIV.

345. Quem ego Subdiaconus Toleti cognoui, ac virum sanctum & spiritu Dei feruentem expertus sum Toleti. Epistola incipit: *Multorum relatu.* Scripsit & ad Marinum, antequam esset Pontifex Toletanus; respondítque ei Marinus Papa, missis etiam litteris amoris & beneuolentiæ plenis.

346. Celebratur memoria in Hispaniâ sancti Agathangeli, passi cum S. Clemente Ancyrano Episcopo. Fuit Agathangelus patre Romano Illici natus in Hispaniâ.

Ble-

347. Bletisæ florebant corpora trium sanctorum Pastorum.

DCCCC.LXXXV. DCCC.XLVII.

348. Obiit sanctus Pontifex Toletanus, Ioannes, cognomento *Seruus Dei*; & sepultus est in Ecclesiâ S. Lucæ Euangelistæ.

349. Succedit ei in Sede Patriarchali Visitanus, vir magni consilij, & raræ pietatis in omnes afflictos Muzarabes.

P. H. 348. *De obitu sancti Ioannis Episcopi Toletani hîc agit, dicens, obiisse Toleti anno Domini* DCCC.LX. *iacereq́, apud S. Iustam.*

DCCCC.LXXXVI. DCCCC.XLVIII.

350. Synodus Ingelhermensis in Germaniâ* XXXIV. Episcoporum.

*al. XXXI.

DCCCC.LXXXVIII. DCCCC.L.

351. Berengarius Rex Italiæ iunior hoc anno creatur.

DCCCC.LXXXIX. DCCCC.LI.

352. Nunilo & Alodia hoc anno patiuntur, me viuente, in castro Wergeti, id est, Castellon; in Castris vinariis in Bateſtaniâ.

353. Concilium habitum in Hispaniâ in vrbe Cæsarauguſtanâ, dictum vulgò Auguſtanum, viginti quinque Episcoporum.

D.L. Hæc sunt quæ Biuarius scripsit D. Laurentio.

352. Nunilo & Alodia hoc anno, *&c.*] *Vel hoc anno Chronici nostri plus satis comprobatur auctoritas. Nam solus Scriptor Nunilonis & Alodiæ synchronos potuit Scriptores omnes rerum Hispanicarum in tenebris Cimmeriis deuiantes ad lucem semitamq́; veritatis reducere. In Chronologiâ enim & Chorographiâ Actorum istarum Virginum multos errores admisisse, ex iam dicendis facilè Lector comperiet, à quibus inopinatò præsenti Luitprandi sententiâ liberamur.*

Quod spectat ad Chronologiam, mira est Auctorum variatio. S. Eulogius lib. 2. Memor. Sanctorum cap. 7. & ipse coæuus illarum, auctor est, martyrij coronis redimitas anno Christi DCCC.LI. *seu ærâ* DCCC.LXXXIX. *eiusq́; placitum sequuntur Marinæus Siculus lib. 5. de Rebus Hispan. cap* 28. *Tarapha lib. de Regibus Hispaniæ in Garsiâ: quibus subscribit Baronius Tom.* 10. *eodem anno*; *& multa Ecclesiarum Hispaniæ Breuiaria ita habent in nocturnis Lectionibus Officij earundem Virginum. idemq́; annus assignatur in multis manuscriptis codicibus, quos vocant Sanctorales, præsertim in Toletano Monasterij S. Bernardi venerandæ antiquitatis & molis: ibi enim num.* 70. *in quinque magnis membranarum foliis extat ipsarum Historia sub titulo*, Passio virginum Christi Nunilonis & Alodiæ in vrbe Oscâ sub Præside Zumaël; *& incipit*, Sanctarum Dei virginum. *& aliquantò inferiùs hæc habet ad verbum*, Factum est igitur in anno Incarnationis Domini DCCC.LI. *&c. Et subscribunt Ioannes Maldonatus, & Zachariæ Lippeloo Tom.* 4. *de Vitis Sanct. die* XXII. *Octobris.*

Ab his tamen dissentit Ambrosius Morales, tum in Scholiis ad dictum cap. 7. *S. Eulogij, tum Tomo* 3. *Histor. Hispaniæ lib.* 13. *cap.* 44. *contendens passas anno Christi* DCCC.XL. *Eo verò nititur argumentò, quòd anno superiori* DCCC.XXXIX. *S. Eulogius Monasterium Legerense reuisit, vti ipse fatetur in Epistolâ ad VVillesindum Pampelonensem Episcopum, & in Apologetico ad Aluarum; tunc verò nihil prorsus de martyrio Sanctarum audiuit, auditurus planè, si contigisset*

vigilasset, vir doctissimus, & laurearum sanctorum Martyrum sui sæculi studiosissimus; præsertim cùm non longè à Legerensi Cœnobio prædictæ Virgines pro Christo ceruices dedisse credantur. Hinc ergo exploratum habemus, minimè passas ante ann. Christi DCCC.XL. *Quòd verò ante* DCCC.XLII. *occisæ fuerint, deducit ex priuilegio Regis Nauarræ Enneci Eximenij* (Iñigo Ximenez) *cognomento Aristæ, cuius autographum in ipso Cœnobio extat, exemplum autem apud Stephanum Gariuayum in Compendio Regum Nauarræ lib.* 22. *cap.* 1. *Continet verò donationem villarum Esanæ & Banasæ Deo Saluatori, & sanctis Martyribus Nuniloni & Alodiæ, in eodem S. Saluatoris Legerensi Cœnobio extunc quiescentibus; & in calce habetur:* Facta charta in ærâ DCCC.LXXX. *(est is annus Domini* DCCC.XLII.) XIV. Kal. Iul. & posita super altari S. Saluatoris, & commendata Fortunio Abbati, eiusque Monachis, coram populo festiuitatem exceptionis corporum sanctorum celebranti in eodem loco. *Quare si eodem die & anno sanctarum Virginum corpora ad Legerense Cœnobium translata sunt (nam populus Nauarrorum exceptionem eorum celebrabat) sit proculdubiò, ante ipsum annum Domini* DCCC.XLII. *martyrij palmam suscepisse; cùm aliàs compertum sit, occisas mensis Octobris* XXI. *vel* XXII. *die, vt habent Martyrologia & Breuiaria vniuersa. Siquidem si translatæ sunt mense Iulio, haudquaquam occumbere potuerunt Octobri sequenti eiusdem anni; sed necessariò ante præfatum annum* DCCC.XLII. *Neque verò falsitatis argui poterit hoc priuilegium, cùm ei suffragentur multa alia subsequentium Regum, quæ producit idem Gariuayus lib.* 22. *cap.* 3. 6. 10. 14. 16. *Primum Garsiæ, præfati Enneconis filij, datum ærâ* DCCCC.XIV. *seu anno Christi* DCCC.LXXVI. *Secundum, Fortunij, Garsiæ filij, sub ærâ* DCCCC.XXXIX. *Tertium, Sancij, Fortunij fratris, ærâ* DCCCC.LVII. *Quartum, Garsiæ, Sancij eiusdem prolis, ærâ* DCCCC.LXXXII. *Quintum, Sancij, Garsiæ filij, ærâ* M.XIX. *In quibus omnes isti Reges oppida quædam & villas ditionis suæ donant præfato Legerensi Monasterio ob reuerentiam sanctarum Christi Martyrum, quæ ibi tumulatæ iacere dicuntur. Consonatq́; antiqua Monasterij charta, seu tabula, quâ corpora Regum inibi sepultorum recensentur. Nam dum agit de Enneco Aristâ, eiusq́; coniuge Onecâ,* Tempore quorum *(ait)* fuerunt Martyres translatæ ab Oscâ in Monasterium Legerense. *De quo videndus est Yepius Cent.* 4. *anno Christi* DCCC.XL. *Cum Moralio sentit Gariuayus prædicto cap.* 1. *lib.* 22.

His tamen nihil obstantibus, multi alij contendunt, occisas anno Christi DCCCC.L. *quod nunc à Luitprando audimus. Cum eo verò sentiunt nonnulla ex vetustioribus Breuiaria Ecclesiarum Hispaniæ, præcipuè Salmantinum, cuius copiam in Monasterij Vallis-paradisi bibliothecâ nactus sum, & Ioannes Vasæus in Chronico ad ipsum annum: qui refert in Hispalensi Breuiario haberi, occubuisse anno sequenti, id est,* DCCCC.LI. *& pro hac opinione quosdam refert Auctores Gariuayus suppresso nomine. Centum proinde, aut etiam ampliùs, annis dissident inter se eiusmodi placita.*

Nec rariores tenebræ Chorographiam Virginum harum offuscant. Nam Martyrologia omnia passas dicunt in vrbe Oscâ (siue Hoscâ) ita Romanum, ita Adonis, ita Vsuardi, Galesini, Maurolyci, & si quæ sunt alia; quibus suffragantur Esquilinus lib. 9. *Cath. cap.* 96. *Marinæus Siculus & Tarapha suprà citati, & M.S. codex S. Bernardi Toletani. Alij in vrbe Boscâ apud oppidum* * *Barbetanum.* * al. *Barbitanum.* *Sic habet S. Eulogius à Moralio excusus & illustratus, sic Vasæus citato loco: & vterque contendit Boscam prope vrbem Najeram extitisse. Denique nunc Luitprandus (vt vides) asserit contigisse in castro* * *Bergeti in Castris Vinariis,* * al. *Vergeti* *in Bastetaniâ. inde multi, vtraque oppida commiscentes, asserunt vitam finisse* in territorio Barbitano iuxta oppidum & antiquissimum castrum, quod dicitur

citur Castro Bergeti, in villâ Oscâ. *Quæ verba habent multa Breuiaria, præcipuè Palentinum & Hispalense, & Burgense à Maldonato illustratum: quem sequitur Zacharias Lippeloo Tom.* 4. *de Vitis Sanctorum die* XXII. *Octobris. Quædam Legenda Hispali sub hoc nomine excusa anno Christi* M.D.III. *pro* Oscâ *vel* Boscâ *habet* Aboscâ; *& Morales* Oscam *renuens, &* Boscam *non inueniens, paruâ factâ mutatione legit* Ocam, *olim* Aucam, *à quâ saltus Aucensis nomen retinet,* los montes de Oca. *Sed dubius nihilominùs, & nimiùm hærens, subdit:* Todo es conieturar, porque mas no se puede hazer. Mas queda todauia la difficuldad, de que parece por la historia auer padecido, y sido sepultadas en Oca, donde estaua el Presidente Zumail: i no se dezir cosa que satisfaga, porque yo no me satisfago à mi mismo con ninguna. *Id solum citra dubium asserit, occisas fuisse in* Castro veteri *prope Najeram, ex traditione oppidanorum, locum etiam martyrij & pristinæ sepulturæ inibi venerantium: nominatq; ipsa* Vrbebetanum, *&* Castrum-Virgetum *satis ex sese indicare, è Castro veteri, vulgò* Castro viejo, *esse deducta.*

(Verumenimuerò tantam caliginem mirum in modum dissipat Luitprandus, dum asserit, Me viuente hoc anno passæ sunt, *&c. scilicet* DCCCC.L. *Si enim hoc testimonium cum altero D. Eulogij conferas, exploratissimum erit, duas bigas sororum, eisdem nominibus insignitarum, Virginum pariter ac Martyrum, occisas esse pro Christo Domino in Hispaniâ. Sed vnde hoc? Nimirum ex eo, quòd alter ab altero centum annorum interstitio seiunctus fuit; cùm tamen vterque quasi oculatus testis fuerit passionis Sanctarum. nam Eulogius occisas agnouit, dum scribebat, anno Christi* DCCC.LI. *Luitprandus autem, qui anno* DCCCC.L. *in Hispanis agebat, affirmat, se viuente, martyrio coronatas: fieri tamen nequit, vt eædem sint virgines, quæ ad annum Christi* DCCCC.L. *triumpharunt, cum his quæ iam ante centum annos coronas acceperunt. Ergo vtrique pro suâ probitate fides adhibenda, & diuersas prorsus sorores sub eisdem nominibus significari dicendum est.*

Idq; multò magis oppidorum seu vrbium nomina, quæ suo sanguine nobilitarunt, persuadent. Et priores quidem Oscæ in regno Aragonensi, recentiores in Castro Vergeti *iugulum præbuere; & ita purissima lectio Martyrologiorum habet, quæ dum de prioribus agunt, Oscæ passas dicunt. Vsuardi verba, cui Ado consonat, sunt ad* XXII. *Octobr.* In ciuitate Oscâ sanctarum Virginum Nunilonis & Alodiæ, quæ pro confessione Christi diutinâ custodiâ maceratæ, ac capitali sententiâ punitæ, martyrium celebrarunt. *Romani verò Martyrologij hæc:* Oscæ in Hispaniâ sanctarum Virginum Nunilonis & Alodiæ sororum, quæ à Saracenis ob fidei confessionem capitali sententiâ punitæ, martyrium consummarunt. *Itaetiam priores codices Actorum ipsarum habent; &, quod pluris habendum est, ita prorsus scripsit S. Eulogius: quæ enim vrbs in codicibus excusis* Bosca *vocatur. in originali dicebatur* Osca, *vt ipse Morales, qui textum reformare credens, vitiauit, planè fatetur. in Notis enim ad illud cap.* 7. *lib.* 2. *Memorialis Sanctorum num.* 4. *hæc ait:* In veteri exemplari Osca, non Bosca fuit. Ego vsitatum magis nomen reposui (*vsitatum tamen in vitiatis Sanctoralibus*) nam Oscam remotam admodum in Aragonensibus vrbem non credo fuisse traductas sanctas Virgines. *Quare vbi in textu Eulogij legimus,* Didicimus in vrbe Boscâ apud oppidum Barbitanum, duas sorores virgines fuisse, *&c. particula illa,* apud oppidum Barbitanum, *à sciolo aliquo textui intermixta fuit, multis post Eulogij cædem & posteriorum Virginum annis; nimirum postquam semel decursu temporis confusio Actorum sanctarum sororum inualuerat. Eiusq; rei argumento sunt prædictorum Martyrologiorum Auctores, qui notitiam sanctarum Nunilonis & Alodiæ*

diæ ab Eulogio desumpsêre, & nemo illorum oppidi Barbitani *meminit, sed solius Oscæ. Rursùs ipse Eulogij contextus proclamat alienam esse: nam si in vrbe* Oscâ *passæ sunt, quo pacto passæ etiam dicuntur* apud oppidum Barbitanum? *& quod est oppidum illud prope Oscam? Adhuc nomen ipsum perperam effertur, cùm* Bergitanum *vocari deberet, aut per V.* Vergitanum. *Verùm hoc proculdubiò oppidum est, in quo, aut prope quod, recentiores Virgines martyrio sublatæ sunt.* Bergetanos *siquidem longiùs ab Oscensibus Aragoniæ, & à Naxarensibus separatos, ex Ptolemæo liquet, qui* Birgetum, *seu* Bigertum, *in Bastetanis populis assignat: vt modò Luitprandus, & Plinius lib.* 3. *cap.* 1. *inter eosdem locat* Castra vinaria *prope Oscam; quæ fortè ab Antonino, itinere* Carthagine Castullonem *vocantur* Vineolæ. *Quo mireris Luitprandi certissimam Geographiam locorum ad recentiorum Virginum Acta spectantium, & longissimè* Birgetum *abesse à* Castro-veteri *prope Najeram, ferè totius Hispaniæ interiectu. His accedit, quòd Zumaël tyrannus, sub quo passæ leguntur, Iuliano teste (in Aduersariis num.*450.*) Rex fuit Carauaccæ: quod sanè oppidum prope Oscam Baticæ situm est. Sed & Breuiarium perantiquum Granatense, quo Osca olim vsa fuit, identidem verbis conceptis asseuerat; & traditione per manus maiorum acceptâ, suas esse Martyres asserit, & vt patronas hodieq; impensè Osca illas veneratur ac laudat, & multum earumdem interuentu Dei circa se beneuolentiam indies experiri fatetur.*

Pari correctione dignum est, quod Morales vetustiorum Virginum martyrium contra S. Eulogij fidem contendit anno Christi DCCC.XL. *contigisse, non verò* DCCC.LI. *quod scribit Eulogius. Vt enim à tanto Scriptore, sui temporis res prodente, dissentiret, sola vnius priuilegij Legerensis Cœnobij copia in causâ fuit, quo dicuntur ærâ* DCCC.LXXX. *qui est annus Domini* DCCC.XLII. *illuc translatæ. Sed verò errore transscriptoris id factum, vt sæpissimè aliàs, mihi dubium non esse, testimonium ipsius Eulogij facit, quod pluris multò quàm mille transscriptiones aliorum facio; præsertim consentientibus sanctarum Virginum vetustissimis Actis, quæ anno Domini* DCCC.LI. *occisas affirmant. Priuilegium verò illud Enneconis Eximenij cognomento* Aristæ *non potest subsequentium priuilegiis fulciri, quæ multò recentiora sunt, quàm præfatus earumdem necis annus, & solùm confirmant SS. Virginum in eo loco annis subsequentibus existentiam; quod nemo negat.*

Atque hinc iudicium ferendum est de instrumento illo perantiquo, quod producit Blancas in Comm. rerum Aragonensium, è tabulario Monasterij S. Ioannis Pinnatensis, sub titulo, Canonica S. Petri de Taberna, *petitum. quod quidem si quâ auctoritate gaudet, magni proculdubiò habendum est; vtpote cuius auctor sub Rege Roderico Hispaniarum cladem, sæuissimamq; vastationem propriis oculis in eo dicitur conspexisse. Detegi autem videtur impostura scriptoris, ex eo quòd asserat, tunc temporis Bentium Episcopum Cæsaraugustanum fugam arripuisse, cum multorum Sanctorum Reliquiis, ad Tabernense Monasterium: & inter ceteras recenset,* caput sanctæ Nunilonis, & spatulam sanctæ Alodiæ: *quæ sub altari S. Stephani reposuit. Quòd si id verum esset, cùm Hispaniarum vastatio in annum Christi* DCC.XIV. *inciderit, oporteret harum sacrarum Virginum Reliquias in veneratione fuisse* C.LXX. *& eo ampliùs annis ante ipsarum martyrium, quod anno Christi* DCCC.LI. *contigisse probauimus. Verùm opinor, scripturam totam minimè suppositam esse: nam succedente tempore harum sanctarum Virginum Reliquiæ in idem Monasterium adduci potuerunt, & sub antiquiori S. Stephani altari cum ceteris reponi; nomina verò inseri in ipsamet scripturâ: vti in textu S. Eulogij nonnihil postmodum additum fuisse monstrauimus. Vel si scriptura illa parili vbique sit antiquitatis indicanda,*

tres bigas Virginum & Martyrum, ſub eiſdem Nunilonis & Alodiæ nominibus, diuerſis tamen temporibus coronatarum, concedendas eſſe non ambigo: & priores ante annum Chriſti DCC.XIV. *ſeu Hiſpaniæ vaſtationem; poſt has anno Chriſti* DCCC.LI. *iuxta Eulogij teſtimonium alias: poſtremas verò ad annum Chriſti* DCCCC.L. *quod Luitprandus ferè vidit, adſtruendas. Maximè Iuliani auctoritate accedente, qui id conceptis verbis aſſerit in Aduerſariis num.* 292. *& ſeqq. & priores ſub Diocletiano occiſas Oſcæ in Aragoniâ ego aſſererem; eaſdemq; in Hiſpaniarum clade Bononiam delatas: ſecundas prope Naxeram, ſeu Tritium, quæ ſint Legerenſis Cœnobij ornamentum; tertias Oſca Bæticæ ſibi vendicet. Inde Iulianus:* Quaſdam, *ait,* Oſca Bæticæ, quaſdam Tritium patronas habet, quaſdam Oſca Aragoniæ.

Iuuat etiam ad Sanctarum diuerſitatem comprobandam tumulorum diſcrepantia; dum quædam Bononiæ, quædam autem in Legerenſi Monaſterio tumulatæ dicuntur.

Nec obſtat nominum, cognationis & martyrij ſimilitudo. Sæpiùs quidem idem accidiſſe comperimus, & apud Dextrum multa extant eius rei exempla. Verbi gratiâ, Blandæ in Cathaloniâ duo ſancti Martyres, Bonoſus & Maximianus, occubuere; & alij eiſdem nominibus inſigniti Vrguuone in Bæticâ. Sub Felicis & Fortunati nominibus tres bigas Martyrum ſcimus, ſcilicet occiſos Valentiæ, Eburæ & Carthagine; ſed & duas Eulalias ſimilis fermè ætatis & coronæ inter Hiſpanias agnouimus; & inter Apoſtolos Simones duos, Iacobos duos, & Iudas totidem. Vt omittam, Nunilonem & Alodiam recentiores ob antiquiorum venerandam memoriam nomina proculdubiò ſortitas fuiſſe: in quo nulla eſt contradictio. Atque hæc pro temporis anguſtiis de ſanctis puellis in gratiam Luitprandi dixiſſe ſufficiat.

D. L. *E re litterariâ mihi ſemper fuit viſum, eritq;, à magnis viris iudicium requirere, ne dicam efflagitare, & ingenuum per quos proficiam palàm & bonâ fide profiteri. Cùm enim imparem quis ſe iudicet oneri ſufferendo, recti animi eſt opem mutuam deſiderare. Quæ de Nunilone & Alodiâ mihi ſcripſit doctiſſimus P. Franciſcus de Biuar, reſcribo; & de liberalibus ſtudiis benè meritum me puto, dum hocce eruditionis theſauro frui Lectorem facio. Addo ſymbolam, leuidenſam tamen, triplici ex loco Luitprandi, qui ſibi eſt omnino ſimilis in Aduerſariis num.* 212. *his verbis:* In Caſtris vinariis, in Baſtetaniâ, Sanctæ Nunilo & Alodia anno DCCCC.LI. *Iuliani item noſtri in Aduerſariis num.* 540. *qui conuenit cum titulo codicis, ſeu Sanctoralis Monaſterij S. Bernardi in Toletanâ vrbe adducti in huius excurſus principio, titulus talis eſt:* Paſſio Virginum Chriſti Nunilonis & Alodiæ in vrbe Oſcâ, ſub Præſide Zumail. *Iuliani verba ſunt:* Paſſæ ſunt Nunilo & Alodia ſub Zumailâ Rege Carauaccæ. *Veritas veritati reſpondet. Iterùm Iuliani in Aduerſariis num.* 292. 293. *&* 294. *vbi in numero* 292. *concordat cum iis, qui paſſas eſſe affirmant anno* DCCC.LI. *legendumq; in num.*293. Oppido Oſcæ prope oppidum Bergetanum [*ſeu* Vergetanum] nunc autem Berbetanum, apud Antoninum Barbariana, paſſæ ſunt ſanctiſſimæ Virgines Nunilo & Alodia ſorores anno DCCCC.L. *Cetera delenda ſunt; quippe quæ perperàm inſerta ab amanuenſibus. Nunc vocatur iſtud oppidum* Caſtro Vegeto, *à ciuitate Oſcâ,* Hueſca, *in Baſtetaniâ tribus tantùm leucis diſtans. Et ſuo tempore oppidum* Bergetanum *atteſtatur Iulianus appellari* Berbetanum; *vtrumque, vt autumo, ex flumine prope eremitiolum fluente, quod* Barbata *nunc dicitur, ab eo diſtante duplici iactu lapidum.*

Deduco aliud teſtimonium ex noſtro indefeſſæ lectionis viro P. Hieronymo de la Higuera, aſſerente eiuſdem nominis bigam fuiſſe ſororum Martyrum, quamuis

*tis trigam agnoſcam ex P. Franciſco Biuario. Reliquit inter manu propriâ exarata ſchediaſmata, quæ apud me ſeruo, vt proprio parentis nomine decorata, lucem (ſi per tempus licuerit) videant. Plenâ manu de Nunilone & Alodiâ ſcribit, congeritq; plura, eruditè ſanè, Franciſcus Didacus de Aynſâ & de Iriarte in Antiquitatibus Oſcæ lib.*2. *cap.*24. *&* 25. *Nec abs re itidem verba Lectionum è Breuiariis, præſertim ex manuſcriptis, vt vocant, Sanctoralibus, referre, in quibus mentio de veſte, quâ induta martyrium obiit Alodia. Ea adducit Morales ad S Eulogij lib.*2. *Memorial. Sanctorum cap.* 7. *num.*6. *fol.* 58. O mira *(hæc ſunt)* virtus Altiſſimi! Puella, quæ gladium non longè micantem cauere non poterat, in propriam ceruicem deſcenſurum non pertimuit; ſed apprehenſam ſindonem crure alligauit, & capillis ſuis faciem ſuam exterſit. *Sindon enim viris & feminis communis fuit veſtis, quamuis diuerſo eâ vterentur modo, linea & alba, aliquando Tyria, & ſerica; Hebræis, inquam, feminis, & Arabibus. Apud multos inuenies multa, pauca & recondita ſeligam & depromam, vt nomen, & Hiſpaniæ aliqua antiquiſſima monimenta illuſtrem. Exſtat de Hebræis inſigne teſtimonium Iſaiæ in cap.*3. *vbi loquens de mundo muliebri, ait:* Et mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & ſpecula, מַדִּנִים ſedhinim, ſindones & vittas. *S. Thomas in verbo* Sindones, *ſcribit:* Subtilia velamina, quibus operiuntur humeri, ſicut fit in Campaniâ à mulieribus. Prouerb. vltimo, Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo. *Anteà dixerat,* Et primò ad operiendum humerorum ornamenta. *Epiſcopus Hieronymus Oſorius in ſuâ Paraphraſi ſic interpretatur,* Lineas veſtes atque velamina: *D. Hieronymus,* Amictoria *vertit. Appoſitiſſimè B. Iſidorus lib.* 19. *Etymolog. cap.*25. *de Palliis feminarum:* Anaboladium, amictorium lineum feminarum, quo humeri operiuntur, quod Græci & Latini Sindonem vocant. Ἀναβόλαιον, *ſeu* Ἀναβολάδιον, *antiquis erat, quo pectora & humeri protegebantur feminarum. De cuius vocis explanatione eruditè doctiſſimus, nulliq; in bonarum litterarum cognitione ſecundus, V. C. meus Puteanus in Epiſtolarum ferculis ſecundis Epiſt.* 11. *Vnde libet obſeruare, notam meritò inuſtam Neroni, qui turpiter ſe veſtibus ornabat, feminarum ſcilicet more. Dio eſt auctor, qui ait* linteum *habuiſſe circum collum. In Græco,* σινδόνιον. *Suetonius in eius Vitâ cap.*51. ſudarium *nominat. In Sardanapali nefandâ libidine deſcribendâ Xiphilinus eâdem vtitur voce:* Concupiebatque ſindonium connexum anulis aureis, vt molli & effractâ voce prætereuntes alliceret; *Guilielmo Blanco interprete. Seneca pallio inuolutum caput Mæcenatis increpat Epiſt.*114. Hunc eſſe, qui in tribunali, in roſtris, in omni publico cœtu ſic apparuerit, vt pallio velaretur caput, excluſis vtrimque auribus. *Plutarchus item, ſuperbiam Pompeiani liberti Demetrij taxans, habere veſtem in capite vſque ad aures, ſcribit. Molles namque ij non ſolùm communi virorum & feminarum habitu, ſed geſtu & modo induendi muliebri gaudebant. Hinc Vlpianus in l.* Veſtis. 23. §. 2. *de auro & argento legato, enumerat inter feminea veſtimenta,* pallia. *& Scæuola I.C. in l.* Titia. 38. §. 1. *eiuſdem tituli, additq;:* Muliebria ſunt, quæ matrifamiliæ ſunt comparata, quibus vir non facilè vti poteſt, ſine vituperatione, veluti ſtolæ, pallia. *Rem (vt iterùm apprehendamus filum, & vnde digreſſi ſumus reuertamur) explanat totam Rabbi Ionathas Benzahir, vti accepi ab eruditiſſimo viro P. Magiſtro Bernardo Brito Hiſtoriographo Luſitano: illius (ad cap. Iſaiæ* 3.) *ſunt verba:* Sindones molliſſimæ & tenuiſſimæ ſunt veſtes, quibus nobiliſſimæ in Iudæâ feminæ & corpus & caput ipſum tegere decenter & venuſtè erant ſolitæ. *Formam deſcribit graphicè Leui Benzemerah in cap.*31. *Prouerb.* Commune in Palæſtinâ, Arabiâ & Ægypto indumentum erat; hoc tantùm diſcrimine, quod à viris

humero nodatum ſiniſtro, ad talos vſque demiſſum ferebatur; à feminis verò venuſto redimitum ambitu, per brachia ad ſummitatem capitis aptabatur: & ſic nuptis ornamentum, & peplum, virginibus verò ornamentum & velamen erat. *Et paucis interiectis de materiâ agens ſcribit:* Sindones ex lino præcipuè texebantur in Galilæâ, bombycinæ verò in Phœniciâ, & in Sidonis vrbe, ex quâ & laudem & nomen ſumpsêre. *De hoc veſtimenti genere intelligendus Tertullianus lib. de Velandis virginibus cap.*17. Iudicabunt vos Arabiæ feminæ Ethnicæ, quæ non caput tantùm, ſed faciem totam tegunt, vt, vno oculo librato, contentæ ſunt dimidiâ frui luce, quàm totam faciem proſtituere. *Huius technæ, ſed potiùs hamati lenocinij, meminit Tacitus, vbi de Sabinâ Poppæâ lib.*13. *Annalium:* Rarus *(eius ſunt verba)* in publicum egreſſus, idque velatâ parte oris, ne ſatiaret aſpectum, vel quia ſic decebat. *Id, inquam, notum & ſolemne apud Iudæos feminis velamen, ita vt inde noſcerentur. Iterùm Tertullianus, qui aſſerit lib. de Coronâ militis cap.* 4. *veſtis genus eſſe, non veli, ex Geneſi cap.*24. *num.*65. *vbi de Rebeccâ, cui obuiàm ibat Iſaac:* At illa tollens citò pallium ſuum, cooperuit ſe. *Xantes Pagninus* Velamentum *vertit, conſtatq; magnum fuiſſe; quippe quo caput, & totum amiciebatur corpus, qualis Latinis* palla *fuit. Huiuſmodi iuſſa eſt expandere Ruth Booæ, vt ſex in eo hordei modios donatos acciperet cap.*3. *num.*5. *In Græco* περίζωμα *legitur, id eſt* amictorium. *Veſtes namque quædam ſunt amictoriæ, & in Hiſpaniâ præcipuè, vbi paſſim eis vtebantur; de quibus Accurſius intellexit locutum I. C. Ariſtonem, relatum ab Vlpiano in l.* Argumento. 27. *π. de auro & argento legato, verbo* coactilia: Veſtes, *inquit,* quæ cogunt, propter ſtricturam, vt in Hiſpaniâ. *Lazarus Bayfius de Re veſtiariâ cap.* 21. *in aliam inclinat ſententiam, & per* coactilia *ſignificari indumenta ſtrictiùs compacta ex villis craſſioribus ait; reiectâ Ioannis Baptiſtæ Egnatij in Annotationibus ad Pertinacem in Aelio Spartiano, interpretatione: cuiuſmodi ſunt* Thoracomachi, *qui loricas ſuperinduuntur. Facem prælucet ad id Plinius lib.* 8. *cap.*48. *vbi ſcribit:* Lanæ, & per ſe coactam veſtem faciunt. Ἀφέλεται *item huius generis ſunt, munimenta ſcilicet equorum: horum meminit Nicetas Choniat. & Leo Conſtitutione* 6. §. 8. *de militaribus equis.* Feltra *dicebantur; vti apud nos* Fieltros. *Sic in antiquis Baiuuariorum legibus:* Si quis in exercitu aliquid furauerit, paſtoriam, capiſtrum, frenum, feltrum, vel quæcumque inuiolauerit, *&c. quas, addito aceto, ferro reſiſtere, ait Plinius. Vnde in veteri epigraphe artifex* feltrorum *nominatur* coactor.

DIS MANIBVS
L. CORNELII
IANVARII
QVI VIX. ANN. XVII.
LANARI COACTOR

Et in Gloſſario Πιλωτὸν, coactile: Πιλωτοποιὸς, Coactilarius. *Vide ſis Iacobum Cuiacium in Obſeruat. lib.*5. *cap.*11. *& Nicolaum Rigaltium in ſuo Gloſſario Græco-barbaro, verbo* Ἀφέλεται. *Dicitur etiam qui* coactilia *operatur, aut vendit,* Lanarius coactilarius. *Ita in lapide vetuſtiſſimo:*

M. L. LARISCVS
LANARIVS. COACTILARIVS

Satis de amictoriis. *Linea item veſtimenta, pro* Sindone *poſuit idem ipſe S. Eulogius, vbi de S. Columbâ lib.*3. *Memorial. Sanctorum cap.*10. *fol.*69. Nec mora, vt erat lineis indutum, *id eſt, ſindone,* cadauer, ſportâ immiſſum alueo proiici Principes mandauerunt. *Primùm illæ feminæ Arabes, quæ in Hiſpaniam mentito habitu, cum ſuis viris vel amaſiis venêre,* ſindonem *virilem,*

*ſeu illam communem viris & feminis; eo tamen modo quo viri geſtare ſoliti, aſportarunt; Rex namque Miramolinus eas ſecum adducere prohibuit. Noſter Iulianus in Chronico num.*620. Eiſdem veſtibus vtuntur nunc Saraceni, quas ex Africâ ſecum deduxerunt quæ mentitis veſtibus venerant huc cum viris. Nam Miramolinus feminas vetuerat, ne tranſirent ad Hiſpanias. Et amatores Saraceni adduxerunt nonnullas virgines in habitu virili, quali nunc vtuntur feminæ Bæticæ, & olim vtebantur etiam Chriſtianæ degentes inter Mauros; vocant Mantos & Almalafas. *De feminis Toletanis, in Aduerſariis num.*416. Adferunt feminæ cyclades, & crepidas, & mitriolas in capitibus; geſtant pallia diuerſis coloribus variegata, quæ habent ſuper mitriolis, pendent vſque ad talos, vtuntur ſericis thoracibus, capillos incriſpant more Gotthico, & calamiſtrant.

*De lineis & ſericis ſindonibus Frater Alfonſus de Spinâ, in Fortalitio fidei lib.*3. *de Bello Iudæorum fol.*222. Quando, *inquit,* venit annus ille, & dies aſſignata; valdè manè ſurrexerunt venientes ad ſynagogas ſuas, ad adorandum Deum, induti ſindonibus albis, lineis, ſeu ſericis; prout eſt moris fieri in die expiationis, ſcilicet in die decimâ menſis ſeptimi. *Similia ſindonibus (vt excurſum planè liberum agamus)* theriſtra *erant velamina, ſeu* pallia, *quibus à capite per humeros dimiſſis velabantur. Geneſ. cap.*24. *num.*65. *vbi de Rebeccâ in Vulgatâ legitur,* At illa tollens citò pallium ſuum, operuit ſe; *Septuaginta vertunt,* Ἡ δὲ λαβοῦσα τὸ θέριστρον ἐκαλύψατο. Illa autem ſumens theriſtrum, operuit ſe. *Retinet vocem* theriſtrum, *quâ Interpretes vtuntur, Vulgatus Geneſis cap.*38. *num.*14. *agens de Thamar:* Quæ, depoſitis viduitatis veſtibus, aſſumpſit theriſtrum; & mutato habitu, ſedit in biuio itineris. *S. Cyprianus lib.*3. *ad Quirinum n.*36. *hunc locum ita reddit:* Thamar cooperuit ſe pallio, & adornauit. *D. Hieronymus in Hebraicis Traditionibus ſic explicat:* Theriſtrum, pallium dicitur; genus etiam nunc Arabici veſtimenti, quo mulieres prouinciæ illius velantur. *Et in Epiſtolâ ad Lætam de Inſtitutione filiæ,* theriſtrum *pro calyptrâ, ſeu capitis velamento, accepiſſe videtur.* Ne auferant, *ait,* theriſtrum pudicitiæ. *Pleniùs idem ipſe ad cap.*3. *Iſaiæ:* Theriſtra, quæ nos palliola poſſumus appellare, quibus obuoluta eſt Rebecca Geneſis 24 & hodie quoque Arabiæ & Meſopotamiæ operiuntur feminæ; quæ Hebraicè dicuntur redidim, Græcè θέριστρα, ab eo, quòd ἐν θέρει, hoc eſt, in æſtate & caumate, corpora protegant feminarum. *In Hebræo eadem vox* רדיד *vtrobique cap.*24. *num.* 65. *& cap.*38. *num.*14. *reperitur, quam D. Hieronymus* pallium, *& ex eo Sanctes Pagninus in ſuo Theſauro* theriſtrum *interpretatur. Appoſitiſſimè ad rem D. Baſilius in Commentario ad Iſaiam cap.*3. *ex editione & verſione vltimâ Pariſienſi, anno* M. DC. XVIII. Theriſtrum, veſtis eſt ſuperior, quam ſibi per æſtatem circumponebant [*feminæ*] ne immoderato æſtu grauarentur; quemadmodum in Geneſi didicimus, Rebeccam fuiſſe indutam theriſtro, cùm pergeret in occurſum Iſaac. *Meminit* theriſtri *noſter Luitprandus lib.*3. *Rerum per Europam geſtarum cap.* 5. Puto enim, quòd dum hunc Græcorum more cheriſtro [*lege* theriſtro] opertum, habituque inſolito viderunt indutum, non hominem, ſed monſtrum putauerunt. *Et in Legatione non ſemel. Recenſet ſuâ ſolitâ eruditione Iacobus Gretſerus è Societate Ieſu lib.*1. *Rerum Variarum poſthum. cap.*7. *pag.*76. *Tenuiſſima & perlucida veſtis erat, vti* ſindon. *Vtramque fortè comprehendit verſus Græcus, inter vetera Oracula editus, vnà cum Sibyllinis pag.*61. *curâ & labore Ioannis Opſopæi:*

Σινδόνας ἀμπέταſον, νεφέλιον λῦσόν τε δοχεῖα.
Sindonas laxato, nebulam ſolue, & acceptabulum.

Nebu-

Nebulam *lineam, &* ventum textilem *dixit Petronius Arbiter, sub personâ P. Mimographi:*

Æquum est induere nuptam ventum textilem;
Palàm prostare nudam in nebulâ lineâ.

Tales vestes à muliebri excogitatæ luxu: Vt in iis *(verba sunt Tertulliani de Cultu feminarum)* non dico nullum corpori auxilium, sed nullum pudori sit: quibus sumptis, mulier parum liquidò nudam se non esse iurabit. *Seneca suggillat lib. 7. de Beneficiis cap. 9.* Matronæ nostræ ne adulteris quidem plus sui in cubiculo quàm in publico ostendunt. *Huius loci meminit Illustrissimus Cardinalis Caietanus ad 2. 2. D. Thomæ quæst. 169. art. 2. ad 1. §.* Ad obiectionem autem de ornatu. *Insultat Philosophus in matronas, quæ vestibus tegebantur, vt meretrices; quæ licet iis tegerentur, ferè nudæ incedebant. Hinc Horatius lib. 1. Serm. 2. satyricè consulit à matronis abstinendum, quippe quæ corporis vitia vestimento integunt, & adire meretrices, quæ quia nudæ sunt, facilè conspiciuntur:*

Desine matronas sectarier: vnde laboris
Plus haurire mali est, quàm ex re decerpere fructus.
Nec magis huic inter niueos virideisque lapillos,
Sit licet hoc Chærinte tuum, tenerum est femur, aut crus
Rectius, atque etiam melius præsepe togatæ.
Adde huc quòd mercem sine fucis gestat, apertè,
Quod venale habet, ostendit.

Et paulò post:

Altera, nil obstat: Cois tibi, pænè videre est,
Vt nudam, ne crure malo, ne sit pede turpi:
Metiri possis oculo latus.

Non pectus, sed totum subtili isto velamine corpus conspiciendum præbebant: ex quo more quæstionem soluit Caietanus. Facem prælucet & his Ezechiel cap. 16. num. 7. Vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit, & eras nuda, & confusione plena. *dixit* nuda, *id est,* induta vestibus diaphanis, *qualibus vtebantur meretrices. Salsè, vti solet, veluti laudans, perstringit Martialis lib. 8. Epig. 68.*

Femineum lucet sic per bombycina corpus.

Contra hoc, quamuis tenue, acre tamen luxuriæ incitamentum, pudicam virgunculam instituit D. Hieronymus Epist. ad Lætam: Talia, *ait,* vestimenta paret, quibus pellatur frigus, non quibus vestita corpora nudentur. Τὰ δι᾽ ἐφανῆ λακωνικὰ, *huiusce generis vestes Septuaginta nominarunt Interpretes, Isaiæ cap. 3. num. 21. id est,* perspicua, *seu* pellucida Laconica. *Suidas itidem,* διαφανῆ χιτώνια, *id est,* pellucidas tunicas, *exponit,* τὰ ἰσχνὰ δι᾽ ὧν διαφαίνεται τὰ σώματα τῶν γυναικῶν: tenues, per quas pellucent corpora feminarum. Laconica *dictæ, à Lacedæmoniis nomine priuatim deducto: quòd insignis esset meritoq; detestanda Lacedæmoniorum, præter ceteras gentes, lasciuia, & turpitudo in denudandis quacumque ratione feminarum corporibus. Kimchius in Lexico,* Interulas, *siue* Subuculas, *tenues ac subtiles, sic appellatas testatur, quoniam transparebat sub illis corpus, præ nimiâ earum tenuitate. Congerit plura Iacobus Gretserus vbi suprà, Ioannes Filesacus in Vxore iustâ cap. 4.*

Hæc theristra *duplici erant in vsu; vel induendi, vel sternendi in lectis caussâ. Iulius Pollux lib. 7. cap. 13. vbi de peplo:* Pepli autem vsus duplex est; ad induendum scilicet, & insternendum. *Vtrumque clarè de* theristro *Septuaginta Interpretum innuit lectio in dicto cap. 3. Isaiæ num. 21.* Καὶ δέρεσε κατάκλιτα. Et theristra accubitoria. *Vbi sanctus Basilius:* Ἃ δὲ νῦν διαβάλλει ὁ λόγος, δέρεσε λέγει, τὰ ἐν τῇ καταπλίνσει δι᾽ ὑπερβολὴν τρυφῆς ταῖς κλίναις ὑπιβαλλόμενα. Theristra autem, quæ nunc vitio vertit Scriptura, dicuntur ea, quæ insternebant lectis, vt molliusculè discumberent, propter exuberantiam deliciarum. *De* sindone *Martialis lib. 2. Epig. 16.*

Zoilus ægrotat, faciunt hanc stragula febrem;
Si fuerit sanus, coccina quid facient?
Quid torus à Nilo? quid sindone tinctus olenti?
Ostendit stultas quid nisi morbus opes?

Denique theristro, *vti etiam* sindone *& pallâ, totum amiciebatur corpus.*

353. *Concilij Cæsaraugustani, cuius & hîc meminit Luitprandus, meminit Onuphrius anno Domini* DCCCC.LI. *& sic gestum fuit sub Ioanne Toletano Pontifice.* P. H.

DCCCC.XCI. DCCCC.LIII.

*Adelagus Bremensis Archiepiscopus, Sedis Apostolicæ Legatus, virtute, doctrinâ & religione multùm floret. 354. * Lege Adelgarius

DCCCC.XCII. DCCCC.LV.

Bruno, Otthonis Magni Imperatoris frater, Archiepiscopus Colonienfis, vir in omnibus præclarus habetur. 355.

Agapeto Pontifici succedit in Sede S. Petri Ioannes XII. 356.

DCCCC.XCV. DCCCC.LVII.

Concilium coactum hoc anno in vrbe Rauennate. 357.

DCCCC.XCVI. DCCCC.LVIII.

Concilium Ingelheimense Episcoporum XVI. 358.

DCCCC.XCVIII. DCCCC.LX.

Smaragdus, *Serlofridegodus Angli, Monachi Benedictini, viri moribus egregiis præstantes, Theologi insignes. 359. * Lege Ceolfridus

Vitæ quæ adduntur Chronico *de Viris Illustribus* Ildefonsi, compositæ sunt à Felice Toletano Archiepiscopo, quæ incipiunt: *Quamuis superiùs plurimi.* Scripsit duodecim Vitas, Xisti Pontificis Romani, Macrobij Diaconi, Philastrij Brixiensis Episcopi, Theodori Mopsuestensis Episcopi, Tyrannij, Rufini, *Verecundi Vticensis in Africâ Episcopi, olim Archipresbyteri Toletani, Victorini Episcopi Legionensis, Idacij Lamicensis Episcopi, Eusebij Dorolitani Episcopi, Cerealis Castulonensis, Ferrandi Carthaginis Africæ Diaconi, Petri Ilerdensis Episcopi, & Marcellini Schismatici Presbyteri. 360. * al. Verguadi

Sanctus Iulianus scripsit Vitam sancti Ildefonsi; Felix præterea scripsit Vitam sancti Iuliani Toletani Episcopi, idemque adiecit Chronico, quod sic incipit: *In nomine Domini: Incipit Chronicon, quod sanctus Iulianus composuit.* Illud, *Natus est autem Vitiza, 361. * al. Natus

tiza, alij tribuunt Gunterico. Nihil de additione certè hactenus reperitur.

362. Velascus Episcopus * Aluendensis scripsit Vitam * Salli Abbatis Aluendensis, eius discipulus, ad cuius pedes iacet.

*al. Albigẽsis *al. Salui Ab. & Episcopi Albigensis,

363. S. Godina, S. Geruasius, in Lusitaniâ obiêre hoc anno, primâ die Octobris.

364. Scripsi ego Vitam S. Petri, Archiepiscopi Compostellani, cognomento Mansonij, * Itali Martyris.

* Lege Fil. Martini.

365. Pars librorum Moralium, quæ adducta fuerat ab ipso Leandro, Constantinopoli ad Hispanias allata est. Pro reliquis libris missus est * Taio; & hæc (vt videtur Roderico) amissa est. Hæc solùm pars erat Romæ; posteà reliqui libri aduecti sunt, quorum meminit S. Isidorus in Leandro.

*al. Tico; D. L. *Diximus suprà n. 100. de isto Taione Caesaraug. Episc.*

366. Multas habent Diptychas Ecclesiæ Hispanorum, quæ sibi cognitæ sunt. Toletana à tempore captiuitatis habet illud principium, quod aliæ omnes ab anno CCC.LX. *Pro spiritibus pausantium sanctorum Episcoporum, Hilarij, Athanasij, Martini, Ambrosij, Augustini, Fulgentij, Leandri, Isidori, Dauid, Iuliani, item Iuliani, Petri, item Petri.*

A Felice vsque ad Iulianum post Bonitum III. ponuntur Episcopi, qui maximè iuuerunt rem Hispanam, scilicet Hilarius Pictauiensis Episcopus, Athanasius Alexandrinus, Martinus Turonensis, Ambrosius Mediolanensis, Augustinus Hipponensis, Fulgentius ex Carthagine Spartariâ Astigitanus, Leander, Isidorus, Dauid, Iulianus Hispalensis, Iulianus Toletanus Doctor, Petrus Ilerdensis, Petrus Pulcher: idque more Græcorum, qui in principio Diptycharum Episcopalium, aliarum Ecclesiarum præmittebant aliquos insignes Pontifices, cum quibus eorum Ecclesiæ Antistites aliquando communicauerunt. Id etiam fecêre Episcopi Æthiopes.

367. Solus Toletanus Episcopus, vt Primas Hispaniæ, habuit olim ius pallij in Hispaniâ.

368. Etiam in mediâ captiuitate semper seruata est obedientia, & reuerentia ab Hispanis Pontificibus Toletano Pontifici, vt Patriarchæ, & totius Hispaniæ iam inde à principio Ecclesiæ Primati.

P.H. 360. *Vitas illas, quæ circumferuntur sine nomine Auctoris in calce Chronici S. Ildefonsi, fatetur additas esse à S. Felice Toletano Pontifice, aitq; Verecundum Episcopum Vticensem in Africâ fuisse Pontificem, Toletiq; Archipresbyterum.*

P.H. 361. *Docet S. Iulianum Episcopum Toletanum scripsisse Vitam S. Ildefonsi, eiusdem ciuitatis Episcopi meritissimi. Chronicon, quod nomine Vulsæ circumfertur, etiam est Iuliani, nisi quòd illud de VVitizâ additum est à Gunterico: quamquam hoc vltimum, tamquam incertum, relinquit.*

364. Scri-

364. Scripsi ego.] *Hoc Opus Luitprandi non inueni, quamuis diligenter conquisiui. Loco* Archiepiscopi *legendum est* Episcopi: *eâ enim tempestate in quâ sanctus Petrus floruit, Compostellana Sedes in Archiepiscopalem non fuit erecta, sed anno* M.XC.VI. *Dalmachio impetrante. Sic in Martyrologio Baronij* X. *Septembris:* Compostellæ sancti Petri Episcopi, qui multis virtutibus & miraculis claruit. *Anteà mendosè apud Vsuardum, etiam Molani castigationibus expunctum:* Eodem die [X. *Septembris*] sancti Petri Archiepiscopi, qui multis virtutibus & miraculis claruit. *Clarè noster Iulianus in Chronico num.* 510. Hymnus, Salue Regina mater misericordiæ, Græcè ab Apostolis compositus, translatus est de Græco in Latinum à sanctissimo viro Petro Episcopo Compostellano. *& num.* 517. Floret memoria sancti Petri Monachi Benedictini, Episcopi Compostellani, in Diuos relati. Colitur X. Septembris. *Auctorem eum fuisse Hymni* Salue Regina *aliqui affirmant: Claudius de Rotâ cap.* 137. *his verbis:* Hermannus Contractus Teutonicus fecit Antiphonam, Alma Redemptoris mater, &, Simon Barjona; Petrus verò de Compostellâ Episcopus fecit Salue Regina. *Idem testatur Antonius Democharis lib.* 4. *de Institutione Christianæ Religionis:* Sed & Hermannus Contractus Teutonicus inuentor Astrolabij composuit Sequentias illas: Rex omnipotens, &, Sanctus Spiritus, &, Aue Maria, &, Alma Redemptoris, &, Simon Barjona: Petrus verò Compostellanus Episcopus fecit illam: Salue Regina mater misericordiæ, vita, dulcedo & spes nostra salue. *Suffragatur Durandus in Rationali diuin. offic. Noster tamen Iulianus tractatorem, non auctorem agnoscit, & Apostolos Hymnum hunc sanctum fecisse. Quod non leui destinâ fulcies ex D. Bernardi (meliùs, si legas, ex Domini Bernardi Archiepiscopi Toletani) verbis desumptis è primo quinque Sermonum super* Salue Regina, *quos seorsim à ceteris Operibus D. Bernardi edidit Gillotius in impressione Parisiensi in 2. Tom. fol. 367. vbi non* Diui Bernardi, *sed* Domini Bernardi *esse autumat.* Dulce Canticum *(hæc sunt verba)* ac nobilissimum melos, quod in honorem sanctæ Mariæ quater in anno Ordo noster deuotissimè concinit, ad deuotionem nostram discutiendam, Fratres, assumpsimus, quia speciali dulcedine multâ refertum, masticatione continuâ repetimus. Nam à summis labiis Canticum illud effusum venit. Habet enim fundamentum. Fundamentum eius in montibus sanctis. Fundamentum eius internæ dulcedinis suauitas est. Et vbi hæc nisi in montibus sanctis? hoc est, in mentibus [*legendum* montibus, *vt suprà; nam* mentibus *non congruit sensui*] nostris à Sanctis compositum, à Sanctis institutum, dignè etiam frequentabitur à Sanctis. *Hactenus D. Bernardus. Ex iis, & aliis constat compositum* à montibus sanctis; *qui nulli alij sunt quàm duodecim sanctissimi Apostoli. Ab his meritò dicitur hoc diuinum Canticum, & à summis labiis diffusum venire.* Montes *dicebantur Apostoli, vt ferè omnes Patres interpretantur ad illud Psal.* 86. Fundamenta eius in montibus sanctis. *vt Arnobius:* Secundùm fundamentum Apostolorum. *Explicitè magis, nam reddit rationem, Haymo:* Montes sunt Apostoli; quia super eos fides nostra est fundata. *Cassiodorus aliter:* Qui *(Apostoli)* soliditate fidei & excellentiâ vitæ montes sunt. *Ludolfus item:* Quia ibi primùm posita est fides Ecclesiæ: qui montes sunt propter fidei sublimitatem; sancti per vitæ puritatem, quorum fide, doctrinâ & exemplo Ecclesia est fundata. *Fusiùs D. Augustinus ibidem, & ita sensisse ait D. Paulum ad Ephes. cap.* 2. Super fundamentum Apostolorum. *Idem testatur D. Ambrosius ad Psalm.* 118. *Sermone* 22. *& super D. Lucam cap.* 17. *& in libro de Noë cap.* 32. *Iterùm D. Augustinus ad sanctum Ioannem Tract.* 1.

D.L.

& ad Psalm. 35. Sanctus Hieronymus super Psalmum 45. & ad Isaiam cap. 14. Sanctus Gregorius lib. 12. Moral. cap. 11. Doctissimi etiam viri Gigantes *appellabantur: quod passim in sacrâ Scripturâ, vbi positum non pro hominibus ingenti mole corporeâ præditis, sed pro iis qui sanctitate, sapientiâ & gravitate admirabili antecellebant. Plura cumulat Iacobus Boulduc de Ecclesiâ ante legem cap. 8. & 9. & interpretatur illud Deuteronomij cap. 2. num. 10. & 12. & adducit Vulgatum, qui nomina* Nephilim, Zuzim, Rephaim, *vertit* Gigantes *hoc sensu. Nouissimè plura eruditè cumulat Ludouicus Cresollius Societat. Iesu in suo Mystagogo, sive de Sacrorum hominum disciplinâ, lib. 1. cap. 13. sect. 1. & sequentibus. vbi Ecclesiasticos per* montes *in sacris Litteris adumbratos asserit, & ex variæ auctoritatum supellectile depromit verum.*

Nec D. Bernardus (vt filum iterùm apprehendam, & si coniectari licet) à Sanctis compositum Canticum diceret, nisi maiorem ei auctoritatem tribueret, quàm Hermanni Contracti. Deinde phrasis id etiam indicat; nam est Græca & Hebræa: genitiuum enim in suâ Dialecto pro adiectiuo apponebant. Dixi in meo Pentacontarcho cap. 9. Viri sanguinis, *pro* viris sanguinolentis: Deus pacis & misericordiæ, *pro* Deo misericorde *D. Paulus Epistolâ ad Romanos cap. 6. & c. 7.* Legem mortis *dixit pro* mortifera. *Et Ecclesiast. cap. 44.* viros misericordiæ *inuenies pro* misericordibus. *Sic in diuino Cantico* Regina misericordiæ *(vt legit sanctus Bernardus, sanctus Bonauentura, Martinus de Magistris, & in Breuiariis antiquis) pro* Regina misericorde. *Non abs re Canisius lib. 5. de beatâ Virgine cap. 13. vbi, postquam Hermannum Contractum fecisse affirmat Canticum, & hoc dulcissimum melos, nutantem se ostendit, & quasi recantare videtur, dum, esto quòd non condiderit, attamen euulgasse scribit, quasi recedens à primâ suâ sententiâ. Verba eius sunt:* Quamquam ex aliis & vetustioribus Ecclesiæ Scriptoribus liquidò percipi potest, Mariam similibus, ac etiam præstantioribus, quàm in hoc ipso Cantico comprehensis, præconiis iam olim salutatam, ac publicè decoratam esse; nihil vt noui adferat, quisquis demum hoc Canticum primus intra sexcentos annos, aut condidit aut euulgauit. *Nota illius disiunctiuæ notam* condidit aut euulgauit.

Vbi legitur Mansonij, *seu* Monsorij, *scribendum* Monsoncij. *ita in Historiâ Compostellanâ manu scriptâ.* In cuius [*Pelagij scilicet*] equidem honorem, Petrus de Monsoncio, videlicet Abbas de Ante-Altaria, diuinâ prouidente gratiâ, subrogatus. *Appellabatur enim* Petrus Martinez de Monsoncio. *Martinus namque erat eius pater, & deuonit se Religioni in Monasterio sanctæ Mariæ de Monsonço. Aliter Stephanus de Garibay in Compendio Histor. lib. 9. cap. 36. fol. 473. qui eum nominat* Petrum de Monsorio. *P. Ioannes Mariana lib. 8. Hist. Hisp. cap. 8. fol. 388. col. 2.* Pedro Mansorio. *Plenâ doctâque manu ferè hæc omnia cumulat Magister Antonius de Yepes, Ordinis Benedictini Alumnus, in suâ Historiâ generali, Centuriâ sive Tom. 5. anno à Christo nato* DCCCC.LXXXVI. *fol. 216. pag. 2. quem omnino vide & consule; quamuis pro suâ adducat opinione (generali tamen & sub inuolucro verborum) Petrum Bergomensem lib. 12. Supplementi Chronicorum: qui Bergomensis contrariam amplectitur, anno Christi* M.XLIX. *fol. 318. fatetur enim Hermannum Contractum auctorem Cantici* Salue Regina.

Duo tamen animaduertenda meritò duxi. Primum, Petrum Monsoncium fuisse Episcopum Compostellanum; non, vt recenset Fr. Alfonsus de Yepes, anno Christi DCCCC.LXXXVI. *siquidem Pelagius, eius antecessor, maiorum consilio accepto, eiicitur à Sede, & ipse eligitur regnante Beremundo II. qui ex*

ex communi omnium ferè calculo haud excessit metas anni DCCCC.LXXXIII. *Neque Episcopi fungebatur dignitate anno* DCCCC.LXXXI. *vt scribit P. Ioannes Mariana lib. 8. Historiæ Hispan. cap. 8. fol. 388. col. 2. nam, vt Stephanus de Garibay & Zamalloa loco suprà citato refert, manuducente præeunteq. Historiâ Compostellanâ M. S. dignitatem adeptus fuit anno* DCCCC.LXIII. *vel* LXIV. *Adstipulatur noster Luitprandus, qui Petri Monsoncij vitam delineauit, & suam terminauit circa annum* DCCCC.LXXIII. *Conuincit doctè amicus noster P. Franciscus de Biuar in Censurâ Operum §. 7. vnde subrogari in locum Pelagij minimè poterat anno* DCCCC.LXXXVI. *vti Fr. Alfonsus de Yepes autumat. Inficias mihi non it, imò secundas fert Ambrosius de Morales lib. 17. Histor. cap. 20. qui anno* DCCCC.XCIX. *Pelagium filium Comitis Roderici Velasquez à Sede deiectum, & Petrum Monsoncium successorem eius iam antèa fuisse commemorat, quamuis annum non assignet.*

Secundum. miniatis cærulis venit notandum, Auctorem in calce Chronici aliqua, quasi parerga, vti mos fuit illius ætatis Scriptoribus, exarasse, non per annos chronographicè digesta, & temporis ad amussim serie collimatâ, præcipuè cùm enarratio ad suorum Operum dinumerationem, non ad Historiam concinnandam spectet. Sic Iulianus in fine Chronici omnia quæ scripserat recenset. Hincq. vel delicatissimus Lector non abhorrebit, Chronicon Luitprandi terminari anno DCCCC.LX. *& P. Monsoncium adhuc in viuis esse anno* DCCCC.LXIII. *cùm tredecim intercalentur anni ab anno* DCCCC.LX. *vsque ad mortem Luitprandi, in quibus & vitam finiisse Monsoncium, & eius miraculosa gesta scripsisse poterat Luitprandus.*

Hanc eamdem Monsoncij electionem iterùm apponit nobis Girardus Auctor secundæ & tertiæ partis Historiæ Compostellanæ M.S. quam in magno pretio habeo, his verbis: Qui Beremundus, Magnorum consilio accepto, prædictum Pelagium à Sede proiecit, & loco ipsius Petrum, cuiusdam Martini filium, Monasterij Monsoncij sapientem Monachum, Ante-Altaris Archisterij Abbatem venerabilem, à cunctis senioribus eligi decimum Episcopum & consecrari præcepit. *Quæ viam strennè muniunt ad Luitprandi textum emendandum, à sciolis amanuensibus malè luxatum. Ie enim cùm inuenissent scriptum* F. Marti. *ducentes F. esse I. litteram initialem, & pro* Martini *(quod nomen litteris* Marti. *significabatur) legentes* Martyris; Itali Martyris *falsò scripserunt. Hispanus ex Gallæciæ prouinciâ oriundus fuit; & Compostellæ non Martyr, sed Confessor decubuit; vt vel ipsæ Ecclesiasticæ tabellæ proclamant.*

365. *Quid actum sit de libris Moralium: nam partem miserat S. Gregorius Leandro, pars omnino desiderabatur.* P. H.

366. *De Diptychis Hispaniarum Ecclesiarum multa pulchrè ponit hîc Luitprandus. Duas in primis Diptychas ab anno* CCC.IX. *nam ponuntur quidam hîc Episcopi insignes sanctitate cùm extra Hispaniam, tum intra Hispaniam. Extra Hispaniam, Hilarius Episcopus Pictauiensis, Athanasius Alexandrinus, Martinus Turonensis, Ambrosius Episcopus Mediolanensis, Augustinus Episcopus Hipponensis in Africâ: hi extra Hispaniam. Intra verò eam Leander, Isidorus, Dauid, Iulianus Hispalensis, Iulianus Toletanus Doctor, Petrus Ilerdensis, Petrus Pulcher Toletanus. idq. more Græcorum, qui ponunt in principio Diptycharum suarum nonnullos Catholicos Pontifices, quibuscum more Catholico communicare soliti.* P. H.

Pro spiritibus pausantium.] *Priùs de voce; pòst de more. Vox Latina est* Pausa, *quâ vsi antiqui: Lucilius lib. 1. Satyr.* D.L.

Hæc vbi dicta dedit, pausam facit ore loquendi.

Plautus in Pœnulo Act. 6.

Quando id quod ſat erat, ſatis habere noluit,
Ego pauſam feci.

Lucretius lib. 3.

Frigida quem ſemel eſt vitai pauſa ſecuta.

Deducta vox à Græco fonte parcè detorta, παύω, *quod* quieſcere *ſignificat, & in futuro* παύσω. *Vnde verbum Latinum* Pauſo. *Plautus de verbo iterùm in Trinummo Act.* 4. Pausâ viciſti caſtigatorem tuum. *In Gloſſis Græco-Latinis,* Pauſat, Ἀναπαύει, καὶ Ἀναπαύει. *Quamuis Obertus Giſanius ad Lucretium verbo* Pauſa, *ſumpſiſſe id Romanos à Græcis fateatur, ſed hos* παῦλαν *dixiſſe.*

Igitur pro ſpiritibus pauſantium, *idem eſt ac* pro ſpiritibus quieſcentium, *id eſt, mortuorum. Tempore Gotthorum paſsim vſurpata vox. Sanctus Eugenius in Epigrammate,* Nunc pauſa malorum, *ait.* Pro ſpiritibus pauſantium, *id eſt,* requiem habentium, *qui nunc ceſſarunt à laboribus.* Amodò iam dicit ſpiritus *(ait D. Ioannes in Apocalypſi)* vt requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos. *Mos autem orare pro viuis & defunctis: vnde duæ* Diptychæ, *de quibus alibi. Adiiciam tamen, Diptychon exſtare in tabulis Iſidorianis, quas vidit excuſas ante centum & viginti annos cum Miſſâ S. Iacobi P. Hieronymus de la Higuera: in quo eadem hæc reperiebantur verba:* Pro ſpiritibus pauſantium; *& ſtatim ſequebatur oratio Presbyteri concepta:* Suſcipe, Ieſu bone, in hoc natali Iacobi Apoſtoli tui offerentium vota, & refrigerium præſta ſpiritibus defunctorum, vt eo apud te intercedente, & venia defunctis tuæ pietatis gratiâ impendatur. *Hoc monimentum, non à Saliari carmine mutuata eſt vetus Eccleſia (in quo eorum nomina, quos eximio honore volebant decorari Romani, canenda ponebant) vt autumauit, falsò tamen, Caſaubonus ad Athenæum lib. 6. cap.* 14. *ſed à veteri Teſtamento, vt aſſerit ex ſancto Dionyſio doctiſsimus Pater Heribertus Roſsweydus in Onomaſtico, edito ad calcem Vitarum Patrum, verbo* Diptychum *pag.* 776. *col.* 2. *Ethnici illi ſacra noſtra ex diuinis libris vſurparunt retorſeruntq́, vt pluries variis in locis diximus, & in Pentocontarcho cap.* 26. *Addo nunc teſtimoniis ibi adductis Tertullianum in Apologetico aduerſus Gentes cap.* 47. Quis Poëtarum, quis Sophiſtarum, qui non omnino de Prophetarum fonte potauerit? *quod pluribus proſequitur verbis; & in fine capitis ait:* Vnde (oro vos) Philoſophis aut Poëtis tam conſimilia? non niſi de noſtris Sacramentis.

De Diptychis vide VVilhelmum Lindanum Epiſcopum Gandauenſem in Annotationibus ad Liturgiam D. Petri Apoſtoli: vbi aſſerit ſe vidiſſe Diptychas Eccleſiæ S. Georgij, quæ in littore maris Oceani, ſiue Biſſchagiæ *apud* Portugalete *ſita eſt; & nouiſsimè editum Facundum Epiſcopum Hermianenſem prouinciæ Africanæ pro defenſione trium Capitulorum Concilij Chalcedonenſis lib.* 4. *cap.* 1. *& P. Iacobum Sirmondum Societatis Ieſu ad pag.* 142. *Priùs excurſum fecit, eruditum ſanè, P. Chriſtophorus Brouverus eiuſdem Societatis Ieſu, in Notis ad Venantium Honorium Clementianum Fortunatum lib.* 10. *Epiſt.* 7. *p.* 229. *Ex Iureconſultis vide Guidonem Pancirol. in Theſauro Variarum Lectionum lib.* 1. *cap.* 28. *pag.* 30. *E. require, & quæ ad Iulianum in Variorum carminum collectione pag.* 158. *& ſchediaſma, quod pro colophone edi curaui.*

P.H. 367. *Olim dicitur, ſolum Hiſpaniæ Primatem, Toletanum ſcilicet, habuiſſe ius pallij, vt in Africâ Carthaginenſem, & in Macedoniâ Theſſalonicenſem Primates, qui eodem iure gauiſi ſunt.*

Ius

Ius pallij in Hiſpaniâ.] *Pallium, in quo Pontificalis officij plenitudo (vt ait Innocentius III. in cap.* Niſi, *de auctoritate & vſu pallij) eſt Archiepiſcopale inſigne: ideò Luitprandus Toletanorum Primatium peculiare, & iuriſdictionis agnoſcit indumentum. De quo multi multa: congerit ſuo more doctè & plenè Auguſtinus Barboſa in Collectaneis ad Decretales ad dictum titulum de Auctoritate & vſu pallij: dixerat priùs in Paſtorali, ſeu de Officio & poteſtate Epiſcopi, parte* 1. *tit.* 3. *cap.* 1. *num.* 20. *pag.* 215. *col.* 1. *& allegat.* 50. *d.* 3. *Plura ex Antiquitate Eccleſiaſticâ eruit in lucem Nicolaus Alemannus in Diſſertatione Hiſtoricâ de Lateranenſibus Parietinis cap.* 10. *num.* 72. 73. 79. *&* 81. *Solebat Summus Pontifex poſt Concilium celebratum, in quo de hac agebatur re, pallium dare. Iulianus in Chronico num.*612. Vrbanus nimiùm honorauit D. Bernardum Toletanum Archiepiſcopum, quem in Concilio Placentinorum aliquibus Patriarchis comitibus conſecrauit, & in præſentiâ totius Concilij ei pallium dedit. *Confirmat ſanctus Bernardus in Vitâ S. Malachiæ ſub Innocentio II. Pontifice Maximo: vbi docet nos, ſanctum virum Romam poſt annum* M.C.XXX. *iuiſſe; & cùm accepiſſet Malachias officium Legati Apoſtolici, petiiſſe pallium, Summumq́ Pontificem reſpondiſſe. Verba eius ſunt:* Poſt hæc, *inquit S. Bernardus,* petit Malachias nouæ Metropolis conſtitutionem confirmari, & vtriuſque Sedis pallia ſibi dari. Et confirmationis quidem priuilegium mox accepit. De palliis autem oportet, ait Summus Pontifex, ſolemniùs agi. Conuocatis Epiſcopis, & Clericis, & Maioribus terræ, celebrabitis generale Concilium; & ſic conniuentiâ, & communi voto vniuerſorum per honeſtas perſonas requiretis pallium, & dabitur vobis. Deinde tollens mitram de capite ſuo, impoſuit capiti eius; ſed & ſtolam cum manipulo dedit illi, quibus vti inter offerendum ſolebat. D. L.

368. *Semper in mediâ captiuitate ſeruata eſt obedientia & reuerentia Toletanis Pontificibus, vt Hiſpaniarum Primatibus.* P.H.

LVITPRANDI
TICINENSIS DIACONI
SVBDIACONI TOLETANI
ADVERSARIA
NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITA:
ET
D. LAVRENTII RAMIREZ DE PRADO
CONSILIARII REGII
NOTIS ILLVSTRATA.

ADVERSARIA LVITPRANDI TICINENSIS DIACONI, SVBDIACONI TOLETANI.

DVPLEX Legio : altera dicta *Septima, Gemina, Pia, Felix*, quæ Gotthis flos ciuitatum est; & hæc fuit Regia Sedes, Episcopalisque, nulli subiecta Pontificum Hispanorum, præterquam Romano Papæ. Altera, quam Vrbicus fluuius lambit, & *Benauentum* dicta: hæc paruit Episcopo Asturicensi; hæc dicta *Legio Vrbica*. 1. *Modò paret Ouetensi.*

Legio Gemina, Sedes Episcopalis, paruit Bracarensi ad tempora sancti Lucij Papæ: qui creditur exemisse Legionensem Episcopum à Bracarensi, quia contra vicinum Basilidem Asturicensem Episcopum lapsum, mirabiliter dictis, scriptis factisque, laborarat. 2.

Aquæ Quintianæ in Gallæciis Lucensibus (quarum meminit Ptolemæus recensens hos populos) sunt in monte Tebiceio fons quidam, qui fluit ac refluit, & fluctus habet instar Oceani, prope fluuium Loriam (vulgò *Lor:*) quem cùm vidisset Q. Metellus Prætor, ante Christi natalem anno C.XL. miratus, ei proximoque oppido nomen imposuit, vocauitque *Aquas Quintianas*. Fluuius Loria visus propè labitur in *Siliam flumen. 3. *al Silum*

3. Aquæ Quintianæ, *&c.*] *Vide Ortelium verbo* Aquæ Quintiæ. *cuius sunt verba:* Aquæ Quintiæ, siue Quintianæ, ὕδατα κλίνωνα, Ptolemæo Seurorum in Hispaniâ Tarraconensi oppidum. Aquecaldes, Molezio dicitur.

Ærâ DCCC.LXVIII. à natiuitate Domini DCCC.XXX. vixit sanctissima virgo Lumbrosa ex opido Ceâ, quæ frequentabat parœciam in diruto Monasterio sanctorum Martyrum Facundi & Primitiui cum Muzarabibus Christianis in magnâ vitæ sanctitate. Iacuit in illâ parœciâ, donec per Alfonsum Regem, reparato Monasterio, illuc ea translata est. Obiit non multò priùs reparatione. Frequentantur eius Reliquiæ maximâ populi veneratione : colitur 1. die Nouembris: iacet in tumulo super duas columnas. 4.

Carthagine Spartariâ sanctus Constantinus Confessor, vir clarissimus, multarum virtutum gloriâ clarus, migrat Confessor sub 5.

Valeriano XI. die Martij. Eodem die passio sanctorum Martyrum Heraclij & Zozimi passorum pro Christi fide ibidem.

6. Dum transirem Pyrenæum in confinibus Hispaniæ, reperi quòd S. Felix colitur in ciuitate Spalatensi, vel Ispalensi; qui missus ab Hispanis Episcopis huc, prædicansque Euangelium, sub Diocletiano martyrium consummauit XII. Kal. Iunij. Sunt qui putant, hanc eamdem ciuitatem esse Spartulacensem; non rectè ij: nam in oppido* Anzanego sanctus Episcopus & Martyr colitur. Hic Felix creditur fuisse, qui cum aliis XIII. Episcopis Confessoribus interfuit Concilio nationali Illiberitano, & præfuit Episcopus Accitanus: missus verò ab Hispanis Episcopis, propter feruentem eius charitatem, prudentiam, scientiam & lepôrem, ad confirmandos in fide populos Hispanos, iuitque ad Celtiberos Vascones, & Pyrenæum accolentes.

* *al.* Onzanego

7. S. Patricius, qui celebratur XVII. Kalend. Aprilis, non fuit Episcopus Aruernensis; sed creditur Malacitanus, qui interfuit Concilio Illiberitano: posteà, dum iret aliò, venit Aruerniam, & obiit.

8. Heracleæ in Hispaniâ, quæ ciuitas *Calpe* dicitur, passionis recolitur triumphus S. Ianuarij * Sarabrensis Episcopi cum sociis, VII. Ianuarij: cuius meminit Dexter, aitque passum sub Diocletiano. Fuit Episcopus, qui interfuit Illiberitano.

* *al.* Salatiensis, & Salernensis

9. Quam Latini Murciam, Gotthi vocauerunt Bigastrum, Mauri *Acatha*, anno DCCCC. vt coniicitur. Venit illò Episcopus Bergæ Thyestes, & *mortuus est; iacetque ibi.

* *al.* estque martyrizatus ibi.

10. Melantius, vel Melanius, natus in maiori Britanniâ, venit Romam; & à sancto Stephano missus Rothomagum, ibi aliquantulum temporis Episcopale munus exercuit: pòst, nescio quâ causâ, venit Athenas, & cum Sixto Pontifice venit Toletum, vbi successit in Episcopali Sede Palmatio, vel Paulato. Interfuit Concilio Illiberitano, pòst anno CCC.V. venit Rothomagum, & in CCC.X. sanctissimè mortuus est, ibique sepultus XI. Kal. Nouembr.

11. Villæ-Cassinæ, quam Mauri vocauerunt *Villam-Castin*, in confinibus Carpetaniæ, S. Nicasius, primus Episcopus Rothomagensis, cum sociis patitur XI. Octobris sub Domitiano, dum ibi prædicat: * misit Fescenninus, iussu Domitiani, qui eos in Hispaniâ occideret.

* *al.* misso Fescenni-no, iussu, &c.

12. Anno Domini CCC.II. Constantio Chloro & Galerio Maximino Cæsaribus, Coss. quartùm, III. die Aprilis, die Veneris sanctæ, vel passionis Domini, per totum orbem indicitur persecutio. & anno XVI. Melantij Toletani Pontificis, iisdem Consulibus, mense & die, diruta est Ecclesia Toletana B. Mariæ Virginis Assum-

sumptionis, à sancto Elpidio erecta, & à B. M. Marcello spatiis ampliata: solo æquata est à* ·.·.·., iussu Diocletiani sub P...Daciano Hispaniæ Præside, qui demolitioni præfuisse dicitur. Extunc creditur per orbem sacra Synaxis fieri solita in speluncis, vt Romæ in cœmeteriis, Augustobrigæ (quæ dicitur à Mauris *Cobisa*, in fine Carpetaniæ) in antro, Toleti in spelunca, quæ vulgò dicitur Herculis, opere Romano, Libanæ in Celtiberiâ in speluncis, quas à cauitate *foratas* vocant, & sic in aliis antris.

* *Legi videtur* Teucris, *sed libenter legã* Duumuiris

13. Dici non potest, quanta deiectio Christianorum animis accesserit hac demolitione & librorum incensione. Toletanos libros loco tuto posuit sanctus vir Melantius; & animabat Christianos ad tolerantiam cruciatus. Durauit demolitio XVI. annos, donec anno CCC.XVIII. lex data est à Constantino, quâ iussit restitui bona, fundos, solaria sanctis Ecclesiis. Tunc reparata est S. Mariæ de Columnâ matrix orbis Ecclesia, cuius imaginem & columnam Christiani absconderant, iuuante Valerio Episcopo, & Vincentio Archidiacono. Toleti restituta est Ecclesia Assumptioni sanctæ Dei genitricis dicata; & * denuò sanctæ Leucadiæ recèns Martyri, ciui & patronæ, altera.

* *al.* de nouo

14. Non prætereundum est in iisdem Aduersariis meis, Camerinum, vel Marinum, vel Tamerinum, Toletanum Pontificem, ad Sardiniam delatum cum aliis, adhuc durante persecutione Diocletiani XXI. Augusti passum.

15. S.M. Pomponius Ianuarius Episcopus * Salarien sis, fuit vir Consularis, interfuitque, vt dictum est, Concilio Illiberitano; prædicansque in Heraclea ciuitate freti Herculei, per dira tormenta cum sociis pro Christi fide triumphauit.

* *al.* Sarabrien sis, *vel* Salanensis,

16. S. Vitalis, quem à fonte baptismatis sustulit sanctus Sebastianus, è Thermedâ in Carpetanis Romam miles profectus, relictis filiolis, Iusto & Pastore, Complutensibus, *3. mensis Iulij anno CC.XC. prope * Paduam passus est.

* *Lege* 2. ex *Mart. Rom.* 2. *Iulij.*
* *al.* Capuam

16. S. Vitalis, quem à fonte, *&c.*] *De S. Vitali, patre S. Natalis, & sanctorum Iusti & Pastoris Complutensium Martyrum, vide Martyrologium Romanum* II. *die Iulij; suffragatur ad id, omnibus indiciis inter se conuenientibus, Flauius Dexter anno* CC.XC. *num.* I. *his verbis:* In Campaniâ Italiæ S. Vitalis Hispanus, ex oppido Thermedâ in Carpetaniâ, pater sanctorum Martyrum ad Complutum passorum Iusti & Pastoris, conuersus ad fidem monitis sancti Sebastiani, cum aliis patitur. *vbi noster Biuarius, qui adducit Valderedi Cæsaraugustani Episcopi epigramma,* Pro sancto Vitali. *Iterùm planiùs & plenius Luitprandus inf. num.* 154. *&* 155. *& num.* 154. *S. Natalem agnoscit filium S. Vitalis Martyris, vti etiam num.* 155. *nepotem, S. Natalis Confessoris Romani. Vnde venit corrigendus Iuliani contextus anno* CC.XC. *num.* 125. *nam ibi facili litterarum ductus conuersione, scioli exscriptoris vitio,* Filius Natalis Martyris *legitur; cùm sit legendum,* Vitalis Martyris; *cuius erat filius sanctus Natalis, & nepos S. Natalis Confessoris.*

17. Nicomediæ paſſus eſt in perſecutione Diocletiani ſanctus Flauius Antiochenus, vir Conſularis, & Epiſcopus *Illiberitanus, qui Concilio interfuit Illiberitano habito anno CC.XCIX. vel circiter: qui negotiorum grauium cauſsâ Nicomediam delatus, cum fratribus Auguſto & Auguſtino VII. Maij martyrium paſſus eſt.

*al. Illitercitanus,

18. Anno CCC.XIII. Conſtantino & Licinio Auguſtis, Conſulibus tertiùm, ſub Melchiade Papâ coactum eſt Toletanum Concilium vniuerſale totius Hiſpaniæ, Præſide Camerino, vel Tamerino, vel Marino Toletano: interfuit Leontius Bracarenſis, Benedictuſque *Tarraconenſis, Sabinus Hiſpalenſis, Marcus Emeritanus, & alij complures Epiſcopi ſancti: mittunt Conciliarem Epiſtolam ad Melchiadem, quibus ille reſpondit.

*al. Tabelonenſis,

19. Turibius notarius S. Leonis, Archidiaconus Tudenſis, ſuccedit Ceponio Epiſcopo Tudenſi, moritur verò VI. Kalend. Nouembr. tranſlatus *anno D.XXVIII. Is autem fuerat anteà *Tudenſis, cùm ſcripſit Idito.

*al. ærâ
*al. Iracenſis,

20. Concilium primum *Bracarenſe habitum eſt Bracaræ, nondum eâ parte Gallæciæ, quæ eſt à Compoſtellâ in poteſtate Sueuorum, habitum anno III. Richilanis, II. Sueuorum Regis, Idibus Martij ærâ CCCC.LXXXI. Pancratius ærumnis confectus moritur anno CCCC.XLIV. ſucceſſit illi in Sede Bracarenſi Balconius vir pius, & zelo Dei plenus.

*al. Emeritenſe

21. Prædicationibus ſancti Pontificis Balconij & aliorum Epiſcoporum, pullulantibus erroribus Priſcilliani, Gallæciamque vaſtantibus, Reciarius fit ex Gentili Chriſtianus, & mirificè fouet Eccleſias, & Catholicos, quibus publicè prædicatur fides Catholica; & dat facultatem cogendi Concilium ad Aquas-Celenas veteres, vti dictum eſt.

22. Fluminis Tenedi aquæ, præſertim prope Guardiam oppidum, quà flumen labitur in Oceanum, quia lutulentæ ſunt, & cœnoſis impeditæ vadis, *Celenæ* dicuntur quaſi nigricantes, & Hiſpanorum more oppido nomen dedêre, vt aliàs *Sucro*, *Vaccæa*, & *Eminius*.

23. Varada municipium eſt antiquum Carpetaniæ, in viâ Toleto Complutum ſic: Toleto Illeſcam XXIIII. M. P. Titultiam M. P. M. Varadam VIII. M. P. M. Complutum XXX. M. P. & viam Varadâ Segouiam *f. c. M. Fuluius Nobilior Proconſul. Hîc, ſcilicet Varadæ, recolitur memoria Nerei, Saturnini, & CCC.LXV. Martyrum, qui erant in æſtiuis in hoc municipio ſub perſecutione Diocletiani, paſſorum XVI. die Octobris. Crediderim hos paſſos Cluniæ, & Reliquias aliquas illinc huc allatas, & ibidem aliquot annis in *Hibernis vixiſſe concorditer.

*id eſt, facere curauit

*al. Titultiâ, vel Tullianis

Muris,

Muris, oppido in Gallæciâ, in populis Tamaricis; vbi ex mari exundantique flumine fiebat peninſula, de quâ Plinius lib. 4. cap. 20. ſanctus Theodorus Monachus cultus eſt, vitâ miraculiſque clarus, II. Aprilis. 24.

24. Populis Tamaricis.] *De Fontibus Tamaricis idem Plinius lib. 30. cap. 2. & doctiſſimus Ludouicus Nonnius in ſuâ Hiſpaniâ cap. 44. noſtræq; laus Hiſpaniæ.*

Ouetum (quæ prope Lucum Aſturum, ciuitatem Regiam, & quæ ſub Sueuis continet ſe Lucum Auguſti; & in quo Luco Aſturum, ſub Rege Theodomiro Sueuorum, habitum eſt Concilium Nationale Sueuorum) tempore Maurorum allata eſt arca Toleto cum Reliquiis plurimis, & cappa, quâ beata Virgo donauit ſanctum *Ildefonſum Toletanum Antiſtitem, quæ fuit candidiſſimi coloris, & corpora ſanctorum Aſturij, cognomento Serrani, & Iuliani, Toletanorum Epiſcoporum. 25.

*ſcriptum erat Elephonſum

In Gallæciæ ciuitate, Luco Auguſti, memoria ſanctorum Martyrum Procli & Hilarionis ſub Traiano paſſorum; quorum Reliquiæ & Acta aliò tranſlata dicuntur. 26.

Floret memoria ſanctitatis, apud Lucum Auguſti, ſancti Pontificis *Odoriis, qui reparauit hanc ciuitatem & Eccleſiam, & illi Sedem reſtituit anno DCC.XLIIII. annis XXVII. poſt vaſtationem huius ciuitatis: moritur pòſt ſanctiſſimè. 27.

*al. Odornis,

Achartæ vel Murciæ manſit Epiſcopus, & templum* Eccleſiaque tempore Maurorum. 28.

*al. Arciſi

Ante Hiſpaniarum vaſtationem à Mauris, in Eccleſiis Cathedralibus Euchariſtia ſemper patens erat: quam conſuetudinem ſeruarunt antiquæ Eccleſiæ, vt Toletana, Bracarenſis, Lucenſis, & aliæ, quæ non captæ à Mauris, ſed vel deſertæ vel admiſſæ.... In aliquibus Eccleſiis, vbi frequentiſſimi Saraceni degebant, & Eccleſiæ erant debiles, id aliquando fiebat; ſed rarò. 29.

Via Antonini Emeritâ-Auguſtâ Cæſarauguſtam, ſic: Caſtra Iulia, vel Trogilium (poſterius nomen retinent Mauri) M. P. M. XVII. Lacippeam XX. M. P. nunc* Madrigaletum;* Laucianam XXIIII. M. P. M. *Villare Pedroſi* Mauris: Auguſtobrigam M. P. M. XXII. Caleram: Toletum M. P. M.* LV. 30.

*al. Mudragæ;
*al. Leucipam
*al. LVII.

Itinerarium, quod Antonini Auguſti nomine circumfertur, mirè corruptum eſt, additis & ſubtractis manſionibus non paucis: primò cœptum ſub C. Cæſare, productum ſub Auguſto, poſitis tantùm nominibus locorum ſine milliarium numero; pòſt addita ſunt milliaria ab Antonino, & ob id illi tributus eſt labor, qui alioqui plurium fuit; addita nomina; vt *Conſtantinopolis*, *Maximianopolis*, *Diocletianopolis*. quod eſt ſignum, tunc vltimam manum operi fuiſſe ſuperadditam. 31.

Cùm

32. Cùm Lusitaniam pertransissem, publicâ Saracenorum fide, vidi non longè procul Æminio, in Campo Osensi, vetus & miraculosum stagnum, quod tot fecit miracula, & Ecclesiam stantem, anno DCCCC.XLII. conueni sanctum senem Heronium Bracarensem Pontificem in *Bracaræ ruinis, cum suis ouibus, officio sancti Pastoris fungentem, & Æminij sanctum virum Gundisaluum, quem audiui post aliquot annos successisse Heronio.

* *al.* Concheræ

32. Cùm Lusitaniam pertransissem, publicâ Saracenorum fide, vidi non longè procul Æminio, in Campo Osensi, vetus & miraculosum stagnum.] *Cum Luitprando oculato teste conuenit M. Maximus in Chronico anno* D.L. Prope Osset, oppidum Lusitaniæ, in Diœcesi Pacis-Augustæ, fontes Baptismatis in peruigilio Paschatis exiccantur. *lego,* excitantur. *S. Gregorius Turonensis secundas fert lib.6. Hist. Franc. cap.*43. Habito ergo tractatu, de multis virorum millibus trecentos viros elegit armatos, & intra castrum Osset, in cuius Ecclesiâ fontes diuinitus complentur, includit [*Hermenegildum.*] *Ex obsidione D. Hermenigildi clarè conuincitur,* Osset *oppidum, in quo aquæ illæ miraculosæ Baptismales, Lusitaniæ fuisse, si verba M. Maximi anno* D.LXXXI. *penitiùs attendamus; hæc sunt:* Leuuigildus iterùm Hermenegildum filium obsidet apud Osset oppidum Lusitaniæ, captumque Toletum ducit. *De hisce fontibus idem Turonensis lib.5. Hist. cap.7. Baronius anno Christi* D.XLVIII. *pag.*589. *Morales lib.*11. *Histor. cap.*54. *Illustrat rem totam vetus inscriptio, quam apud Emmanuelem de Fariâ & Sousa in Epitome Histor. Lusitan. part.2. cap.* 1. *pag.*165. *inueni, vbi* Æminij & Osset *mentio, quorum Luitprandus meminit.*

IMPER. CAES. D. AVG. INTER. DIV. REL. COHORT. PRAESID. VACE. OSCEL. LANCO. CALEN. AEM. LEG. X. FRETENS. EIVS. NVM. SPECTACVLA. ET LVD. GLADIAT. E. V. VRBES. LVSITA. L. A. EXP. ET. HECATOMB. D. D.

Vnde non Osset, *sed* Oscel *fortè legendum in Maximo, Luitprando & Turonensi. Ex lapide verò, Aeminiensem & Oscellensem cohortem spectacula & ludos gladiatorum August. Imp. edidisse, demonstratur. De Aeminio fluuio Plinius Nat. Hist. lib.*4. *cap.*22. *Et de hac re breuì in lucem emittet excursum, doctum sanè & laboriosum, P. Franciscus Biuar in eruditissimis Comment. ad M. Maximum. Non tamen nego in Bætica* Osset *oppidum reperiri; constat ex M. Maximo anno* D.VI. *& anno* D.LVI. *& aquas has diuas in eo erupisse, qui electissimum legit opusculum doctissimi religiosissimiq; viri D. Ioseph de sanctâ Mariâ Ordinis Carth. credat forsitan: tot tantasq; sui iudicij (summi quidem) adducit coniecturas & testimonia.*

33. Ego Chronicon meum, quod miseram *Regimundo, etiam transmisi (partem illius) Heronio Bracarensi seni Pontifici sanctissimo, & scripsi illi sequentem Epistolam:

* *al.* Tractemundo,

D.L. De *Eminentissimi* titulo vide Notam 1. ad Epistolas.

Sanctissimo Patri, & eminentissimo Papæ Heronio, meritissimo Bracarensi Archiepiscopo, Luitprandus Toletanus Subdiaconus debitam offert obedientiam, & salutem ac felicitatem æternam precatur. Efflagitasti à me seruulo tuo frequenti pænè conuitio (sanctissime Pater, & eminentissime Papa) quod pro tuâ in me præstantiâ iustiùs imperare potuisses, ac

ac pro meâ in te meritissimâ obseruantiâ ad nutum ego parêre debuissem: cùm inuisi S. Iacobi Zebedæi filij, Doctoris & Apostoli nostri, sacra ex voto limina, vt pleraque Lusitaniæ Gallæciæque celebriora loca, & in primis sanctissimi Doctoris, Martyris & Apostoli Petri, primi eiusdem Apostoli discipuli, primique Hispanorum Martyris ædem sacram, ac admirabiles Reliquias, à te tuisque ministris Bracaræ Augustæ tecto perhumaniter exceptus sum. Tunc cùm sermonem facerem Opusculorum meorum, & inter illa continuationis Chronici mei ducti ad annum DCCCC.LX. *ad Chronicon L. F. Dextri, & M. Maximi Benedictini Monachi, sapientissimi Poëtæ, Episcopi Cæsaraugustani planè sanctissimi; tunc iniecta est tibi cupido videndi lituras meas; quia videras Dextrum & M. Maximum, & studiis sanctarum Scripturarum, & legendis nostrarum rerum historiis solabaris labores prolixæ & insuauis captiuitatis inter Mauros. Promisi statim missurum partum meum, vel potiùs abortiuum fetum, maluique qualemcumque tibi castigandum, quàm nullum mittere: satius ducens parêre comiter imperanti, quàm reluctari comiter eflagitanti. An placiturum sit hoc meum obsequiolum, prorsus ignoro: si fuerit ingratum, tu videris, qui iussisti; sin placeat, ceteros annos, quos addideram, tibi mittam. Vale, sanctissime Papa, & sanctum tuum, licet pauperculum, senatum fidelium, & ministros in primis Clerumque saluta, qui versantur inter lupos vt oues mansuetæ, ac barbarorum carnificinæ in singulis horis subiacent, ferentes continuas iniurias maledictaque à Saracenis; quorum gladius eorum impendet ceruicibus. Sanctus senex Ioannes Seruus Dei, Toletanus Antistes, multùm te salutari iubet; ac iniunxit mihi, vt de te scirem, an eius Epistola encyclica in tuas manus venerit. Iterùm & tertiò vale. Toleto,* IV. *Idus Octobris, æra* DCCCC.LXXXI.

33. An eius Epistola encyclica in tuas manus venerit.] *De encyclicis litteris communis locus, quarum frequens mentio apud Ecclesiasticos Auctores. Vide Eminentissimum Cardinalem Cæsarem Baronium Tom.*2. *Annalium anno Christi* C.XLII. *pag.*105. *litterâ C. & nouissimè Franciscum Bernardinum Feruarium de Antiquo Ecclesiasticarum Epistolarum genere lib.*1. *cap.*2. *& quæ scripsi in Tesserâ legum ad l.* Certa forma. *C. de Iure fisci, lib.*10. *fol.*52. *&* 53. *Hæ sic dictæ, quia mittebantur ad omnes Christi fideles, quasi in circulum: siue à Synodo, vel à Summo Pontifice; vel cùm ab aliis aliâ occasione darentur. de hisce encyclicis noster Iulianus in Chronico num.*146. *&* 173.

Fluuius Sucro diuidebat Oretanos *Occidentaliores ab Orientalioribus Bastetanis: & in Antonino Populi Saltiga, & Putealia, sunt Bastetanorum in hac viâ populi. 34.

* *al.* Orientales ab Occidentalioribus

Via sic ordinatur in codicibus castigatioribus. Saltiga XVI. M. P. Putealia XXXII. M. P. prope Paracuellos; Vallem longam XL. M. P. *Branchales* modò dicitur oppidum, vnde eius principium sumitur: *Vrbiacam XXVI. M. P. (Mauri *Arbecam* vocant) Allaborcium XXV. M.P. (vulgò *Carinenam) Argiriam VI. M.P. Carenas, 35.

* *al.* Terbitium XXV.
* *al.* Carteнam

vel Callete M. P. M. xx. Carinenam, sermone Maurorum *Longares* M. P. M. vii. Cæsarauguſtam M. P. M. xxvi. Zaragoziam vocant.

36. Iulianus Lucas, Auctor Græcus, Toletanus Diaconus refert, Græcos, cùm venerunt in Hiſpanias, in Baſtetanis condidiſſe oppidum dictum Dicæarchia, vel Puteolos, aut Putealia, quod Mauri diruerunt; poſteà veniſſe *Campaniam, & alterum condidiſſe huius nominis.

* *al.* Carpetaniam,

36. Iulianus Lucas, Auctor Græcus, *&c.*] *Huius Auctoris meminit Florianus de Ocampo in Proœmio quinque librorum priorum ſuæ Hiſt. pag. 5. & quia adamuſsim patriam & ſcripta eius deſcribit, non erit otio abuti, tranſſcribere, nec itidem erit ea legere. Hæc ſunt:* Deſpues del Iuliano ſobredicho proſiguio larelaçion de los hechos Eſpañoles mucho mejor que todos, otro Iuliano Diacono tambien Toledano, morador en aquella ciudad, pueſto que Griego de naçion, ſegun el pareçe, declara en el principio de ſu Coronica: dentro de là qual primero que trate de los aconteçimientos de ſus tiempos, recapitula ſumariamente muchas antiguedades Eſpañolas, donde ſe mueſtra leido, i muy exerçitado en letras i çiençia de ſu gente Griega. Deſpues de lo qual viene à contar la mayor parte de los trabajos i victorias del ſanto Rey Don Pelayo: en cuya edad, el dize, que fue con la entrada de aquellos Alarabes e Moros Africanos, que diximos arriba. *A Floriano accepit Garibayus lib. 9. Hiſt. c. 3. qui refert his verbis:* En eſtos tiempos, que en Eſpaña mas ſonauan las armas, que floreçian las letras, vuo en la ciudad de Toledo vn doctiſſimo varon, de naçion Griego, llamado Iuliano Diacono, ſegun Florian lo afirma, habitando en aquella ciudad: dize, auer eſcrito doctamente las antiguedades de Eſpaña, ſiendo erudito en las lenguas Griega i Latina, i afirma auer proſeguido ſu Hiſtoria haſta contar las coſas aconteçidas en ſu tiempo, con la mayor parte de los trabajos i victorias de eſte Rey Don Pelayo; i en particular tomò ſu Hiſtoria deſde los tiempos del Rey VVamba. *Priùs dixerat noſter Iulianus in Chronico num.* 234. Hinc auſpicatur ſuam Hiſtoriam Iulianus Lucas Theſſalonicenſis, & in ſanctâ Eccleſiâ Toletanâ celeberrimus Archidiaconus; qui vixit ſæculo ſanctiſſimi Regis & reparatoris Hiſpaniæ Pelagij. *Iterùm num.* 385. Iulianus Lucas Theſſalonicenſis, Græcus natione, Diaconus Toleti, in pretio habetur, nobilis Scriptor: nam ſcripſit Hiſtoriam Gotthorum, & præcipuè Regis S. Pelagij. *Vnde non eum confundas cum Iuliano noſtro, vt aliquos feciſſe teſtatur D. Paulus de Eſpinoſa de los Monteros in primâ parte Hiſpal. Hiſtor. lib. 2. cap. 1. fol. 30. Quamuis P. Mariana, quem allegat, lib. 7. Hiſt. Hiſpaniæ cap. 3. in fine, de Iuliano Lucâ loquatur, non de Iuliano Archipresbytero S. Iuſtæ.* Iulianus quidam Diaconus, *ait Mariana,* natione Græcus, in vtriuſque linguæ cognitione non impar, antiquitates Hiſpaniæ atque Pelagij res geſtas per hæc tempora Toleti litteris illuſtrabat. Auctor eſt non-nemo. *Non deſunt, qui haud leuioribus rationibus ducti autument, hunc Iulianum fuiſſe quem Iſidorus Pacenſis aſſerit ſucceſſorem Sinderedi, & Pelagio Regi ad latus hæſiſſe in Reliquiarum arcæ adſportatione. Vide noſtrum Luitprandum in Chronico num. 222. atque num. 162. & ride Ambroſium de Morales, qui irridet aſſerentes vindicantesq; Iulianum Lucam è Cimmeriis tenebris.*

Puteolos, aut Putealia.] *De hoc oppido à Mauris diruto, temporeq; Regis Alfonſi VI. reparato, & de altero in Italiâ condito, Iulianus in Aduerſariis num.*

num. 296. Iſcadia ciuitas in Carpetaniâ in viâ Toleto Complutum, diſtans Toleto xxxii. M. paſſ. vbi conductus profundiſſimus, à centum foraminibus quaſi centum puteolis diſtinctus: & ibi Iſcadia. Pòſt Puteoli-centum (à Puteolanis Italiæ aiunt conditam) me viuo reparatur, quæ fuerat à Saracenis deſtructa.

Sancta Potamiœna, ciuis Putealienſis in Baſtetaniâ, filia M. Aurelij Decimi, Præfecti Legionis Septimæ, Geminæ, Piæ, Felicis, & S. Quintiæ Marcellæ; ſoror Cæciliæ Quintiæ, quæ nupſit Druſo Valerio Cæliano Valentiniano: & iſti fuerunt parentes M. Aurelij Valentiniani Præſidis prouinciæ Hiſpaniæ Citerioris. conſtant hæc ex inſcriptionibus. 37.

37. S. Potamiœna, *&c.*] *De S. Potamiœnâ virgine & Martyre fit mentio in Martyrologio Romano* xxviii. *Iunij.*

Paracuellos dicitur, quaſi παρὰ κόλεν. *Cole* à Mauris dicitur *Almodouar.* 38.

Albacetem, oppidum Baſtetanorum, condiderunt Cilices in Hiſpaniam venientes à regione Cetide. Vocant Mauri hunc locum *Albacete,* corruptè. 39.

Arbucaræ in Celtiberiâ S. Papij Martyris: qui variis tortus cruciatuum generibus, tandem datis ceruicibus occubuit iv. Kal. Iulij anno ccc.iii. ſub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, Præſide Hiſpaniæ P. Daciano: ibique eius memoria celebris eſt. 40.

Ætate parentum meorum anno Domini dcccc.xxiii. Martij xxvi. paſſa eſt martyrium virgo ſanctiſſima Eugenia, filia Chriſtianorum Muzarabum in municipio Vticenſi, quod in Conuentu Cordubenſi vocarunt *Marmolejos*; iuſſu Regis, & Miramolini Abderramenis, ferociſſimi tyranni, fidei Chriſtianæ cauſsâ: & poſt carceres & ſupplicia, datis ceruicibus, Martyr effecta eſt ſub Blaſio Toletano Pontifice, Cordubenſi N. honorificè ſepulta eſt cum verſibus acroſtichis in marmore cælatis. Mirificè culta eſt: & erat in Oueto; Toleti & Gallæciæ colebatur. 41.

Huius ſanctiſſimæ virginis & Martyris Hiſpaniæ Reliquiæ delatæ ſunt ad varias Hiſpaniarum partes; vbi conditæ ſunt illi Eccleſiæ. 42.

In tabulario ſanctæ Iuſtæ reperi carmen hoc compoſitum à Domino Blaſio Toletano Præſule, præſtantiſſimo illius ſæculi Poëtâ: quod iis addo: 43.

Eugenia hoc poſita eſt tumulo celeberrima Virgo,
Sanguine quæ Chriſti eſt teſtificata fidem.
*Purpura quam decorat candenti *ſacra colore,* * *al.* infecta
Laurea & exornat cui duplicata caput.
Multa tulit, ſed plura refert ex hoſte trophæa:
Victrices lauros æther & ipſe canit:

Miratusque canet ventura in sæcula mundus,
Dum steterit tellus pondere fulta suo.
Toletum tibi, Diua potens, tibi Corduba felix
Patria, mansurum porriget vsque decus.
*Totaque iam refert * parentum Ecclesia laudes,* * al. Tricensis
Præcipuè indigeti soluet Ibera suæ.
Morte paras vitam, penetras quoque funere cœlos,
Vulneraque ad Superos expediêre viam.
Supplicibus te pande piam, portumque salutis:
Diua doce miseros, Diua tuere reos.
Quod patimur sat triste iugum, sit caussa coronæ:
Blasius hoc Præsul carmine te celebrat.
Toleti memor esto tui, veterisque tuorum
Maiorum sobolis: iam tua regna tege.
*Eugeniam sequeris * Pelagi, fortissime Martyr:* *De S. Pelagio Martyre carmina.
Moribus adsimiles estis, & igne pares.
Efferus Abderamen Almanzor credidit ambos
*Perdere; vtrumque tamen morte sub astra * parat.* * lege rapit.
Vos eadem fortasse grauat custodia vinctos
Compede, tum vinclis, tum pietate pares.
Quos ibi sermones feritis de morte ferendâ,
Pro pietate semel, proque pudore simul?
Eugenia, ô Pelagi, tibi fit noua caussa coronæ;
Illa necem patiens te docet esse virum.
Post cuius, testare fidem, vestigia constans:
Illa tuo capiti serta nec vna locat.
Gaudetis super astra duo de morte subactâ,
Nomine velletis plura tulisse Dei.
Vos rosa, vos decorant candentia lilia testes;
Hinc rubor, hinc candor tempora vestra tegit.
In terris patria haud similis; tamen vna duobus
Patria communis regia celsa Dei.
Gaudete, ô pugiles, memoresque estote clientum,
Quos dubia exercet pugna, grauatque metus.
Præsentes igitur populis pugnantibus este:
Si nos adspicitis, vincimus & fruimur.
Si vincemus, erit palmæ pars maxima vestra:
Gloria nostra simul, gloria vestra siet.

44. Obiit sanctissima virgo & Martyr Eugenia VII. Kalend. Aprilis, Feriâ IV. Hebdomadæ dictæ *in Passione:* quam post duos annos assequitur sanctissimus iuuenis Pelagius, vt creditur, natione Gallæcus, qui ducem & magistram habuit ad martyrium sanctissimam Eugeniam ærâ DCCCC.LXI. anno duodecimo Abderramenis,

nis, huius nominis *Quarti* dicti, cognomento *Almanzoris*; egirâ verò CCC.XII. Sæuissimus fuit hic Imperator, & multas in Christianos edidit strages, ac fidei Christianæ fuit hostis infensissimus. Sunt qui credant, tunc occisam Toleti Mariam seruam Dei.

Queritur sanctus Pontifex Innocentius I. in Epistolâ ad Epi- 45.
scopos Hispaniæ Toleti congregatos ad Concilium, quòd ex Iurisperitis & caussidicis fierent Episcopi, vt quidam Fl. Rufinus Consul cum Flauio * Eusebio anno CCC.XLVII. fit Episcopus an- * al. Cuselio
no CCC.LX. in Hispaniâ, & Gregorius ex Præfecto Prætorio Galliæ Episcopus Illiberitanus: &, licet fuerint ambo viri sancti & vitæ laudabilissimæ, Pontifex fieri prohibet.

Sunt qui dicant sanctam Theclam Iconij natam, primam Pauli 46.
discipulam, eiusque prædicatione conuersam, natam patre Hispano Celtibero, matre verò Iconiensi Gentili durissimâ.

Anno tertio Sisenandi, sub Audace Tarraconensi Pontifice, ar- 47.
ca per mare Mediterraneum, Angelo duce, deuecta est Tarraconem cum parte corporis sanctæ Theclæ virginis & Martyris, discipulæ S. Pauli, cum inscriptione intus repertâ, quæ significabat hoc. Anno DC.XXXIII. excepta est cum ingenti gaudio Præsulis, & ciuium: ac res scripta per epistolam ab Audace Præsule Regi Sisenando, miram Hispaniæ lætitiam attulit. Sub captiuitate Maurorum anno DCCCC.LX. cùm ego illac transiui, sedulò custodiebatur in captiuitatis medio, permittentibus Saracenis, à Catholicis Muzarabibus.

Et ad preces illorum qualecumque carmen lusi, quod & eis 48.
porrexi.

Diua potens superas inter numeranda cohortes,
Prima ex femineo Martyr opima choro,
En patriam repetit tot iam voluentibus annis,
Et Laletanum sospitat illa solum.
Transmittit pelagus supero præeunte Ministro,
Paret & imperio ventus & vnda suo.
Ex Celtiberâ genitor fuit vrbe profectus;
Illeque quos deamat filia Thecla fouet.
Ecce Luitprandus iam non nouus incola terræ
Hispanæ, externam carmine lætus adit.
Accipe, quæ supplex tibi, Virgo, carmina sacrat:
Pectore, pro templo, te quoque, Diua, tegit.
Felix aduentus tuus est & lætus Iberis;
Est nihil vlteriùs Tarraco quod cupiat.
Te veniente salus venit, & sanctissima tecum
Imponit votis ampliùs illa modum.

In tempore Muzarabũ erat Ecclesia Tarraconensis S. Thecla vetus.

48. Externam carmine lætus adit.] Externam *vocat, quam priùs ex Celtiberiâ oriundam dixerat; sed tamen tunc ex Asiâ in Hispanias aduecta Hispano Auctori extera videbatur. De patriâ origine Luitprandi consule Censuram Biuarij ad finem, & quæ diximus in Chronici Notis num.62.*

49. Sucro fluuius nascitur in Hispaniâ in monte dicto *Megarutula*, quem Saraceni vocant corruptè *Mogarruta*, non procul à Turiâ, dicto etiam Ibero minore, à Mauris *Guadalimar*; quasi diceres *fluuium aquæ crudioris*: transit per vrbem cognominem, dictam à Mauris *Concham*, à Malachâ Celtiberorum vrbe, dictâ à Saracenis *Malcâ*, & à montibus, qui Sagunto impendent: quam ciuitatem Carthaginenses demoliti, reædificantes *Carthaginem Edetanorum* vocauerunt. Itaque fluuius hic Sucro in pelagus Mediterraneum excursat: non procul est, à dictâ Carthagine, & fluuio Ibero minore.

* al. *Guadaluiar*; * al. *candida*: * *al.* exundat:

50. Duplex est Segueda; altera caput Bellitanorum in Celtiberiâ, à Mauris dicta *Borgia:* altera in Areuacis, dicta *Baleranica* à Saracenis. Titios populos *Thausi* vocauerunt Saraceni, sicut Bisgorgitanos *Gobia* in ripâ Iberi, vbi Cæsarauguſta. Ad Dertosam sunt plusquam triginta populi Romani.

51. Axeniam ciuitatem in *Aristis populis, vocant Saraceni *Xixenam.*

* *al.* Anstis

Colendam ciuitatem, *Maluendam* Mauri vocauerunt. illius colonia immunis.

52.

53. Belsa pòst *Oriola* est dicta.

54. Ocile, vbi mercatus fuit Hispanorum Areuacorum, decurtato vocabulo corruptoque, Mauri vocant *Ciria* (ab Ocili, *Cilia* priùs) & adhuc corruptiùs, *Cinar.*

55. Confluentia finis Areuacorum est Villanoua, in confluenti fluminum Arlanzæ & Arlanzonis, quæ ibi iunguntur.

56. Ciuitates has in Areuacis sitas, & in Celtiberiâ, Pallantiam, *Berlangam* Mauri vocauerunt; Calagurrim, *Caleruegam*; Sigedam, *Cajas*; Lauronam, *Varzones.*

57. Ausa, vel Ausona, in populis Ausetanis est, tempore Maurorum dicta *Manresa*, sicut Egara, *Beseda*, vel *Bosque de* * *Malatesta.*

* al. *Malazosca.* *Vide n.68.*

58. In Conciliis Toletanis alius fuit Episcopus Castulonensis, & Castellanus. in Castellanis Castellum caput fuit: quam vrbem Mauri vocant* *Seselu.* In tertio Toletano Concilio confirmat Froiselus Episcopus Castellanus, alius ab Episcopo Castulonensi, qui ibi confirmat.

* an *Beselu.*

59. S. Maginus, aliàs Maximus, passus est * VIII. M.P. à Tarracone in monte Palfuriano, XXV. Augusti, sub Diocletiano, Præside Hispaniarum Daciano, anno CCC.II. fuit ciuis Tarraconensis; egit vitam eremiticam.

* *al.* XVIII.

60. Palfurius Sura, vir Senatorius, amicusque Martialis, in senectute creditur sub Claudio fuisse Tarraconensis Prætor, & prope Tarraconem oppidum à suo nomine condidisse Palfuriam, à Mauris pòst corruptâ voce *Bufagraña.*

61. Corpus sancti Sigismundi Regis Burgundiorum & Martyris, ablatum ab vrbe Seduno, ad tractum Barcinonensem creditur delatum, & in monte Tesbiade depositum: quem montem Mauri voce decurtatâ vocant *Monseue.*

62. S. Saluius Episcopus Ambianensis; & Martyr, creditur allatus prope Barcinonem, vt S. Valentinus Episcopus & Martyr (quem alij faciunt Interamnij Flauij in Hispaniâ Episcopum, alij autem Italum, Romæ passum sub Traiano Imperatore) ad Monasterium quoddam prope Rubricatam vrbem: nunc *Manresam* dicunt. Alij putant huius vrbis Interamnij fuisse Confessorem Episcopum.

63. Reliquiæ S. Baudelij, Diaconi & Martyris *Nemausensis, sub Iuliano passi pro fide, delatæ sunt Rodam (ciuitatem maritimam prope Indigetes) & Toletum: quæ pòst delatæ sunt in arcâ sacrâ Ouetum.

* *al.* Mamausensis,

64. Septimo Septembris passa est sancta virgo & Martyr Regina apud vrbem Alisiam, in confinibus Lusitaniæ & Carpetaniæ, sub Olybrio Præfecto Hispaniarum, sub Diocletiano: cuius Reliquiæ delatæ sunt sub Saracenis ad territorium Augustodunense. Mauri vrbem Alisiam vocauerunt *Alixam.*

65. Mauri creduntur esse depopulati ciuitatem Egaram, olim Sedem Episcopalem, quæ tempore Gotthorum ciuitas fuit amplissima: cuius ruinæ in Laletaniæ fine visuntur prope ciuitatem Basim, & exortum fontesque fluminis Clodiani, sic à nobili Romano Clodio vocati. Habet terminos Bordel dictum *Burdus*, Palada, nunc *Paladera*, *Montesam*, montem magnum, Tespiadem, & *Pouellam*, vt nunc nomen habet.

66. * Bentas Sualdi pro Emilianæ Montesano facta est ante I. Toletum.

* *Locus in originali corruptus.*

67. Lugodini in Lusitaniâ, quam vrbem vocauerunt Mauri *Vitigodinum*, S. Iustus, vt creditur, Episcopus Egarensis, qui Concilio Egaræ congregato subscripsit, & Amicus Episcopus.

68. Quam vrbem vocauerunt Gotthi corruptè *Egaram*, vocauerunt Latini *Basedam* in Castellanis; cuius meminit Ptolemæus.

Vide n.57.

69. Ærâ Cæs. DCC.LXIX. Ioannes Egarensis, destructâ ciuitate suâ, vix euasit; senex & confectus senio, peregrè profectus est aliò.

70. Antiquissimus est Episcopatus Basedensis: nam S. Fructuosus, Episcopus Tarraconensis & Martyr, priùs creditur fuisse ciuis & Episcopus Basedensis, & inde translatus Tarraconem, vbi martyrium obiit illustrissimum.

71. Froiselus, Episcopus Castellanorum, interfuit tertio Concilio Tole-

Toletano: huc, ex Dertosanâ Sede, iussu Regis glorioſiſſimi Recaredi transſlatus.

72. Apud Castellum Milledunum in Castellanis, à Mauris dictum *Milloz* corruptè, S. Leonis Episcopi & Confessoris (vt creditur Egarensis) miraculis clari.

73. Sunt qui credant, hunc Episcopum fuisse, & à Venetis delatum Venetias, datumque Leoni Mitamanensium Episcopo in Castellanis, ad mare Mediterraneum; &, submerso oppido maritimis fluctibus, delatum fuisse Milledunum, & sepultum in Cœnobio S. Seruuli Martyris; eius corpus vel Reliquias illuc transſlatas fuisse, ad oppidum Milledunum, quod (vt diximus) Mauri more suo nunc vocant *Milloz*.

74. In Hispaniâ, ciuitate Octogesâ, quam Gotthi corruptè & decurtatè *Ictosam* dixêre, celebrantur Martyres Iuuenalis, Bonosus & Maximianus, sub Traiano passi, & S. Vildefrius, eiusdem ciuitatis Episcopus & Confessor, miraculis clarus, ante tempora Constantini. Hæc Sedes in Hispaniâ vetusta est: paret Tarraconensi, nec ab alio potest cogi Episcopus eius, nisi à Papâ. Interfuit Concilio Gerundensi sub Ioanne Tarraconensi Frontinianus Ictogensis.

75. In Asturibus, Hispaniæ vrbe Britoniâ, sanctorum Martyrum Gorgonij, Firmi, Antonij, & Agapis virginis, natorum in Nicæâ Bithyniæ, casu ad Hispaniam delatorum, in persecutione crudelissimi Decij: qui decimo Martij per varios & terribiles cruciatus palmam martyrij tandem consecuti sunt.

76. Lucius, vel Lucas, Episcopus Britonensis in Hispaniâ, petens Cæsaream Cappadociæ (nescitur causſa) cum sociis passus est sub persecutione Neronis; colituréque memoria eius, & Britoniæ, vt in propriâ Sede, & Cæsareæ Cappadociæ.

77. In Asturibus prope Balobrigam in mari Oceano resident naues Normannorum, quæ precibus S. Gundisalui Episcopi Mindonensis, vel Balobrigensis, submersæ sunt anno DCCC.XLVI. ille verò moritur anno DCCC.L. colitur I. die Nouembris.

78. S. Martinus ex Orientis partibus in Gallæciam veniens, conuertit ad fidem Catholicam Sueuos; factusque primò est Episcopus Britonensis, vel Mindonensis, pòst ex Britonensi Dumiensis, tandem ex Dumiensi Archiepiscopus Bracarensis.

79. Duplex Sedes Dumiensis; altera in Asturiis, quæ Britonensis; altera in Gallæciis; & hæc fuit Monasterium, quod sanctus Martinus instituit.

80. Duplex Castulo, alterum dictum* Castulum: ambo Sedes Episcopales.

*al. Castellũ, vel Cetulij:

81. In diuisione Episcopatuum, sub Rege Theodemiro, Sueuorum Magne-

Magnetum, Episcopatus Portuensis, oppidum, quod Saraceni vocauerunt* *Mauhnoca*, factum est Sedes. durauit parùm.

* al. *Maulhoce*,

Vectica Sedes, Bracarensi subiecta, dicta est etiam Besea, vel Betaonia; à Mauris verò *Barbola*, in Portuensi Sede. Sunt qui dicant esse quoque dictam Betonicam, à Betonibus proximis conditam. 82.

Sancta Thyphenes creditur passa Vecticæ, iudice Fl. Cæsario, qui fuerat olim Præfectus Romæ, pòst sub Iuliano iudex Hispaniæ; tandem anno CCC.XCVII. sub Honorio, iam confectus æuo, Consul cum Attico. 83.

Anno XV. Theudij Regis Gotthorum, ærâ verò DLXXXIV. celebratum est à Patribus prouinciæ Tarraconensis Concilium Vallense in oppido Valle, Vallis Fauentinæ: nec legendum, nisi mendosè, *Valentinum*; sed *Vallense*, vel, vt alij codices habent, Valletanum, vel Valletense. Ibi colitur sacer Amatus, Presbyter & Abbas Tamirensis, XII. Septembris. Fuit Amatus oriundus Valle, patre Theodoro Vallensi Hispano, qui duxit vxorem Gratianopoli in Galliâ: natus est anno DC.XXXV. obiit anno DC.XCV. transſlatus postea ad Vallensem vrbem, anno DCC.XII. tempore Saracenorum aliò transſlatus. 84.

Cùm essem Fuldæ Bibliothecarius, incidi in codicem Conciliorum Toletanorum, in membranis, litteris Gotthicis scriptum, quem sanctissimus Elipandus, Toletanus Archiepiscopus, ad Carolum Magnum Augustum transmiserat; ibique reperitur mutilum Concilium Toletanum sub Iuliano Toletano Archiepiscopo, ærâ D.LXXVIII. anno IX. glorioſiſſimi Regis Theudij: quod videtur nationale Concilium, sic: 85.

IN NOMINE DOMINI N. IESV CHRISTI INCIPIT 86.

CONCILIVM TOLETANVM

SVB IVLIANO, TOLETANO METROPOLITANO,

sub die XIV. Kal. Decembris ærâ D.LXXVIII. anno IX. glorioſiſſimi Regis Theudij.

CVM ex consensu Domini nostri glorioſiſſimi Regis Theudij, omnes Hispaniæ Metropolitani, aliique Pontifices consedissemus Toleti, vrbe regiâ, in Basilicæ S. Mariæ Virginis secretario, quæ vocatur Ierusalem, & de sanctissimorum Patrum institutis, Canonumque decretis, debita mentio haberetur; placuit nobis, omnibus in vnum collectis, tractare de morum reformatione; ac si quæ decreta sunt in anterioribus Conci-

liis, & temporum abusis deleta, denuò restaurare; & in primis fidem sancti Concilij Nicæni, litteris, mentibus & vocibus profiteri.

Incipit fides à sancto Concilio Nicæno edita. Credimus in vnum Deum, Patrem omnipotentem, &c. vsque ad *Vitam futuri sæculi. Amen.*

Deerant in ipsâ Synodo nonnulla folia, & ob id nonnulla Capita, & primò prima quatuor Capita: sequitur verò Caput quintum.

CAP. V. *De Clericis fictis.*

Clerici, qui se fingunt habitu & nomine Monachos esse.....

CAP. VI. *Si Presbyter contumax excommunicandus est.*

Siquis Presbyter ab Episcopo suo fuerit degradatus, aut officio pro certis criminibus suspensus, & ipse per contemptum & superbiam aliquid de ministeriis exercuerit.....

CAP. VII. *De Presbytero post ordinationes.*

Ceterùm Presbyter si post ordinationes aliquid acquisiuerit, illud obseruandum est, quod in Canonibus de * *consecutis nihil habentibus institutum est.*

*al. consecratis

CAP. VIII. *De viduis & puellis Religiosis.*

De viduis & puellis, quæ habitum Religionis in domibus propriis, tam à parentibus, quàm per se mutauerint, si posteà contra institutum. ...

CAP. IX. *De querimoniâ plebium.*

Relata est coram sanctâ Synodo querimonia plebium, quòd sunt quidam Episcopi nolentes ad prædicandum, vel confirmandum suas per annum.....

CAP. X. *De curâ Episcoporum.*

Sancimus omnibus Episcopis curam laicorum instare; vt scilicet, quos fideles in fide Christi inuenerint, nimio affectu diligant.

CAP. XI. *Ne plures baptismales sint simul Ecclesiæ.*

Plures baptismales Ecclesiæ in vnâ terminatione esse non possint.

CAP. XII. *Quomodo sint Abbates eligendi.*

Congregatio debet sibi eligere Abbatem post Abbatis sui mortem.

CAP. XIII. *Puniendi sunt raptores alienarum sponsarum.*

Statutum est à sacro Conuentu, vt siquis sponsam alterius rapuerit, publicâ pœnitentiâ mulctetur.

CAP. XIIII. *De officio Archidiaconi.*

Officium Archidiaconi est, quando voluerit Euangelium legere, vel alium de Diaconis præcipere.

CAP. XV. *De officio Archipresbyteri.*

Vt Archipresbyter sciat se subesse Archidiacono, & eius præceptis sicut sui Episcopi obedire.

CAP. XVI. *De officio Sacristæ.*

Vt sciat se Sacrista subesse Archidiacono, & ad eius curam pertinere custodiam sacrorum vasorum vestimentorumque Ecclesiasticorum.

CAP.

CAP. XVII. *De quadam feminâ superstitiosâ.*

De his etiam, super quibus interrogasti, hoc est, de illâ feminâ, quæ menstruum suum sanguinem immiscuit cibo vel potui, & dedit viro suo, &c. Finis huius Canonis additus est ex Concilio Toletano, tempore Maurorum.

CAP. XVIII. *De Custode Ecclesiæ.*

Custos solicitus esse debet de communi ornamento Ecclesiæ, & luminariis.

CAP. XIX. *De rebus libertorum.*

De rebus verò illorum, vel peculiari, qui à dominis propriis libertate donantur, &c.....

CAP. XX. *Quomodo facienda charta ingenuitatis.*

Debent autem suprascriptæ ingenuitatis chartæ non solùm nomen illius, qui has fieri rogat, sed etiam nomina Sacerdotum.....

CAP. XXI. *De instructione laicorum.*

Instruendi sunt præterea laici, quòd nullatenus alio loco manumittere possint proprios seruos, quos Dominicis castris aggregari decreuerunt, &c.

CAP. XXII. *De aliâ cautione.*

Non solùm autem, qui ad Clericatus ordinẽ promouendi sunt in Ecclesiâ, &c.

CAP. XXIII. *De præmio libertatem donantis.*

Qui debitum sibi nexum, atque competenter relaxat seruitium, &c.

CAP. XXIV. *De seruorum ordinatione.*

De seruorum ordinatione, quâ passim ad gradus Ecclesiasticos, &c.

CAP. XXV. *De iis quæ Parochiis offeruntur.*

De iis quæ ad Parochianas Ecclesias offeruntur, &c.

CAP. XXVI. *De fugitiuis seruis Ecclesiæ.*

Fugitiuos etiam seruos Ecclesiasticos, domos suas aut familias deserentes, &c.

CAP. XXVII. *De eo qui incognitus adit Monasterium.*

Si quis incognitus ingredi Monasterium voluerit, &c.

CAP. XXVIII. *De comedente carnes in Quadragesimâ.*

Quicumque in diebus Quadragesimæ esum carnis præsumpserit attentare, &c.

CAP. XXIX. *De viris ordinatis.*

De viris ordinatis, quorum occulta peccata sunt, vel manifesta, &c.

CAP. XXX. *De frequenti peccatorum iteratione.*

Ea quæ frequenti præuaricatione iterantur, frequenti etiam sententiâ condemnentur.

CAP. XXXI. *De Custode Ecclesiæ.*

Custos Ecclesiæ circa ea quæ Ecclesiæ competunt custodienda, &c. Desunt etiam duo Canones.

CAP. XXXIV. *De Ecclesiarum seruis.*

De Ecclesiarum seruis communi sententiâ est decretum, &c. Desunt adhuc * duo de seruorum ordinatione.

*forte legendum vsque ad LXXXII.

De seruorum ordinatione, qui passim ad gradus Ecclesiasticos, &c.

* al. *sanctis*

*Nunc verò * seruatis iis, quæ inter nos ad disputationem institutionemque venerunt, gratias agimus omnipotenti Deo; deinde Domino nostro gloriosissimo Principi Theudio, diuinam clementiam exorantes, vt felicissimos annos agat in Regno; vt ea quæ ad cultum fidei pertinebunt, licentiam nobis præstet liberè peragendi. Vosque sanctissimi Patres in annum sequentem* XII. *Kal. Octobris, in hanc etiam Regiam Sedem conuenturos esse denuntio, nisi maiultis ad ciuitatem conuenire Valentinam, huic Metropolitanæ Sedi suffraganeam. Ite felices sanctissimi Patres.* Subscripsit Iulianus Toleti Metropolitanus, Eleutherius Bracarensis, Celsinus Tarraconensis, Emila Emeritensis cum LXIV. aliis Episcopis omnium Prouinciarum, multis Abbatibus, & viris Palatinis.

CONCILIVM VALENTINVM ANNO DOMINI D.XLI.

87. COACTA *est sacra Synodus æra* D.LXXIX. XII. *Kal. Octobris, anno feliciter decimo gloriosissimi D. N. Regis Theudij, in nomine D. N. Iesu Christi.* Supereſt fragmentum Canonum IV. V. XVI. L. CI. Ea Valentia Hiſpaniæ eſt.

Cùm Episcopi totius Hispaniæ conuenissemus in Sede ciuitatis splendidissimæ Valentiæ præstituto die XII. *Kalend. Octobris, anno feliciter decimo D. N. Regis gloriosissimi Theudij, qui nobis amplam ad hoc clementissimè dedit facultatem, vt regulam fidei Catholicæ defendentes, de moribus etiam ageremus:* [Præsedit idem Iulianus Toletanus Metropolitanus, & ceteri, qui superiori Concilio tum interfuere, & illud confirmarunt.]

(Hîc ponebatur, vt suprà, regula fidei ex Concilio Nicæno, deinde Canones pluſquam centum viginti.)

Consedentibus nobis in vrbe Valentinâ Hispaniæ, placuit aliqua determinare ad fidei & morum stabilimentum.

CAP. IV. *De iis qui auferunt oblationes.*

Clerici, vel etiam sæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamentis relictas, retinere perstiterint, aut id quod ipsi donauerunt Ecclesiis, vel Monasteriis, crediderint auferendum; sicut Synodus sancta constituit, velut necatores pauperum, quousque reddant, Ecclesiis excludantur.

CAP. V. *De oblationibus defunctorum.*

Qui oblationes defunctorum aut negant Ecclesiis, aut cum difficultate reddunt, tamquam egentium necatores excommunicentur.

CAP. XVI. *Qui non prohibendi.*

Vt Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, siue Gentilem, siue hæreticum, siue Iudæum, vsque ad Missam Catechumenorum.

CAP. L. *De irritâ donatione Episcoporum.*

Irrita erit Episcoporum donatio, vel venditio, vel communicatio, absque eorum collaudatione, & sub captione.

CAP. CI. *De benedictione sponsorum.*

Sponsus & sponsa benedicendi sunt à Sacerdote: à parentibus, & paranymphis in Ecclesiâ Sacerdoti offerantur; & quando benedictionem acceperint, eâdem nocte, pro benedictionis ipsius reuerentiâ in virginitate permaneant.

Quibus peractis agimus gratias omnipotenti Deo, qui nos in hunc locum incolumes, & in vinculo charitatis concordes coniunxit; deinde Domino nostro filio gloriosissimo, Regi nostro & Domino Theudio, qui nobis amplam pro suâ clementiâ concessit licentiam conueniendi in hoc loco, & res fidei ac morum liberè determinandi. Ite in pace sanctissimi Pontifices, & in annum sequentem X. *Kal. Decembris Toleto scite conuenturos.*

Iulianus sanctæ Ecclesiæ Toletanæ Metropolitanus his Constitutionibus, quas sancta Synodus vniuersalis determinauit, subscripsi.

Benagius pro Episcopo Bracarensi, eius vicem gerens, subscripsi.

Leontinus, vicem gerens Domini mei Danilæ Emeritensis, confirmo.

Sic ceteri LXIV. Episcopi.

88. Cùm Gotthi Sueuique Hiſpaniam poſſiderent, deſtructâ Carthagine nouâ, ciuitate nobiliſſimâ, quæ Sedes Epiſcopalis fuit, tranſlata eſt Sedes * Murciam, quam Gotthi vocauerunt Bigaſtrum, quaſi duplex Caſtrum, & Epiſcopus Carthaginenſis vocatus eſt Bigaſtrenſis. Sub Mauris vocata eſt Murcia, & Oriola, & reparatâ tandem Carthagine, Sedes eidem, & nomen reſtitutum eſt, dicta Sedes Carthaginenſis.

* *De Bigaſtro & Murciâ vide quæ notauimus in Chronico ad n.* 38.

89. Florius fuit vltimus Epiſcopus Carthaginis nouæ: quia poſt exciſam Carthaginem Sedes illa Bigaſtrum, id eſt Murciam, tranſlata eſt.

90. Romæ habetur celeberrima S. Victoriæ virginis & Martyris, domo Romanæ, memoria: quæ fugiens ab ſponſo Eugenio in Hiſpaniam ad prouinciam Marſorum, in Baſtetanis paſſa eſt ibi ciuitate Turbulâ, quam corrupto vocabulo *Touarram* Saraceni vocauerunt: ibi celebre condidit ſacrarum Virginum Monaſterium, & ibi paſſa eſt.

91. S. Anatolia, ſoror S. Victoriæ, ſecuta S. Victoriam ad Hiſpaniam; & poſt relictam Turbulæ Martyrem XXIII. Decembris, rediens ad Italiam, anno ſequenti IX. Iulij cum Audace paſſa eſt in ciuitate Thorâ.

92. Olim Turbulæ ſoror vtraque culta fuit: ſed exoleuit memo-

ria ſanctarum Virginum & Martyrum, aduentu Maurorum.

93. Titus Aurelius, & C. Lucius Eugenius, Hiſpani, ciues Turbulani, vel Tribulani, (vtroque modo dicitur) in eâ vrbe, eiuſque territorio, verſus Hellanas, oppidum Græcorum, vbi nati, prædia habuerunt: profectique Romam, Victoriam hic, ille duxit Anatoliam.

94. Sunt qui putent, à Chriſtianis Turbulanis corpus ſanctæ virginis & Martyris Victoriæ delatum ad Cathaloniam; alij ibidem relictum, metu tamen Saracenorum abſconditum.

95. Sunt qui putent, à Rege Suintilane Gotthorum ædificatam primò ciuitatem Victoriam in ruinis antiquæ Velicæ, ſicque nominatam à Rege Gottho in honorem ſanctæ Victoriæ paſſæ Turbulæ; cuius, vt aliorum Sanctorum, fuit Rex iſte Catholicus apprimè deuotus.

96. Sanctus Secundus, primus Epiſcopus Abulæ in Baſtetanis, quæ nunc diruta à Mauris *Villa Gurda* dicitur, vbi ſunt ingentes ruinæ: diſtatque plùs minúſve à Turbulâ, vel Touarrâ, XXVI. M. P. Inde Sanctus idem diſcurrens per Hiſpanias in Luſitaniâ prædicat, vrbe Abilâ, vbi paſſi ſunt S. Vincentius & ſorores; ibique martyrium patitur, & eius corpus mirâ Muzarabum cuſtodiâ ſeruatur in ruinis vrbis.

97. Cùm eſſem Carthagine Spartariâ, legi inſcriptionem in honorem S. Victoriæ, quam vocabant propter egregiam eius ſanctitatem *Auguſtiſſimam*, in hunc modum:

VICTORIAE. AVGVSTISSIMAE. C. VALERIVS. FELIX. EX. VOTO. DD. CVRANTE. MAXIMIANO. VRBIS. TVRBVLANAE. PATRONO

98. Relicto Ieroſolymis alligato Paulo, eius iuſſu ſanctus Secundus Epiſcopus Abulenſis ad Hiſpanias rediens, vtramque inuiſit Abulam.

99. Sancti ſeptem Pontifices prædicant primò per partes Meridionales Hiſpaniæ, vt Acci, Baſtæ & Malacæ, Illiberiæ, Vrci, Vergiliæ, Abulæ, Illiturgi. Maior horum pars in Baſtetanis eſt, ſcilicet Vrci, Acci, Illiberi, Vergiliæ, Illiturgi, Abulæ: in Baſtulis verò Carteiæ prope Calpem vrbem Bæticæ. Sic ſacer Hymnus à ſancto Pontifice Toletano:

Cultus per hos (inquit) *Heſperiæ finibus*
Indita inluxit fidei gratia præpotens.

Per *fines Heſperiæ* intelligit partes magis Meridionales Hiſpaniæ. Poſteà prædicauerunt per partes Septemtrionales & Orientales. Obiit autem Abulæ ſanctus Secundus Pontifex & Martyr primâ die Maij, anno LXV. cùm prædicaſſet Toleti, poſt mortem ſancti Elpidij primi Toletanorum Pontificis, & diſcurriſſet per Carpetaniam totam.

Abila

Abila dicta eſt Luſitanorum ciuitas Abula, vel Abyla Bateſtanorum: & hîc fuit Epiſcopus Priſcillianus, in cuius deteſtationem poſt aduentum Gotthorum deſiit eſſe Sedes, & ad alteram tranſlata eſt, ſcilicet Obelam, vel Abelam in Vettonibus, in fine Carpetaniæ. poſt aduentum Maurorum, & recuperationem Abilæ, ex deceptione nominis, facta eſt Sedes Epiſcopalis. Abula verò deſtructa eſt à Mauris, nec hactenus eſt ex ruinis iterùm educta. 100.

Non deeſt fundamentum cogitandi, ſanctum Secundum Epiſcopum (etſi in quibuſdam codicibus non ponitur) paſſum cum aliis pridie Kal. Auguſti, fuiſſe Epiſcopum Abilenſem, qui paſſus eſt ad oppidum Fumadam, Abilæ propinquum, anno LXV. 101.

In diuiſione Sedium, Emeritæ ſubiectarum, cùm dicitur, Villa eſt terminus inter Corberiam, & Abilam, vel Obilam, *Villa* hæc intelligitur *Alcantara*; quam Mauri ſic vocauerunt à pontis celebritate, vt oppidum illud Gotthi vocauerunt eodem modo, Villam. 102.

Creditur, iuſſu Regis Wambanis Catholici, Quiricum Toletanum, in villulâ prope Aquas oppidum Carpetaniæ, à Mauris *Talaueriam* dictum, in honorem ſancti Pimenij Pontificis & Martyris eiuſdem terræ, Cathedram erexiſſe Emeritenſi ſubditam. Villula illa dicta fuit à Saracenis pòſt vicus *Cazalegas*. 103.

S. Pimenius colitur 1. Nouembris: creditur paſſus ſub Adriano, paulò poſt mortem S. M. Marcelli Eugenij, anno XVI. Adriani, Chriſti C.XXXV. Hibero & Silano Coſſ. ann.* 1. S. Sixti, ſub ſancto Hermolao Toletano Pontifice, & poſtmodum Martyre: creditur grauiſſimos paſſus eſſe cruciatus in Monaſterio ſuo *Cazalegas*, Q. Matidio Gratiliano Præſide citerioris prouinciæ. 104. * *al.* IV.

S. memoria S. Ianuarij primò Epiſcopi Fibularienſis, mox Beneuentani Martyris. 105. *Vide n.* 216.

Monaſterium Agalienſe, ad Septemtrionem ſuburbij Toletani poſitum, ab Athanagildo Rege Gotthorum conditum (præter Karadinenſe) omnium Hiſpaniarum Monaſteriorum, & Galliæ Narbonenſis, dici poteſt PATER, litteris, religione, famâ, bibliothecâ, frequentiâ Monachorum & virorum illuſtrium: vbi erat inſignis Academia litterarum, & totius Regni nobilitas ſapientiâ moribuſque bonis imbuebatur. Hinc (velut ex equo Troiano) prodierunt Abbates aliis Monaſteriis, & præclariſſimi Præſules multis Eccleſiis Hiſpaniæ. 106.

S. Ildefonſus, SS. Coſmæ & Damiani Abbas, poſt Præpoſitus Monaſterij Agalienſis, Toletanus factus Epiſcopus, ſcripſit libros Synonymorum, & Conciones contra hæreticos, quos Concilium prouinciale approbauit; ſub quo nationale Toleti Concilium cogitur. 107.

S. Ilde-

108. S. Ildefonſus cùm ad Matutinas Incarnationis venit, tulit ſecum librum Synonymiæ, vbi cum B. Virgine colloquitur, & librum quatuordecim Concionum, quos dicauit Virginibus Deibienſibus, contra tres hæreticos.

109. S. Walderedus Epiſcopus Cæſarauguſtanus, ærâ DCC.XXXIX. XVII. Kalend. Decembris interfuit Toleti conſecrationi Regis Witizanis, & coronationi. Obiit XX. Aprilis I. anno Regis Roderici, ærâ DCC.XLVIII. cùm rexiſſet Eccleſiam ſuam XXIII. vel paulò plus, & XXIV. annos. Sepultus eſt in ſanctiſſimâ Sede B. Mariæ Virginis de Columnâ à S. Iacobo ædificatâ.

110. Tunc habitum eſt Concilium nationale ab Witizane, eo præſente; vbi totius Hiſpaniæ & Galliæ Narbonenſis Epiſcopi confluxerunt.

111. Ærâ DC.LXXXVIII. Kalend. Maij habita eſt Toleti nationalis Synodus contra Monothelitas, in quâ mirabilem ſe oſtendit ſanctus Ildefonſus Abbas ſanctorum Coſmæ & Damiani; præſedit Orontius Metropolitanus Emeritenſis, Antonius Hiſpalenſis, Eugenius Regiæ vrbis Metropolitanus, & Potamius Bracarenſis.

112. Fama caſtitatis & doctrinæ S. Ildefonſi peruenit ad aures ſanctiſſimi Pontificis Martini Martyris; qui ad Ildefonſum ſcripſit: ille verò reſpondit.

113. Duobus & ampliùs M. P. Toleto Septemtrionem verſus in colliculo fuit Monaſterium ſanctorum Coſmæ & Damiani Martyrum, filiatio Agalienſis: eſt ibi fons irriguus in honorem ſancti Iuliani Toletani Pontificis, cui Agalienſe ſacrum fuit. Dictum putant pagum illum Arabicè *Benhalgauia.*

114. Muza-Arabs reliquit Mahomat Ben-Ahuma, Toleti Ducem; deditque partem terræ prope Monaſterium SS. Coſmæ & Damiani, quod poſt aliquot annos dirutum eſt.

115. Poſſeſſio, hereditas & iugerum, protenſa eſt vſque ad Vallem *Menhalgauiæ, quæ Monaſterium Agalienſe habuit, prataque dedit coloniæ ſuæ, ſcilicet, Monaſterio SS. Coſmæ & Damiani; quod apud vulgares *Agalienſe minus* etiam dici ſolebat.

*Benalabiæ, *vel* Benalgabiæ,

116. Calocerus & Parthemius ad fidem prædicatione ſuâ diſponunt vxorem Decij Cæſaris.

117. Sunt qui putent (quod & ego credo) ſanctam Leucadiam Monialem fuiſſe Ordinis Carmelitani, quem Monachi Carmelitani ad fidem Chriſti conuerſi in Hiſpaniam intulerant; ex quibus fuit ſanctus Elpidius primus Toletanus Præſul à ſancto Iacobo conſtitutus.

118. S. Elpidius, quem S. Iacobus præfecit Toletanis primum Pontificem, Carmelita Monachus fuit; & in primâ Petri concione conuerſus ad fidem, cum ſociis multis venit in Hiſpaniam, & Toleti

Toleti fundauit Monaſterium Virginum & Monachorum: vbi pòſt fuit Agalienſe, quod fuerat B. Virgini ſacrum Monialium harum matri.

In Præpoſiturâ, vel Prioratu Monaſterij Agalienſis, ſancto Helladio ſucceſſit Æmilianus, Æmiliano Euphraſius, Euphraſio *Bacauda, Bacaudæ verò Iuſtus Archiepiſcopus Toletanus, tribus annis hoc officio functus. In Abbatiâ ſucceſſit Helladio Richila, qui erat Abbas, cùm Prior eius electus eſt Iuſtus Archiepiſcopus Toletanus, vir acri iudicio, eleganti corporis habitudine, & litterarum cognitione, maximæ religionis, alter à laico Iuſto. 119.

al. Bacinda, Bacindæ

Auila, vel Dauila, vel Abula, Abbas ſancti Iuliani fuit Epiſcopus Caurienſis; confirmatque in aliquibus Conciliis Toletanis. 120.

Anno DCCC.LXX. florebat in Cathaloniâ ſanctus vir Eremita Fr. Ioannes Guarinus Hiſpanus, ex Valentiâ, qui prope Montem Serratum in ſpeluncâ (in quâ Barcinonenſes Chriſtiani imaginem B. Virginis Mariæ in perditione Hiſpaniæ recondiderunt) deceptus à dæmone, Mariam filiam Comitis Gotifredi Villoſi corruperat & interfecerat: & pœnitentiâ ductus, iuit ad Summum Pontificem Stephanum VI. anno Pontificatus eius III. Dedit illi, vt more beſtiarum ſeptennium reptaret, donec infans illi diceret, *Surge Ioannes, Deus acceptauit pœnitentiam tuam.* Quod & accidit. Obiit anno DCCCC.V. pridie Idus Iunij; & ſepultus eſt in ſpeluncâ, vbi fundatum eſt Monaſterium ſacrarum Virginum Benedictinarum, quas Maria filia Comitis, ope B. Mariæ ad lucem reuocata, rexit, & anno DCCCC.IX. obiit. 121.

Imago B. Mariæ Montis Serrati eſt ante tempora S. Seueri Barcinonenſis Epiſcopi ſub Gotthis; in quâ miram habebat deuotionem admirabilis Epiſcopus, &, vt dicitur, S. Eulalia Barcinonenſis. 122.

Celebres ſunt plures imagines per Hiſpanias B. Mariæ conſecratæ, vt Ieſcarenſis, Iznatorafenſis, & aliæ; ſed poſt imaginem beatæ Mariæ de Columnâ in Cæſarauguſtanâ ciuitate, eſt Mageritenſis, quam ſocij ſancti Petri Mageritum Antiochiâ attulêre, cùm ſanctus Apoſtolus venit in Hiſpaniam: ſed Dominus Garſias Mageritenſis Muzarabs anno circiter DCC.XVIII. vel DCC.XX. ædificauit illi eremitoriolum, vbi filium eius ad vitam reuocauit Domina. 123.

Imago B. Mariæ lapidea, quæ ſeruatur in arce petræ rubeæ, prope fluuium Anam, ante Gotthos facta eſt: in loco tuto collocauerunt eam Muzarabes illius regionis. 124.

Lacurris ciuitas à Carthaginenſibus condita prope Carceſam, à Mauris dictam *Cazorlam*; & à Mauris corrupto vocabulo vocatur *Lariola*: habet fortem quamdam arcem. 125.

126. Castrum-altum vocatum est à Christianis Muzarabibus *Pœnæ sancti Petri*: vt oppidum * Saltiga, ad Valazotum fluuium, vrbem interfluentem, corrupto vocabulo *Tasola*.

* al. Salega,

127. Oppidum Hippo in Carpetaniâ corruptè vocatum est *Yepes*: nec multò post vastationem Hispaniæ dirutum.

128. Theogenes, & socij Carpetani ex Hippone, vel *Yepes*, in Laodiceâ passi sunt: nec desunt, qui dicant Hippone passos.

129. Sanctus Ildefonsus posuit in æde Toletanâ, S. Lucæ imaginem B. Mariæ.

130. S. Percellius passus Romæ, ciuis fuit Hipponis in Carpetaniâ: de quâ suprà.

131. Nicolaus Comes duxit vxorem Blitissam, sororem vel filiam Cindasuinthi Regis: genuit ex eâ Euantium Comitem, & Ducem Eugenium, qui pòst fuit Archiepiscopus Toletanus; Luciam & Euantiam: hæc nupsit Ophiloni Palatino, illa Stephano, filiis Regis Athanagildi, fratribus Reginarum Brunechildis & Galasinthæ. Ophilo genuit Ophilonem, Cubiculariorum Comitem & Ducem, ex quo Toletanorum Domus; at Stephanus genuit Ildefonsum sanctissimum Archiepiscopum Toletanum. Stephanus & Ophilo ... * fratrem Comitem Scantiarum Fonsam, socerum Regis Reccaredi, patrem Reginæ Badæ; qui tres confirmant tertio Toletano Concilio. Filius Ophilonis Ophilo confirmat VIII. Concilio Toletano secundo loco inter Palatinos; confirmat & Nicolaus, vt Comes Scantiarum.

* videtur legendum habuerunt

131. Comitem Scantiarum Fonsam.] *Comitis Scantiarum notissimum Augustæ domus officium. Is* poculis Præfectus *erat*; *apud nos* Copero mayor. *Sic interpretatur Iulianus noster in variorum carminum collectione pag.* 145. *agens de Euantio, Cindasuinthi Regis Scantiarum Comite, his verbis:* Euantij, fratris Luciæ & Euantiæ, ac Eugenij celebris mentio est in donatione Cindasuinthi Monasterio Benedictinorum Complutensi in Asturiis, datâ ærâ DC.LXXXIV. quæ erat anno DC.XLVI. [*sic legendum ex ipsiusmet priuilegij autographo*] vbi confirmat Euantius Comes Scantiarum, *id est*, à Poculis. *Firmat, licet non certo pede, Illustriss. Archiepiscopus Garsias de Loaysa, ad Concilium* VIII. *Toletanum pag.* 459. *vti P. Pantinus de Officiis Gotthorum, his verbis:* Hunc [*Comitem Scantiarum*] nonnulli poculis, alij vniuersis epulis Regis præfectum esse contendunt. *Imò domui Præfectum, non infimæ notæ Auctores appellant, vt refert Doctor Salazar de Mendoça lib.* 3. *de Officiis & dignitatibus Hispan. cap.* 5. *pag.* 95. *col.* 3. *Apud Gallos verò Pincerna, seu Pocillator,* Eschançon *dicitur. Vox deducta variè à variis. Alij à* congio *deriuari asseuerant, i litterâ in k facili mutatione conuersâ, &* [illegible] congiare, *dicendum* canciare *affirmant. Hispani eâdem voce, parcè detortâ & retextâ* escançiar *vtimur; quando vinum ex vno poculo ampliori in aliud transfertur, & largè bibitur; aliàs* iarrear *vocamus. Neque id Græcis insolens;* κεράω, miscere *significat; quia pocula ex cornu, aut ad effigiem cornu factâ: poculum verò* κέρας *dicitur. Athenæus sic lib.* 4. *Dipnosophist. vbi* κέρατα *pocula appellat. Verbumq; Latinum* misceo *à Græco* κεράω *est Plutarcho in Symposiacis, lib.* 8. *quæst.* 6. Καὶ τὸ κεράσαι Μισκῆραι καὶ Ὄμηρον.

Ab

Ab insulâ Scanciâ trahunt alij, quæ est circa polum Arcticum; vbi propter frigidam brumam, & frequentes densasq; niues, vino non sobriè vtuntur eius incolæ. Non pauci à vino vuarum Scantiarum, Plinij auctoritate allecti, lib. 14. *cap.* 4. *& lib.* 15. *cap.* 14. *quarum ibi meminit. Ad Arabiam transiliunt multi; à vasculo Arabum,* Cancia *dicto,* Escanciar *potare significasse. Ad Thusciam alij transiliunt, vbi* Schenth, *vas Thuscum inueniunt. Cumulat omnia Sebastianus de Couarruuias in Thesauro linguæ Hispanæ verbo* Escanciar. *Gotthicum scribit verbum esse P. Ioannes de Mariana lib.* 5. *Histor. Hispan. cap.* 1. *pag.* 196. *col.* 2. *vsitatum etiam à Lusitanis, Duarte Nuñez in libello de Origine linguæ Lusitan. Hebræis fontibus refert Claudius Duretus in Etymologiâ linguarum, & Cæsar Oudin in Dictionario Gallico à* נשׁק schaka, *id est,* propinare. *Vtcumque tamen sit,* Comitis Scantiarum *mentio frequens apud Auctores declinantis ævi. Iulianus in Chronico num.* 100. *de Iuliano Comite Scantiarum refert magnificentissimum templum ædificasse Eboræ. In Conciliis ij Comites passim confirmant, ingq; diplomatibus Regis. Vide Toletanum Concilium* VIII. *in quo tertio in loco confirmat Adulfus Comes Scantiarum & Dux. Notat doctè Illustrissimus Garsias de Loaysa Archiepiscopus Toletanus pag.* 459. *examinatq; Regium diploma Complutense, quod in lucem edidit exantlatæ curæ Auctor P. Antonius de Yepes Tom.* 2. *Histor. Benedict. anno Christi* DC.XLVI. *fol.* 174. *col.* 3. *& in Appendice diplomate* 13. *pag.* 10. *Meminit & officij & priuilegij Ambrosius de Morales lib.* 12. *cap.* 13. *Tom.* 2. *pag.* 143. *B. Exaraui, leui tamen brachio, ad Iulianum in variorum Carminum collectione pag.* 146. *&* 148. *prope Operis finem. Nec prætereundum, hac arreptâ occasione, censeo, vt quoties ibi inueneris* Blæsillam, *sororem Cindasuinthi, reponendum cures* Blitissam, *idq; ex Archetypo P. Hieronymi de la Higuera,* Nicolaus [*pag.* 145.] duxit vxorem Blæsillam [*lege* Blitissam] filiam vel sororem Cindasuinthi. *Denique Andreas Burcus Suecus in suâ Republicâ, de Suecorum Regis dominiis & opibus pag.* 67. *vt Gotthos, qui in Hispaniâ firmarunt imperium, ab Scanziâ venisse probet, in huius rei testimonium firmissimum adducit, eos habuisse* Comites Scantiarum, *quasi familiaritate cum illius prouinciæ accolis initâ, ex eâ in domo Augustâ Comites habitasse, & Toletana Concilia subscripsisse. Falsò quidem, vt & fallitur VVolfgangus Lazius lib.* 10. *de Migratione Gentium pag.* 572. *ex quo id desumpsit. Quos refellit, doctè sanè, Licentiatus Antonius de Leon, in nostro Senatu Regio Indiarum à Relationibus, in suâ Peninsulâ Septemtrionali breuî lucem bono publico litterarum visurâ.*

Dum fui Fuldæ, in bibliothecâ reperi vetustissimum codicem Antonini Pij; vbi in difficillimo itinere ab ostio fluminis Anæ Emeritam, reperi in margine Antoninum agere de flumine paruo Anâ, qui influit in Bætim, non procul Beatiâ: & hunc ingressum vocat *Ostium*, quia illic clauditur & absconditur, vt qui per ostium intrat in domum, quò se abdit. 132.

Sic habent duo codices: Præsidio XXX. M.P. ad Rubras XXVII. Onoua XXVIII. Illipa XLIIII. Italica XVIII. monte * Marielo M. P. XII. Curica XXXVI. Contributa XX. * Bercetana XXIII. Emeritam XXIIII.

* al. Mariorum

* al. Porcajana

Quidam faciunt D. Garsiam Ramiri Mageritensem Muzarabem, consanguineum D. Conterici Archiepiscopi Toletani, qui reparauit Ecclesiam sancti Torquati Martyris Toletani; alij verò 133.

Roderici Regis Dapiferum perſenem, virum pium, deuotiſſimum B.Virginis Antiochenſis:

134. Imago B.Mariæ de Præſidio, quæ eſt & fuit in Eccleſiâ ſanctæ Iuſtæ (vbi vixerunt Archiepiſcopi Toletani) eſt à temporibus Gotthorum.

135. Euphemius reparauit Eccleſiam S. Iuſtæ Toleti, quam condi iuſſit Santina vxor Regis Theodorici Oſtrogotthorum.

136. Anatorgis ciuitas eſt, quam Saraceni vocauerunt *Veas*, quam riuulus præterfluit. Huc fugit Cn. Pompeius tumultum: quò ſe recipit, vocant *Iznatoraf*, vel Montem terreum.

137. Sanctus Latro (ſicut legi in libris Gotthicis bibliothecæ Fuldenſis, in Collectaneis S. Melantij, & in libro de Paſſione ſancti Serrani Archiepiſcopi Toletani, & in lib. S. Ioannis Damaſceni) dictus eſt *Dimas*, Ægyptius Gentilis: qui Dominæ noſtræ cum Ioſeph ingredienti Ægyptum ſpoliaturus eos occurrit; ſed visâ Virginis modeſtiâ, & pueri mirâ pulchritudine, mutato animo, illis inſeruiens viam oſtendit.

138. Viſitanus, Epiſcopus Toletanus, ex Vizcayâ, frater Domini Zuriæ, Principis huius gentis, vir magnanimus, & ad bona promptus.

139. In inſulâ Scombriâ, prope Carthaginem, tempore Athanagildi & ſequentium Regum Gotthorum, fuit Monaſterium S. Martini, Ordinis ſancti Benedicti; cuius Abbas inſigni ſanctitate pollebat.

140. Euantius Archidiaconus Toletanus fuit patruus S.Ildefonſi: qui, miſsâ ſæculari militiâ, vouit Deo militare prudenter:

141. S. Eugenius, patruus S. Ildefonſi, Monachus, à meis temporibus pro Sancto habitus, & vocatus, & ab omnibus Hiſpanis cultus.

142. S.Helladius Epiſcopus Toletanus ſemper habitus & cultus eſt vt Sanctus; ſed Gotthici Pontifices, vt alij, non conſueuerunt celebrare Confeſſores. Fuit hic ſanctus Pontifex natus Toleti patre Helladio Palatino, conſanguineoque * Liuuæ & Leuuigildi, viro Catholico, vt fuit filius. * *al.* Luciæ

143. S. Ildefonſus fecit Iuſto carmen ſepulchrale: iacet ad D. Leucadiam.

144. Cindaſuinthus Rex Primatum Hiſpanorum (Toleto tranſlatum Hiſpalim non multò priùs, propter hæreſim & Mahometiſmum Theodiſcli, anno IV. Theodori Papæ approbantis) transfert. Auctor Ildefonſus in Additionibus ad Chronicum Generale ſancti Iſidori.

145. Tempore captiuitatis, Epiſcopus Patriarcha Toletanus degebat in Eccleſiâ ſanctæ Mariæ de Alficen in S. Iuſtâ, exercebat officia

officia Pontificalia, & adminiſtrabat Sacramenta; ac Horæ recitabantur.

146. S.*Partemius fuit cauſſa, vt conuerteretur ad fidem vxor Decij Cæſaris prædicationibus ſuis. patitur ſub eodem grauiſſimos cruciatus, anno CC.LX. * *al.* Parthenius

147. Municipium Burginatum, quod Mauri vocauerunt *Buxexar*, XX. M. P. * Oſcâ Bæticæ oppido diſtans, à Germanis Coloniæ Traianæ ciuibus conditum antiquitus, Mauri diruerunt: vbi Gentilium tempore fuit celebris nundinarum conuentus: vbi fuerunt duo Sancti (qui creduntur Martyres) XXI. Auguſti, Vincentius & Iulianus, cum ſociis, in primis Eccleſiæ perſecutionibus. Creditur dirutum à Saracenis, cùm Burginatenſes reſiſterent. eſt optimi ſoli cælique; terra ferax frugum, ſi non deſint imbres. Hic finis eſt Oretaniæ, & incipit regio Baſtetaniæ. * *al.* Orcâ

148. Liber fabularum, qui circumfertur nomine Æſopi Phrygij, dicitur ſub eius nomine à Socrate Philoſopho editus.

149. Anno DCCCC.XLIX. Rex quidam Saracenus, nomine Mahomat Zaquetus, Dominus *Tritij, prope Lucronium, habuit filiam, quæ conuerſans cum Chriſtianis, baptizata vocari voluit *Columba*; virgo miræ pulchritudinis & pietatis. Quod cùm pater ſciuiſſet, ægrè tulit, & omnibus quibus potuit modis, illam à religione Chriſtianâ tranſuerſam, ad Mahometaniſmum traducere conatus eſt: quod cùm non poſſet, illi caput amputauit. quod cùm illa manibus ſuſtuliſſet, ad oppidum vſque S. Coloniæ deduxit, vbi mirâ pietate circumuicinorum oppidorum coli cœpit. Obiit XXVIII. Maij. * Tritium, *hodie* Najara.

150. Pater eius erat Mahomat Zaquetus, Dux Regis Cordubæ, qui filiam Columbam (vt creditur) à S. Victore Ceraſenſi Presbytero edoctam, occidi iuſſit, & Victorem Presbyterum XVI. die Auguſti; anno Domini DCCCC.L. cùm ego eram Toleti.

151. Natalis Epiſcopus Toletanus interfuit Concilio Romano, in quo gratiæ ſunt actæ propter Conſtantini baptiſmum, anno CCC.XXIV. interfuit & ſubſcripſit Concilio Nicæno: muneribus donatus à Conſtantino cum Hoſio rediit Romam, inde Toletum: vbi ſtatuta Concilij Generalis ſeruari fecit.

152. Eidem Conſtantinus, ex auctoritate ſancti Silueſtri Summi Pontificis, iniunxit, vt Primati (cuius Primatum in Concilio Nicæno confirmatum eſt) vt comite Hoſio Cordubenſi iuberet inquiri veteres Hiſpanorum Epiſcopatuum terminos, & eos renouari. quod factum eſt per totos ſeptem annos, vel nouem: delegatis ſingularum Metropolium Epiſcopis, qui per homines locorum peritos id ſciri curarent.

153. Natalis Toletanus ab exilio rediens, dum Mediolani commoratur,

ratur, pulso in exilium sanctissimo Dionysio, à Catholicis Mediolanensis Episcopus eligitur: qui licet se gesserit vt Vicarius illius, rebus tam præclarè gestis floruit, vt in numerum Sanctorum relatus fuisse dicatur. Obiit XIII. mensis Maij anno CCC.LIV. vir sanctus & doctus.

154. Sanctus Episcopus Natalis Toletanus, pòst Mediolanensis, Vitalis Hispani filius fuit, nepos S. Natalis Confessoris Romani: successit S. Melantio Confessori: interfuit Concilio Arelatensi I. Romano sub Siluestro, & Nicæno; pòst fidei causâ missus in exilium, reuersus, Mediolani Episcopus eligitur. Sanctus moritur.

155. Vitalis pater huius in Hispaniâ natus est; qui, veniens in Italiam, genuit S. Natalem, pòst Thermedæ in Carpetaniâ priore coniuge defunctâ, duxit Hispanam: ex quâ genuit sanctos fratres, Iustum & Pastorem, Martyres Complutenses. Itaque erant fratres isti Martyres, & Natalis Toletanus, ex patre.

156. S. Isidorus Hispalensis scripsit librum Prophetarum; quem ego vidi scriptum linguâ Latinâ, Gotthicâ, vulgari Hispanâ & Arabicâ.

157. Marinus, vel Camerinus, Episcopus Tuccitanus, qui interfuit Concilio Illiberitano, anno CCC. tempore persecutionis, Melantij Confessoris, & Natalis successoris Coëpiscopus fuit. Dicitur à quibusdam interfuisse Conciliis, & ad hunc scripsisse sanctum Pontificem Melchiadem; sed Dexter huius non meminit.

158. Sunt qui dicant Natalem etiam dici Marinum, vel Camerinum; sed perperàm.

159. Patruinus, Paternus, vel Paternianus, succedit in Sede Toletanâ. Post XXIX. annos Episcopatus secessit in Palæstinam; ibi fit Monachus, & Pater Monachorum; mox Episcopus fit: moritur maior centenario.

160. Maurentius eius vel frater, vel Archidiaconus, secutus est.

161. Marinus, vel Camerinus, factus est Episcopus Arelatensis.

162. Concilio Arelatensi primo præsident Hosius & duo Presbyteri, missi à Siluestro. Habuit orationem Natalis Toletanus, & scripsit Epistolam Synodicam: fuit à secretis Concilij cum alio.

163. Toletanum Primatum, adiuuante Hosio, in Concilio Nicæno declaratum est.

164. Bis venit Cordubam Athanasius, habitis ibidem duobus Conciliis, semel anno CCC.L. iterùm anno CCC.LVI.

165. Prior Sardicensis, ex Theophane, confirmat Concilium Sardicense, cui Toletanus interfuit Natalis, & Athanasium & Paulum absoluit.

166. A temporibus Apostolorum maxima consuetudo, & quædam fraterna societas, inter Ecclesiam Toletanam & Mediolanensem.

Atheno-

Athenodorus Episcopus Plateæ in Celtiberiâ, vel Thuriasonensis, comitatus est sanctum Vitalem, & post mortem redit ad Sedem suam, interfuitque Concilio Sardicensi; vir pius & Catholicus. 167.

Seuerinus, cognomento Euphrada, sanctus & Catholicus; atque adeò vnus ex Legatis Concilij Sardicensis, substituitur Euphradæ, primo huius nominis, Agrippinensi, hæretico depositio. 168.

S. Gerontius, X. Episcopus Traiectensis, dicitur priuilegio peculiari vixisse ferè CCCC. annos. Sic multi Auctores. 169.

S. Hosius Episcopus Cordubensis sanctè Catholicèque Cordubæ moritur III. die Maij, quo celebratur sanctæ Crucis inuentio (quam celebritatem ipse petierat à Siluestro Constantinoque celebrari) anno CCC.LX. cùm esset annorum CX. præsentibus multis Episcopis & viris Religiosis, dato veneno, quod illi iussit propinari Constantius in odium fidei Catholicæ; quia noluerat Arianorum sectam impiam sectari, vt multi testantur Scriptores: ipse testamento testatus est se mori in fide Concilij Nicæni, & detestari dogma impium Arianorum, & qui eos sequerentur; numquamque (licet vis illi sit illata per tormenta, vt communicaret Sirmij cum Valente & Vrsacio) aliter sensisse aut prædicasse. 170.

Post reditum ex vrbe Sirmio, scripsit Hosius Epistolam Constantio, quæ incipit: *Ego confessionis munus expleui.* 171.

Petrus, cognomento Pulcher, & ob elegantiam oris, & multò magis ob morum sanctitatem, dum peragrat loca sancta, Archiepiscopus Toletanus, Damasci comprehensus à Saracenis, & horribilibus cruciatus suppliciis, & in crucem actus, nobile consummauit martyrium anno Domini DCC.LII. 172.

Duo fuerunt Archiepiscopi Toletani vocati Olympij; alter ex Episcopo Thraciæ, vir sanctus, qui successit Natali, cuius meminit D. Augustinus: alter qui interfuit Toletano Concilio, ex Episcopo Oxomensi; vterque tamen nobilis Scriptor. 173.

Petrus Pulcher scripsit ad Clementem primum Episcopum Hispalensem, Clerumque, vt Primas, quòd anno DCC.XLVII. celebrauerant sanctum diem Paschæ XXIX. Martij, cùm esset celebrandus II. Aprilis. Rescripsit verò Clemens, & Clerus, gratias agens. 174.

Q. Serenus, Q. Sereni filius, ad quem scripsit S. Bachius Iustinus Philosophus & Martyr Epistolam longam anno C.LVI. (scripserat anno C.LIV. ad Anicetum Papam) natione Hispanus, ex oppido Gallæciæ Samone, nunc vulgò *Samos*; vnde dictus est *Samonicus*. Fuit, vt quibusdam placet, iunioris Gordiani, qui vixit annos XXXV. præceptor; nec multò pòst à Caracallâ iussus est in balneo occidi (creditur, vt pater, Christianus, cuius causâ occisus credi 175.

credi potest:) fuit Medicus celeberrimus. Multa scripsit de Medicinâ, in quâ plurimùm excelluit. Ex huius genere fuit S. Serenus Martyr, & S. Serena vxor Diocletiani Augusti; cuius neptis fuit S.Susanna virgo & Martyr, filia S. Gabini Martyris.

176. Zenas, & Q. Serenus Samonenses, ex Gallæciâ conuenerunt Romæ Iustinum; & licet coniugati, reuersi in Hispaniam vtebantur officio Catechistarum, vt ex Iustino Philosopho constat.

177. Decessit Q. Serenus Samone in Gallæciâ cum opinione sanctitatis anno C.LXV. relicto filio adolescentulo, qui fuit egregius Medicus, & virtutis ac religionis amantissimus. Dies senioris Q. Sereni dicitur fuisse XIV. Kal. Martij, illo anno. Medici duo filij, Q. & M. Sereni passi sunt sub Seuero Alexandriæ.

178. Item Zenas & Q. Serenus passi cum aliis in Africâ sub Diocletiano.

179. Horum filij L. Serenus Monachus familiaris Diocletiano, & Publ. Serenus Martyr, in Africâ hic, ille verò in Hispaniâ, Sexti Firmi in Bæticâ passus est sub Diocletiano anno CC.XC. horum erat cognata Serena vxor Diocletiani sancta.

180. Serena vxor Imperatoris Philippi, mater fuit Serenæ vxoris Diocletiani.

181. Obiit sancta Regina Gelesiuntha, Chilperici Regis vxor, filia verò Regis Athanagildi, iussu mariti strangulata XXIV. die Maij, anno D.LXVI. cuius mortem (vt refert Fortunatus & S. Gregorius Turonensis) magnis Deus illustrauit miraculis.

182. Anno D.LXV. quando natus est Reccaredus Leuuigildo, & factus Monachus Benedictinus Leander, XXII. Martij S. Seuerinus Hispali moritur.

183. Ad Vallem, quam Mauri vocant * *Menalhauiam*, fuit Monasterium SS.Cosmæ & Damiani: vbi fuit Abbas sanctus Ildefonsus, adhuc Diaconus; inde Presbyter, translatus est ad Agaliense Rector.

* al. *Benalgauiam*,

184. Valderedus Toletanus, Monachus Benedictinus, Abbas S. Leucadiæ Prætorienses Toletanæ, fit Episcopus Cæsaraugustanus: vir sanctus & doctus.

185. In Ordine S. Benedicti, idem est, *Pater*, & *Abbas*: & sub hoc immediatus, vel sub Priore, *Rector*, & *Præpositus*. Sic Agalienses fuit Præpositus, vel Rector patrimonij S.Ildefonsus, priùs Abbas sanctorum Cosmæ & Damiani.

186. S. Ildefonsus factus Præpositus Agalienses Monasterij rem auxit, & collabentem disciplinam restituit, & vitam Monachorum à Palatinis seruauit.

187. S. Iacobus Missam, quam coram ceteris Apostolis constituerat, Petrus ceteriqúe comprobauerant (& pòst litteris mandauit S. Clemens,

mens, & ob id dicitur vulgò *Missa sancti Clementis*) Hispanis Episcopis tradidit: & vsi sunt illâ priùs in Hispaniâ, quàm aliis Occidentis partibus, posteà illam in scriptis attulerunt etiam sancti septem discipuli S. Iacobi, S. Torquatus, & socij, & per Bæticam Meridionalem, vbi nullum reliquerat Episcopum, * vt testatur Iulianus & Felix, Toletani Pontifices, libris eâ de re editis, in confirmationem Missæ S.Isidori: quos ego legi, & aliquando euolui, cùm essem in Fuldensi bibliothecâ, à Carolo Magno cœptâ, multisque libris valdè refertâ, Bibliothecarius.

* *Deest* prædicantes promulgant, *vel aliquid simile.*

Gregorius, ad quem scripsit Eusebius Vercellensis, reprehendit Osium, quòd consensisset Concilio Ariminensi: non fuit Illiberitanus, sed Episcopus Toletanus. 188.

Duæ factiones fuerunt in Hispaniâ: altera non recipientium cum Luciferianis non solùm * Arianos, sed qui resipuerant; quam secutus est Gregorius Toletanus, & Vincentius eius Archidiaconus, pòst Archipresbyter, & Aurelius Diaconus: altera cum Gallis, Italis & Damaso, auersantium hæreticos, & recipientium pœnitentes; quales fuerant Hyginius Cordubensis, tactus hæresi Priscilliani, qui missus est in exilium Treueros, & Lirioſus Episcopus Hispanus Dertosanus: miræ inter hos strages, pugnæ, cædes. Prævalebat tempore Theodosij factio recipientium pœnitentes: in hoc errauit Gregorius Toletanus; nec placuit Damaso, successoribusque eius, horum immodicus rigor. 189.

* *al.* Saracenos,

* Ruffus Hispanus, Episcopus Oretanus, synchronos S. Gregorio Bætico, ex iudice simul electus: qui duo & alij iubentur deponi ab Innocentio I. & deponerentur, nisi iam fuissent mortui. Non loquitur de Gregorio Toletano sanctus Innocentius; quia iam ille decesserat, nec ignorabat Papa defunctum esse Gregorium. 190.

* *al.* Rufinus *al.* Stasius

Qui meliùs sentiunt, affirmant venisse Gregorium Bæticum ad annum CCCC.XXIV. iam ætate decrepitum & fatiscentem. 191.

Elpidius Hispanus Toletanus, consanguineus Theodosij, quem iungere volebat Theodosius Olympiadi viduæ, feminæ sanctissimæ, & ad quem scripsit Symmachus Consul, florebat opinione magnæ virtutis, & peritiâ rei militaris. 192.

Sunt qui dicunt, ex Chersoneso Hispaniæ delatum corpus S.Elpidij, primi Toletani Episcopi (dicti Confessoris, more Gotthorum; ille verò Martyr fuit) in Marsiam Italiæ: inde verò Theodorico Metensium Episcopo in eo tempore Metim delatum, cum aliis corporibus sanctis, anno D.CCCC.LXIX. 193.

Magna pars eorum, qui dispersi in persecutione S. Stephani ad varias partes traiecerunt, & ad Hispaniam plurimi venerunt, erant ex Monachis montis Carmeli, prædicationibus Christi & Apostolorum 194.

lorum ad fidem conuersi: in quibus Elpidius, & socij, Pontifices à S. Iacobo creati, & pòst Martyres facti.

195. Gregorius, Episcopus pòst Illiberitanus, natus Compluti in Hispaniâ, anno CCC.XLII. per omnes ætates litteris & bonis moribus floruit, exercuit se in gubernatione: à Gratiano factus est

196. *P. P. Galliarum. Idem submotus à Maximo, posteà rediens in Hispanias, factus est Episcopus Illiberitanus; successit Augustali anno CCC.LXXXIX. scripsit librum ad Gallam Placidiam Augustam anno CCCC.XX. moritur anno CCCC.XXIV. cùm esset ferè octogenarius. Relatus est inter Diuos. de quo Innocentius primus queritur, quòd homo iudex, statim factus esset Episcopus. Sunt qui dicant, priùs fuisse Malacitanum, & inde translatum.

*id est, Præfectus Prætorio

197. Composuit primò inter alia librum *de Fide*, etiam cùm primò cœpisset inire Pontificatum; at, petente Gallâ Placidiâ Augustâ, anno CCCC.XX. *de Trinitate* composuit alterum (quem credo sanctum Hieronymum non vidisse) cùm iam nupserat Constantio Augusto, qui cœpit anno CCCC.XIX.

198. Osius, patriâ Cordubensis, natus Osio patre, ex propagine Græcorum; pater & filius verè Catholici; nutritus in eâ Ecclesiâ doctrinâ Episcopi Cordubensis N. viri sanctissimi: & per omnes gradus venit ad Sacerdotium, & illi successit in Episcopatu, natus anno CC.LXXX. ferè post persecutionem Decij. Vixit in pueritiâ satis honestè, vt præberet specimen futuri: fuit acri ingenio, doctrinâ sapientissimus, & in persecutione Diocletiani anno CC.XCV. sub Daciano Præside, cum multis Episcopis Hispaniæ constantissimus & fortissimus fuit Christi fidei Confessor.

199. Sunt qui putent, testanturque Auctores graues non pauci, sanctum senem Osium in odium fidei Catholicæ à summissis à Constantio Imperatore ministris occisum; & ita fuit Martyr.

200. Memini me legisse in bibliothecâ Fuldensi in libro Trogi Pompeij, Augustum dedisse edictum de describendo orbe Tarracone: & idem edictum in libro illo dicebatur, *Datum Tarracone*: dilata tamen executio propter negotiorum multitudinem diu.

201. Augustus Cæsar excogitauit anno XXXVIII. ante Christi natalem, dum esset Romæ, describere totum orbem, pacatâ Hispaniâ

*al. x. tunc à bellis Pompeiorum; at post *XIV. annos, cùm esset in Hispaniâ, scripsit edictum Tarracone, misitque viginti viros probatæ vitæ, qui inciperent ab Occidente, & censerent vniuersos populos, & posteà deuenirent in Orientem. Publicatum est Ierosolymis illud edictum paulò priùs quàm Christus nasceretur. & isti viginti viri censuerunt Palæstinam, & totum Orientem. Hæc descriptio facta est sub Cyrino; quia pòst altera descriptio facta est.

202. Irene virgo detulit ex Hispaniâ Thessalonicam magnam multitudinem librorum sacrorum (fuit enim, vt creditur, Illiberitana) & abscondit anno CCC.IV. Thessalonicæ: passa est v. Aprilis.

In quadam Historiâ vetustissimâ de rebus Constantini reperi, 203.
Constantium Imperatorem, patrem Constantini (cui contigit Hispania regenda) filio iussisse, vt Hispanis faueret, & accerseret Hosium Cordubensem Episcopum, virum sanctissimum prudentissimumque, & à suo latere numquam discedere pateretur, & eius consiliis acquiesceret: quod per suam vitam Constantinus seruauit.

Vir doctissimus Flauianus, ad quem scripsit Symmachus, & cui 204.
inscripsit Festus Rufus Auienus librum de Stellis, floret sub Theodosio: ad quem misit Symmachus Gentilis Panegyricum, quem composuit in laudem Theodosij iunioris, habitum in Senatu.

204. Vir doctissimus Flauianus, &c.] *Paucis multa comprehendit Luitprandus. Primò, virum doctum fuisse Flauianum, & ad eum scripsisse Symmachum, floruisseq; sub Theodosio. Secundò, quòd huic miserit Symmachus Gentilis gentilem Panegyricum, in Theodosij laudem compositum, habitumq; in Senatu. Tertiò, quòd eidem Flauiano Auienus libellum suum de Stellis inscripserit.*

I. *Rufinus in Historiâ Ecclesiasticâ lib. 2. cap. 33. Flauianum, Præfectum appellat; agnoscitq; magnam illius in sapientiâ prærogatiuam, & in rebus politicis prudentiam. Conuenit cum Rufino Sozomenus, eadem ferè referens lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 22. Præfectum verò fuisse Prætorio indicat Symmachus lib. 2. Epist. 27. & 75. & Præfectum Prætorio Illyrici & Italiæ sub Gratiano, Valentiniano & Theodosio, inscriptio legis* VI. *de contrahendâ emptione, & legis* XXVI. *de pœnis in C. Theodosiano. Cumulat in id plura Franciscus Iuretus ad Symmachum in Notis Epistolæ B. Ambrosij Eugenio Imperatori missæ, pag. 333. extatq; integer liber secundus Epistolarum Symmachi ad Flauianum; & in Auctario alia; vti frequentes ad Theodosium: sub quo Symmachum, Flauianum & Auienum coæuos vixisse inde constat.*

II. *Theodosio Symmachus Panegyricum intimauit, vt Prosperi Aquitani verbis vtar, vbi aram exclamauit restituendam; & sic ait lib. de Promissionibus Dei parte* 3. Theodosij verò religiosi Principis imperio, per Iouium & Gaudentium Comites omnia templa expoliata, atque vana figmenta, quis nostrûm permittitur ignorare? cui Symmachus ille mirabili eloquio & scientiâ præditus, tamen Paganus [*dixit Luitprandus*, Gentilis Panegyricum] præconio laudum in Consistorio recitato [*dixit Luitprandus*, habitum in Senatu] subtili arte, quâ valuit, aram Victoriæ in Senatu restitui, Christiano, vt nouerat, Principi intimauit: quem statim à suis aspectibus pulsum, in centesimo lapide, rhedæ non stratæ impositum eâ die manere præcepit. *Huius Panegyrici defensionem composuit, vt testatur Epist.* 31. *lib.* 2. Non puto, *inquit*, bonis temporibus eam caussæ meæ conditionem futuram, quæ sub tyranno fuit: cuius litteris ad Marcellini suggestionem datis, homines meos scis esse multatos; quod in Panegyrici defensione non tacui.

III. *Denique Auienum Flauiano librum de Stellis dedicasse, nec abs re, neque à palato Flauiani alienum. Is namque siderum obseruator prædicere credebatur futura. Testis adest Sozomenus lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 22.* Putabat enim [*Eugenius*] se id quod conabatur, absque impedimento consecuturum, inductus quorumdam verbis, qui se futura prædicturos pollicebantur

tur ex victimarum immolatione, ex viscerum inspectione, ex obseruatione siderum. Harum rerum studiosi tunc erant, cùm alij multi apud Romanos in dignitate constituti viri; tum etiam Flauianus tunc temporis Hyparchus, vir eximius, & in rebus politicis prudens habitus; quique insuper ex omnis generis diuinationis scientiâ exactè præscire futura credebatur. *Et librum de Stellis, quem refert Luitprandus, Auienum Flauiano inscripsisse, esse Phænomena Arati, ab eodem in Latinum sermonem traducta, affirmare me posse certè scio. Aristoteles alijq; sæpè φαινόμενα stellas vocant. Innuit Cinna in suo splendidissimo Epigrammate de hisce Arati lucubrationibus:*

Hæc tibi Arateis multùm inuigilata lucernis
Carmina, quîs ignes nouimus æthereos.
Læuis in aridulo maluæ conscripta libello,
Persica conuexit munera nauicula.

Clarè Cicero lib. 1. de Oratore cap. 16. Constat inter doctos, hominem ignarum Astrologiæ, ornatissimis atque optimis versibus Aratum de Cælo Stellisque scripsisse.

205. Obiit Rufus Festus Auienus, vir Catholicus & Hispanus, ciuis Eborensis, in Hispaniæ Carpetaniâ, eodem & anno & die, quo sanctus Augustinus ascendit ad cælos in suâ ciuitate. Sepultus est præsente* Maioriano, Toletano Archiepiscopo, in æde S. Leucadiæ.

* Hesychio *fortè reponendum ex Iuliani Chronico n. 216.*

205. Obiit Rufus Festus Auienus, *&c.*] *Quis verò aut vnde fuerit Auienus, tentatum à plurimis, dubium multis. Hispanus quibusdam visus est, vt refert Crinitus de Poëtis Latinis lib. 5. cap. 80. & Gyraldus in eâdem Histor. dialogo 4. Ipse Auienus innuere videtur in libello de Oris maritimis, dum* suum *appellat* mare, *quo Hispana ora alluitur, versu* 83.

——Vt gurges hic nostri maris
Longè explicatur, est Atlanticus sinus,
Hîc Gadir vrbs est, dicta Tarteſſus priùs:
Hîc sunt columnæ pertinaces Herculis.

Et v. 180.

——Si quis ad nostrum mare,
Malacæque portum, semitam tetenderit.

Clariùs id asseuerat M. Maximus in Chronico ad annum Christi CCCC.LX. *quem sequuntur Vasæus in Chronico ad annum Christi* CCC.XV. *Morales lib.* 10. *cap.* 34. *& ex aliorum sententiâ in Scholiis ad D. Eulogij Vitam num.* 19. *Damianus à Goës in suâ Hispaniâ ad Petrum Nonnium, Matamoros lib. de Academiis, Mariana lib.* 4. *Histor. Hispan. cap.* 15. *quos refert P. R. Franciscus Biuarius in Commentariis ad M. Maximum, doctis sanè & laboriosis; ô vtinam in lucem quàm citiùs prodituris!*

Floruit ætate Theodosij Imperatoris, vt ex D. Hieronymo facilè colligitur, qui super Epistolam ad Titum cap. 1. *cùm Arati verba à B. Paulo vsurpata exponeret:* Hemistichium, *ait*, in Phænomenis Arati legitur, quem Cicero in Latinum sermonem transtulit, & Germanicus Cæsar, & nuper Auienus. *Vnde id constare affirmat Gyraldus, & Ioannes Vossius de Historicis Latinis lib.* 2. *cap.* 9. *Atque id adstrui potest ex Macrobio, qui vixit etiam Theodosij tempore: & in suorum Saturnalium lib.* 1. *cap.* 4. *& seqq. Dialogi interlocutorem Auienum inducit: præterquam quòd eidem Imperatori ipsiusmet Fabularum libellus extat dicatus. Quamuis Crinitus sibi argumenta non deesse crediderit, quibus Auienum ad Diocletiani Imperium referendum existimet. Præ ceteris audiendus est M. Maximus, locum & tempus, quibus floruerit, designans, dum inquit:* In regione Oppidanâ, & in Oretaniâ [*sic legit Carus*] Hispaniæ floruit olim sub Castino, Episcopo Toletano, Rufus Magnus Festus Auienus, qui scribit de Oris Hispanis, & Situ orbis, vario carminum genere. *Mendosè* Castino *legitur: is enim vsque ad annum Christi* CCCC.L. *Cathedram non ascendit, ipso Maximo teste. Confirmat idem iis verbis,* olim floruisse; *eius mentione factâ anno Christi* CCCC.LX. *Quo sanè loquendi modo, non significatur tantùm decem annorum spatium intercalare ab anno* CCCC.L. *vsque ad annum* CCCC.LX. *At* Maiorino *reponendum ducerem, ni annus apud Iuliani Chronicon reclamaret num.* 216. *vbi refert anno* CCCC.XXXVI. Maioranum, *seu* Maiorinum, *in Sede Toletanâ successisse Hesychio. Vnde pro* Castino *substituendum reor* Audentio, *aut* Gregorio, *Toletanis Pontificibus, qui Theodosio Magno coæni fuerunt.*

Sed iam non precariis documentis opus. Palàm facit omnia noster Luitprandus hîc, dum primò Hispanum agnoscit Auienum; *secundò, patrium indicat solum; proponit tertiò, religionem; assignat quartò, sepulturam; & tandem quintò, sub quo obierit Præsule: cuius in nomine anceps & dubius versor; nam pro* Maiorino *autumo ex eodem Iuliano num.* 216. *in Chronico exarandum* Hesychio. *Floruit* Audentio, *aut* Gregorio, *Pontificibus Toletanis; obiit verò,* Hesychio. *Et cùm D. Augustinum vitam duxisse suam constet anno Domini* CCCC.XX. *de quo anno mentionem fecit idem Augustinus in Epistolâ ad Hesychium; insuperq; appareat ex D. Prosperi Chronico, Honorio imperante obiisse anno salutis* CCCC.XXXIII. *satis comprobari videntur quæ de Auieni temporibus obseruauimus; Theodosij nimirum ætate vixisse, quâ etiam vixit D. Hieronymus, vt testatur de se in libro de Ecclesiasticis Scriptoribus ad finem. Et sibi similis Luitprandus, numero superiori hanc veritatem manifestam reddit, coævos enumerans Auienum & Flauianum. Vossius multus est in variâ Auieni nominis ratione, dum* Auienum, *&* Auianum, *aut* Abidnum, *recenset appellatum, sicuti Morales in Scholiis ad D. Eulogij Vitam num.* 19. *Vtcumque sit, Poëta fuit eruditus & elegans, vt Criniti verba vsurpem, magnâ doctrinâ ac multiplici scientiâ præditus.*

De Scriptis diximus suprà numero antecedenti. Addam alia. Seruius in Virg. Aeneid. lib. 1. *vers.* 388. Auienus, *dixit,* totum Liuium Iambis expressit. *Arati Opus ex Græco in Latinum transtulit summâ elegantiâ & proprietate; in quâ nec ipso Cicerone inferior, ab eruditissimo Dionysio Petauio Societ. Iesu in Systematis de Sphærâ variis dissertationibus, & à Iosepho Scaligero in Notis ad Manilij Astronomic. libros conspicuus redditur. Librum de Situ orbis terræ, imitatus Dionysium Græcum Poëtam, vt Crinitus docet, hexametro versu composuit; non verò, vt Gyraldus (alienæ laudis aliquando parcissimus) Dionysij versus ex Græcis Latinos fecit. Iisdem insistit vestigiis nuperrimus eius editor & tradu&or, nullâ tamen cum ratione. Quod profectò vtriusque opus inspicienti erit palàm, vt fuit nostro Bernardo Aldrete, qui in eleganti suo eruditoq; Tractatu* de Variis Hispaniæ Antiquitatibus *lib.* 1. *cap.* 23. *cùm Phœniciam delinearet, aduocatâ priùs Dionysij sententiâ, alteram Auieni subnectit, similemq; ex imitatione profitetur. Et idem lib.* 3. *cap.* 18. *& alibi sæpissimè, vbi discrimen inter vtrumque Poëtam & Poëma, minimus est labor agnoscere. Andreas Papius Gandensis in suâ Dionysij editione, quamuis Auienum numquam se vidisse fateatur, de hac Lectorem admonet veritate, sic:* Nec ab Auieno quidem, etsi numquam vidi, interpretationem mihi spondeo; sed paraphrasin potiùs. nam verisimile est, eum terræ descriptionem eadem ratione è Dionysio expressisse, quâ cæli ex Arato: *& intuenti facile est iudicare.*

De Oris *quoque* maritimis *libellum alterum Iambicis exarauit, intactum pen-*

ſum Latinis ingeniis, teſte Crinito; tantæq́ difficultatis, vt diu multumq́ ſibi elaborandum fuerit in eo abſoluendo.

Æſopicos prætereà Apologos Elegiaco carmine compoſuit, &, vt alij, Virgilianas etiam Fabulas Iambico complexus eſt. Aut alterum, aut vtrumque. Opus recenſet Aluarus Cordubenſis in Vitâ D. Eulogij, annuente Ambroſio de Morales num. 19. vbi Aluarus agit de Eulogij peregrinatione, his verbis: Necnon Auieni Fabulas metricas, & Hymnorum Catholicorum fulgida carmina, cum multis minutiſſimarum cauſſarum ex ſanctis quæſtionibus, multorum ingenio congregatis, non priuatim ſibi, ſed communiter ſtudioſiſſimis Inquiſitoribus reportauit.

Alia etiam Epigrammata ſcripſiſſe conſtat, quæ inueniuntur excuſa in Veter. Poëmat. lib. 4. quorum altero Sirenum allegoriam *eleganter proſequitur; altero* Malogranata *deſcribit, & ſibi mitti petit à Flauiano; & vltimo* de Vitâ ruſticâ monet amicos. *quod carmen inter Martialis Epigrammata lib. 4. num. 90. paſſim excuditur; ſed tamquam ſpurium, tantoq́ Poëtâ indignum in malas aues amandare iubet Scriuerius. alij viri docti id negarunt. Vtcumque ſit, omnes non ambigunt, nobili ingenioſoq́ viro Auieno adſcribi.*

Sunt qui putent, huius eſſe Epitomen rerum Romanarum, quæ multorum manibus teritur, Valentiniano Imperatori oblata. Fauet Volaterranus lib. 19. Anthropologiæ litterâ R. eos taxans, qui in titulo Sextum *pro* Feſto *malè ſcribunt. Non tamen eumdem eſſe Auctorem ac Auienum arbitror: alia enim mens, alius animus, alius genius Auieno, & alteri Rufo: qui etiam, ſi Philandro fides adhibenda eſt,* Deſcriptionem illam vrbis Romæ, *vſque adhuc Publij Victoris nomine circumlatam, delineaſſe fertur: ſuffragante itidem ad id Carolo Sigonio in iudicio de Hiſtoricis Latinis. Hæc ferè omnia ex Epiſtolâ Proſphoneticâ eruditiſſimi Don Petri Melian ad Feſti Rufi Auieni opera, quæ in dies edere cogitat.*

206. Quòd ſanctus ſenex Hoſius in pace & Eccleſiæ communione diſceſſerit, præter teſtimonium Athanaſij ſuperſtitis, docent verba teſtamenti eius, quo docet, in fide Concilij Nicæni ſe mori velle; & omnes hortatur, vt in illâ viuant, ac prorſus mori velint.

207. Moritur verò centenario XIIII. annis maior, iam decrepitus, & velut in ſenſu pueri, & imbecillitate virium defeſſus. Tantaq́ue potuit eſſe vis doloris in eâ ætate, & acerbitas cruciatuum, vt illi non reliquerint liberam facultatem.

208. Reperi in codice fide digno S. Felicem, cognomento Modicam, Hiſpali parentibus nobiliſſimis ortam, & iis orbatam, Romam ab auunculo ſuo, Romanæ Eccleſiæ Archidiacono, temporibus ſancti Vrbani, adductam. Quæ cùm nollet illuſtriſſimum ſponſum accipere, cauſsâ fidei & virginitatis tuendæ, mirâ conſtantiâ iugulum præbuit anno CC.XLVI. ætatis ſuæ XXVI. ſub iudice Diocletio, & Philippo Imperatore: cuius exemplo multi in fide roborati martyrium ſubierunt.

209. Carterius, qui interfuit Concilio Cæſarauguſtano, patruelis S. Gregorij, veniens in Hiſpaniam, factus eſt Epiſcopus Vxamenſis: vir pius & doctus.

210. Gregorius reuerſus Nazianzum, ſcripſit Audentio Toletano Ponti-

Pontifici, commendans ei patruelem ſuum venientem in Hiſpanias.

Prima hæreſis, quæ venit damnanda in Hiſpaniam, fuit Priſcillianiſtarum, quæ foris huc prorupit; damnata verò eſt in ſecretario S. Mariæ de Pilari Cæſarauguſtæ, quod S. Iacobus ædificauit; & non alibi decuit damnari. 211.

In * Caſtris Vinariis, in Bateſtaniâ, ſanctæ Nunilo & Alodia, anno DCCCC.XXXI. 212. * *Vide quæ notaui ad Chronicon num. 352.*

Chiſax ex filiis Vrſacij damnatur, vt exulet in Carpetaniæ oppido Eborâ, vel Aquis: ex reſcripto Gratiani prouocat ad Audentium Primatem & Metropolitanum, vt Epiſcopatui ſuo reſtitueretur: coacto Concilio Toleti, damnatur anno CCC.LXXXII. 213.

Sanctiſſimus vir Audentius, Epiſcopus Toletanus, ſcripſit contra Bonoſianos in defenſionem illibatæ Virginis Mariæ eleganter libros. 214.

Habita eſt Confeſſio * Dictini & aliorum, anno CCC.XCIV. in Concilio Toletano. 215. *al. Nicæna*

Sanctus vir Audentius Toletanus obiit III. Decembris Toleti, maior nonagenario, plenus dierum & ſanctiſſimorum operum; ſepultus eſt in æde ſuburbanâ S. Leucadiæ (vbi corpus eius iacebat) conditâ iuſſu Helenæ, III. die Decembris, cum magno mœrore egenorum, quia fuit illorum pater. 216.

Anno DCC.II. anno II. Regis Witizanis, precibus Reginæ, quæ ſanguine contingebat Siſebertum, ab exilio ille reuocatur: ab excommunicatione abſolutus, cuidam Epiſcopatui Hiſpaniarum præficitur. Euaſit verè pœnitens, & anno DCC.XV. I. Iunij moritur. Et dabatur ei Toletana Sedes; ſed humilitatis cauſsâ eam recuſauit. 217.

Cùm eſſem Toleti Subdiaconus, rem controuerti vidi: an Albam, an Caſulam B. Ildefonſo attulerit B. Virgo, an ornamentum Pontificale. quidam pauci poſtremum, multi Albam eſſe dicebant. Ego credo totum attuliſſe Pontificium ornamentum; ſed, quia ipſa cùm eum indueret, attrectauit manibus ſuis pallium, ſacratius fuit. 218.

Dixitque Miſſam die Sabbati (vt ſolebat) audiente B. Virgine, & cæleſti choro, qui Canticis ſuis eam adminiſtrauit die Sabbati, anno DC.LXV. Ob id vocatur *Capellanus B. Virginis*; & ob id, diuulgato per orbem miraculo, Rex Receſuinthus, & Vitalianus Pontifex, nomine ſuo & ſuorum ſucceſſorum, vouerunt ſe viſuros die Natiuitatis illius Eccleſiam, quam, propter aduentum B. Virginis, idem S. Ildefonſus libr. de Scriptoribus, in additione ad libr. Iſidori, vocat *terribilem.* 219.

Geneſius, primus Epiſcopus Aruernenſis, Ildefonſum ſynchronos admonuit per epiſtolas de hæreſi Iouiniani per quoſdam excita- 220.

citatâ Aruernis: qui dicebant, B. Virginem in partu corruptam manſiſſe, & hos tendere in Carpetaniam, vt vigentem in B. Virginem fidem ſuis falſiſſimis rationibus labefactarent, & omnino perderent.

221. Petrus, qui poſteà fuit Epiſcopus Aquileienſis, mittitur à Vitaliano Toletum, vt ſciret, verúmne eſſet miraculum de datâ cæleſti veſte D. Ildefonſo: qui fit etiam ſocius eiuſdem Eccleſiæ.

222. In Magnilucenſi Monaſterio, quod iſte Geneſius condidit, iuſſit ſeruari Epiſtolam ſuæ reſponſiuam, à B. Ildefonſo miſſam; vbi fortiter impugnat illam hæreſim Aruernorum.

223. In Dubienſi Monaſterio poſuit S. Ildefonſus ad villam Illeſcam imaginem B. Mariæ Virginis, quam habebat in ſuo Oratorio. Eborenſes, vel Talabricenſes, tempore Maurorum colebant iſtam imaginem.

223. *De* Dubienſi, *vel* Dibienſi *Monaſterio, &* Illiſcenſi *oppido, vide quæ notaui ad Iulianum in Chronico n.*330. *vbi in illis verbis*, qui anno DC.XXXVI. electus eſt Abbas, *lege ex Luitprando num.*97. qui anno DC.LVI. *vel* qui anno DC.LVII.

In ſuo Oratorio.] *Oratoria etiam dicebantur ædiculæ ſacræ domi, ſed foris publicæ. In primitiuæ Eccleſiæ temporibus templa ſumptuoſa minimè ædificabantur.* Non erant *(ait Eminentiſſimus Cardinalis Baronius Tom.*1. *anno* CC.XI. *fol.*298.) ingentes ædium moles & vaſtæ, ampliſſimæque publicorum ædificiorum ſtructuræ; ſed ædiculæ, ſeu Oratoria parua. *De hiſce ædiculis noſter Iulianus in Chronico num.* 477. *pag.* 88. Fuit, *inquit*, ibi ante martyrium S. Leucadiæ ædicula ſacra. *Plenâ eruditâque manu cumulat plura Doctor Auguſtinus de Morlanes in Allegatione pro Eccleſiâ S. Mariæ Maioris Cæſarauguſtanæ num.*45.46. *& ſeqq. Iulius Cæſar Bulengerus lib.*3. *de Templis cap.*32. *Addo ego Authenticam* Si quis, *C. ad leg. Iuliam, de adulteriis, his verbis:* Si tamen in ſacro Oratorio colloqui inueniantur, poſt tres, vt dictum eſt, denuntiationes, liceat marito vtraſque perſonas defenſori Eccleſiæ tradere, aut aliis Clericis, vt ad eorum periculum diuiſim iſti ſeruentur.

224. Oſius Epiſcopus Cordubenſis inuitauit ad Concilium Epiſcopos Orientales Cordubam, ad cauſſam S. Athanaſij examinandam. Conuenerunt omnes Hiſpani ad Concilium nationale: adfuit ipſe Athanaſius, & porrexit Synodo Confeſſionem ſuam, vt ſub Iulio Romæ fecerat, quæ incipit: *Quicumque ſaluus eſſe vult.* & ex eâ addidiſſe Patres dicitur in eo Concilio, Symbolo Nicæno in articulo Spiritus ſancti: *Qui à Patre Filioque procedit.* quod confirmauit ſanctus Damaſus pòſt. & ita in primo Toletano poſt annos XLVI. ab hoc Concilio inuenitur particula, quæ primùm in Hiſpaniâ addita eſt Symbolo Nicæno, & pòſt accepit Eccleſia Romana. Concilij huius meminit Oſius in Epiſtolâ ad Conſtantium Auguſtum.

225. *Videlicet anno Chriſti* CC.LXX. Calpurnius Præſes, ſub quo paſſa eſt ſancta Eulalia Emeritenſis, creditur fuiſſe Præfectus Romæ ſub Imperatore Claudio.

In

In faucibus ſaltus Fibularienſis eſt Fibularia, quam Mauri vocauerunt *Xergal*, Sedes Epiſcopalis. Sic in Concilio Illiberitano XIV. loco confirmat Ianuarius Epiſcopus Fibularienſis: ſic in quibuſdam codicibus. 226.

Cornutus Tertullus, Orator iuuenis, accuſauit S. Paulum Ieroſolymis; poſteà ſenex, collega fuit Plinij Iunioris in Conſulatu, cuius meminit lib. 5. Epiſtol. 227.

Valdè probabile eſt, inſpiraſſe Dominum S. Gregorio, vt oraret pro Traiano, vt ſaluaretur; quia edictum contra Chriſtianos hortatu Plinij Secundi Proconſulis in Bithyniâ mitigari iuſſit. 228.

Sunt qui putent, Amaonem, vel Ammonem, filium Rufi, diſcipulum ex LXXII. cui cum Cleophâ Chriſtus apparuit, dum irent duo in caſtellum Emaus, veniſſe in Hiſpaniam, & ibi, prædicato Euangelio, profectum in Soliam Cypri ciuitatem; prædicatoque ibi largiter Euangelio, paſſum IX. Februarij. 229.

Eubulus, cuius meminit Paulus ad Romanos cap. vlt. creditur fuiſſe Galilæus ex Naim ciuitate, filius viduæ quem Dominus ſuſcitauit, & ſecutus Chriſtum, eius diſcipulus fit: pòſt Romam venit cum Petro, & fuit vir inſignis, & à puero valdè virtuti deditus: miſſus eſt à S. Paulo Epiſcopus Pamphyliæ. Theodulus, qui prædicat Cæſareæ Palæſtinæ, cum aliis ſub Præfecto Firmiliano paſſus eſt XVI. Februarij. 230.

Credibile eſt, ſanctos ſeptem diſcipulos Iacobi præmonitos ab eo, veniſſe ad Bæticam. 231.

Sunt qui putent, S. Rufum ex LXXII. diſcipulis Domini, qui fuit Epiſcopus primò Thebanus, mox Dertoſanus, à S. Paulo, cùm venit in Hiſpaniam, ibi relictum Epiſcopum: cuius meminit S. Paulus ad Romanos, & S. Polycarpus Martyr: fuit paſſus cum aliis in Armeniâ die XIX. Aprilis. Sed meliùs puto ſentire eos, qui XVIII. Decembris cum Zozimo paſſum hunc putant; qui fuit Epiſcopus Thebanus & Dertoſanus. 232.

Paſſi ſunt X. mille crucifixi milites prope Alexandriam ad Tigrim, & Euleum amnem poſitum in monte, qui ramus eſt Candani. primò hic Caucaſus, vel Candanus, vel Ararath dictus eſt. crucifixi circa dicta flumina felicia. 233.

Alij dicunt, crucifixos ad montem Ararath, qui Latinè dicitur *Equinus*, pars montium Gordiænorum: in cuius cacumine, teſte Ioſepho, arca Noë requieuit, quem, vt partem Gordiænorum, fluuius Tigris irrigat, & mox in planitiem regionis Gordiænorum (quæ barbarè etiam dicitur *Ararath*) non longè III. M. P. præterit ciuitatem Characem, ab Alexandro dictam Alexandriam; & à dextrâ eius multis oſtiis in ſinum Perſicum ſpatioſiſſimus ingreditur. 234.

Nulli temporum Romanorum eſt ſepeliri vel vri in vrbe cor- 235.

pora mortuorum; sed sepeliebantur extrà. Sic Christiani sepelierunt sanctam Leucadiam in pomœrio, vel suburbio, quod tunc muro veteri longiùs distabat: separatim corpora Sanctorum & Pontificum, seorsim Christianorum. Dicebatur locus ille Sepultura Sanctorum.

236. *Macer Hierotheus Hispanus Empuritanus, olim sub Imperatore Tiberio Tarraconensis Gubernator, & inde perrexisse anno XLV. Cyprum; vbi Paulum audiens, conuersus est ad fidem, & eum secutus.

*aliàs Sacer Locus corruptus in Originali erat.

237. Tertius Fabius Terentius, amanuensis Pauli, de LXXII. discipulis, priùs Mediæ Episcopus, pòst Iconij passus est die XXI. Iunij, anno LXXXVIII.

238. Neruium oppidum prope Illiturgim Bateſtanorum, à Neruâ conditum, à Saracenis *Noepron* dicitur.

*al. Negron

239. S. Xistus (qui postmodum fuit Pontifex Maximus) habito Toleti Concilio interfuit vt Legatus Papæ; posteà venit Oscam, vnde tulit secum Laurentium, filium sanctorum Orentij & Patientiæ: per Hispanias reuersus Romam, fit Pontifex Maximus; & præscius martyrij S. Laurentij, iussit Diaconibus vt Orentium parentem admonerent, vt faceret templum S. Laurentio sacrum. quod & fecit: & pòst cum coniuge, quæ præcessit eum in martyrio, I. Maij sub Claudio patitur.

240. S. Fulgentius bis fuit Episcopus Carthaginensis, inde translatus Astigim, & postremò Carthaginem; vbi paucos annos, duos videlicet, vixit in hoc Episcopatu.

241. In codicibus correctioribus v. Concilium Toletanum habetur ærâ DC.LXXVI. anno primo Suinthilani.

242. Paula, de genere clarissimo Gotthorum, mater fuit Theodoræ, vel Theodosiæ Ceruelæ, coniugis Seueriani, parentum Leandri, Theodoræ, Florentinæ, Fulgentij & Isidori, qui hoc ordine nati sunt.

243. Seuerianus duxit vxorem Theodoram Ceruelam XIV. annorum: nascitur anno sequenti Leander, scilicet D.XLII. anno sequenti Theodora, vel Theodosia, vxor Leouigildi, mater Hermenegildi Martyris & Recaredi. Ærâ D.LXXXVIII. nascitur Florentina in in die S. Florentij Martyris: obiit sanctè anno DC.X. annorum LX.

244. Theodoricus Rex Ostrogotthorum venit in Hispaniam, & pro suo nepote Amalarico illam plures annos rexit, duxitque vxorem Toleti Santinam, de gente nobilissimâ Gotthorum; ex quâ tulit Seuerianum, Carthaginis Dominum.

245. Karadigna primùm in Hispaniâ Benedictinorum Cœnobium (vbi Santina, vxor Theodorici Regis iacet, & habet CC. Monachos Martyres) dicta fuit tempore Gotthorum & Romanorũ *Karadimas*.

S. Ca-

S. Carolus Magnus, licet in iuuentute fuerit (vt illa fert ætas) debilis, iam factus vir, euasit sanctissimus: in Galliâ & Germaniâ, ac Flandriâ, vt sancti Confessoris memoria colitur. Obiit Aquis-Graniis maior septuagenario, XXVIII. Ianuarij, anno DCCC.XIV. 246.

*al. Germaniis

Creditur esse S. Carolus Magnus post mortem cultus à Toletanis. 247.

S. Torquatus, S. Iacobi discipulus, pertransiit flumen profundum, rupto ponte; & celebratur XV. Maij. 248.

Creditur S. Montanum, cùm esset Archidiaconus Toletanus, in aduentu & receptione Theodorici Regis Ostrogotthorum non parum valuisse, vt esset pacificè receptus vt tutor Regis Amalarici nepotis eius. 249.

Cùm Theodoricus Rex Ostrogotthorum venit in Hispaniam, amiserat Andesledam, filiam Regis Clodouei, ex quâ Amalasuintham habuit. 250.

Hispani Cordubenses, Hispalenses, Illiberitani, Mentesani, Toletani, Complutenses, grauati seruitute Maurorum, & transgressi montes Pyrenæos, clementissimè excipiuntur ab Imperatore Ludouico Pio. 251.

Creditur Seuerianus missus in exilium tempore Agilanis, causâ fidei, quia Catholicus erat, cum filiis, Leandro, Theodosiâ, & Florentinâ, & vxore Theodorâ Ceruellâ. Fulgentius & Isidorus nati sunt Hispali. 252.

Flauius Marcus Ceruella, Dux Gotthicus, splendidissimo genere, duxit vxorem Paulam, feminam clarissimam: ex quibus nata est Flauia Theodora Ceruella, vxor Ducis Seueriani, femina Christianissima. Obiit VI. Maij. 253.

Restitit Seuerianus Aguilani, & obsessus in vrbe Carthagine Spartariâ (quam Gotthi penitus exciderunt) causâ fidei missus est Hispalim in exilium anno III. Aguilanis, cum coniuge & filiis; vbi mortuus est. 254.

Leander scribit ad sororem Florentinam, Monialem Benedictinam, librum de Virginitate, vel de Institutione virginum, & Contemptu mundi, cùm esset illa XIX. annorum, primo anno sui Pontificatus. 255.

Adhuc manserunt ædes Seueriani Carthagine, & res ampla. 256.

Leander impetrauit reuocationem ab exilio matri suæ, fratribus & sororibus ab Athanagildo. Theodora mater in exilio, laborum causâ est magis firmata in fide & in virtutibus, quæ noluit redire Carthaginem. 257.

S. Montanus scripsit ad Thuribium anno vltimo Theodorici, cùm adhuc esset in Hispaniâ, & Erga esset Toleti Gubernator. 258.

Pons Serratus fuit Toleti è regione S. Mariæ de Alficen, ad latus. 259.

260. Sanctina virgo Toletana, pòst vxor Theodorici, naſcitur Toleti anno CCCC.LXXX.

261. Ex Sanctinâ, vel Sanctiâ, Theodorici vxore, duos filios ſuſtulit; Theodoricum, qui iuuenis mortuus eſt, & iacet cum matre Reginâ Sanctiâ apud S. Petrum Karadinenſem, & *Eluerianum, qui fuit vxoratus.

*al. Seueria-num,

262. Moritur Sanctina VIII. Id. Maij: quo die Feſtum S. Michaëlis, & Concilij Toletani eſt.

263. S. M. Elpidius Iulianus, S. Iacobi diſcipulus, primus Epiſcopus, Toletanus fuit.

264. Mamas Confeſſor ex tractu Tudenſi creditur delatus Cyprum. Floruit hic ſub tempore Gotthorum anno D. vel circiter. obiit menſis Auguſti XXVI. eſt Confeſſor. Tempore Maurorum, relictis Reliquiis in Aſturiis, & per Hiſpanias, ad Cyprum delatus eſt à Chriſtianis.

265. Reperi in archiuis S. E. Emeritenſis codicem litteris Gotthicis exaratum; in quo dicebatur Complutum dictum à Mauris *Guadalfaxaram*, etiam dictum eſſe *Eplaceam*.

266. Reperi quoque in eodem codice Concilium Toletanum vniuerſale in hunc modum:

IN nomine Domini incipiunt geſta ſynodalia Concilij Generalis Toletani, acta in vrbe Regiâ, in æde ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Prætorienſi, anno III. *Regni glorioſiſſimi Principis VVambani, ſub die* XVII. *Kalend. Decembr. æræ* DCC.XIII. *pro terminis reſtituendis Eccleſiarum & Diœceſum Hiſpaniarum.*

Interfuit Rex glorioſiſſimus Concilio Generali, &, ſalutatis de more ſolito ſingulis Epiſcopis, dixit:

Sanctiſſimi Patres, video vos grauiſſimè contendere pro terminis veſtrarum Diœceſum, & inde grauiſſimas inter vos lites & contentiones exoriri, & quòd aliqui veſtrùm (ſicut accepi) aliorum Parochias inuaderent, & alienos terminos quolibet prætextu latenter adoriri. Quare dignum eſſe duxi Maieſtate culminis noſtri, vos ad concordiam reuocare. Placétne vobis ſanctiſſimi Pontifices? Reſponderent omnes: Placet, placet. Viuat multos annos Sereniſſimus & Glorioſiſſimus Rex, ac Dominus noſter Flauius VVamba. Tunc ille iuſſit priùs coram ſe Chronicas & Hiſtorias Regum priorum accuratè legi, vt faciliùs & æquiùs poſſet terminos *Parochiales diuidere, ſicut antiquitas denotaret, & exigeret Iuris cenſura, & propria iura Eccleſia quælibet poſſideret, ſicut ſubiecta denotat noſtra ſententia.*

*2 al. Parochiarum

Concedimus in primis & confirmamus, quòd, ſicut Gondericus, Genſericus, Hunericus, Guntamundus, Iſoris & Gumiel Reges VVandalorum ciuitatem Lucenſem in Aſturiis prope mare dotauerunt, teneat pacificè & quietè terminos, qui mox illi ſubſcribentur:

Totas

Totas Aſturias per Pyrenæos montes & per flumen magnum Ouem. & per totum littus maris Oceani vſque Viſcayam per ſummum Roſtrum, & per ſummum Cabrium, per portas de ſanctâ Agathâ, per Pozalem, per Limbum de filios, vnà cum Campo *Edolio Gordon, vſque ad illam arborem de Quadros, per riuulos de Humana, Lunam, Vanduliam vſque ad Pyrenæos montes, Cojancam villam, Quexidam, per Coniaquelam, Montoſam, vſque ad flumen Vrbetum in Gallæciâ, Suernam, Vallem longam, Veram, Flumoſam, totam Saniam, Panamum, vſque ad flumen Mineum, totam Lemos, Vrnyſo, Veraſmo, & Semmamorum, & Troiam, vſque ad flumen Silunij, totam Lumiam cum Eccleſiis de Petrayo, quæ ædificatæ ſunt vel fuerunt inter Arnoyum flumen & Silum, à termino montis Buron, & per aquam* *Zore, vſque in fundum Arnoyi, & per ipſum diſceſſum, vel diſcurſum, vſque in flumen Mineum, Lueza vſque Portelam de Veneti, & Eccleſias de Sallaz inter Arnoyum & Silum cum Eccleſiis de Baroſo, Caſtellam cum Saneam, Barnates, & Auion, Azman, Carabam, Amancam, ſicut dictam Eccleſiam Lucenſem dotauerunt Reges VVandalorum. Et reſponderunt Epiſcopi: Placet, placet nobis omnibus.*

*Erbolio

*al. Zoze,

Legio, quam condiderunt Romanæ legiones, quæ antiquitus Flos fuit vocata, & per Romanum Papam (ſcilicet Silueſtrum) gaudet perpetuâ libertate, & ab aliis Epiſcopalibus Sedibus eſt exempta, & extat Sedes Regia, atque alicui Metropoli numquam fuit ſubiecta vel ſubdita, teneat per ſuos terminos antiquos, ſicut eam dotauerunt Hermericus, Rechila, Receiarius, Maldra Frumarius, Remiſmundus, Theodomundus, Sueuorum Reges, & Theodomirus. Et reſponderunt omnes Pontifices vnanimiter: Placet, placet nobis.

Legio teneat per Pyrenæos montes, & per Pennam Rubeam vnà cum mediâ Leuacâ, Ceruera, Petras nigras, Annion vſque ad flumen Carrionem per villam Sernam, & riuulum Siccum, vſque ad villam Ardegam per Ceruinos vſque in caſtrum Pepi, per villam Manam, vſque in arborem Quadros, ſuper fines Serræ Gallæciæ, tria caſtella Turtures, Datineus, Caſtelletum & Nauiam.

Legio ciuitas Sacerdotalis & Regia, & Lucus, quam VVandali reædificauerunt in Aſturiis, teneat per ſuos terminos antiquos, ſicut eis diuiſit Rex Theodomirus. hæ nulli ſubdantur Archiepiſcopo, vel Primati. Reſponderunt omnes: Placet, placet nobis omnibus.

Sedes etiam Portucaliæ permanet in ſuâ diuiſione, ſicut eis diuiſit Rex Theodomirus, cum iis etiam quæ nos adiecimus.

Brachara metropolis teneat Centum cellas Gentis, Millia, Layneto, Gilioles, Adonyſte, Aportis, Aylo, Centen, Donis, Iambis, Ciliſto, Letania, Ceresis, Petroneyo, Equiſis, ad Saltum: item pagi, Panoleta, Bregantia, Aſtiatigo, Tarego, Aunego, Metrobio, Betiſe, Palam, Tuſico, Celo, & Sene-

quiemo; ſub vno Sedes XXX.

Ad Sedem Dumiensem familia Regia.

Egitaniensis teneat totam Egitaniam, Menecapio & Foraneos.

Portugalensis teneat in Castro nouo Ecclesias, quæ in vicino sunt, scilicet Villa noua, Betaonia, Vesea, Menturio, Torebra, Bramoste, Pengoaste, Lumbo, Nestis, Neapali, Curmano, Magneto, Leporeto, Melga, Tangobira, Villagomedi Tanerater; item pagi, Lambiencio, Alcobreo, Valericia, Turlango, Ceris, & Mendiolis, & Palencia; sub vnâ viginti quinque Sedes.

Lamecum teneat ipsum Lamegum, Luencia, Aranor, Crasubriana, ... sub vno sex Sedes.

Conimbricensis Sedes teneat ipsam Conimbriam, Eminio, Selio, Brine, Insulâ, Astrucione, & Portogalliæ Castellum antiquum; sub vno duæ.

Vesensis teneat ipsum Veseo, Rodomiro, Submontia, Suberbeno, Osanca, Obelione, Tutella, Goleia, & Cabrabia, quæ apud Gotthos postea Sedes fuit; sub vno septem dantur Sedes.

Vriensis teneat ipsam Vriam, Deisum, vsque Cussancaro, & de Caldas de Rego vsque in oram maris Oceani protendatur.

Lucensis teneat ipsam ciuitatem cum adiacentibus suis, cum Cantoquia, Somos, Carabarcos, Montenegro, Parraga, Latra, Azumara, Sigros, Triauada, Pagento, Saluaterra, Monterroso, Doira vel Coyra, Deza, Colea; sub vnâ Sede XVI.

Auriensis teneat Vesugio, Ruuale, Teporos, Sedisos, Prucia, Cisauio, Verenganos, Sanabria & Calabazas maiores; sub vno decem.

Astoricensis teneat ipsam Astoricam, Legionem, Superurbico, Berisо, Petrasperanti, Autoribis, Caldelas, Morillos superiorem & inferiorem, Sonure, Trogelos, & Pericos; sub vno vndecim Sedes.

Britonensis teneat Ecclesias, quæ in vicinio sunt, Torelo, Toreberæ inter Britones vnà cum Monasterio Maximi vsque in fluminem Oue.

Tudensis teneat ipsam Tudem cum Ecclesiis, quæ in vicino sunt, Torelo, Torobera, Ludo Patre, Agnoue, Sagria, Erbilio, Orunia & Cartasse; sub vnâ Sede quindecim numerantur Sedes.

Toleto Metropoli subiaceant sequentes omnino Sedes. Oretum, hæc teneat de Gallâ vsque Eugam, vel Cecilam, & de Petrâ vsque Campaniam. Menteſa, hæc teneat de Euga, vel Cecila vsque Securam, Delila vsque Polixena. Acci, hæc teneat de Securâ vsque Montaneam, & de Architel vsque Caraual. Basti, hæc teneat de Egestâ vsque Montaneam, & de Rauci vsque Susitam. Vrgi, hæc teneat de Egestâ vsque Carthaginem, & de Bigastri, vsque Mundam. Bigastrum, hæc teneat de Pugilla vsque Nisdomiam, de Serta vsque in Lisbam. Illici, hæc teneat per terminos de Bigastri, Setuli, & Denia. Setalis, hæc teneat de Custo vsque Moletam, de Togola vsque ad Nitriam. Denia, hæc teneat de Sosa vsque in Turam de Silua, vsque Gil. Valentia, hæc teneat de Silua vsque Musuetum, de mari vsque Alpout. Valena, hæc teneat de Alpout vsque Tarrabilam, de Stazerola vsque Nenar. Secobrica, hæc teneat de Alcout vsque

* In diuisione Theodomiri sic: *Ad Dumium familia seruorum*; quam hîc vocat *Regiam*, intelligit de Monachis, qui Deo seruiunt; cui seruire, regnare est.

vsque Obiam, de Mora vsque Lustriania. Complutum, hæc teneat de Alcout vsque ad Costem, de Gusia vsque Costeam. Segontia, hæc teneat de Coste vsque Fuscam, de Godol vsque Pinam. Oxoma, hæc teneat de Fusca vsque Arlanzon, quomodo currit in camino S. Petri, qui vadit ad S. Iacobum; de Garise vsque Ermitas termini eius protendantur. Secobia, hæc teneat de Almet vsque Mimbillum, & de Martel vsque Vaso dicto. Palentia, hæc teneat de Mimbillum vsque Caltam, de Lulbonar vsque Tortosam.

TARRACONENSI *Metropoli subiaceant hæ Sedes:*

Barcinona, hæc teneat de Mina vsque Pugellam, & de Vsa vsque Bordel. Egari, hæc teneat de Bordel vsque Paladera, & de Montosa vsque Portellam. Gerunda, hæc teneat de Pilida vsque Iuxta-mare, & de Alosa vsque Pinas. Eupiriæ, hæ teneant de Iuxta-mare vsque Bergam, de Mentosa vsque Siluam. Arisona, hæc teneat de Berga vsque Auritam, & de Pursa vsque Mentiam. Vrgela, hæc teneat de Aurita vsque Naionam, & de Murela vsque Valam. Lerita, hæc teneat de Naiona vsque ad fontem Sallam, de Lora vsque Matam. Ictosa, hæc teneat de Fonte Salla vsque Porsellam, de Morale vsque Tormelam. Tortosa, hæc teneat de Porsella vsque Deniam, de Tormoga vsque Catenam. Cæsaraugusta, hæc teneat de Mooua, vel Denia, vsque Splanam, & de Olibia monte vsque Gordon sint termini Sedis Cæsaraugustanæ. Osca, hæc teneat de Splana vsque Cobello, & de Speslem vsque Riberam. Pampilona, hæc teneat de Cobello vsque Mustellam, & de Sparga vsque Ostural. Califorra, hæc teneat de Nampia vsque Spargam, de Mustela vsque Loealem. San-Tyrasona, hæc teneat de Sparga vsque Plitenam, & de Alto monte vsque Mille. Areca, hæc teneat de Planta vsque Amasam, de Pede inferno vsque Pedem Moram. Insulæ Baleares, Maioricam, Minoricam, Formenteram, Useticam.

SPALENSI *Metropolitanæ subiaceant hæ Sedes:*

Italica, hæc teneat de Ulea vsque Busam, de Asa vsque Lancolam. Asidonia, hæc teneat de Busa vsque ad Senam, de Lotesa vsque Viam latam. Elipla, hæc teneat de Sena vsque Datam, de Alisa vsque Cortesam. Malica, hæc teneat de Data vsque Malexcam, de Temia vsque Sedes Campi. Eliberis, hæc teneat de Malica vsque Sotelam, de Almica vsque Sedes. Astiges, hæc teneat de Sotella vsque Parietem, de Luca vsque Raucam. Corduba, hæc teneat de Pariete vsque Vbetam, de Gala vsque Ranam. Egabio, hæc teneat de Vbeta vsque Malamsayam, de Gasta vsque Fuentam. Tucci, hæc teneat de Malasaya vsque Balijar, de Guegara vsque Celonus: credo Azlonam pro Castulone.

BRACCHARAE *Metropolitanæ subiaceant hæ Sedes:*

Dumio, hæc teneat de Duma vsque Albram, de Reantear vsque Aclasam. Pertucale, hæc teneat de Elbora vsque Losolam, de Olmos vsque Solam. Portucale, hæc teneat de Losola vsque Bigoniam, de Monte albo vsque Fetonsam. Auria, hæc teneat de Cusanca vsque Siluam, de Veregini vsque Celebacismi. Iria, hæc teneat de Iso vsque Cusacam, de Caldar de Rege vsque

in

in Oram. Luco, hæc teneat de Laguna vsque Bussam, de Monte Soto vsque Quintanam. Britonia, de Bassa vsque Torrentes, de Oetoba vsque Totellam, & vsque Ouem. Astorica, hæc teneat per oram Vallis Corcer, & per fluuios, seu maria scilicet, & Orbigo, & Berrio, & Tauara, extendatur.

EMERITAE Metropoli subiaceant istæ Sedes:

Pare, hæc teneat de Baligur vsque Crocam, de Monte de Olla vsque Miratal. Olisibona, hæc teneat de Darca vsque Ambram, de Olla vsque Maram. Elbora, hæc teneat de Sotobra vsque Petram, de Rucella vsque Turrem Egiditaniam, de Sabra vsque Nauam, de Sena vsque Murielam.
*al. Ipsa Exoniba, hæc teneat de Ambra vsque Salam, de * Rosa vsque Turrem. Conimbria, hæc teneat de Naua vsque Bergam, de Torrente vsque Loram. Veseum, hæc teneat de Berga vsque Sortam, de Boncla vsque Ventosam. Biglimicum, hæc teneat de Sorta vsque Petram, de Sara vsque Ortosam. Cabrabria, hæc teneat de Sorta vsque Albeniam, de Soto vsque Faram. Salmantica, hæc teneat de Allenia vsque Sotobram, de Rusa vsque Siberum. Numantia, hæc teneat de Penagodisse vsque ad Tormem super illos balneos de Valle de Rege vsque ad Dorium, & de Villa Valle vsque ad Otero de Fumus secus riuulum Siccum vsque Borito, de Tauara verò vsque ad Dorium. Abula, hæc teneat de Petra vsque ad Viallam, de Vriosto vsque Torrero. Cauria, hæc teneat de Villa vsque Tagum, aliàs Dorium.

NARBONAE Metropolitanæ hæ Sedes subiaceant:

Isetenis, hæc teneat de Stalus vsque Barunona, de Macu vsque Rib. Fora. Agatha, hæc teneat de Nusa vsque Riberam, de Galia vsque Mirlam. Magalona, hæc teneat de Nusa vsque Ribogar, & de Castello Millia vsque Angoram. Nemauso, hæc teneat de Gusa vsque Angoram, de Castello vsque Samuram. Luteba, hæc teneat de Samba vsque Rebubal, de Anges vsque montem Rufum. Carcasona, hæc teneat de monte Rufo vsque Angerum, de Angosta vsque Monsam. Elna, hæc teneat de Strage vsque Rosilonam, de Literosa vsque Lanusam.

Hæ sint Sedes harum duarum Hispaniarum octoginta sub dominio Gothorum, tam Archiepiscopales quàm Episcopales, per quas omnibus Hispanis ministratur verbum Dei, quæ à Romano Pontifice & accipient, & accipiunt semper in his Prouinciis communionem Catholicæ veritatis, vt secundùm traditionem & doctrinam sanctorum Patrum animas nobis commissas possimus gubernare. Addit Rex: Hæc igitur nostra institutio, quæ assensu omnium Archiepiscoporum & Episcoporum dictarum Sedium auctore Deo facta est, firma permaneat in æternum; & mando, vt legatur. & lecta est per Petrum Archidiaconum Toletanum, coram Domino Quirico Toletano Archiepiscopo, Primatiæ dignitate & fide Catholicâ insistente, & ceteris Archiepiscopis, qui mox subscripserunt, & Episcopis. Dicant omnes: PLACET, PLACET, Vita, & æterna gloria Catholico, pientissimo, & glorioſissimo Principi Domino nostro Flauio VVambæ.

CA-

CANON I.

Præterea placet nobis in vnum collectis, vt omnes Clerici deinceps viuant secundùm Regulam sanctissimi Patris nostri Isidori Episcopi Hispalensis, prout continetur in ipsius libro de Honestate Clericorum.

CANON II.

Et quicumque Archiepiscopus, Episcopus, Abbas claustralis, vel sæcularis, qui pro dignitate aut ordine aut aliquo Ecclesiastico beneficio amplius Regi minam dederit, siue alicui aliæ personæ, ille excommunicatione perpetui anathematis innodetur.

Quibus peractis, omnes Deo rerum omnium & bonorum auctori primùm gratias immortales persoluimus, deinde glorioso Regi nostro longissimam vitam, & post hoc sæculum in cælesti Regno beatitudinem æternam deprecamur: qui tantæ pietatis studio contentiones nostras diremit, & nos æterno indissolubili fœdere copulauit. Finis Concilij.

In sequentem annum Concilium hîc indicimus.

SVBSCRIPTIO PATRVM.

1. Quiricus S. Ecclesiæ Toletanæ Metropolitanus has diuisiones, & constitutos terminos per Regem nostrum, approbat & confirmat.
2. Fugitiuus S. Ecclesiæ Spalensis Metropolitanus has diuisiones Sedium, & constitutos terminos per Regem nostrum, approbat & confirmat.
3. Proficuus, S. Emeritensis Ecclesiæ Metropolitanus, approbat & confirmat.
4. *Leodagisius, S.E. Braccharensis Metropolitanus, confirmat & approbat. *al. Leodusius,
5. Sumifredus, S.E. Narbonensis Metropolitanus, confirmat & approbat.
6. Vera, S.E. Tarraconensis Metropolitanus Episcopus, confirmat & approbat.
7. Athanasius, Setabitanæ Ecclesiæ Episcopus, approbat & confirmat.
8. Ego Genesius, in Christi nomine, Ecclesiæ Tudesensis Episcopus, approbo & confirmo.
9. Ego Argimensus, in Christi nomine, Ecclesiæ Oretanæ Episcopus, approbo & confirmo.
10. Ego Fraoricus, Deo iuuante, Portucalensis Episcopus, approbo & confirmo.
11. Ego Ioannes, in Christi nomine, Ecclesiæ Bigastrensis Episcopus, approbo & confirmo.
12. Ego Selua, in Christi nomine, Igeditanæ Ecclesiæ Episcopus, approbo & confirmo.
13. Ego Godiscalus, in Christi nomine, Oxomensis Ecclesiæ Episcopus, approbo & confirmo.
14. Ego Adeodatus, Pacensis Ecclesiæ Episcopus, in Dei nomine, approbo & confirmo.
15. Ego Bela, in Christi nomine, Britaniensis Episcopus, approbo & confirmo.
16. Ego Leander, in Christi nomine, Illicitanæ & Elotanæ Ecclesiæ Episcopus, approbo & confirmo.

17. *Ego Aſchalius, in Chriſti nomine, S.E. Abilenſis Epiſcopus, approbo & confirmo.*
18. *Ego Felix, Dianienſis Eccleſiæ, in Chriſti nomine, Epiſcopus, approbo & confirmo.*
19. *Ego Iſidorus, Aſturicenſis Eccleſiæ Epiſcopus, in Chriſti nomine, approbo & confirmo.*
20. *Ego Theodoricus, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Olyſiponenſis Epiſcopus, approbo & confirmo.*
21. *Ego Alarius, in Chriſti nomine, Auriſinæ Eccleſiæ Epiſcopus, approbo & confirmo.*
22. *Ego Suntherius, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Valentinæ Epiſcopus, approbo & confirmo.*
23. *Ego Theodiſclus, in Chriſti nomine, S.E. Lamacenſis Epiſcopus, approbo & confirmo.*
24. *Ego Balmatius, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Urſitanæ Epiſcopus, approbo & confirmo.*
25. *Ego Riccila, in Chriſti nomine, Accitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, approbo & confirmo.*
26. *Ego Iuſtus, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Salmanticenſis Epiſcopus, approbo & confirmo.*
27. *Ego Reſtogenes, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Lucenſis Epiſcopus, approbo & confirmo.*
28. *Ego Rogatus, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Beatienſis Epiſcopus, approbo & confirmo.*
29. *Ego Etherius, Deo iuuante, Baſtitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, approbo & confirmo.*
30. *Ego Idulfus, cognomine Felix, in Chriſti nomine, Irienſis Eccleſiæ Epiſcopus, approbo & confirmo.*
31. *Ego Concordius, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Palentinæ Epiſcopus, approbo & confirmo.*
32. *Ego Aciſclus, S.E. Complutenſis, Deo iuuante, Epiſcopus, approbo & confirmo.*
33. *Ego Cartaber, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Conimbricenſis Epiſcopus, approbo & confirmo.*
34. *Ego Memorius, S. E. Segobricenſis, in Chriſti nomine, Epiſcopus, approbo & confirmo.*
35. *Ego Donatus, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Caurienſis Epiſcopus, approbo & confirmo.*
36. *Ego Egica, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Seguntienſis Epiſcopus, approbo & confirmo.*
37. *Ego Exarnius, in Chriſti nomine, *Oxonolenſis Eccleſiæ Epiſcopus, approbo & confirmo.*

*us corrige in Oli.

38. *Petrus, in Dei nomine, Eccleſiæ Elborenſis Epiſc. approbo & confirmo.*
39. *Gau-*

39. *Gaudentius, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Valerienſis Epiſcopus, approbo & confirmo.*
40. *Ego Albanus, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Caliabricenſis Epiſcopus, approbo & confirmo.*
41. *Sinduitus, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Segobienſis Epiſcopus, approbo & confirmo.*
42. **Mumulus, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Arcauicenſis Epiſcopus, approbo & confirmo.*

*al. Nunnulus,

43. *Spera in Deo, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Italicenſis Epiſcopus, approbo & confirmo.*
44. *Ego Geta, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Eleplenſis Epiſcopus, approbo & confirmo.*
45. *Ego Argibudo, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Eliberitanæ Epiſcopus, approbo & confirmo.*
46. *Ego Samuel, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Malacitanæ Epiſcopus, approbo & confirmo.*
47. *Ego Theudericus, in Chriſti nomine, Aſſindonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, approbo & confirmo.*
48. *Ego Stercorius, in Chriſti nomine, Aucenſis Eccleſiæ Epiſcopus, approbo & confirmo.*
49. *Ego Creſutarius, Biterienſis Eccleſiæ Epiſcopus, in Chriſti nomine, approbo & confirmo.*
50. *Ego Cæcilius, in Chriſti nomine, Dertoſanæ Eccleſiæ Epiſcopus, approbo & confirmo.*
51. *Ego Vincentius, in Chriſti nomine, Magalenſis Eccleſiæ Epiſcopus, approbo & confirmo.*
52. *Gratius ego, in Chriſti nomine, Egorbienſis Eccleſiæ Epiſcopus, approbo & confirmo.*
53. *Idalius, in Chriſti nomine, S. Eccleſiæ Barcinonenſis Epiſcopus, approbo & confirmo.*
54. *Ego Anſemidus, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Lotobenſis Epiſcopus, approbo & confirmo.*
55. *Valderedus, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ Epiſcopus, approbo & confirmo.*
56. *Ego Clarus, in Chriſti nomine, Elenenſis Eccleſiæ Epiſcopus, approbo & confirmo.*
57. *Ego Ioannes, in Chriſti nomine, Egarenſis Eccleſiæ Epiſcopus, approbo & confirmo.*
58. *Ego Stephanus, in Chriſti nomine, Epiſcopus Carcaſonenſis Eccleſiæ, approbo & confirmo.*
59. *Ego Euphraſius, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Calagurritanæ Epiſcopus, approbo & confirmo.*
60. *Primus ego, in Chriſti nomine, Eccleſiæ Agathenſis Epiſcopus, approbo & confirmo.*

61. *Ati-*

61. *Atilinus ego, in Christi nomine, Ecclesiæ Pamplonensis Episcopus, approbo & confirmo.*

62. *Gadisoldus ego, in Christi nomine, Ecclesiæ Oscensis Episcopus, approbo & confirmo.*

63. *Ego Postulanus, in Christi nomine, Ecclesiæ Vticensis Hispanæ Episcopus, approbo & confirmo.*

Hic iterùm n. 25. positus est. 64. *Riccilanus ego, in Christi nomine, Episcopus Ecclesiæ Accitanæ, approbo & confirmo.*

65. *Ego Leubericus, in Christi nomine, Ecclesiæ Virgelitanensis Episcopus, approbo & confirmo.*

66. *Ego Gondelinus Ecclesiæ Empuritanæ Episcopus, in Christi nomine, approbo & confirmo.*

67. *Ego Austerius, in Christi nomine, Episcopus Ecclesiæ Tirasonensis, approbo & confirmo.*

Hic quoque positus est num. 46. 68. *Ego Samuel, in Christi nomine, Ecclesiæ Malacitanæ Episcopus, approbo & confirmo.*

69. *VVisefredus ego, in Christi nomine, S. E. Ausonensis, Episcopus, approbo & confirmo.*

*al. Regnicus, 70. *Ego *Reynicus, Episcopus Ecclesiæ Auscensis, in Christi nomine, approbo & confirmo.*

71. *Ego Verecinus, in Christi nomine, Veracensis Ecclesiæ Episcopus, approbo & confirmo.*

72. *Ego Basilius, in Christi nomine, S. Ecclesiæ Bastitanæ Episcopus, approbo & confirmo.*

73. *Sabricus ego, in Christi nomine, Gerundensis Ecclesiæ Episcopus, approbo & confirmo.*

74. *Florus, Episcopus, in Christi nomine, Ecclesiæ Mentesanæ, approbo & confirmo.*

75. *Nasibardus ego, in Christi nomine, Ecclesiæ Astagitanensis Episcopus, approbo & confirmo.*

IV. *Vicarij* IV. *reliquorum Episcoporum,* XII. *Abbates,* XX. *Palatini interfuerunt huic Concilio generali totius Hispaniæ, & Galliæ Narbonensis, Vicarij Lucensis, Epagiensis, Castulonensis, Cursicanensis. Acta sunt hîc Toleti in Concilio generali, omnibus qui adfuerunt* LXXV. *Episcopis, &* IV. *Episcoporum Vicariis,* XII. *Abbatibus,* XX. *Palatinis, omnibus vnâ voce dicentibus:* PLACET, PLACET. *præsentibus ac subscribentibus, Inuicto ac Serenissimo Rege VVambâ, & Quirico Archiepiscopo Toletano, Hispaniarum Primate, ceterisque* V. *Archiepiscopis, cum suis Suffraganeis Diœcesum prædictarum, partim in Ecclesiâ Prætorienſi SS. Petri & Pauli inceptâ Synodo, absolutâ verò in Ecclesiâ S. Leucadiæ virginis & Martyris, Toletanæ ciuis &* * *vernulæ Patronæ, in eius Prætorienſi templo, erâ* DCC.XIII. *Per manus verò scripta fuit Synodus Petri Archidiaconi de dictâ S. Leucadiâ Collegiatâ.*

* Vide quæ notaui ad num. 128. in Chronico.

Vixit

Vixit autem prædictus Rex Wamba annos v. ad annum æræ DCC.XVIII. & mortuus est, postquam degit aliquot annos sanctissimè in Monachatu Ordinis sanctissimi Benedicti Patris, ad quem sese receperat. Inde omnia, vel multa translata sunt in Itatium codicem Ouetensem. 267.

Magni facienda est hæc Synodus, ad quam fuit maximus concursus Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum & Palatinorum, præsente Rege Wambane. Nec potuit non diu continuari, dum vnaquæque Ecclesia ostendit fines sui Pontificij; & causſas querelarum audit ipse Rex. Ob id in duabus Ecclesiis & templis suburbanis acta est Synodus: in altero incepta; in altero finita. 268.

Concilio III. Toletano interfuerunt LXVIII. Episcopi; IV. verò Toletano LXIX. cum Vicariis: VII. Episcopi plùs, & IV. Vicarij interfuerunt isti Concilio, vbi Sedes reparatæ sunt & restitutæ. Nec aliter fieri potuit, quin Rex designaret aliquot Iudices singularum Metropolum, qui res compositas ab ipsis ad ipsum deferrent; atq; ita posset sententia Regis ex omnium consensu & palàm proferri, & ab omnibus approbari, vt patet ex frequenti repetitione singulorum acclamantium, ac identidem cum lætitiâ dicentium, PLACET, PLACET. 269.

In hac diuisione non ponuntur termini Metropolitanarum Ecclesiarum, eâ de causſâ, quia iurisdictio Metropolitana non solùm sese diffundebat in suam Diœcesim, sed in omnes sibi subiectas; vt calor cordis cunctis membris communis est. 270.

In vetusto codice litteris Gotthicis scripto memini me legisse in Germaniâ, in Vitâ, quam Cixila Toletanus Archiepiscopus scripsit, B. Ildefonsi etiam Toletani Pontificis: *Leucadia dixit:* ILDEFONSE, PER TE VIVIT DOMINA MEA. quæ lectio plùs arridet, quàm alia, quæ habet: *Dixit Ildefonsus:* PER VITAM ILDEFONSI VIVIT DOMINA MEA. 271.

Aiunt, aquilas regias à polo in polum volitasse, & ob id dicuntur Apostoli *Aquilæ*, quòd totum orbem peragrarint, iuxta illud Ecclesiast. *Via aquilæ in cælo.* Dicuntque Iouem duas aquilas misisse, alteram ab Ortu, alteram ab Occasu; easque demum Delphos, vrbem Græciæ, quæ dicitur Orbis ὀμφαλὸς, hoc est, *vmbilicus*, conuenisse. 272.

Illiturgi, ciuitas est in Bateſtanis, itinere quinque dierum distans à Carthagine Spartariâ. Cuius Liuius meminit, hancque Scipio demolitus est. Hîc creditur prædicasse S. Euphrasium, Episcopumque fuisse Illiturgitanum. 273.

In scopulo alto arx est dicta Tauia, à Græcis *Ancyra*, profectis à quadâ vrbe sic dictâ, cuius meminit ter Antoninus Pius in Itinerario. 274.

S. Ildefonsus ordinatus est Lector, Ostiarius, Exorcista, Subdiaconus & Leuita, à S. Helladio in æde *Prætorienſi S. Leucadiæ, postquam inuiserat Agalienſe Monasterium: vnde secum duxit S. Ilde- 275.

* *Lege Breuiarium Bracarense.*

fonsum. *A Iusto in fine vitæ, scilicet anno DC.XXXVI. sicut in fine vitæ S. Helladij, Leuita, anno DC.XXXIII. consecratus est Abbas Benedictinus à S. Eugenio.

*Forte legendum: A Iusto in fine vitæ, scilicet anno DC.XXXIII. Subdiacon°; sicut in fine vitæ S. Helladij, Leuita, A.DC.XXXVI.

Anno III. Aurasij Toletani Archiepiscopi, scilicet ærâ DC.XLIV. natus est in æde paternâ S. Ildefonsus, pòst Toletanus Pontifex.

276. In pluribus codicibus Liuianis III. Decad. lib. VIII. legitur *Ilitur-*
277. *gis*, simplici *l.* & ita legendum est, ad differentiam alterius Bæticæ, quæ scribitur duplici. Apud Eulogium simplici scribitur.

278. Probabiliter sentiunt, qui putant Flauiobrigam esse ciuitatem, quam Mauri *Orduniam* vocauerunt, caput Amanium populorum; qui pars sunt Autrigonorum populorum.

279. Vxama, Segisamunclum, Virbesca, Antecuia, Deobriga, Vindelia, Salionca, Tritium (aliud à Tricio Metello) Vindelegra, parebant Coloniæ Flauiobrigæ, quæ caput harum erat; & iurisdicundi caussâ eò petebant.

280. Pugnatum est à Romanis ad Belgidam, vel Velliam, vel Velligam, vel Vellicam, in Cantabris, vt refert L. Florus: hæc est modò *Spinosa* à Mauris dicta, vt *Araquellos*, vel *Racim*, vel *Arandillos*, non procul à fontibus Iberi. Est autem Segisamona populus * Turmodigorum (vocant Saraceni *Osornum*) non procul à Segisamona eorumdem * Turmodigorum, quos vocat Florus *Curgonios*.

*al. Curmodigorum

*al. Curmodigorum,

281. Ætate meâ repertum est Cordubæ corpus S. Lauræ Martyris, ante XC. & ampliùs annos à Saracenis occisæ. Hæc erat de nobilissimo genere Muzarabum Cordubensium, & cum S. Aureâ Cuteclarensi Abbatissâ speciali necessitudinis vinculo coniuncta. A parentibus in matrimonium nobili viro data, duas suscepit filias; cum quibus post VI. annos eo viduata, ad Monasterium S. Aureæ se recepit: sed Aureâ paulò pòst, anno videlicet DCCC.LVI. martyriali sanguine laureatâ, Laura in eius locum assumpta IX. annos Monasterium gubernauit: quo tempore miros virtutum omnium fecit progressus, orationi & corporis macerationi semper intenta. Tandem ad Iudicem Saracenorum, famâ peruulgante, delata, cùm in fidei confessione constantissimè permaneret, verberibus crudeliter cæsa, in balneo feruentis picis immissa, tres horas in diuinis laudibus, diuino munere, complens, euolauit in cælum, die XIX. Octobr. anno Domini DCCC.LXIV. cuius quidem S. Eulogius non meminit; quia ipse anno DCCC.LIX. martyrio coronatus fuerat. Reliquiæ B. Lauræ per multas Hispaniarum Ecclesias distribui cœperunt, & ipsa in magno pretio haberi.

282. Portus Iuliobrigensium victoriæ sacratus, dictus est, quòd ibi victi sunt Cantabri Iuliobrigenses, volentes repellere classem Romanorum, tempore Imperatoris Augusti. Alij verius putant, vocatum sic, quòd Iuliobrigenses victoriam reportauerunt; quòd victoria non dici-

dicitur de Iuliobrigensibus; sed Iuliobrigensium, quasi ipsi reportauerint.

Sarcimum vicus est apud Cantabros in Hispaniâ prope fontes 283.
Iberi. Ibi iussu Caroli Martelli exulat S. Eucherius Episcopus Aurelianensis: in Vitâ eius corruptè legitur *Hesbania*. Fuit in Cantabriâ Monasterium S. Trudonis Benedictini, sicut in Germaniâ. In Hispaniâ habebat Carolus Martellus multos amicos, vt apud Cantabros; & modò Sarcimum apud Cantabros, vel Sacernulum apud Astures, dicitur Barcena, vel Salcedum, ignobilia quædam oppidula.

Sanctissimus vir Vera, Tarraconensis Archiepiscopus, qui inter- 284.
fuit XVI. Concilio Toletano, vir pius, humilis & sanctus, obiit XX. Octobr. celebratur in tractu Aurelianensi apud Carpetanos.

Est Auctor, qui credat, S.*Exubium discipulum S. Marci, post 285.
eius mortem prædicasse Euangelium * Caucasoliæ in Lusitaniâ, postque rediisse solum in Cyprum, vbi constitutus est Archiepiscopus; *maximorum patrator miraculorum* dictus est propter eius opera.

*al. Exibium
*al. Centumcellis

Mihi valdè probabile est, & legi in Historiis, Elpidium ac reli- 286.
quos Episcopos, quos *constituit S. Iacobus in Hispaniâ, ab ipso Iacobo baptizatos, fuisse de numero Religiosorum Carmelitarum, qui in Hispaniâ & per alias regiones monachatum introduxerant. Istos vocat lib. 2. cap. 3. Eusebius *Prophetici Ordinis*.

* al. traxerat

Magna pars eorum qui ex Iudæâ traiecerant in Hispaniam, tem- 287.
pore Nabuchodonosoris, erant ex discipulis sanctorum Elisei, Eliæ, & Enoch, & successores illorum.

Videre potui Vitam S. Synclетices virginis & Abbatissæ Ægyptiæ 288.
(cuius dies Festus est v. Ianuar.) hanc scripsit S. Pontifex Athanasius, vt, quemadmodum Monachi habent speculum in Antonio, sacræ Virgines eam tamquam speculum intuerentur. Dicitur fuisse multarum virginum professionis Propheticæ & Carmeliticæ parens.

C.*Caninius Rufus, Prætor Gaditanus, profectus Romam anno 289.
LXXXIV. quarto anno Olympiadis CC.XV. * transiit in Hispaniam, ad ann. LXXXVI. & dum Gadibus contenderet venire Tarraconem, in viâ, oppido Villâ æneâ, aliàs Alonâ, vel Delo, nunc corruptè à Mauris dicto *Villenia*, obiit; ibique iacet sepultus.

*al. Hermi-nius
*al. manſit in Hispaniâ,

X.M.P. Occasum versus ab oppido Turbulâ, vel * Tritubi, fuit 290.
oppidum Abula Bateſtanorum, nunc dirutum.

* al. Tibula, vel Tribula,

290. Abula Bateſtanorum.] *De Bateſtanorum Abulâ vide Iulianum in Aduersariis n.* 513. Abulam, *inquit*, in Bateſtaneis ponit Ptolemæus, & Obilam in Vettonibus.

Vrci * fontes fuit Episcopalis S. Indaletij; dicitur hæc Portella, & 291.
partiebatur hoc modo terminos cum Sedibus: *Teneat de* *Egestâ vsque *Carthaginem, & de Bigastro, vel Murciâ, vsque Mundam*. Hæc ciuitas est ad fluuium Mundam apposita, VIII. M.P. antequâ confluat Munda flu-

* al. Sedes
*leg. Egelestâ & vide quæ notaui ad n. 38. in Chron. & ad n. 242.

fluuius in Taderem, quæ vel fluuio nomen dedit, vel accepit ab eo.

292. Venerabilis memoria Plinij Iunioris, qui pro Christianorum defensione scripsit ad Traianum; quem redeuntem ex Asiâ conuersum Cretæ ad fidem nonnulli credunt, & pòst in persecutione Antonini Pij, Nouocomi cum aliis passum septimo Augusti: nec enim tam insigne defensionis opus iustâ mercede defraudandum fuit.

293. Traiani anno XV. Domini CXIV. (quo tempore Sarmaticus, Arabicus vocatus est) reuersus ex Asiâ Cretam Plinius; extrui fecit celebre * Ioui templum in honorem Traiani, quod *Titus diruit: & restauratum in nomine Iesu Christi. Plinius Secundus * cum filio Christo credidit, & baptizatus est à S. Tito Cretensium Episcopo, vt refert Zenas in eius Vitâ. Itaque reuersus Romam Christianus, sanctè & piè vixit multos annos. Vocabatur C. Plinius à Traiano, & ab aliis Secundus; nec fuit hoc tempore alter Secundus vir Consularis.

al. ibi
al. templum
al. desunt, cum filio

294. Pompeia Celerina, socrus Plinij Iunioris, soror fuit S. Celerinæ, quæ excepit corpus S. Torpetis Martyris ex Tuscià in Sinensem portum miraculosè venientis.

295. Sunt, qui putent, Dionysium Papam fuisse natione Africum, Scriptorem libri de *Situ orbis*; qui tulit passionem.

296. Theodorus, fluuius, hoc est, *Donum Dei*, Tader & Staberus dicitur, ob eximiam aquam, quam habet ob communionem Mundæ, qui Mediterraneum intrat, ad vrbem Longunticam.

297. S. Benedicta, quæ tempore Neronis Romæ victrix occubuit, patribus Cæsaraugustanis, ex Hispaniâ, Gentilibus tamen, nata fuit: quæ cùm ad palmam, quam diu multumque concupierat, peruenisset, ter quaterve flagris cæsa, nudo corpore per vrbem aduecta, sed Dei munere, minimè nuda visa; 11. Iulij, datis ceruicibus, euolauit ad Sponsum. Altera ex antiquioribus Christi virginibus Romæ pro fide occisis.

298. In codicibus Plinij correctis, pro *Alga minor*, quod reperitur in minùs correctis, legitur *Alba minor*.

299. Suel inter *Alateram, & Siex, vocatum est * Sudal, & pòst à fortitudine nominari cœpit Castellum ferreum.

al. Aodeteram, *vel* Abdecerâ, & Exi
al. Siuel,

Antonini Pij Augusti Itinerarium, eius iussu compositum; vt Theodosij, Codices leges.

300.

301. Decem Legati ex Hispaniis venerant Ierusalem, ex Gentilibus quinque, ex Iudæis quinque, ad Apostolos.

301. Decem Legati, *&c.*] *De hisce Legatis Flauius Dexter in Chronico anno Christi* XXXV. *n.* 1. *vbi doctè se gerit eruditiss. Biuarius. In numero tamen discrepat Iulianus in Chronico n.* 9. Illi verò [*Toletani Iudæi*] miserunt Euphrasium, & Indaletium rogantes Petrum, & ceteros Apostolos, vt statim Iacobum mitterent, qui venientes Ieroselymam, dederunt suas epistolas Petro.

EPISTO-

EPISTOLÆ PRÆSVLVM

QVAS

COLLEGIT

SCHOLIISQ. ILLVSTRAVIT

IVLIANVS

ARCHIPRESBYTER S. IVSTÆ,

ADDIDITQ. NOTAS

D. LAVRENTIVS RAMIREZ DE PRADO.

EPISTOLÆ PRÆSVLVM A IVLIANO COLLECTÆ.

EMINENTISSIMO nobis Pontifici Toletano Metropolitano, Deoque amabili Elipando, Archaricus gratiâ Dei Metropolitanus Bracharensis Sedis, cum meis Episcopis comprouincialibus, salutem in Domino, qui est vera salus. Legimus litteras Paternitatis vestræ, quibus significabatis fidei vestræ symbolum : & licet vos semper vt Pontificem Catholicum habuerimus, & esse solatio vestris afflictis ouibus; attamen vestra Paternitas dabit nobis veniam, vt cognatis & amicis vestris familiarissimis & obsequentissimis, quod dissimulare non possumus, post secundas & tertias litteras, nos ætate vobis filij, dignitate Coëpiscopi, nullo modo possumus assentiri dogmati & sententiæ vestræ, nec dissimulare dicere Reuerentissimæ Paternitati vestræ ingenuè & sincerè, quod in hac re sentimus. De quâ non solùm Hispalensem, Emeritensem, Tarraconensem & Narbonensem Metropolitanos, qui grauissimè ferunt id per Hispaniam dispergi; sed magis consuluimus Domnum Apostolicum Hadrianum, qui negat dici posse Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei verum & naturalem, vllatenus esse filium adoptiuum. Quod & nos & Coëpiscopi nostri, filij vestri, reuerenter suscipientes, vt par est suscipi dicta S. R. E. ceterarum Ecclesiarum Matris & certissimæ Magistræ, obsecramus vos per viscera misericordiæ Domini Dei nostri, qui oriens ex alto, redemit nos, factus homo, vt nolitis rapi cum Felice decepto, & à Romanâ Sede bis damnato; sed sentiatis quod sancti Doctores hactenus senserunt, & communis Ecclesiæ Catholicæ tenet vniformis sensus. Quâ de re quia pluribus ad vestram Paternitatem, & Coëpiscopos vestros, scribit sanctus Pontifex Hadrianus, & amicus vester Rex Carolus, non est quòd pluribus agamus. Diuinitas summa vestram Paternitatem diu seruet incolumem, vt præluceatis

toti (vt hactenus præluxistis) Hispaniæ. Ex Synodo Prouinciali coactâ Bracharæ, & ex Secretario Ierusalem, xx. die Maij, ærâ DCCC.XXXIII.

SCHOL. IVLIANI.

ELipandus Archiepiscopus Toletanus miserè deceptus à Felice Pontifice Vrgelitano, magistro suo, viro planè docto, sed plusquam oportet opinionum suarum tenaci, publicè docuit, credens verum esse, Christum humanitate filium esse adoptiuum. Quæ sententia, cùm per Hispaniam spargeretur, mirè torsit viros Catholicos, & qui decepti Pontificis Elipandi vicem vehementer dolebant: inter quos Archaricus Episcopus Bracharensis, vir pius & doctus, amicitiæ ac consanguinitatis nomine cum Elipando coniunctissimus, primò scripsit ad eum rogans quid sentiret, & quibus fundamentis niteretur eius sententia. Scripsit Elipandus comiter mittens ad eum symbolum suæ fidei, vehementer conquerens, quòd vellet doceri à duobus iuuenibus * Heterio & Beato, qui contra eum scripserunt librum Apologeticum; qui litteris scriptus Gotthicis adhùc seruatur in bibliothecâ S. Iustæ. Archaricus consultat Metropolitanos Hispaniæ & Galliæ Narbonensis, & præcipuè habito Concilio consulit sanctam Rom. Eccles. Et iterùm conuenientes Bracharæ ad Concilium, scribunt illi hanc epistolam plenam amoris & amicitiæ Catholicæ, quam in membranis vetustissimis sanctæ Iustæ cum aliis reperi, & præcipuè responsionem Elipandi Pontificis ad Archaricum.

* *Diximus ad Epistolam Tractemundi num. 7.*

NOTÆ D. LAVRENTII.

EMinentissimo nobis Pontifici Toletano.] *Eo titulo Magnates viros, & quî præ aliis excellerent, insignire consueuit antiquitas. Monumentum extat apud Imperatorem Constantinum Augustum in l. 1. C. de Veteranis, lib.* 12. Cùm introisset Principia, & salutatus esset à Præfectis, & Tribunis, & viris Eminentissimis, acclamatum est. *Et Imperator Iustinianus in* §. At ex contrario. *Institut. quibus alien. licet. Tribonianum* virum Eminentissimum *appellat. Qui quidem titulus non muneris tantùm amplitudinem, verùm etiam priuatam, sed excellentem virtutem plerumque sequebatur, vt est in Velleio Paterc. lib.* 2. Eadem Lucullum Hortensiumque, Eminentissimorum ciuium filios, fortuna abstulit. *& alibi eod. lib.* Liuia, nobilissimi & fortissimi viri Drusi Claudiani filia, genere, probitate, formâ, Romanarum Eminentissima. *Hinc* Eminentia *ingenij passim apud Auctores, præcipuè Gellium lib.* 14. *Noct. Attic. cap.* 3. *qui dum ageret de Xenophontis cum Platone certamine,* Duæ, *inquit,* Eminentiæ, cùm simul iunctæ in arduum nituntur, simulacrum quoddam contentionis æmulæ pariunt. *Confer huc etiam Cicer. Tuscul.* 3. Eminens effigies virtutis. *de quo leui manu Turneb. Aduersar. lib.* 2. *cap.* 6. *&* Fortunæ Eminentia, *Imperator. Iustinian. in Authent. de rapt. mulier. in princip. coll.* 9.

Sed illud verum est, Principes viros, qui & opibus & potentiâ ceteris præcellerent, Eminentiæ *&* Eminentissimi *titulo decorari. Ennodius lib.* 5. *Epist.* 22. Potiorum sublimitas communione geminatur: & fascem præbet Eminentissimo, gratia concessa subiectis. *Peculiaris verò erat Præfectis Prætorio (magna olim dignitas, vt, post VVolphangum & alios, testatur Thomas Dempsterus Antiq. Rom. lib.* 7. *cap.* 33. *& ab Imperatore prima potestas,* quæ non multùm abfuit

abfuit à Principatu, *ex Iacobo Gutherio de Offic. Domus Augustæ lib.* 2. *cap.* 1.) *quod apparet in l.* 1. *C. de Apparitoribus Præf. Vrb. lib.* 12. Præter eos, qui de officio Eminentium Potestatum. *& apertiùs in l.* 2. §. Sed nec sit. *C. de sent. ex breuic. recit.* Exceptis tam viris Eminentissimis Præfectis Prætorio, quàm aliis. *Eadem vestigia premens in Epilogo Authent. de Iudicibus, tit.* 11. *Nouellâ* 83. *coll.* 6. Tua igitur, *ait Imperator,* Eminentia. *Quibus & similibus insistens Gutherius, vbi nuper memini,* Hinc, *inquit,* Imperatorum legibus & constitutionibus, Præfecti Prætorio excellens auctoritas, excelsa sedes, sublimis magnitudo, illustris præstantia, miranda sublimitas, illustris magnificentia, celsitudo, excellens Eminentia. *Nec grauabor apponere veterem inscriptionem, quam ipse ex Iulio Capitolino in Gordiano III. tradit; quæ talis est:*

MISITHEO.
EMINENTI. VIRO. PARENTI. PRINCIPVM. PRÆF.
PRÆTORIO. ET. TOTIVS. VRBIS. TVTORI. REIP.
S. P. Q. R.
VICEM. REDDIT.

Circa cuius emendationem Gutherius cum Casaubono suspicatur, orbis *pro* vrbis *reponendum. de quo etiam Salmasius disputat.*

Militum etiam Magistris hunc dignitatis titulum adscribi, constat in l. vn. §. Ad istum. *C. de Iustin. Cod. confirm.* Vir quoque Eminentissimus Magister militum. *& in l.* Non minùs. 11. *C. de Assessor.* Eminentissimorumque Magistrorum militum. *cum aliis.*

Anno autem præterito Domini nostri Iesu Christi M.DC.XXX. *Summus Pontifex Vrbanus VIII. in suo Diplomate* X. *die Iunij decreuit,* Eminentissimorum *titulo S.R.E. Cardinales condecorari, & illud* Illustrissimorum *in desuetudinem abire iussit. Verba sunt:* Sacra Congregatio Cærimon. S. R. E. Cardinalium censuit, si Sanctitati vestræ placuerit, loco titulorum Illustrissimi, & Dominationis vestræ Illustrissimæ, quibus hactenus vsi sunt Cardinales, titulos Eminentissimi, & Vestræ Eminentiæ, vnà cum antiquo titulo Reuerendissimi, in posterum esse debere proprios & peculiares Cardinalitiæ dignitatis. *Annuit Summus Pontifex.*

Sed quid S. R. E. Cardinales eumdem cum Præfectis Prætorio, aut Magistris militum titulum habere suadet? vndéve huic cumillâ dignitate similitudo? Plura quidem sunt, quibus rectè id sancitum probem. Alciatus *lib.* 1. *Prætermissorum:* Cardinales, *inquit,* in Pontificio Iure opinor, exemplo ciuilium Magistratuum. In libro Officiorum Theodosij, Præfecti Cardinales appellantur, Præfecti Prætorio Asianæ Diœceseos, & Præfecti Africæ, quòd maiores ceteris essent. Hinc scapi cardinales Vitruuio. *Et cum Præfectis Prætorio Cardinales comparari, Ias. in l.* 1. *ff. de Offic. eius cui mand. est iurisd. & Alex. de Imolâ in l.* 1. *π. de Iurisd. omn. iud. scriptum reliquere. Vnde in eam sententiam ventum à Iacobatio, eâdem Cardinalitiâ dignitate fulgenti viro, in Tractatu de Concilio lib.* 1. *art.* 1. *n.* 133. *Paulo Leonio in Tract. de Substitutione, tit. de Compend. n.* 211. *Antonio Corseto de Potest. Reg. n.* 16. *M. Antonio Marsilio Columnâ de Ecclesiast. redditib. cap.* 17. *num.* 22. *ceteris q., qui peculiares de hac dignitate tractatus edidere: nimirum Ioanne Eckio, Thomâ VValdensi, Martino Laudense, Barbatiâ, Andr. Siculo, Hieronymo Manfredo, Onuphrio, Cardin. Albano, & nouissimè Hieronymo Plato è Soc. Iesu, & aliis: quos solitâ doctrinæ vbertate congessit sapientissimus collega noster D. Ioannes de Solorzano, in suo eleganti tractatu de Indiar. iure lib.* 3. *cap.* 2. *à num.* 27. *per plures sequentes. Id igitur, quod opinatur* Alciatus, *ab omnibus probari accipies, præsertim Marsil. Columnâ,*

*vbi suprà num.*24. *& seqq. vbi sic inquit:* Cùm verò hi, quos diximus regionum Curatores, inter ceteros tum Presbyteros Diaconosque eminerent, maximâ iuris ratione Cardinales appellati sunt: cùm nemini ignotum sit, & in personis, & in rebus quoque omnibus ita fieri, vt quod in quoque gradu maximè emineat, excellat, ac quasi præcipuum sit, conuenienter hoc nomine nuncupetur. Videmus non aliâ de causâ Præsides Asiæ Principes Cardinales appellatos: à quibus hosee nostros cœpisse primùm Cardinales appellari, auctor est VVolphangus Lazius lib.2.Comment. Reip.Rom.cap.2. *Hæc ille. Quem minimè etiam latuit Cassiodorus lib.*7. *Var. epist.*31. *qui formulam officij Comitiaci exponens, eidem Magistratui Præfectum (quem* Officij Principem *Gutherius intelligit dict.lib.*2. *cap.*20.) Principem Cardinalem *appellat. Quibus accedit Hieronymus Platus dicto Tractatu de Cardin. dignit. & offic. cap.*2. Postremò quoad nomen ipsum attinet, non est dubium, quin Cardinalis idem sit, quod præcipuus ac principalis. Itaque & venti Cardinales, itemque virtutes quædam Cardinales communi & vsitato more appellantur. *Nec minùs apta ratio efficitur ex Cardinalium cum Magistris militum collatione. sic enim Franciscus Duarenus de Beneficiis lib.*1. *cap.*13. Videntur Cardinales appellati, quasi præcipui atque primarij, ceterisque Episcopis, Presbyteris & Diaconis digniores ac præstantiores: non aliter ac Magistri quidam militum dicuntur Cardinales in veteri Indice ciuilium militariumque officiorum, qui absque vllius Auctoris nomine editus est. *Ergo si ab* eminentiâ *Cardinales dicti, rectè* Eminentiæ *titulo decorantur. Si plura cupis de huius tituli vsu & antiquitate, adi Pancirolum Variar. lect. lib.*1.*c.*4.

Elipandus Archiepiscopus Toletanus miserè deceptus.]

D. Laurentio Ramirez de Prado, &c. suus Ioannes Eusebius Nierembergius hanc scripsit Epistolam, in quâ de errore Elipandi disseritur, ad Archaricî & Elipandi litteras inuicem inter se missas illustrandas:

OMnibus modis de eruditis mereris, delicioſum Musarum viridarium. Laureta sua, mi Laurenti, in te plantauit Apollo: inde per suos alumnos odoras spargit frondes. Quod es, diceris, Laurus, Rami, Pratum, *hoc est, Mineruæ paradisus. Nónne omnibus mereris modis de eruditis, cùm & tuâ eruditione, & alienâ merearis? illud cum admiratione omnium; istud sine inuidiâ tuâ; vtrumque cum gratulatione omnium, cum laude tuâ, etiam de alienis propriâ, dum prodis,*
Lib.1.Epist. *ex suffragio Symmachi: nam* quodam pacto sòcietatem laudis affectat, qui aliena benè dicta primus enuntiat. *Dedisti nuper Iulianum, nunc Luitprandum adornas, vtrumque manu tuâ exornasti. Duas magnorum virorum erexisti statuas, non corporum, sed animorum; quorum simulacra libri sunt. Laudat*
Lib.1. Epist. Titiano. *Plinius Iunior Ticinium Capitonem, ex magnorum virorum cultu:* Pulchrum, *inquit,* & magnâ laude dignum, amicitiâ Principis in hoc vti; quantumque gratiâ valeas, aliorum laboribus experiri. Est omnino Capitoni in vsu, claros viros colere. Mirum est, quâ religione, quo studio imagines Brutorum, Cassiorum, Catonum domi, vbi potest, habet. Idem Clarissimi cuiusque vitam egregiis carminibus exornat. Scias ipsum pluribus virtutibus abundare, qui alienas sic amat. Redditus est L. Sillano debitus honor, cuius immortalitati Capito prospexit, pariter & suæ. Neque enim magis decorum & insigne est, statuam in foro Pop. Romani habere, quàm ponere. *Tecum loquitur. Pulchrum tibi, mi Laurenti, & magnâ laude dignum est, amicitiâ Principis in hoc vti. Ex Excellentissimi Comitis Oliuarienſis bibliothecâ Iulianum*

num nobis dedisti, expertus aliorum honoribus, quantum gratiâ valeas. Est omnino tibi in vsu claros viros colere. Mirum est, quâ religione, quo studio imagines magnorum animorum, selectissimos libros domi, vbi potes, habeas. Nobilissimum & amplissimum totius eruditionis atrium bibliothecam habes. Idem Clarissimum quemque egregiis laudibus exornas. Scio te pluribus virtutibus, plurimâque eruditione abundare, qui alienam sic amas. Nunc redditus per te Luitprando debitus honos, cuius immortalitati pariter & tuæ prospexisti. Neque enim magis decorum & insigne est, statuam in foro Mineruæ habere, quàm ponere. Quàm decorum tibi, qui multas habes, multas ponere in litterario campo! Cum quanto vsu totius Eruditionis, dicet tota Eruditorum natio. ego pro Theologorum prouinciâ gratissimam tuam operam significo, gratulor. Celebri enim inter Hispanos & Gallos controuersiæ, de Adoptione Christi, *auctore (mentior) non nisi fautore Elipando Toletano Præsule, candidam ex vtroque Scriptore lucem addidisti. Et nihilominùs (hæc tua humanitas, hæc modestia) requiris meum iudicium circa Elipandi errorem. Quid iudicabo, nisi quod tuo contestetur Iuliano, tuo Luitprando, tuisq; eruditis Notationibus? dilucidam dumtaxat operam præstabo in iis (fortasse dirimam) quæ ad rem Theologicam spectant, & abradam infamiam, quâ nobilis & valida Scholasticorum manus Venerabilem Hispaniæ Primatem Elipandum intingit. Quamuis enim acerrimi illi Theologiæ Duces, Vasquius & Suarius, in hac prouinciâ laborarunt felicissimè; noua nunc ego contorquebo arma, noua mittam tela: nec iam coniecturis, sed euidentissimis testimoniis, hactenus non productis, caussam istam absoluam. Relinquam quæ ex Iuliano atque Luitprando proferre possem. Scis hæc, & per te omnes. Afferam alia, quibus Scholasticorum nemo hactenus est vsus: atque ad oculum ostendam, nec Nestorianum nec Arianum Elipandum fuisse, vt quidam volunt; sed deceptum tam speciosâ & purpuratâ fraude, vt sit ipsis sententia, quod illi error: qui nullus alius fuit, quàm putare, Christum Dominum, secundùm humanitatem, Filium Dei adoptiuum, prout Luitprandus affirmat.*

Igitur à Patribus funestam palæstram, Scholasticis rediuiuam, iteratò aggrediar. Vtriſque de adoptione & seruitute Christi nobile dissidium: quod Hadriani Papæ, & Francofordiensis Synodi rescripto nemo non sedatum iudicabit. Planè Theologos nostrates laudo, qui in re suo æuo implexâ, felici fidere insudarunt. Patrem Gabrielem Vasquez maximè demiror, qui cùm nec Elipandi nec Felicis Vrgelitani (qui auctor erroris fuit) voluisset libellos, subtili acumine coniectans, rem totam pertingit. Pronuntiat, sancitum esse Gallicano Senatu, & Pontificio edicto, Christum Dominum nec seruum, nec adoptiuum esse. Negotium reliquit recentioribus, vt hanc Concilij sententiam declinarent. Verùm facessam maius, dum è panopliâ intactâ nouis committam iaculis. Nam licet mihi in hac re idem sit cum P. Vasquez iudicium, arrisit fortuna melior. Desiderauit sapientissimus Pater Felicis & Elipandi codices habere, quibus Feliciana hæresis, & Concilij mens sibi liquidò staret. Quæ tamen viro eruditissimo latuerunt, (ingratâ Mineruâ) illuxerunt nobis ex locupletibus bibliothecis S. Mariæ Rhemensis, Puteanorum & Papyrij Massoni. Recensebo erutum thesaurum, epistolam Alcuini ad Elipandum; responsionem Elipandi, & contra illam quatuor libros Alcuini; aliam epistolam Elipandi ad Felicem Vrgelitanum erroris sui magistrum; confessionem ipsius Felicis Catholicam; alteram eiusdem confessionem hæreticam: tres libros Paulini Aquileiensis contra eumdem; aureum quoque libellum S. Agobardi, Lugdunensis Præsulis, contra Vrgelitanum Antistitem: Vitam denique Alcuini; ibi plura de Concilio Francofordiensi, vbi exclusa fuit adoptio Christi. Ex hoc diuite penu recentiorum stringam neruos, adeò

con-

conſpicuis ſententiis, vt ipſo ſolis radio putes ſcriptas: nihil priùs defloratum, nihil marcidum; omnia recentia polliceor, vegeta, florida.

Ergo ad rem. Confingunt quidam, vt Concilij Francofordienſis definitionem eludant, Elipandum fuiſſe Neſtorianum, ac propterea damnatum, quòd Chriſto Domino duas adſcripſerit perſonas. Sed audiant, precor, ipſum Elipandum in epiſtolâ de ſuâ Fide, quàm procul à Neſtorio ſiſtat. Non enim *(ait Elipandus, idq; ex Auguſtino probat)* homine aſſumpto, vel adoptiuo, perſonarum numerus auctus eſt. *Quid apertius? imò tam abeſt à dualitate perſonarum, vt vnitatem probet ratione Patribus probatâ: nam immediatè ſubdit:* Sicut in homine quolibet, præter vnum illum qui ſingulariter ſuſceptus eſt, anima & corpus vna perſona eſt: ita in Chriſto Verbum & homo adoptiuus vna perſona eſt. *Iſta ex Auguſtino deſumpſit, Epiſtolâ ad Euodium. Sed millies repetit idem Elipandus. Dabo alias aliquot eiuſdem ſententias, in eâdem prorſus ſententiâ conſtantis.* Cùm ergo, *inquit*, vnus ſit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & veræ Deitatis veræque humanitatis in ipſo vna prorſus eademque perſona ſit. *Rurſus ait:* Euecta eſt in tantam vnitatem ab ipſo conceptu Virginis, Deitate & humanitate confectam, vt nec ſine homine diuina, nec ſine Deo agerentur humana. *Item:* Inſeparabiliter manente vnitate perſonæ, vnus atque idem eſt, & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei Filius propter vnam cum Patre Deitatem. *Eiuſdem eſt:* Non ergo quiſquam ſibi erubeſcendum exiſtimet Chriſtianus, de noſtri in Chriſto corporis veritate; quia omnes Apoſtoli, Apoſtolorumque diſcipuli, & præclari Eccleſiarum quoque Doctores, qui ad martyrij coronam vel confeſſionis meruerunt gloriam peruenire, in huius fidei lumine ſplenduerunt, conſonis vbique ſententiis intonantes, quòd in Domino Ieſu Chriſto Deitatis & carnis vna ſit confitenda perſona. *Ibi etiam Virginem Mariam Θεοτόκον appellat. Conſentit mirè Vrgelitanus Præſul Felix, magiſter Elipandi, in ſuâ Confeſſione hæreticâ, Chriſtum dictitans vnicum Dei Filium in vtraque perſonâ. Cauſſabitur fortaſſe aliquis, Patres latuiſſe hoc. Audiat Paulinum Aquileienſem libro 1. qui loquens contra Felicem, inquit:* Perſonas, ait [*nempe Felix*] non diuido; naturas prorſus diſtinguo. Sed cùm excuſare ſe ab hac nititur noxâ, & tamen frequenter id agere, ex propriis nihilominùs poteſt reuinci commentis. *S. Agobardus etiam in Epiſtolâ ad Ludouicum Imperatorem, affert ex Felice vnam Chriſti perſonam fateri; conatur tamen, ſicut Paulinus, monſtrare, ex ſuo errore ſequi illud abſurdum, quòd Neſtorio faueret. At Elipandi animus tam erat ab Neſtorio abhorrens, vt propterea illud inconueniens niterentur Catholici Doctores euincere, quo ſuam ſententiam deponeret, vnde illud ſequebatur. Hic enim fuit præcipuus Patrum conatus pellendi Elipandum & Felicem in Neſtorianum ſenſum; ac propterea Neſtorianos vocatos, ſicut & Arianos ab Alcuino, dum in errorem Arij trudere illos contendit, in Epiſtolâ & libro 1. contra Elipandum.*

Venio ad alios recentiores, qui Felicem & Elipandum condemnatos aſſerunt, quòd in Chriſto non aſſignauerint adoptionem vel ſeruitutem ſecundùm humanitatem. Horum effugium ipſe Felix præcludet. Dabo quæ ex ipſius ſchedulâ tranſſcripſit S. Agobardus. Dicit Felix de Chriſto in ſuâ Confeſſione hæreticâ: Sicut in ſe continet duas naturas, id eſt, Diuinitatis ſuæ & humanitatis noſtræ: ita duobus modis vnus creditur Dei Filius, ſecundùm Diuinitatis eſſentiam, naturâ, veritate, proprietate, &c. iuxta humanitatem verò, non naturâ, ſed gratiâ, electione. *Vbi palàm fatetur vnicum Dei Filium ſecundùm Diuinitatem naturâ, ſecundùm humanitatem gratiâ. Quod iſti Doctores tuentur, & propterea adoptionem Chriſti defendunt. Idem Felix in Confeſſione Catholicâ, ſiue Retractatione:* Adoptionem carnis, ſeu nuncupationem in humanitate Filij Dei anathematizantes. *Inibi quoque ait:* Profitentes nos deinceps adoptionem carnis in Filio, ſiue nuncupationem in humanitate, nullo modo credere, vel prædicare. Sed ſecundùm quod dogmatibus ſanctorum Patrum informamur, eumdem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in vtrâque naturâ, Deitatis videlicet & humanitatis, proprium ac verum Filium profitentes. *Accedat Elipandus in Epiſtolâ de ſuâ fide:* Quòd verò aſſeris [*Catholicum Doctorem alloquitur*] nullam carnis adoptionem in Filio Dei, ſecundùm formam ſerui, de gloriosâ Dei Virgine ſuſcepiſſe, non vera perſequeris. *Item:* Captiuus dicitur eſſe; & quare non dicatur carne adoptiuus? *Rurſus:* Totus hominis filius propter carnem. *Plura darem, ſi opus eſſet.*

Ceterùm quo ad ſeruitutem Chriſti quidam reſpondent, Concilium damnaſſe Felicianam hæreſim, quòd Chriſtum pronuntiaſſet ſeruum ſeruitute peccati. P. Vaſquez, vel alius Scholaſticus, quem viderim, nullum affert teſtimonium contra memoratos. Vnum dabo, quod litem dirimat. In ſchedulâ hæreticâ Felicis vocatur Chriſtus ſeruus Patris, frater electorum, conformis, conſimilis per omnia, excepto peccato. *Hæc ille. nec in re compertâ morari licet.*

Properò ad illos Doctores, qui Elipandum & Felicem ſuſpicantur damnatos, quòd Chriſtum dicerent ſeruum ſeruitute quadam coactionis vel neceſſitatis. Ridet illos P. Vaſquez, quaſi id commentatos abſque fundamento aliquo. Verùm nulli, ni fallor, ſuum tutari placitum veroſimilius poſſent. Inueni, fauere illis Alcuinum, ſiue Albinum, libro 1. & 6. contra Felicem. Reſtituo hos libros Albino, qui hactenus ſub nomine Paulini proferuntur. Nam, præter ſimilitudinem ſtyli, idem Albinus in quatuor libris contra Elipandum affirmat ſcripſiſſe illos. ibi igitur ait: Iſte Felix infeliciori audaciâ, cum ceteris ſuæ peruerſitatis ſequacibus, Chriſto iniicere tentat debitam ſeruitutem, & conditionale ſeruitium, & neceſſariam ſubiectionem. *Et iterùm:* Infelix horum temeritas debitorem ſeruitutis, vel conditionalem ſeruum nominare non metuit. *Hæc Albinus; qui totus eſt in probando, Chriſtum Dominum, non neceſſariò, vel coactè, ſed ſpontaneè fuiſſe operatum. libro 1. ait de Chriſto:* Diſſimilis verò in eo, quòd eamdem mortem, non miſerâ neceſſitate, ſed miſericordi voluntate ſuſcepit, ipſo teſtante: Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo ſumendi eam. Nam nos neceſſitate morimur. *Et libro 6. ſcribit:* Has enim carnis omnes infirmitates, voluntarias quidem, ſed veras Chriſtus habuit. *Occurram nihilominùs, & Elipandi Felicisq; aperiam mentem, quæ nulla alia fuit, vt ex Alcuino, S. Agobardo, & Paulino Aquileienſi colligi licet, quàm Chriſto Domino (quo Manichæorum vitaret deliria) eadem omnino addicere quæ nobis: vt ſicut nos adoptiui, Chriſtus adoptiuus: ſicut nos ſerui, Chriſtus ſeruus: ſicut nos neceſſitate morimur, patimur, Chriſtus quoque. In hoc ergo ſtatuit Felix ſeruitutem Chriſti, cùm adſcripſit illi conditionale ſeruitium, & neceſſariam ſubiectionem, ita vt naturâ ſuâ fuiſſet ſeruus, quemadmodum nos: iiſdem, & eodem modo naturæ legibus obnoxius, vel, vt ipſe loquitur, neceſſitatibus debitor. Subdam Felicis verba, qui poſtquam duas ſeruitutes diſtinxiſſet in creaturis, alteram in rationalibus voluntariam, ſeu ex obedientiâ voluntatis; alteram communem, omnibus neceſſariam, ſeu ex neceſſitate naturæ, vtramque tribuit Chriſto, his verbis:* Non tantùm propter obedientiam, vt plerique volunt, ſed etiam per naturam ſeruus Patris veriſſimè edocetur. *Ecce tibi quam ſeruitutem appellet neceſſariam, ſcilicet naturalem, quæ omnes comprehendit creaturas; quam etiam in Chriſto expugnare conantur*

nantur Alcuinus & Francofordienſes Patres, quia diuinæ naturæ, nominis & honoris collega ſit & particeps Chriſtus Ieſus. Et planè cùm hæc Throni ſocietas Felici innotuit, ſemel in Catholicam reſipuit ſententiam. Sic legi in Vitâ Alcuini. Ibi de Synodo Francofordienſi agitur, in quâ Felix publicè cum Alcuino diſputauit. Inter alia dicitur: Omnibus denique eius [*ſcilicet Felicis*] patefacta ſocordia, atque ab vniuerſis Apoſtolicâ auctoritate hæreſis confutata, ſoli ſibi latuit deformiter, vſque dum dicta Cyrilli Martyris, ab Albino ſibi directa, legit lamentabiliter: Et natura, quæ per diabolum vaſtata eſt, ſuper Angelos exaltata eſt, propter triumphum Chriſti, atque ad dexteram Patris collocata. Hanc ergo legens ſententiam, tandem ſe recognouiſſe, & impiè egiſſe, voce & nimio fletu teſtatus eſt. *Hactenus hiſtoriola illa, hactenus diſceptatiomea.*

Ceterùm Felicis & Elipandi exitus valdè diuerſi fuerunt. Felix nomine ſolùm, cetera infelix; ter damnatus, bis reſipuit; tertiò demum relapſus, ſui erroris tenax, obiit. Annonius lib. 4. de Geſt. Francorum ſcribit, damnatum fuiſſe in Concilio apud Reginum; deinde Romæ, abiuratâ hæreſi ſuâ. Ado Viennenſis in ſuo Chronico ſub anno DCC.XCII. *addit tertiam damnationem in Concilio Francofordienſi:* Perpetuoque, *inquit*, exilio apud Lugdunum relegatus eſt, quem ferunt in ipſo ſuo errore mortuum. *Non ita Elipandus noſter Toletanus: qui non pertinaci animo, ſed quia veriorem putauit ſuam ſententiam, iudicio Romani Pontificis atque Concilio examinandam propoſuit. Vt autem diſplicere illis vidit, paruit & reſipuit, vt non ſemel Luitprandus narrat, item & Iulianus tuus. Quibus appendo Ioannem Auentinum in Annalibus Boiorum:* Tertiò, *inquit*, ibidem condemnata eſt hæreſis Feliciana & Elipandana, de adoptione Filij Dei; omneſque ſubſcripsêre Sacerdotes. Elipando agnoſcenti errorem, venia data eſt, dignitas ſeruata.

Hæc mihi nunc occurrunt, fortaſſe non ſine vſu Scholaſticæ palæſtræ. Si tibi placent, placebunt multis. Et tu mihi vnus pro multis. Vale.

Epiſtola Elipandi Archiepiſcopi Toletani ad Archaricum Archiepiſcopum Bracharenſem, amicum & cognatum ſuum.

EMINENTISSIMO Deoque amabili Archiepiſcopo Bracharenſi Archarico, Elipandus gratiâ Dei Toletanus Metropolitanus ſalutem. Veſtra nobis humilitas grata fuit: qui cùm pro conceſſo Dei munere docere nos poſſetis, doceri vultis & petitis circa quæſtionem de adoptione Chriſti ſatis agitatam & diſputatam. Symbolum noſtræ fidei mittimus ad vos, rationeſque, quæ nos mouent ad ſic ſentiendum, quas recipietis ſeorſum in chartis à memoriali cum his litteris: ſiquidem Antichriſti nos obiurgantes, & de nobis peiùs ſentientes, & peſſimè loquentes, ad veſtram Paternitatem Reuerentiſſimam ſcripſerunt: reſpondete illis, & vt ſenes, & à Deo docti, iuuenes hos (mallem iuuenculos hos indomitos vocare) grauiter obiurgate. Diuinitas ſumma vos diu ſeruet incolumes. Toleti XIII. Iunij, ærâ DCCC.XXII. Orate pro me peccatore Dominum.

Epi-

Epiſtola Archarici, Bracharenſis Metropolitani, ad Elipandum Archiepiſcopum Toletanum, neceſſarium ſuum.

EMINENTISSIMO, vereque amabili Deo, Elipando Archiepiſcopo Toletano, Archaricus Epiſcopus Bracharenſis ſalutem. Mirificè me delectauerunt litteræ Paternitatis veſtræ, quibus mihi ſignificatis, vos coram Patribus ad Concilium Toletanum congregatis ſtetiſſe ſententiæ ſanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, & iuſſibus ſanctiſſimi Domni Apoſtolici Hadriani beneuolas & faciles aures adhibuiſſe. Feciſtis in hoc, Reuerentiſſime Pontifex, quod ætatis veſtræ grauitatem, quod & fidem & religionem in multis à iuuentutis veſtræ annis probatam & exploratam decebat. Lætificaſtis cælum, exhilaraſtis animas veſtrorum amicorum, & totam Hiſpaniam odore ſanctiſſimæ & laudatiſſimæ veſtræ famæ longè lateque repleſtis, confudiſtis miſerum Felicem, & eius aſſeclas opprobrio repleſtis ſempiterno; & demum confirmaſtis opinionem antiquam, quam omnes Hiſpani Pontifices de maturitate iudicij veſtri, de humilitate veſtræ ſanctiſſimæ perſonæ conceperant. Faxit Deus, fortunet iſtam veſtram ſanctitatem, & diu ſeruet Hiſpanis gentibus incolumem. Multa alia ſeorſum Gumeſindus Archidiaconus meus vobis intimabit. Bracharæ VIII. die menſis Auguſti, ærâ DCCC.XXIII.

SCHOL. IVLIANI.

Fuit hic Archaricus Monachus Benedictinus, & Abbas Bracharenſis, vir eximiæ charitatis & prudentiæ: qui vitæ ſanctitate mirificè refulſit, ac poſt annos XV. ſcilicet anno DCCC.X. eodem anno & menſe, quo deceſſit Elipandus, etiam moritur.

Epiſtola Auraſij Epiſcopi Toletani ad Froganem Palatinum, Toleti Comitem, quem ſpiritu feruenti reprehendit.

IN nomine Domini, Auraſius Epiſcopus Frogani. Agnoſco te, propter quod non ſolùm Eccleſiam Dei verberaſti, ſed etiam coràm impugnando nos humiliaſti, & Synagogam erexiſti, & nobis reuerentiam pro nomine Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti viui & veri Dei noſtri nullâ ratione tribuiſti; & præſentibus Senioribus, cuncto palatio, & Catholico populo, Hebræorum nos deſpectui tradis: ingrediendo flatu alienæ vertiginis malè implens cauernas aurium tuarum, & concaua luminum feſtucâ trabeque, peccaſti. Obuius ſeruis Dei obiiſti illicò, priſcas virtutes deſeruiſti, neotericas derelinquens, fidei Catholicæ obuius exiſtens, acquieſcens voci perſuaſoris immundi ſpiritus: vt quos Deus de fauce graſſatoris diaboli, lauacro regenerationis ſuæ, per nos ad gloriam

iussit saluare, sæuâ nequitiæ insaniâ fustibus vulneratos dereliquisti. Pro quâ re in hoc tantummodò agnosce te nostrâ vel seruorum Dei prædicatione esse excommunicatum & anathematizatum. ideò anathematizauit vos Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & sancta Ecclesia Catholica, quæ est in sancto Petro fundata, tam Angelorum quàm Archangelorum, verùm etiam & omnis militiæ cælestis, ipso præstante Domino nostro Iesu Christo, qui est benedictus in sæculâ sæculorum. Amen.

SCHOL. IVLIANI.

Aurasius sanctissimus Præsul conuertit ad fidem Ioseph, Rabbi Isaac, Nephtalim, & alios ex Iudaismo præcipuos, continuis exhortationibus suis. Leui Samuel Archisynagogus Toletanæ synagogæ conquestus est apud Froganem Comitem, & Præfectum Toleti, quòd essent vel decepti, vel alio modo pellecti ad recipiendum Baptisma de manu sanctissimi Pontificis Aurasij: Froga verò Comes, vel quòd esset nimis quàm deceret credulus, vel irâ percitus, iussit spectare quando primò egrederentur de templo, adhuc vestiti vestimentis candidis more Catechumenorum, & misit qui recèns baptizatos per summam improbitatem & flagitium fustibus contunderet. Sensit, vt par erat, grauiter Aurasius iniuriam irrogatam Deo, Ecclesiæ, Pontifici, & filiis iam Dei adoptiuis: & cùm admonuisset eum, nec debitam daret tanti sceleris compensationem publicè, ante Ecclesiæ faciem hominem excommunicatum anathematizauit. In quâ re facilè declaratur animi celsitudo sancti Pontificis, qui Comitem adeò illustrem non dubitaret excommunicare: & etiam notandus est modus anathematis illorum temporum.

Epistola Domini Fructuosi, Archiepiscopi Bracharensis, Domino Flauio Recesuintho Regi directa, pro liberandis culpatis, qui vincti tenebantur catenis alligati à tempore Regis Sisenandi.

GLORIOSISSIMO Principi, Regi Flauio Recesuintho, Domino clementissimo, Fructuosus Episcopus Bracharensis, salutem in Domino.

Vereor ne sæpè suggerendo gloriæ vestræ fastigium congerens lassem; sed ampliùs metuo, ne, si reticeam, clementiæ vestræ partibus (quod Deus non faciat) dispendium acquiram. Nec enim illud Apostolicum memorans, quod ait, *Inimicus factus sum, verum dicens vobis*, impietatis nostræ iurgia atque inimicitias paueo: præsertim cùm misericordissimum Serenitatis vestræ animum non turgidum & superbum, sed potiùs, iuxta Christianæ compassionis ritum & præceptum Dominicum, nouerim clementissimum, & miserationis visceribus plenissimum permanere refertum; idque omnibus modis cupere agere, quod cunctis communiter miseris valeat prodesse. Mi semper Domine, atque piissime, suggerere

rere piè amo ego miserrimus & ignobilissimus bonum; iustum tuum non putaueris infringi. Etenim iam illud apud Dominum solidatum est atque firmatum: tuæ præterea mercedis & misericordiæ permanet lucrum. Impendet congrua miseris tuæ beneuolentiæ pietas: nullum vult tua clementia, quamlibet noxium, reddere extorrem: sed superet se tua benignitas contra malitias hominum, & parcat perituris; cùm parcit consuetudo aduenis factis, Christo Domino dicente: *Dimittite, & dimittetur vobis*: Luc. 6. Nullius profana suggestio claudat Serenitatis vestræ præcordia ad parcendum: in hoc enim genitoris vestri cruciamina, & delictorum vestrorum maculas abluitis. Si Christo Domino fauente impediatis miserorum discrimina, & catenatorum vincula leuigetis, frustra iuramentum caussa impietatis obtenditur; quod pro certo Christi sermonibus contrarium adponitur. Nulla fides est, quæ bonorum operum & misericordiæ affectu caret. *Nisi remiseritis fratribus vestris*, inquit Dominus, *ex cordibus vestris, neque Pater vester cælestis remittet vobis peccata vestra*. Dimittat necesse est alieno, qui se velit explicare à peculiari delicto. Et quia nullus est, qui glorietur se habere castum cor, & non est mundus à delictis, quantumlibet iusti hominis conscientia, super terram, cur perfidiæ crudelitatem nititur admiscere? Et qui parcere iubentur inimicis, miror, vt quid tantis ingerantur per sæuitiam in afflictis, vt ipsum diuturnæ seruationis & constrictionis impressione domatis, quibus si impium iuramenti facinus abrogat misericordiæ bonum, Regali saltem vel Sacerdotali clementiæ valdè contrarium est, vt abdicetur indulgentiæ patrocinium, cum crudeli huiusmodi suggestione. Et tu mihi post Deum sinceriter & specialiter amantissime Domine, & venerantissimi & sanctissimi Patres, & famuli vestri Pontifices Dei tuleritis: cùm iudex mundi sæculum iudicare per ignem aduenerit, ipse videbis: concedat ipse pius, & vestram in his caussis Serenitatem agere, pro quibus non confusionis sententiam, sed gloriam percipiatis æternam.

SCHOL. IVLIANI.

Fuit hic Fructuosus Palatinus nobilissimus; relictis aulæ deliciis, secutus est vitam monasticam: vnde vocatus est ad sanctam Sedem Bracharensem, quam sanctissimè rexit.

NOTA D. LAVRENTII.

Multa desunt in hac Epistolâ, quæ coniectorem Oedipum postulent. Dictio ipsa salebrosa ex sese, ab imperitis sciolisq; exscriptoribus obscurior est reddita.

Epistola Domini Euantij, Archidiaconi S. Ecclesiæ Toletanæ, de Scripturis Domini, edita contra eos qui putant immundum esse sanguinem.

EVANTIVS, sanctæ Ecclesiæ Toletanæ indignus Archidiaconus, omnibus per Hispaniam degentibus Christianis Muzarabibus salutem in Domino.

Quia se præbuit occasio opportuna, ideò hanc exiguitatis meæ paginulam, quam vestris obtutibus proferendam mea iudicauit destinare miseria; per quam, & salutis omnium impensis, & me in sacris vestris oraculis tuendum committo. His expletis, ad agnitionem serui vestri venit, quòd succedenter in quibusdam Cæsaraugustæ partibus reperisse vos asseratis, Christianos nedum eruditos paginibus sacris, Iudaico quodam more sequi litteram occidentem, & postponere ei spiritum viuificantem: qui dicunt immundum fieri hominem alicuius animalis sanguinem comedentem, nescientes neque intelligentes præcepta prisca magis malos hominum mores demonstrare, quàm in animalium naturâ versari. Nam si ista ita sunt, cur apertâ fronte cum Iudæis alia vetita ex præcepto priscæ legis non carnaliter teneant, nescio: cur carnes suillas ex culinis non abiiciunt? cur carnes piscium non pinnulatorum non reprobant? cur paxillos in baltheis non gerunt? cur vetera sacrificia non immolant? cur vxorem fratris sui sine filiis morientis ad suscitandum semen eius, non accipiunt? cur ad Sacerdotium debiles corpore, aut aliquam maculam corporis portantes, qui tamen animo digni videntur, accedere non repugnant? cur ergo paxillos in baltheis non gerunt ad egesta humo operienda? cur auem* cum plumis inuentam, si possunt, tenent; & non (sicut præceptum est) tenentes pullos matrem sinunt abire? cur etiam Sabbati otium cum Iudæis non sectantur? & nouam* gratiam non abiiciunt? Nam nos in Christi nomine participes fidei Christianæ effecti, sanguinem comedimus, & vno ore apertè docemus, & à sanguinis opere omnes dehortamur: & carnes suillas edere concedimus, & à volutabro vitiorum recedere præoptamus: piscium pinnulis carentum carnes manducare permittimus, & tamen ad cælestes epulas alas habentes conuolare optamus. De Sacerdotibus corpore debilibus, vel maculas in corporibus habentibus, librum Pastoralem sancti Gregorij legant: quia vobis longum est plurima enodare. Paxillo egesta humo operire est, qui mala perpetrata, bonis operibus insudantes, fœtores carnis operiunt, de quibus scriptum est: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Matre cum pullis inuentâ, matrem abire sinimus, pullos tenemus; quia cærimonias legis colimus, ad refutandos hæreticos & Iudæos, & legi carna-

* Lege cum pullis

* scilicet Euangelij

Pſal. 31.

liter non deseruimus. Otium Sabbati negligimus, quia post illam futuram requiem, quæ isto Sabbato figuratur, in lege Domini, & in operibus bonis insudare persuademus; & alia quàm plurima, quæ scitis in lege veteri contineri. Nec ego ista me scire nescio, sed antiquorum libris, vel Canonibus, quando noua ex circumcisione ob præputium suadebatur, qui adhuc non solido cibo, sed lacte nutriebatur. tale quid, & ad Corinthios Apostolum dixisse nouerint, & in Actibus Apostolorum factum inuenient. Nunc verò Ecclesia Dei solido cibo in fide roborata consistit, & viriliter contra impetus hæreticorum pugnat, vt non infantum mollitie eneruata succumbat. Ne tamen epistolaris consuetudo in longinquas periodos pertracta lectoribus tepidis fastidium nutriat; veniam ad illud, vbi Apostolus dicit: *Omnia munda mundis, coinquinatis & immundis nihil est mundum; & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Et Saluator in Euangelio: *Nihil introiens in os coinquinat hominem.* &, quia *quidquid in ventrem vadit, in secessum mittitur; sed quæ de corde procedunt, id est, adulteria, homicidia, & his similia.* Et Apostolus: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt; omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.* Nam quòd Apostoli primæuæ Ecclesiæ fornicatione, suffocato & sanguine abstinere præcipiunt; tunc ex circumcisione & Gentibus credulitas congregabatur, ne propter discretiones ciborum discederent; ideò lacte nutriebantur, non cibo solido vescebantur. Quibus posteà scribebat: *Non potui vobis quasi spiritualibus loqui; sed tamquam carnalibus, tamquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed neque adhuc quidem potestis; adhuc enim estis carnales.* Nam si vbique cùm sanguinem legunt, ad litteram intelligunt, & nihil spiritualiter sentiunt, quid est quod Propheta dicit, *Speculatorem te dedi domui Israël: nisi annuntiaueris impio, vt se custodiat ab iniquitate suâ, ipse quoque in iniquitate suâ morietur; sanguinem autem eius de manu tuâ requiram?* Quis est iste sanguis? si non opera sanguinis? Quid est quod in Psalmo dicitur: *Libera me de viris sanguinum;* nisi ab operariis iniquitatis? Quid est quod alius Propheta dicit: *Si sanguis sanguinem tetigerit, propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitauerit in eâ;* nisi quia peccatum peccato coniungitur? Qui tria ista præcepta tenere gloriantur, confiteantur, si primum & secundum cum tertio iungatur, si non fornicauerint, si non aruspicum ministeriis vtuntur. Si audiunt Apostolum, *Vt qui habent vxores, tamquam non habentes sint;* si obediunt præcepto eius, *Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum;* si consentiunt quod præcepit, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi;* si imitantur quod dicit, *Castigo corpus meum,*

Act. 16.

1. Cor. 3.

Tit. 1.

1. Tim. 4.

Matth. 15.

1. Cor. 10.

Act. 15.

1. Cor. 3.

Ezech. 3.

Pſal. 58.

Oſeæ 4.

1. Cor. 7.

Rom. 14.

1. Cor. 11.

1. Cor. 9.

&

2. Cor. 6. *& in ſeruitutem redigo*; ſi faciunt quod hortatur, *Exhibete vos ſicut Dei miniſtros in multâ patientiâ, in vigiliis & ieiuniis, in eleëmoſynis*; & his ſimilia: inde peccatum non incurrent, ſi cum gratiarum actione, quæ Deus bona creauit, ſumerent. quæ ſi Apoſtolo non obedientes, abiiciunt, & cæleſtia præcepta vel iuſta peragere enormiter perhorreſcunt; de talibus Saluator in Euan-
Luc. 11. gelio dicit: *Væ vobis hypocritæ, qui decimatis mentam, & anethum, & ea quæ ſunt legis grauiora, contemnitis.* Et ſequenter legant quoque multa de his rebus; libros Doctorum legant, & maximè ſancti Auguſtini contra Fauſtum Manichæum, qui iſta, quæ iſti faciunt, faciebat & dicebat: etiam illo victi iſti tabeſcebant. Librum ſancti Hieronymi contra Iouinianum legant, & ſalutem ſuam ibi reperient. Nam ridiculoſum eſt, carnes mundas, quas Deus creauit, vſque ad nauſeam deuorare, & ſanguinem illarum carnium, quaſi immundum abiicere; cùm & carnem & ſanguinem illius mundus Creator mundum creauerit. Alia ſcribere debui, ſed cùm modica non ſufficiunt, plurima non expediunt. Hæc Euantius.

SCHOL. IVLIANI.

Hic Euantius fuit Archidiaconus Toletanus, diſcipulus ſancti Ildefonſi cognati ſui; imò auunculus erat, minor natu ipſo Ildefonſo: vixit ad annos DCC. XL. maior centenario vicenario: qui mortuâ vxore, relicto ſæculo, ſecutus eſt Eccleſiaſticam vitam, & qui iam erat quinquagenarius ſub ſancto Ildefonſo, cœpit vitam clericalem. captâ Toleto manſit Archidiaconus factus à Sinderedo illius Eccleſiæ. Fuit vir doctus, grauis, in Scripturis ſacris verſatus, teſtis miraculorum ſancti Ildefonſi, iucundiſſimus, & valdè pius, qui tempore captiuitatis ſcripſit has litteras. Quo loco diſſimulare non poſſum, hîc apparere maximum veſtigium dignitatis Toletanæ Eccleſiæ, quæ Patriarchalis fuit, cùm delictum hoc acciderat in Epiſcopatu Cæſarauguſtano. Et Euantius ſcribit ad illos: quod non faceret, niſi cura Eccleſiæ Patriarchalis Hiſpaniæ illius ceruici impenderet: credo quidem abfuiſſe tunc Vrbanum Iulianum Epiſcopum Toletanum.

NOTÆ D. LAVRENTII.

Librum Paſtoralem S. Gregorij.] *Vide potiùs Gregorium lib. 2. Regiſtr. Epiſt. 25. & refertur diſt. 34. c.* Præcipimus.

Matre cum pullis inuentâ.] *Ex Deuteronomij cap. 22. num. 6. & 7.* Si ambulans per viam, in arbore vel in terrâ nidum auis inueneris, & matrem pullis vel ouis deſuper incubantem, non tenebis eam cum filiis; ſed abire patieris, captos tenens filios, vt benè ſit tibi, & longo viuas tempore. *In Commonitorio carmine Phocylidis verſu 81. expreſſum idem inuenio documentum è ſacris (vt Ethnicis mos erat) Litteris deſumptum. Quamuis non deſint, qui aſſerant, Phocylidem iſtum, quem præ manibus habemus, non antiquum illum, ſed Iudæum aut Chriſtianum fuiſſe, variis hinc inde deſumptis argumentis,*

mentis, quæ congerit & ſcribit Ioſephus Scaliger ad Euſebij Chronicon anno M.CCCC.LXXX. *fol.* 88. *col.* 2. *Verſus ſunt:*

Μηδ' ἑ τις ὄρνιθας καλιῆς ἅμα πάντας ἑλέσθω·
Μητέρα δ' ἀμπολίπῃς, ἵν' ἔχῃς πάλι τὰς δὲ νεοττούς.

Ne quis è nido aues ſimul omnes auferat, matrem verò dimittat, vt iterùm habeat pullos. *Dixerat priùs Euantius:* Cur auem cum plumis [*lege pullis*] inuentam, ſi poſſunt, tenent; & non, ſicut præceptum eſt, tenentes pullos, matrem ſinunt abire?

Epiſtola Liciniani Carthaginis Spartariæ Epiſcopi, ad Vincentium Eboſitanæ Inſulæ Epiſcopum directa, contra eos qui credunt Epiſtolas de cælo cecidiſſe in memoriam S. Petri Romæ.

INTER varias tribulationum anguſtias nos non piguit, cogente charitate Chriſti, hæc qualiacumque ſint, ad Sanctitatem veſtram verba dirigere, inſinuantes accepiſſe nos litteras veſtras, & de veſtræ ſoſpitatis bono gauiſos: ſed in eo non minimè conſtricti ſumus, quòd litteras cuiuſdam, quas ad nos direxiſti, ſicut tuæ indicant litteræ, ſuſceperis, & de tribunali eas populo feceris annuntiari. Ego verò mox à te tranſmiſſas accepi; in præſentiâ ipſius perlatoris, exordium ipſarum litterarum legens, & non patienter ferens, nec dignum ducens nænias ipſas perlegere, ſtatim ſcidi: & in terram proieci, admirans, quòd iis credulus fueris, & poſt Prophetarum vaticinia, Chriſti Euangelia, Apoſtolorumque eius Epiſtolas, neſcio cuius hominis litteras ſub nomine Chriſti factas, eius eſſe credideris; vbi nec ſermo elegans, nec doctrina ſana poterat reperiri. In principio ipſius Epiſtolæ legimus: Vt dies Dominicus tollatur. Quis enim Chriſtianus, non propter ipſum diem, ſed propter Reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, eò quòd à mortuis in ipſo reſurrexit, reuerentiſſimum non habeat? ſed, quantum ſentio, nouus ipſe prædicator hoc dicit, vt nos Iudaizare compellat, vt nullus ſibi in eodem die neceſſaria victus præparet, aut viæ ambulet. Sed hoc quàm peſſimum ſit, Sanctitas tua perpendat. Vtinam populus Chriſtianus, ſi die ipſo ad Eccleſiam non frequentat, quid operis faceret, & non ſaltaret! meliuſque erat viro hortum facere, aut iter agere, mulieri colum tenere, & non (vt dicitur) ballare, ſaltare, & membra Deo benedicta ſaltando malè traiicere, & torquere, & ad excitandam libidinem nugantibus cantionibus reboare. Abſit ergo à Sanctitate tuâ credere, vt Epiſtolæ nunc nobis mittantur à Chriſto: ſufficiat ergo, quòd locutus eſt in Prophetis, & per ſeipſum, & per ſuos Apoſtolos: nam & iis non litteras mittebat de cælo, ſed Spiritu ſancto eorum corda replebat. Exceptis etiam decem præceptis, quæ in tabulis lapideis viſibiliter Moyſi data ſunt; ad nullum Prophetarum,

rum, vel Apostolorum, Epistolæ missæ sunt de cælo. Non igitur credas, quæ numquam facta leguntur: quòd si & facta essent, post prædicationem Euangelij iam necessaria non sunt: & si fortè ipsum nimis nouum te delectauit, quia ipsa Epistola, sicut si lator scripsit, de cælo descendit super altare Christi, in memoriam sancti Petri Apostoli, diabolicum esse figmentum, & omnem Scripturam diuinam, Epistolam, aut Epistolas esse cælestes, & ad nos de cælo esse transmissas. Emendet ergo quod temerè credidit Sanctitas vestra, & in præsentiâ populi, si penes te est ipsa Epistola, reconde; & hoc te pœniteat, quòd de tribunali eam feceris recitari. Beati Apostoli sequens doctrinam, quod
Galat. 1. inter cetera ad Galatas scripsit: *Si quis euangelizauerit vobis, præ-*
Matth. 11. *ter id quod accepistis, anathema sit.* & illud Euangelij: *Omnis lex & Prophetæ vsque ad Ioannem prophetauerunt.* Deinceps si qua noua vel inusitata diuulgata fuerint, omnino abiicienda & detestanda Sanctitas tua nouerit. Ora pro me, Domine sancte, & in Christo charissime frater. Hæc Licinianus.

SCHOL. IVLIANI.

Hic Licinianus, Carthaginensis Metropolitanus fuit in Hispaniâ, vir apprime doctus & sanctus, cui subiectæ erant insulæ Ebusus, Maiorica, Minorica, & Sardinia, & alij Episcopatus, Valentia, Sætabis, Dianium, & Bigastrum, id est Murcia. Reprehendit hunc Vincentium, virum illitteratum, & parum cautum tamquam subditum; & ipse confugit ad eumdem tamquam Metropolitanum.

Epistola eiusdem Liciniani ad eumdem Vincentium.

DOMINO sancto ac charissimo fratri Coëpiscopo Licinianus Carthaginis Spartariæ Metropolitanus, sanctus in Christo. Lectis litteris S. T. miratus sum cur dubitaueris in re, quæ per Hispanias vulgatissima est, cuiusnam sit Epistola Iacobi Canonica, an Iacobi fratris Domini, an Iacobi Maioris filij Zebedæi. Omnes in Hispaniâ pro comperto tenemus, scriptam à sancto Apostolo, mox vbi ex Hispaniâ reuersus est Ierosolymam: & sic est prima & antiquissima Scriptura noui Testamenti, quam scripsit Christianis ex Iudaismo conuersis, qui in Hispaniâ tunc erant. Nam ex scripturis antiquissimis constat, Hebræos partim ex ipsâ Ierosolymâ, partim ex Babylone venisse in Hispanias ex duodecim tribubus, quæ erant per Hispanias dispersæ; nec potest dari alia solemnior dispersio, præter Babylonicam istam. Et decuit, vt quibus sanctus Apostolus in Hispaniâ prædicauerat, his Epistolam mitteret. Nam Iacobus Minor semper versatus est Ierosolymis, nec aliquò prædicationis gratiâ profectus

ctus est, vbi posset duodecim tribubus prædicare. Nam ideò ab Apostolis sanctus Iacobus Minor creatus est Episcopus Ierosolymitanus, vt illi populo rebelli præesset; nec queri posset, meritò desertum fuisse ab omnibus Apostolis. Nec te moueat aliter sensisse Eusebium Cæsariensem; quia cùm ille Græcus esset, & valdè remotus ab Hispanis, eorum res non potuit exactè scire, nec euentus nosse. Hæc est traditio Hispaniæ; sic in Missâ sancti Iacobi legimus; sic docet tota Hispania & Gallia Narbonensis: & credo maiores nostros, cùm in hanc prouinciam descenderent, ab indigenis eam etiam conseruasse. Hæc doce & propone populo tuo, quos ab omni specie erroris fac. Ora pro me sancte & venerabilis frater.

SCHOL. IVLIANI.

Certum est ex Officio Gotthico sancti Iacobi Zebedæi filij, vt prædicasse Hispanis, sic illis Canonicam Epistolam scripsisse; quod & testatum suis libris docet sanctus Isidorus Doctor celeberrimus Hispaniarum, & quotidie prædicamus. Quin & noster Archiepiscopus Audentius, quoties citat huius testimonium Epistolæ, vocat eam Iacobi filij Zebedæi: similiter & sanctus Olympius, Toletanus etiam Pontifex, illo antiquior. Sic in quodam Hymno Gotthico, qui recitatur à nobis:

Iacobe fulgentissime,
Nostræ gentis Apostole,
Quos verbo præmonueras,
Rursus mones Epistolâ.
Tu primus Euangelicus
Scriptor & sacratissimus,
Tuos Hispanos recreans
Cultu, sermone, & litteris. Hæc Hymnus.

NOTA D. LAVRENTII.

Certum est ex Officio Gotthico, &c.] *Epistolam Canonicam sancti Iacobi multi antiquorum, ignorantes res Hispanicas, tribuerunt sancto Iacobo Minori. Sed iam validis testimoniis & rationibus Iacobi esse Maioris, Apostoli & Patroni Hispaniæ, comprobatur. Dilucidè & neruosè hoc stabiliit P. Didacus Daza, insignis Theologus Societ. Iesu in toto Prolegomeno* 1. *in hanc Epistolam. Et etiam P. Nicolaus Serrarius, eiusdem Societatis, in Prolegomenis Biblicis Prol.* 3. *affert Syriacam inscriptionem huic Epistolæ simul cum aliis Canonicis præfixam; vbi apertè dicitur, esse Iacobi Maioris, qui scilicet transfigurato Christo adstitit cum sancto Petro & Ioanne. Sic dicitur:* In nomine Domini nostri Iesu Meschiæ, sigillamus tres Epistolas, Iacobi, Petri, Ioannis. Isti sunt, qui testes fuerunt super reuelatione Domini nostri, quando immutauit se ipsum coram oculis ipsorum in monte Thabor. *Ex Dextro anno Christi* XXXVII. *& aliis, acriter idem defendit, & doctè pleneq; D. Thomas Tamaio de Vargas in Tuit. Fl. Dextri, Nou.* VIII. *quem vide. Ad id verò, quod ex Concilio Tridentino Sess.* 14. *cap.* 1. *obiiciunt aliqui, quòd hæc Epistola tribuatur Iacobo fratri Domini, quâ appellatione intelligitur Iacobus Minor;*

locupletiſsimè reſpondet ipſe P. Daza in dicto Prolegomeno 1. §. 6. *num.*36. *& doctiſsimus Franciſcus Biuarius ad Flauium Dextrum dicto anno* XXXVII. *com.* 1. *num.*6. *Et cur non frater Domini poſſet etiam vocari ſanctus Iacobus Maior, cùm proximus Chriſto cognatione fuerit, & pro Iudæorum more Frater potuit meritò appellari? Planè Chryſoſtomus Homil.* 5. *in cap.*1. *Matthæi ſupponit, ſanctum Ioannem & ſanctum Iacobum Maiorem* Fratres Domini *fuiſſe appellatos. Sic ſe rogat:* Vnde igitur, inquies, fratres eius dicuntur Iacobus & Ioannes?

DIPTYCHON TOLETANVM, SIVE DE TABVLIS TOLETANIS EPISCOPORVM PRIMATVM EIVS SEDIS,

VBI DE GESTIS EORVMDEM FVSE AGITVR,

A D

M. MAXIMI, LVITPRANDI, ET IVLIANI

ILLVSTRATIONEM,

AVCTORE R.P. HIERONYMO DE LA HIGVERA

SOCIETATIS IESV PRESBYTERO.

R. P. HIERONYMI DE LA HIGVERA SOCIETATIS IESV PRESBYTERI DIPTYCHON TOLETANVM.

INTER res excellentes, & magnâ consideratione dignas (multas illas quidem & perraras) quas secum afferunt Tabulæ Toletanæ, vel Breuiarium Isidorianum, quod nonnulli Muzarabum vocant, non postremum sibi locum vendicat Diptycha Toletanorum Antistitum, quam habet Missa S. Iacobi Hispanorum Ducis & Apostoli sanctissimi certissimique. Nam etsi maxima fit mentio in Historiis librisque veterum Scriptorum harum Diptycharum (vt mox diffusè dicam) tamen formam nullius vidi, præterquam in Concilio quodam Mopsuesteno, & in hoc Toletano Breuiario: ideoque instar cuiusdam thesauri pretiosissimi ducenda est, & habendæ magnæ quidem gratiæ, tum B. Isidoro, tum illis, qui post eum Officia Muzarabum, ne penitus interciderent, conseruare pro virili curauerunt. Et, vt Patres superioris memoriæ non referam, venio nunc ad Illustrissimum Cardinalem Franciscum Ximenium Antistitem Toletanum: & ad Doctorem Theologum Alfonsum Ortizium Canonicum Toletanum: quorum studio sedulâque operâ factum est, vt ante centum annos hæ Tabulæ iam interitui propinquæ, ab Orci faucibus propemodum ereptæ, conseruatæ, pristinoque nitori restitutæ, ad nostra vsque tempora peruenerint. 1.

Quas sanè quanti faciant viri doctissimi, & in iis Cardinalis Baronius doctissimus pientissimusque, non est quòd multis comprobare conemur; cùm eorum testimonia meridianâ luce clariora sint. Harum sanè Tabularum beneficio habebit deinceps Hispania nostra bonam partem Archiepiscoporum Toletanorum, præsertim Muzarabibus præsidentium, qui Toleti degebant, captiuitate Saracenorum oppressi; quas nonnulli sapientissimi viri captiuitatis malo damnoque post annum DCCC.LXVI. vsque ad M.LXXXV. penitus amissas esse, non solùm crediderunt, sed libris editis posteritati significarunt: cuius sententiæ fuerunt inuentores & infracti defensores, Magister Aluarus Gomezius, Magister Ambrosius Morales, Doctor Ioannes Baptista Perezius, Canonicus eo tempore Toletanus, posteà meritissimus Episcopus Segorbiensis, & alij, quorum nominibus, quia viuunt, sciens prudensque parco. Qui, quòd erant viri sanè sapientes, & acri præditi iudicio, mirati sunt, quomodo in tam celebrem ciuitatem, Ecclesiamque totius Hispaniæ semper Primatem, tanta potuerit incidere negligentia, vt tantorum Præsulum, quantos fuisse captiuitatis sæculo necessitas gregis & oppressio Pastorum facilè conuincunt, nulla memoria penitus remanserit: cùm illi (quod de diuinâ prouidentiâ credendum est) & pietate & egregiâ animi constantiâ præcelluisse dicendi sint, in tam arctâ temporis intercapedine, sæculoque miserrimo constituti. Hos quidem Dei cura vigilansque prouidentia 2. 3.

dentia seruauit, hactenus conseruatâ illius Missæ Muzarabicæ Diptychâ.

4. Quantam verò veteres adhibuerint diligentiam in his Tabulis conficiendis & conseruandis, multæ causſæ rationesque conuincunt. Primùm, vt seruaret id, quod Paulus dicit ad Hebræos: *Memores estote Præpositorum vestrorum.* quibus verbis Paulus docet, curandum esse, vt semper memoria Patrum illorum floreret, qui nos in fide religioneque genuerunt. Et quodnam est aliud officium Pontificum cuiuscumque regionis, quàm vel oues Christo gignere, & iam in lucem editas in religione pastu doctrinæ conseruare? Id factum est beneficio Diptycharum. Adhæc, vt posteritas cognoscerer, quibus columnis eius regionis ciuitatisve fides innixa sit. Quamobrem nihil æquè curarunt sancti Patres, quàm vt nullus hæreticus in horum Tabulas referretur: id quod multæ docent Historiæ, & inferiùs latiùs declarabitur. Postremò, vt minores Episcopi haberent expressa religionis ac virtutis exemplaria; ad quæ cùm aciem mentis referrent, aperte cognoscerent, quales illos esse oporteret, qui tantorum Antistitum & maiorum suorum vestigiis insistere debuissent: virtutes enim & res præclarè gestæ priorum, posteris sunt velut quædam admota calcaria, quibus & ad ingrediendam & insistendam sanctimoniæ viam vehementiùs incitarentur. Quòd si Iulius Cæsar, inspectâ Macedonis Alexandri picturâ, quæ appensa erat ad Gades in templo Herculis Ægyptij, vehementer doluit, eâ ætate iam Alexandrum totum orbem percurrisse, eumque tædere cœperit ignauiæ suæ, quòd pænè nihil dignum laude gessisset; planè Pontificum superioris memoriæ res gestæ, laus & optatæ victoriæ, non possunt non pudoris esse materia multis, si quæ gerunt ipsi, cum iis quæ maiores eorum fortiter & egregiè nauarunt, æquâ lance comparentur & contendantur.

5. *Quid Diptychon.* Sed vt meliùs intelligatur, hanc veterum Pontificum esse Diptycham, videamus primò quid Diptycha sit. *Diptychon*, vt ex Epistolâ Ægyptiorum Episcoporum ad Anatolium Constantinopolitanum Patriarcham colligitur, *est* (inquiunt) *in quo venerabilium piæ memoriæ transitus ad cælos habentium Episcoporum vocabula habentur, quæ tempore sacrorum mysteriorum secundùm Sanctorum regulas leguntur.* Illustris. Cardinalis Baronius in Addit. Tom. 9. sic habet: *Episcopus dixit: Numquid in omnibus Ecclesiis, quæ sub cælo sunt, non recitabantur Episcopi? etsi Concilia ipsa non nominatim recitabantur, tamen in propriis regionibus & ciuitatibus singuli quiq; adnotabantur.* Itaque Diptycha est quædam Tabula, in quâ scribebantur nomina Episcoporum Catholicorum piæ memoriæ, bonæ vitæ, quos putabant ex hac vitâ ad cælos migrasse; quorum nomina solebant recitari inter Missarum solemnia. Inde fit in huiusmodi Diptychis nullos poni, nisi Episcopos; nec omnes, sed Catholicos, ac bonæ vitæ. Igitur erant istæ Tabulæ paratæ, vt in eas referrentur nomina non hæreticorum Præsulum, nec qui vitam flagitiosam traduxerant, sed adeò puram & sanctam, vt de illis piè credi posset, ex hac vitâ ad cælos commigrasse. Sed quòd hæc talis sit Diptycha, inde deducimus, quòd in primis ponuntur in eâ magni certè Pontifices, Hilarius, Athanasius, Martinus, Ambrosius, Augustinus, Fulgentius, Leander, Isidorus; quos certò scimus in catalogum Sanctorum esse relatos, quorum annuos dies sancta Mater Ecclesia celebres ac festiuos agit in illorum memoriam, & æternæ felicitatis eorum mirificam gratulationem. Nec rationi consonum est, ceteros qui sequuntur, tales non extitisse, quos isti sancti Pontifices suo consortio dedignentur: vt nec credi potest, aut debet, sequentes non esse Pontifices, quia mala ac irrationabilis esset coniunctio, ponere in principio & fine Pontifices, in medio verò laicos, aut non Episcopos. Igitur tota hæc series, hic longus ordo

ordo virorum, Tabula quædam est, & quoddam Diptychon sanctissimorum Pontificum.

Sed vt adhuc res à suis repetatur principiis, illud silentio nullatenus 6.
prætereundum est, à temporibus Apostolorum in more positum esse, ad sacrificium Missæ nomina quorumdam Catholicorum defunctorum recitari. Nam quid aliud docuit nos sanctus Paulus scribens ad Hebræos, cùm enixè præcipit vt memores essemus Præpositorum nostrorum, hoc est Pontificum, quàm vt crebra fieret ad Missarum solemnia nominum eorumdem recitatio? Quare Diptycha Ambrosiani Missalis hæc habet: *Petri & Pauli, Sixti, Laurentij, Hippolyti, Vincentij, Cornelij, Apollinaris, Vitalis, Nazarij, Celsi, Protasij, Gerualij, Vitalis, Naboris, Felicis, Calimeri, Martini, Eusorgij, Dionysij, Simpliciani, Martini, Eusebij, Hilarij, Iulij, Benedicti,* &c. Id quod magis suadent verba sancti Dionysij Areopagitæ, Pauli Apostoli discipuli, 3. cap. de Ecclesiast. Hierarchiâ dicentis: *Et cùm se mutuò omnes salutauerint, mystica sacrarum Tabularum recitatio fit.* Græcè loco *Tabularum* est Διπτυχῶν. Item Cyprianus Epist. 10. *Offerrentur nomina.* & in Concilio Illiberitano can. 29. sic: *Energumenum, qui ab spiritu erratico agitatur, huius nomen ad altare cum oblatione esse recitandum.* Plura non addam: sed ex iis facilè conuincitur, duas fuisse Diptychas, viuorum & mortuorum: nam in hoc Concilio de energumenis agitur, hoc est, à dæmone possessis, qui quidem viuebant. Erant etiam multiplices Diptychæ; aliæ Conciliorum, aliæ Imperatorum, & Regum benefactorum; aliæ Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, & mulierum. Concilia generalia in Diptychâ scribebantur: colligitur hoc ex Epistolâ Iuliani ad Epiphanium Patriarcham Constantinopolitanum, his verbis: *Haud etiam auferre passuros sacrarum Synodorum memoriam in Ecclesiis, ex iis quæ Diptychæ appellantur.* Super quæ verba Episcopus Ilerdensis, posteà Archiepiscopus Tarraconensis, D. Antonius Augustinus, decus Hispaniæ, & nostræ gentis ornamentum, sic ait: *Tabulas quasdam fuisse suspicor, in quibus nomina Synodorum, viuorum ac mortuorum Antistitum nomina, quorum in sacris mysteriis mentio fieret, scribebantur: multæ ortæ contentiones, an scribendum, an delendum esset illius Antistitis aut Synodi nomen.* Hæc ille. Erant etiam Diptychæ Imperatorum: constat ex Epistolâ quadam Gelasij, dicentis: *Numquid omnino Imperatoris nomen à Diptychis abstulerunt?* Sequuntur Diptychæ benefactorum: de iis fit mentio in Concilio Emeritensi can. 19. *Proinde salubri dispensatione censemus, vt pro singulis quibusque Ecclesiis, in quibus Presbyter visus fuerit per sui Episcopi ordinationem præesse, pro singulis diebus Dominicis sacrificium Deo procuret offerre, & eorum nomina, à quibus eas Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid iis sanctis Ecclesiis videntur aut visi sunt contulisse,* &c. Episcoporum viuorum: in Missis S. Iacobi, S. Basilij, S. Chrysostomi fit mentio Episcopi viuentis; & hodie fit etiam in 7.
Missâ Romanâ, & in Missâ S. Chrysostomi: *Memento Domine Archiepiscopi nostri: Nicolai sanctissimi, & vniuersalis Papæ longa sint tempora: Eleutherij Alexandriæ, Cyrilli Antiochiæ, Leontij Ierosolymorum longa sint tempora.* De mortuorum verò tabulis Theodor. lib. 5. cap. 34. *Cùm nomen sanctissimi viri in tabulis, in quibus nomina Episcoporum mortuorum continebantur,* &c. Erant etiam Diptychæ Presbyterorum viuentium: id constat ex Epistolâ S. Augustini 137. ad populum Hipponensem, sic: *Nomen autem Presbyteri propterea non ausus sum de numero collegarum eius, vel supprimere vel delere.* Et paulò inferiùs: *Et nunc, si vobis placet, vt nomen eius non recitetur, ne iis qui ad Ecclesiam accedere nolunt, demus occasionem quærentibus*

tibus occasionem. In eâdem etiam Diptychâ ponebantur suo ordine ceteri Ecclesiastici Clerici.

Aliæ erant Diptychæ mortuorum; præter superiùs dictas. Stephanus Durantus in lib. de Diuinis officiis: *Diptychæ erant duæ tabellæ, altera viuorum, altera mortuorum.* Alcuinus lib. 1. de Diuinis officiis declarans illa verba, *In somno pacis*; *Vsus*, inquit, *fuit antiquorum, sicut vsque hodie Romana agit Ecclesia, vt statim recitentur ex Diptychis & Tabulis nomina defunctorum, atque ita post electionem subiiceret verba sequentia: Ipsis videlicet, quorum nomina memorantur, & ceteris omnibus in Christo quiescentibus, indulgeas locum refrigerij.* De Diptychis & Tabulis nominum refert idem totidem verbis cum Alcuino Magister Florus, & Pamelius in suprà citatam Epist. 10. S. Cypriani se ait legisse Diptychas, in quibus, *Memento Domine famulorum, & quorum nomina* retenta sunt.* & in Missâ S. Marci Græcâ dicitur: Ὁ Διάκονος] *τὰ δίπτυχα τῶν κεκοιμημένων. Erant similiter multæ Diptychæ mortuorum & viuorum. In Epist. Attici ad Cyrillum, cuius meminit Nicephorus Callistus lib. 14. Histor. Ecclesiast. c. 26. *Itaque*, inquit Atticus, *id nomen*, scilicet Ioannis Chrysostomi, *in Album referri iussi. Mentio eius fit non solùm cum defunctis Episcopis, sed & Presbyteris, & Diaconis, & laicis ipsis, mulieribusq., cum quibus omnibus nobis Sacerdotij communio, aut earum rerum, quæ in sacrâ mensâ mysticè percipiuntur, participatio non est. Magna enim est inter defunctos & superstites differentia; ita vt & propter differentem eorum, quorum memoria conseruatur statum, discreti sint.* Super quæ verba Baronius sic ait: *Nolebat Cyrillus nomen Ioannis Chrysostomi referre in Tabulam Episcoporum.* Cyrillus verò Attico respondit, eodem Nicephori libro, cap. 27. *Lectis quæ à pietate tuâ ad me sunt missæ litteris, Ioannis nomen sacris inscriptum esse Tabulis intellexi. vbi verò eos, qui inde ad nos venere, interrogaui, non laicorum, sed Episcoporum catalogo adscriptum audiui.*

* Fortè *recitata*

* D.L. *Vide Glossarium Græco-barbarum verbo* Δίπτυχα.

8. Ex quo loco colligitur, aliud fuisse Diptychon Episcoporum defunctorum, aliud verò laicorum. Sed obseruandum maximè, numquam fuisse permissum in vllâ Ecclesiâ misceri nomina laicorum cum nominibus Episcoporum. Id nos docebit locus ille Epistolæ Cyrilli Alexandrini ad Atticum Patriarcham Constantinopolitanum. *Quomodo namque*, ait, *inter Sacerdotes Dei censebitur, illorúmve feret sortem, cui sacerdotalis dignitas abrogata est?* quasi dicat: Tolerari non potest, vt depositus à dignitate Pontificali (etiamsi maneret Presbyter) computetur inter Pontifices. & inferiùs: *Quomodo verò in catalogo sanctorum ministrorum erit, qui Ecclesiasticis mœnibus eiectus est?* & inferiùs: *Quomodo igitur, aut inter Episcopos laicus, aut inter germanos & legitimos, qui talis non sit, consistet?* Cyrillus non laborabat ponere Chrysostomi nomen inter Presbyteros aut laicos; sed, quia depositus, ne omnino poneretur inter Episcopos Constantinopolitanos. Erat igitur peculiaris Diptycha in singulis ciuitatibus Episcopalibus, habens nomina omnium eius vrbis Episcoporum. Innocentius ad Honorium Augustum: *An nomen eius* (scilicet Chrysostomi) *in sacro Episcoporum Albo* (id est, in sacrâ Diptychâ) *non inscribetur?* Gregorius item in Vitâ S. Chrysostomi ait, Innocentium Papam dixisse Eudoxiæ Augustæ: *Ioannem* (scilicet Chrysostomum) *adscribi Diptychis* (hoc est, defunctorum Episcoporum tabellis) *iustum est, ne Ecclesia eo priuetur nomine, qui memoriâ omni vixit dignus.* Galesinus in Martyrologio v. Idus Martij: *Ierosolymæ S. Sophronij Episcopi, cuius nomen in Ecclesiarum sacris Diptychis adscribi Constantinopolitana Synodus censuit.*

Ex quo loco etiam colliges, non solùm in Diptychis propriarum Ecclesiarum poni solitos esse Catholicos Episcopos, sed & in aliis. Quod etiam constat

stat ex testimonio Cæsaris Baronij Cardinalis sapientissimi; qui tractans de Episcopo Alexandro, qui erat Episcopus Antiochenus, ait: *Promisit se recitaturum nomen Episcopi memorati* (id est Chrysostomi) *inter Episcopos quiescentes.* Quod patet adhuc clariùs ex Epistolâ Iustini Imperatoris ad Hormisdam Papam, sic dicentis: *Venerabilis Ecclesia Constantinopolitana, nec non & plures aliæ iussa suscipiunt vestra, non solùm in ceteris, sed in auferendis etiam nominibus ex sacris Diptychis, quæ remouenda maximè postulastis. Verùm nonnullæ fuerunt vrbes, & Ecclesiæ tam Ponti quàm Asiæ, ac præcipuè Orientales: quarum Clerici vel populi, omnibus pertentatis minis atque persuasionibus, tamen nequaquam flexi sunt, vt tollant Antistitum vel repellant nomina, quorum apud eos opinio floruit; sed morte duriorem rem existimant, si mortuos condemnauerint, quorum gloriabantur vitâ superstitum.* Clarum est, non iussisse Hormisdam ex omnibus Ecclesiis Constantinopolitani Patriarchatus, Ponti, Asiæ, Orientisque, aliquos priuatos cuiuscumque ciuitatis ex Episcoporum Tabulis eximi; sed eosdem qui inscripti erant in omnibus Orientalibus Ecclesiis, à numero Catholicorum Episcoporum eximi deleriique.

Vnde patet, in omnibus vrbibus nonnullorum Catholicorum scripta nomina: atque colligitur etiam inde, Pontificis esse Romani, quos vellet ex recto iudicio iubere sacris adimi Tabulis, & in hæreticorum poni Diptychis. Id quod faciunt maximâ cum ratione sancti Officij Inquisitores Apostolici, qui iubent nomina hæreticorum in lineis inscribi velut Tabulis, cum insignibus hæreticorum, & parietibus Ecclesiarum Parochialium appendunt. Postremò restant ostendenda duo, quòd aliquando inter vel ante cuiusque vrbis Pontifices alij ponerentur, & quòd in singulis vrbibus essent suorum Episcoporum Diptychæ. Quòd fuerint tabulæ alienorum Episcoporum, docuimus ex loco præcedenti; quòd verò iuncti sint cum propriis, locus ille docet satis ex Chrysostomo allatus de Episcopis viuis: nam idem factum esse in mortuis, quis negare possit? 9.

Sed videamus iam peculiari quodam id exemplo, sumpto ex Concilio Mopsuesteno: nam Iustinianus Imperator censuit, vt Episcopi illius Prouinciæ ad Concilium conuenirent, ibique offerrentur Diptychæ illius ciuitatis, & sub plurium testium fide dignorum iuramento probaretur, an in illis esset nomen Theodori cuiusdam Episcopi veteris in illâ vrbe. vbi sic habent Acta Concilij: *Sanctissimi Episcopi dixerunt: Reuerentissimus sacrorum custos vasorum istius sanctissimæ Ecclesiæ adferat ad considerationem nobis, & recitationem, huius sacræ Ecclesiæ Diptycha, in quibus sanctæ memoriæ Sacerdotum istius optimæ ciuitatis scripta continentur vocabula. Ioannes Presbyter & Cimeliarcha dixit: Secundùm iussionem vestræ Sanctitatis inter sacra vasa, quæ à me seruantur, habentes ista Diptycha protuli, & ad recitationem protuli: habeo etiam alios duos membranaceos sermones vetustiores istis, qui nunc sunt, & ipsos protuli sicut in dictis. Sanctissimi Episcopi dixerunt: Ad auditum nostræ mediocritatis, & illorum, qui ad testimonium adducti sunt, Reuerendissimiq. & clarissimi, & honestissimi viri, recitentur sacra Diptycha, quæ declarant sanctæ memoriæ connumerationem Sacerdotum istius Mopsuestanæ ciuitatis, ex quo immaculata & orthodoxa fides prædicatur vsque ad hunc Sacerdotem; qui in præsenti tertiadecimâ indictione defunctus est. Et recitati sunt, & habent sic: Pro requiescentibus Episcopis, Protogene, Zozimo, Olympo, Cyrillo, Thomâ, Bastiano, Ioanne, Augentio, Palatino, Iacobo, Zozimo, Theodoro, Simeone.* & in alio non ponitur ad finem Theodorus.

10. Sed videamus iam peculiari quodam id exemplo, sumpto ex Concilio Mopsuesteno: nam Iustinianus Imperator censuit, vt Episcopi illius Prouinciæ ad Concilium conuenirent, ibique offerrentur Diptychæ illius ciuitatis, & sub plurium testium fide dignorum iuramento probaretur, an in illis esset nomen Theodori cuiusdam Episcopi veteris in illâ vrbe. vbi sic habent Acta Concilij: *Sanctissimi Episcopi dixerunt: Reuerentissimus sacrorum custos vasorum istius sanctissimæ Ecclesiæ adferat ad considerationem nobis, & recitationem, huius sacræ Ecclesiæ Diptycha, in quibus sanctæ memoriæ Sacerdotum istius optimæ ciuitatis scripta continentur vocabula. Ioannes Presbyter & Cimeliarcha dixit: Secundùm iussionem vestræ Sanctitatis inter sacra vasa, quæ à me seruantur, habentes ista Diptycha protuli, & ad recitationem protuli: habeo etiam alios duos membranaceos sermones vetustiores istis, qui nunc sunt, & ipsos protuli sicut in dictis. Sanctissimi Episcopi dixerunt: Ad auditum nostræ mediocritatis, & illorum, qui ad testimonium adducti sunt, Reuerendissimiq. & clarissimi, & honestissimi viri, recitentur sacra Diptycha, quæ declarant sanctæ memoriæ connumerationem Sacerdotum istius Mopsuestanæ ciuitatis, ex quo immaculata & orthodoxa fides prædicatur vsque ad hunc Sacerdotem; qui in præsenti tertiadecimâ indictione defunctus est. Et recitati sunt, & habent sic: Pro requiescentibus Episcopis, Protogene, Zozimo, Olympo, Cyrillo, Thomâ, Bastiano, Ioanne, Augentio, Palatino, Iacobo, Zozimo, Theodoro, Simeone.* & in alio non ponitur ad finem Theodorus.

Multa colliguntur inde. Primò, maximâ custodiâ inter Ecclesiæ the-

ſauros ſeruari ſolitas eſſe Diptychas huiuſmodi; & ita ſeruabatur vetus in ſanctâ Eccleſiâ Toletanâ in ſacro Ærario, ſcripta à tempore Alfonſi Sexti, litteris Gotthicis. Secundò, non ſemper vnam fuiſſe, ſed multas pro temporum varietate: nec enim omnia nomina Pontificum poni debuerunt; quia iam poſt octingentos vel plures annos creſceret numerus circiter in infinitum. Tertiò, in membranis contineri; aliaſque Diptychas eſſe vetuſtiores aliis. Et probatum eſt multorum teſtium aſſertione ſub iuramento prolatâ, loco Theodori poſitum & ſuffectum fuiſſe nomen Cyrilli Patriarchæ Alexandrini. Vt vel hinc intelligas, in Diptychis Epiſcoporum alicuius ciuitatis aliquando poſita fuiſſe nomina Epiſcoporum aliarum ciuitatum.

Ex prædictis conſtant etiam multa. Primò, non poni in Diptychâ Epiſcoporum laicos, nec Presbyteros. Secundò, ſeorſim poni Epiſcopos externos à propriis Epiſcopis. Tertiò, cuiuſcumque ciuitatis fuiſſe ſuorum Epiſcoporum Diptycham maximè ſeruatam. Iam verò ad Diptycham Toletanarum Tabularum deſcendamus.

11. Sed dices Primò, Vndenam ſcies hanc Diptycham non eſſe mixtorum Epiſcoporum ex diuerſis Epiſcopatibus collectorum? Secundò, vnde colligitur eſſe Toletanorum Pontificum? Ad primum: Numquam ego crediderim, omnino mixtos fuiſſe Pontifices: ſed vel aliquot alios in principio poni, & ſtatim illius ciuitatis; quia, præterquam quòd talis mixtio eſſet præter rectum ordinem, atque adeò pareret magnam perturbationem, nulla talis dari poteſt. Secundò, dato quòd in Diptychâ Mopſueſtenâ eſt inſertus Epiſcopus Cyrillus, non tamen alius. Tertiò, quia in aliis Diptychis Eccleſiæ Toletanæ, qualis illa membranacea litteris Gotthicis ſcripta, quæ ſeruatur in Sacrario, & quæ eſt inſcripta in pariete, & quæ in Capitulo, nullos habet aliarum admixtos Pontifices. Ad ſecundum percontor: Si non ſunt iſti Pontifices Toletani, cuius vel quarum Sedium ſunt? & cùm veriſimiliter nequeas Sedes aſſignare præter Toletanam, reſtat, vt illi Sedi tribuendi ſint. Secundò, quia illorum Pontificum, *Bernardi, Ragimundi, Ioannis, Cerebruni, Mariani, Ruderici, Ioannis, Paſchaſij, Sanctij, item Sanctij*, &c. ſunt nomina Toletanorum Pontificum; ergo & illa quæ ante hæc ſunt.

Et vt id manifeſtiùs eluceat, præteriri non debet, hanc Diptycham compoſitam eſſe ex Pontificibus qui fuerunt poſt euerſionem Hiſpaniæ. Quod probatur, quia ille Petrus, eſt Petrus Prælatus tempore captiuitatis; Ioannes eodem tempore, Bonitus, &c. Et ſunt duæ Diptychæ, vna vſque ad Saluiatum, paulò priùs ante repetitionem à S. Vrbano, & libertatem vrbis Toletanæ; altera, poſt ipſam libertatem, quæ incipit à Bernardo. Diptycha ſancti Æmiliani finem accipit in Ioanne, hæc incipit ab eodem. Ioannes ærâ DCCC.XCIV. anno Domini DCCC.LVI. quem putat Aluarus Gomezius hunc eumdem eſſe, qui tamquam vir ſanctus & miraculis clarus iacet ad S. Luciæ ædem in marmoreo ſepulchro conditus. Ergo iuxta hoc cœpit fieri catalogus hic à tempore Ioannis huius, vocati Serui Dei; niſi mauis, nomina eſſe duorum Pontificum.

Vide eas initio Chronici Iuliani.

12. Ex quo etiam colligo grande quoddam argumentum, hoc tempore factam eſſe huic Breuiario additionem, & mutatam hanc Diptycham. Hæc mutatio facta fuit Toleti; quia Mauri ex pacto conuento reliquerunt Toletanis ſex parœcias, in quibus erat vſus Muzarabicarum tabularum: ergo Presbyteros, qui concinnarunt hanc Diptycham, ad formam conformaſſe dicendum eſt, quæ magis congrueret rebus Toletanis. Et in illis primum ſibi locum vendicat catalogus ſuorum Epiſcoporum, qui factus eſt multo tempore poſt captiuitatem à tempore Saluiati. Vnum ergo hîc addam, non

non omnes in eâ poſitos eſſe Pontifices Toletanos, ſed ſelectiores, aut litteris aut ſanctitate: nam, vt affert Gabr. Vaſquez in fine libri de Ador. imag. Luitprandus, qui floruit (vt aſſerit Onuphrius Panuinus in Chronico) anno DCCCC.LVIII. teſtatur ſe fuiſſe ſub Bonito Toletano Epiſcopo Subdiaconum Toletanum, qui, teſte Iuliano, fuit anno DCCCC.XLVIII. ergo eo ſæculo iam erant Epiſcopi. Ad hæc, idem poſt Ioannem & Seruum Dei ponit Viſitanum, Viuentium, & Felicem, Epiſcopos Toletanos. Idem anno milleſimo ponit Blaſium, cognomento Iuſtum; cuius mentio eſt in Hiſtoriâ Franciſcanorum à P. Franciſco Gonzagâ Generali compoſitâ, vbi ſic de templo S. Franciſci: *Ex quibuſdam characteribus in choro inſcriptis liquidò conſtat, à Reuerendiſſimo Blaſio Toletano Archiepiſcopo conſecratum anno à Chriſto Saluatore nato* M.IV. *eo tempore quo Portugalia in Regnum nondum erecta erat, ſed Comitibus Caſtellæ, tamen à Rege dependentibus, parebat.* Hæc ibi. Poſt Iuſtum ſequuntur Saturninus, Saluiatus, item Saluiatus, & poſt hos Paſchaſius & Petrus, ſub recuperatione, vel paulò ante recuperationem Toleti; vbi electus eſt Dominus Bernardus Archiepiſcopus Toletanus.

Sequitur altera Diptycha à Bernardo ad Sanctium. Secunda ſub illo facta, & tunc additi ſunt Dominicus, Paſchaſius, qui fuit electus, Iulianus etiam electus, & velut Vicarius Sanctij, Philippus non electus Hiſpalis, & alij, vt credo, non aliarum Eccleſiarum Epiſcopi, ſed electi Toletani diuerſis temporibus. Concludit chorus, *Et omnium pauſantium*, quaſi dicat, *Epiſcoporum in Chriſto quieſcentium.* Ergo ex dictis conſtat, duas has Diptychas factas eſſe, priorem ad vltimum Viſitanum à Ioanne vltimo catalogi, vel Diptychæ, quæ eſt in codice M. S. litteris Gotthicis Monaſterij S. Æmiliani Cucullati; qui modò ſeruatur in Regiâ Bibliothecâ S. Laurentij Scurialis. Poſteriorem poſt tempora Sanctij filii Regis Aragoniæ, qui mortuus eſt ſub vltimis annis Regis Caſtellæ Sapientis Alfonſi, ante CCC.XXV. annos. priorem verò ab anno DCCC.LVI. ad annum M.L. per ducentos circiter annos, poſteriorem ferè per centum. Memini quidem, cùm eſſem adoleſcentulus, audiſſe non ſemel recitari nomina horum Archiepiſcoporum in Capitulo, antequam conciones Latinæ orationéſve, quæ illic de more haberi ſolent, inciperent. Et cùm ſanctus Ildefonſus poſuit Aſturium octauum, credo non intellexiſſe, niſi de præcipuis qui in illâ Diptychâ poſiti ſunt, in quâ vel per incuriam, vel quia non ſcripſerat, prætermiſſus eſt ſanctiſſimus vir Melantius, qui anno CCC. ſubſcripſit in Concilio Illiberitano; 14.
nec in illâ Diptychâ ſunt Olympius & Gregorius, quos conſtat ſubſecutos eſſe Natalem, ante Audentium Toletanum Epiſcopum, vt ſucceſſorem, qui in Concilio Tarraconenſi ſubſcripſit, vt Honoratum Hiſpanum. De quo ſic Primus Cabilonenſis: *Concana Cantabrorum ciuitas in Hiſpaniâ. Hîc Honoratus Toletanus Epiſcopus naſcitur, qui ſacrauit Firminum Epiſcopum Ambiani Martyrem: & hic migrat Confeſſor: Firminus paſſus eſt in perſecutione Diocletiani.* Itaque fuit poſt Melantium, vt conſtat ex Iuliano & aliis. Nec admittitur expoſitio Moralis, quòd pro Toloſano poſitum eſt nomen Toletani; quia nullus reperitur Epiſcopus Honoratus Toloſanus, nec Democharés in tabulis Epiſcoporum Toloſanorum talem numerat, nec ipſi Toletani cognoſcunt; ſicut neque Marinum, ad quem ſcribit Papa Melchiades, Vnde colligo, non exactam habuiſſe ſanctum Ildefonſum ſuo tempore prædeceſſorum ſuorum Diptycham, vt re verâ non eſt; quia non meminit ſancti Eugenij Marcelli, Toletanorum Pontificis, & Paſtoris Hiſpaniæ.

13.

Quamobrem multò minùs ad ſcopum attingunt, qui putant Diptycham 15.
à Pelagio fuiſſe inchoatam, à tempore quo Gotthi peruaſerant Hiſpanias,

quia octauus est Asturius in ratione numerandi sancti Ildefonsi inter Toletanos Antistites; & si superaddas illis Honoratum, Olympium, Gregorium, Melantium & Marinum, est XIII. Et tamen Asturio Pontifice, qui creditur primo Toletano Concilio interfuisse, nondum inuaserant Hispanias Gotthi, qui illas peragrarunt post annum CCCC.XIII. quo tempore si numeremus Asturium, & Eugenium Martyrem, transierant (vt minimum) Episcopi tredecim in Sede Toletanâ: vt videas luce clariùs, quàm vehementer errent, qui sic ratiocinantur. Quòd si dicas, à Pelagio cœptum esse post persecutionem Diocletiani, imò post Melantium & Marinum, vnde id conficis? quo probas Auctore? quo loco ponis Olympium Toletanum? nullam sedem habet in Diptychâ veteri. Quamobrem fuit antiquior Athanasio & Hilario, ex D. Augustino; maximè cùm Vincentius sextus ab Eugenio est, ad quem scribit S. Anterus Papa anno CC.XXXVI. vt docet Iulianus, Dexterque Barcinonensis; ergo nullo modo potest esse Diptycha hæc ex illis Episcopis, qui inceperunt post persecutionem Diocletiani, post annos Melantij & Marini Pontificum.

16. Nec minùs hallucinatur Stephanus Zamalloa lib. 8. Compendij, dum post Castinum ponit Melantium: qui cùm incipiat seriem Episcoporum ab Eugenio, qui fuit anno Domini C. per CC.XXX. annos (sunt saltem ducenti) vt ponamus Melantium peruenisse ad annum CCC.XXX. ponit septem Pontifices; quibus singulis dandi sunt XXVII. anni. Nec improbabilis mihi videretur opinio, si superadderet his, eisque insereret Olympium & Gregorium, nec poneret Melantium quarto loco post Asturium, qui fuit an. CCCC. Vnum in hoc Auctore sine laude transire nec debeo nec possum, quòd putat ab Eugenio vsque ad Melantium, & eo posteriores Pontifices, Toletanorum Præsulum perpetuam seriem ac ordinem duci. Sic enim Dexter, sic M. Maximus, sic Luitprandus & Iulianus censuerunt, & sic optimus ordo est, qui nunc hîc signatus est à me his rationibus.

17. Nota. *Non contendit Auctor, vt Toletana Ecclesia cum Romanâ (absit) de Primatu certare, aut cum eâ de prærogatiuâ infallibilis Spiritus sancti assistentiæ comparari possit; sed quòd Toletana in nõnullis Romanæ assimiletur, & cæteras Patriarchales, etiam Orientis, quodammodò superet.*

Sed dices, cur adeò solicitè, sic anxiè conaris probare Pontificum horum successionem? Quia ex continuatione aut successione perpetuâ, ducto principio ab Apostolo, vel Apostolico viro, conseruatâ pariter in eâ serie successioneque fide Petri (quæ eadem est quam Apostoli docuerunt) colligitur, Sedem Toletanam esse verè Patriarchalem, atque adeò meritò Apostolicam debere dici. Nam siue dicamus, ab Apostolo Iacobo fidei factum illi fuisse principium, siue ab vno ex illis septem Episcopis, quos Româ Petrus transmisit in Hispaniam, siue (vt plerique iudicant, & Toletanorum fama constantissima est) ab Eugenio Marcello, ciue Athenienſi, siue (veriùs & certiùs) ciue Romano, discipulo S. Petri, à Clemente Petri discipulo gratiâ prædicationis ad vrbem Toletanam misso: re verâ Patriarchalis Sedes est nostra Toletana, & inter Hispanas dicenda est Apostolica. id quod dici possent Bracharensis, Cæsarauguſtana, Irienſis, Accitana, Illiberitana, & ceteræ, quas septem Apostolici viri à Petro Româ missi in Hispaniam fundauerunt; sed illarum non potest assignari perpetua Pontificum, qui tales vrbes institutis Apostolicis fundauerunt, series & ordo ab illis temporibus ad hæc nostra tempora.

18. Quod tametsi pluribus probet Cardinalis Illustrissimus Bellarminus; nos tamen, quæ dicat ille fusè, in quamdam breuem summam contrahere conabimur. Primò, probat ex Patribus successionem Ecclesiæ Romanæ, inter quos primus Irenæus lib. & cap. 3. qui probat successionem Romanorum Pontificum à Petro ad Eleutherium; additque per hanc successionem omnes hæreticos confundi. Tertullianus lib. de Præscriptionibus, *Cedant*, inquit, *hæretici origines Ecclesiarum suarum; euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, habeat auctorem vel antecessorem. Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem à Petro ordinatum refert. confingant tale aliquid hæretici.* Sic Eusebius, Epiphanius, Prosper, & alij diligentissimè continuationem Ecclesiæ Romanæ procurarunt; vt ex tali continuatione constaret, Romanorum Ecclesiam veram & Catholicam esse. Augustinus in Epistolâ 165. ad Generosum, & in Psalm. contra partem Donati. *Numerate*, inquit, *Sacerdotes, vel ab ipsâ Sede Petri, & in ordine illo Patrum, quis cui successerit, videte; ipsa est Petri, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Et vt intelligatur vis huius argumenti, notari debet, nullo modo Ecclesiam esse posse sine Pastoribus & Episcopis, vt rectè docet Cyprianus lib. 4. Epist. 9. vbi dicit, *Ecclesiam esse plebem Episcopo adunatam.* Esse autem huiusmodi gregis Pastores Episcopos, docet Paulus Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Notetur Secundò, illos veros habitos esse Episcopos semper, qui ab Apostolis per legitimam successionem & ordinationem descendisse demonstrantur. Quia constat Christum, qui caput est Ecclesiæ, solùm ordinasse duodecim Apostolos Episcopos, quibus vniuersalem potestatem concessit regendi, pascendi, gubernandique suam Ecclesiam; Apostolos verò posteà elegisse atque ordinasse alios Episcopos, & eis similem potestatem pascendi, & alios Pastores consecrandi tradidisse: quod ex Historiis constat.

Hinc colligitur, quòd vbicumque sunt veri Episcopi, ibi sunt oues, & ibi sit Ecclesia; quia ibi successio profecta ab Apostolis, vel viris Apostolicis; ibi ordinatio vera, veraque successio & iurisdictio: & hæc profecta à Petro, vel aliquo Apostolorum; & illi à Deo per Iesum Christum, qui est verum Ecclesiæ caput. Secundò requiritur, vt sit Ecclesia aliqua vera, & ab Apostolicâ profecta, quòd eius doctrina habeat consanguinitatem cum doctrinâ Apostolorum, vt ait Tertullianus lib. de Præscriptionibus, videlicet quia doctrinam retinet, quam Apostoli tradiderunt. Quo antidoto vsus est Theodosius Imperator, vt tradit Sozomenus lib. 7. cap. 5. ad componendum magnum in Ecclesiâ dissidium inter Catholicos & hæreticos: rogans ab hæreticis, an crederent antiquos Patres rectè sensisse de rebus Fidei: quibus quidem affirmantibus & assentientibus, iussit, vt, si illorum dogma conforme esset traditionibus illorum Patrum, reciperetur; sin difforme, reiiceretur. *Examinemus*, inquit, *doctrinam vestram ad illorum scripta, & si cum illis consenserit, retineatur; sin minùs, abiiciatur.* Interruptio inuenitur in successione in Ecclesiâ Constantinopolitanâ, quæ non antiquior est ætate Constantini; interruptio in Ierosolymitanâ, in Alexandrinâ, Antiochenâ, propter multa schismata & hæreses ab illarum Sedium Episcopis admissas. At licet fuerit Apostolica Cæsarauguſtana, vtpote quæ à S. Iacobo trahit originem, habuit Vincentium Episcopum hæreticum: Abulensis à Torquato S. Iacobi discipulo, à S. Petro in Episcopum consecrato, & ad Hispanias misso, habuit hæreticum Priscillianum. Sed, bonitate Dei, Toletana nec defecit in perpetuâ Pontificum successione (vt clarè demonstratum est) nec aliquando ipsa, vel eius Pastores à fide Romanæ Ecclesiæ deuiarunt. Quin multos habuit Doctores, qui verbo libriſque compositis pro eius defensione mirabiliter depugnarunt. quod mihi viriliter defendendum est; sed incipiam ab eâ parte, quâ dicitur nullum habuisse Pontificem hæreticum. 19.

Gratiæ maximæ & immortales agantur Deo, qui bonitate suâ, & precibus S. Ma-

S. Mariæ Virginis,& S. Iacobi primi Hiſpanorum Apoſtoli Doctoriſque, effecit,vt ab Eugenio Marcello vſq; ad Bernardum huius nominis ſecundum nullus in tantâ annorum ſerie Pontifex extiterit Toletanus, qui poſſit vel debeat vllo modo hæreticus appellari. Duo tamen ſunt, de quibus dubitari iure poſſet. Alter horum anno ferè DCC.LXXXV. vel DCC.XXX. Elipandus, tempore captiuitatis ; alter anno M.D.LVI. vel anno M.D.LXX. quorum alter, vel vterque, ſi fuiſſet hæreticus, nullo modo in Pontificum Toletanorum Diptychis poneretur. Et vt à Bartholomæo Mirandâ ſermonem faciam, ille quidem Romæ coram Gregorio XIII. Pontifice Maximo ſeptem propoſitiones abiurauit, de quibus erat vehementer ſuſpectus ; nec tamen propterea prohibitus eſt teſtamentum in morte conficere, & à morte in numero Toletanorum Pontificum adſcribi. Errores illos, de quibus erat ſuſpectus, nec defendit, nec veros eſſe commonitus affirmauit, quin vt noxios, & à fidei regulâ alienos libenter ſuppliciteréque (vt dixi) abiurauit. Habet inter Toletanos Pontifices in pariete ſacri Ærarij elogium, pietatis ſuæ non contemnendum teſtimonium: qui quamuis iuſtis ex cauſſis comprehenſus, & in cuſtodiam coniectus ſit; tamen poſt longam tot annorum intercapedinem latè conteſtatam, propoſitionum illarum abiuratione, & recluſione per decennale tempus in Monaſterio, tandem abſolutus eſt : qui paulò pòſt quàm eſt abſolutus, incidit in morbum,& (vt dicitur) piè ſanctéque deceſſit.

20. Veniam autem iam ad Elipandum. Hic (fateor) tenuit errorem, à magiſtro ſuo Felice Pontifice Vrgelitano peſtilentiſſimo nefarioque hæretico edoctus ; ſed nec illum cum pertinaciâ defendit, nec, admonitus ab Adriano Papâ & Carolo Magno Imperatore, in ſententiâ perſtitit ; ſed erroris eum ſeriò pœnituit. Sic ſenſit Ambroſius Morales, ſenſit & Doctor Ioannes Mariana ; quamquam dubitet omnino, quid de illo actum ſit : tamen cùm nec vocatus ſit Romam, nec viſus abiurare ; propterea credendum eſt, fuiſſe relictum, quia ſe correxit. Idipſum ſenſit P. Gabriel Vaſquez in fine lib. de Adoratione imaginum. quin & ego in Hiſtoriâ Eccleſiæ ciuitatis Toletanæ idipſum defendo. Id quod multis poteſt probari teſtimoniis,

21. Luitprandi, Iuliani dicentis habuiſſe Toleti Concilium, & coram Metropolitanis & plurimis Abbatibus teſtatum eſſe publicè, numquam ſuæ mentis fuiſſe, in quoquam maximo vel minimo ab Eccleſiæ Romanæ ſenſu diſcedere, & ob id ipſum libenter & ſponte ſuâ deteſtari ac execrari abiurareque errorem illum, ac damnare quoſcumque ſciret illum defendere. Id quod in Annalibus Boiorum docet Ioannes Auentinus, vbi de Concilio Francofordienſi ſic loquitur: *Tertiò ibidem condemnata eſt hæreſis Feliciana & Elipandiana de adoptione Filij Dei, omneſq; ſubſcripſere Sacerdotes: Elipando agnoſcenti errorem venia data, dignitas ſeruata.* Quomodo ergo dicendus eſt Elipandus hæreticus, qui numquam ſuum errorem pertinaciter defendit, & admonitus illum abiurauit ? erraſſe dicendus eſt, vt hominum eſt plerumque labile & procliue ad errores ingenium ; non tamen pertinaciter illum defendiſſe, vel ei mordicus adhæſiſſe. Quare cautè ſatis Onuphrius Panuinius in Chronico Eccleſiaſtico vocat Felicem Hiſpanum hæreticum, non autem Elipandum; & Felicianam hæreſim vocat, non Elipandianam. Nec mirum quòd non ita cederet Etherio & Beato, qui contra eum Apologiam ediderunt, cùm voci Pontificis Adriani ſtatim facilem accommodauerit aurem, & à propoſito deſciuerit. Vnde miror, cur adeò luculenter & atrociter in illum inuectus ſit Cardinalis Baronius, vir ſanè pius doctiſſimuſque: qui ſi legiſſet ſcripta noſtrorum hominum, credo humaniùs tractaret Pontificem in er-

22. rorem lapſum ; ſed miſericordiâ Dei ſingulariter emendatum. Subiiciam verba

verba tanti Cardinalis, quæ ſic habent, ex Tom. 9. anno Chriſti DCC.LXXXIII. *Sed quid accidit? Inſuſurrauit ſerpens in aures eius*, hoc eſt, Adoſindæ, *vt olim in totius humani generis cladem tentauit Heuam; ſed eò periculoſiùs aggreſſus eſt certamen diabolus aduerſus eam, quòd vſus eſt ad ruinam viro qui miniſter ſalutis à Deo fuerat conſtitutus, nempe Archiepiſcopo, eodemq; Hiſpaniarum Primate Elipando Toletano, Neſtorianæ inſtaurandæ hæreſis auctore. Hanc igitur cùm ad errorem ſuamq; prauam ſententiam conaretur pellicere Elipandus, præſtitit ipſa quod eſt prudentiſſimæ feminæ, ſpecimen edens mulieris fortis, quæ non circumduceretur omni vento doctrinæ; ſed quæ non haberet quem domi interrogaret ex monitu Pauli.* Non eo fuit animo Elipandus, vt mulierem præclariſſimam in ſuam pelliceret ſententiam, ſed quòd vellet quoſdam reprehendi, qui contra ipſum ſcripſerant. Neſcio tamẽ quomodo vocet eum inſtauratorem erroris Neſtoriani, cùm Elipandus vnam tantùm in Chriſto admiſerit perſonam; dicit tamen ex parte humanitatis dicendum filium adoptiuum, vt latè doctiſſimeque probat P. Gabriel Vaſquez in libro eâ de re luculenter edito. Nec 23.
minus eo conſilio Carolum Maximum conſuluit, vt eum deciperet: quia ſi eius erat hoc inſtitutum, quorſum petit, vt à Concilio libereius lectus expenderetur ? quia hoc magis eſt, hominis volentis ab errore reuocari, ſi iniquè incederet, quàm alios velle decipere; cùm ad hoc non plures admonitores & examinatores peteret, ſed vt ipſe ſolus legeret & approbaret. Et euentus docuit, quis fuerit eius animus, quæ mens, quis ſenſus; quia admonitus ab Adriano & Carolo, reſipuit. Nec video, cur ſit eius erroris auctor Elipandus, cùm omnes eum Felici Antiſtiti Vrgelitano tribuant, non autem Elipando. Nec eſt quòd quemquam moretur, quòd multi qui ab Elipando audierant hunc errorem, ipſo iam reſipiſcente, & ad vnitatem Eccleſiæ reuerſo, noluerint reſipiſcere. Id quod noſtris temporibus vidimus factum cum aliquot diſcipulis Cazallæ hæretici, qui conuerſus eſt : nihilominùs tamen ipſi noluerunt reſipiſcere. Quare mirari ſatis non queo, cur vir ſapientiſſimus, prudentiſſimus, & eximiè pius ita loquatur de hoc Toletano Pontifice, ac ſi alter Martinus Lutherus, patrum noſtrorum memoriâ nocentiſſimus hæreticus, aut ſuperiori ſæculo Arius, vel Eunomius, aut Neſtorius extitiſſet. Vſque adeò conuenit grauiſſimis Scriptoribus, qualis profectò eſt Cardinalis Baronius, quàm optimè meritus de Chriſtianâ Republicâ, conſulere nationis cuiuſcumque viros doctos, & in Hiſtoriis illarum gentium verſatos, vt ſic comperta & vera ſcribantur.

Venio iam ad ſecundam partem noſtræ propoſitionis, in quâ deſcribendi 24.
ſunt viri præcipui, qui ſanctam Eccleſiam Toletanam à temporibus Apoſtolorum gubernarunt, & ſuæ doctrinæ & ſanctimoniæ pabulis aluerunt, ac nouis quibuſdam ſplendoribus illam illuſtrantes, toti Eccleſiæ Catholicæ mirabiliter illuxerunt. Et in primis ſit ſanctus M. Marcellus Eugenius, vt pleriſque placet, ciuis Athenienſis, ſancti Pauli diſcipulus, Dionyſij condiſcipulus; vt aliis, S. Petri diſcipulus, à S. Clemente cum Dionyſio Gallias petente miſſus in Hiſpanias. Quem conſtans fama eſt, docetque Dexter & Iulianus, non ſine diuino conſilio poſuiſſe totius Hiſpaniæ Primatum in Eccleſiâ Toletanâ, tamquam totius Hiſpaniæ meditullio ; quòd ex omnibus eius partibus ex æquo ad eam deueniri poſſet. Hîc iecit prima doctrinæ fundamenta, ſeu iam præiacta à ſancto Iacobo Zebedæi filio ipſe firmauit; & oues quas ibi reperit, caſtæ doctrinæ & vitæ ſingularibus exemplis mirificè pauit.

Ad quod cum aliis præſtandum, attulit ſecum Archidiaconum Vitalem 25.
nomine, & Zenonem, ac Feliculam Diaconiſſam. Sed cùm res dignæ con-

ſultatione ſeſe obtuliſſent, miſit primò Vitalem ad Dionyſium, mox ad Clementem: qui ſanctum Pontificem comitatus, eius martyrij fuit teſtis in exilio: reuerſus Romam, illuſtri martyrio coronatus eſt: cuius Vitam ſcripſit Illuſtriſſimus Sanctius Dauila à Toleto, Epiſcopus Giennenſis, ſatis luculenter & verè. Poſteà verò, rebus in Hiſpaniâ rectè compoſitis, & Sedibus interprouinciâ iam multis præerectis, petiuit Lutetiam Pariſiorum, conſulturus Apoſtolico more ſanctum Dionyſium; vt fecit multò priùs Paulus, qui petiit Ieroſolymam, vt cum Petro modum doctrinæ doctrinamque conferret. Ex itinere verò cùm Toloſam acceſſiſſet, reperit Saturninum iam martyrij laureâ cumulatum; ibique manſit nonnihil temporis, vt Chriſtianos illius ciuitatis interitu tanti Paſtoris mœſtos & animo conſternatos conſolaretur: & vt ingentem tanti caſus dolorem meliùs lenire poſſet, illis frequenter concionatus eſt; adeò vt Hiſtoria Toloſana Eugenium inter ſuos Pontifices annumeret. quod & Primus Epiſcopus Cabillonenſis poſteritati teſtatum reliquit.

26. Quantum verò temporis ibi moratus ſit Eugenius, non eſt facile comperire. credo tantum moratum, quantum ſuppléndæ adeò graui neceſſitati ſatis eſſet. Inde profectus Pariſiorum Lutetiam, cùm prope illam vrbem eſſet, cognouit ante dies quadraginta iam ad cælos euolaſſe Dionyſium, Doctoris & Martyris duplicatâ coronâ; & tactus amore tanti Pontificis, quem loco patris & magiſtri ſemper duxerat, compoſuit elegans quoddam carmen & hymnum, illam puritatem linguæ Latinæ, quæ tunc adhuc manebat, mirificè redolentem. Quem vtinam habere poſſemus: haud dubium, quin loco magni cuiuſdam theſauri ducendus, & pro iuſto quodam volumine eſſet reputandus: ſpiraret ſanè cæleſtem & Apoſtolicum ſpiritum, & illam maieſtatem ac pietatem illius ſæculi, verè quidem aurei. Durabat adhuc tempore Hilduini (vt ipſe teſtatur in Vitâ Dionyſij) qui non paruam à nobis iniiſſet gratiam, ſi, cùm alia præclara retulit, hunc hymnum addidiſſet, & nos hoc immortali beneficio beaſſet. Nec multò pòſt, xv. die ſcilicet menſis Nouembris, & ipſe mortalem vitam cum immortali Martyr & Doctor commutauit; anno (vt opinor) c.xxxi. vt ex tabulis Græcis Baronius probat in Martyrologij Annotationibus, agens de S. Dionyſio Areopagitâ.

27. Inuenit autem Eugenius, cùm Toletum adiit, terram illam ſubactam, & Martyris magni Iuliani, diſcipuli S. Clementis, & ad quem cum Iulio miſit Epiſtolam, ſanguine rigatam: qui cùm Catechumeni didiciſſent fidem à Clemente Romano, ad vomitum reuerſi, & ſuaſionibus Gentilium labefactati, infeliciter ceciderant; ſed, ſuſceptis litteris à Clemente magiſtro miſſis, tandem accepto ſacro Baptiſmate, Iulianus fuſo ſanguine pro fide, in quâ tantillum viſus erat labaſcere, datis fortiter ceruicibus, viriliter triumphauit. Cùm Eugenius venit in Hiſpanias, credibile eſt libros ſancti Clementis de Canonibus Apoſtolorum, de Conſtitutionibus, cum quatuor Euangeliis, omnibus Epiſtolis, Apocalypſi, & Actibus Apoſtolorum, libroſque alios ſecum attuliſſe: multaſque ab eodem Eugenio litteras ſcriptas ad diuerſos, vt moris erat illius gentis & ſæculi, non dubito. quæ omnia temporis incuriâ periiſſe non eſt penes me dubium. Hic docuit Toletum fidem, Sacramenta, Sacramentorum cærimonias, recurſum ad Sedem Apoſtolicam, & Cathedram Romanorum Pontificum. Hic cærimonias & ritus Miſſæ celebrandæ, orandi formulam; traditiones verbotenus, non ſcripto, à S. Petro, & poſt eum à Clemente Pontifice acceptas.

28. Quin & conſtans Toletanorum traditio eſt, eumdem ſanctiſſimum Pontificem erexiſſe domum Aſſumptioni B. Mariæ Virginis Dei Genitricis ſacram; quæ poſt tot annorum curricula decurſa, adhuc in eodem loco, vbi nunc auguſtiſſimum eius templum cernitur, quondam excitata fuit. Nec puto diſſimiles moribus & ſapientiâ fuiſſe, qui ſanctum Eugenium conſecuti ſunt Toletani Pontifices, Pelagius, Paternus, Turibius, Quintus: quibus vt dignitate paribus, loco propinquis, tempore ferè coniunctis cum S. M. Marcello, non dubito quin & fuerit maxima vitæ ſanctitas, morum integritas, zelus in fide, & par in propagandâ ac amplificandâ religione Chriſtianâ ſtudium. Nam quò vicinior eſt aquæ decurſus primo capiti ac fonti, tantò ſolet puriùs ſcaturire: ſic quò propinquiores extiterunt Chriſto puriſſimo ſanctitatis ac veræ religionis fonti Pontifices, eò magis de plenitudine cæleſtium donorum ebiberunt. Vnde viri illius ætatis extiterunt planè diuini & admirabiles; vtpote quibus, vt propinquioribus, Spiritus ſancti cæleſtis & exoptandus imber latiùs ſeſe infudit. Quos oportuit eſſe tales, vt recèns erecta diuinitus ſtructura illorum operâ ac indefeſsâ diligentiâ magis ac magis increſceret. Quod vt opus producerent, augerent, defenderent, quas non moleſtias pertulerunt, quóſve labores inter Gentiles Chriſtiani nominis hoſtes acerrimos non exantlarunt? Dies planè me deficeret, ſi horum vigilias, ieiunia, pernoctationes, lacrymas, aſſiduas & ardentes orationes, pugnas cum Ethnicis, iniurias, & innumeras quas libentiſſimè pro Chriſti nomine pertulerunt difficultates, ſigillatim vellem oratione complecti: nam & temporum acerbitas, perſecutionum aſſiduus tyrannorumque furor, dæmonum illos impugnantium rabies, frequentes paſſim cædes, præſtanda gregibus exempla, facilè mihi perſuadent, illos fuiſſe diuinos & admirandos Heroas, tantiſque neceſſitatibus accommodatos.

29. Quòd ſi illorum temporum euoluamus hiſtorias, quod in aliis Prouinciis tunc accidit, & in noſtrâ Hiſpaniâ, atque adeò ciuitate Toletanâ, acciditſe, rationi conſentaneum eſt credere. Nam idem erat horum & illorum Deus, communis cauſſa, par vbique tyrannorum potentia, non diſſimilis fidelium ad martyrium amor & deſiderium. Si in aliis vrbibus multi Martyres extiterunt eo ſæculo, quid hi Toleti quoque fuiſſe confirmabimus? Hoc autem inter vtroſque intereſt, quòd, quia illorum adhuc manent Hiſtoriæ, ſic contigiſſe fatemur; quia tamen de Toletanis rebus omnino temporis iniuriâ Annales perierunt, affirmare non audemus; piè tamen credere & opinari id tutò poſſumus. Quæ quidem opinio ac fides pia ſatis eſt, vt dicamus tales illos viros Apoſtolicos per id tempus extitiſſe, quales in ſimilibus occaſionibus ſolet diuina prouidentia dare, & poſcit temporum acerbitas: nam à ratione diſſonum eſt affirmare, primis illis Paſtoribus non datum eſſe cælitus Spiritus ſancti influxum, & viſibiliter in linguis igneis in eos non fuiſſe delapſum, vt non multò priùs in centum viginti diſcipulos ſimul collectos die Pentecoſtes Ieroſolymis illapſus eſt; qui hos animauit, omni liberauit formidine, intrepidos effecit ad maxima quæque aggredienda & conſummanda. Fuerunt planè illi primi Paſtores aptiſſima Spiritus ſancti vaſa, homines animis altiſſimis prædíti, conſtantes, diuini, zelo Dei feruentes, 30.
gregum ſuorum mirabiliter amantes, & qui libentiſſimè pro Dei gloriâ & ouium ſalute ceruices carnificum mucronibus obiicerent. Ferè in eis nihil humanum, diuina omnia, mentis cogitatio, inſtitutum, conatus & opera. id quod frequenter incurſantes tyranni, & totus mundus in eos arma parans, infamiæ, carceres, cruciatus, bonorum expoliationes, exilia, verbera, infeſtationes, ſcommata, & ipsâ morte ſæuior mortis dilatio, manifeſtiſſimè poſtulabant. Tales extiterunt, & multò diuiniores adhuc illi primi religionis

Christianæ propagatores, tales & supradicti Toletani Pontifices, de quibus mentionem fecimus. Quòd si illorum res præclarè diuineque gestas non inuidisset nobis vetustas pernicioſa, proculdubiò in singulis istis heredibus expressam Apostolicæ sanctitatis imaginem possemus intueri.

31. An verò Pelagius noster minor Pelagio Laodicensi erit, vitæ sanctimoniâ, zelo fidei, & custodiendi commissi sibi gregis studio & diligentiâ? Atqui noster Pelagius heres fidei magistri sui Marcelli fuit, vt Marcellus S. Petri Apostolorum Principis, & in gubernatione totius Ecclesiæ primi Christi successoris: quem quis mihi negare potest virum fuisse prorsus Apostolicum, qui successit Eugenio Petri discipulo, & à Clemente Pontifice ad Hispanias missus? Eugenius planè fuit vir Apostolicus, Pelagius viri Apostolici primarius successor & discipulus: qui quidem Eugenius (ne vel hoc prætermittam) admonitus Epistolis Clementis & Anacleti, & ex speciali commissione Legatus S. Clementis (vt Christus Petrusque censuerunt) Primatum totius Hispaniæ Toleti constituit. Non quòd eo tempore in eâ non essent vrbes aliæ splendidiores, maiores & augustiores Toleto; sed quia ciuitas hæc est velut vmbilicus totius Hispaniæ. Hæc potissima causſa mouit sanctum Eugenium ad stabiliendum totius Hispaniæ Toleti Primatum, sicut Trophimum sancti Petri discipulum aliæ peculiares potuerunt impellere, vt poneret Sedem totius Galliæ primariam in vrbe Arelatensi, vt patet ex constitutione Iustiniani Imperatoris in Concilio Constantinopolitano 2. Tom. Concil. fol. 581. Et eâ de re extant Epistolæ S. Zosimi Papæ in Arelatensi tabulario, quibus declaratur hoc fuisse ciuitatis huius priuilegium, datæ anno CCCC.XVII. Fuit hic & Vicarius Summorum Pontificum, ex eisdem litteris, & litteris S. Gregorij indictione XIII. ad Episcopos Galliæ, ad Vigilium Arelatensem Episcopum, ad Childebertum Regem Gallorum: de quo aliàs.

Sanctum autem Eugenium, & eius successores, multas Synodos collegisse me docet affirmare Can. 38. Apostolorum, qui sic statuit: *Bis in anno Episcoporum Concilia celebrentur, vt inter se inuicem dogmata pietatis explorent, & emergentes Ecclesiasticas contentiones amoueant; semel quidem quartâ Feriâ Pentecostes; secundò verò duodecimâ die mensis Hyperberetæi*, id est, Octobris. Quod etiam exemplis magis illustratur.

32. Telesphorus, qui rexit Ecclesiam Catholicam anno circiter C.XXVII. & fuit synchronos eidem Eugenio, habuit eo tempore Romæ Concilium, vt ipse testatur in Epistolâ ad omnes orbis Episcopos. *Quapropter*, ait, *cognoscite à nobis, & à cunctis Episcopis in hac sanctâ & Apostolicâ Sede congregatis.* Quòd si Romæ in oculis omnium, & in theatro orbis terrarum, nec metus persecutionum, nec tyrannorum rabies potuit esse impedimento, quominùs in vnum tot Episcopi ad Concilium conuenirent; quid obstitit Eugenio, eiusque Suffraganeis, vt bis in anno, iuxta præscriptum Apostolorum Canonem, Synodum Toleti non colligerent? Accepit ergo S. Eugenius, ni mauis esse Pelagium eius successorem, litteras à Telesphoro, missas omnibus totius mundi Episcopis; quibus dicitur in illo Concilio statutum esse, vt septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes Clerici in sortem Domini vocati à carne se abstineant; & vt in peruigilio Natiuitatis tres Missas singuli Sacerdotes celebrent; & in illis hymnus Angelorum, *Gloria in excelsis Deo*, in sacrificio cantetur; vt Episcopi multùm honorentur; & ne temerè quiuis accusatores admittantur.

33. Anno C.XXXIX. accepit Pelagius Epistolam encyclicam pro omnibus fidelibus, in quâ tractatur de missione Filij à Patre: quam multis sacræ Scripturæ testimoniis comprobat, & deinde agit de causſis Episcoporum, maiorumque

rumque criminationibus, & de peregrinis iudiciis: docetque in singulis prouinciis designandos esse iudices comprouinciales. ait enim: *Ceterùm, fratres (saluo in omnibus Romanæ Ecclesiæ priuilegio) nullus Metropolitanus absque ceterorum comprouincialium Episcoporum instantiâ, aliquorum causſas audiat, quia irritæ erunt aliter actæ, quàm in conspectu eorum omnium euentilatæ: & ipse, si fecerit, coërceatur à fratribus. Criminationes maiorum natu per alios non fiant, nisi per ipsos qui crimina intendunt; si tamen ipsi digni & irreprehensibiles apparuerint, & actis publicis docuerint, omni suspicione carere & inimicitiâ, atque irreprehensibilem fidem habere ac conuersationem ducere. Nec non & peregrina negotia & iudicia prohibemus: quia indignum est vt ab externis iudicentur, qui comprouinciales & à se electos debent habere iudices.* Data est Epistola XVII. Kal. Octobris, Magno & Camerino Coss. Vbi & prætereundum non est, iam tum fuisse Metropolitanos, Diœceses atque Primates. prohibitum est quoque, iuxta S. Apostolum Paulum, Christianis, ne ad tribunal Ethnicorum sisterent fratres. Nactus est idem Pelagius tempora S. Pij Papæ; & ab illo recepit Epistolam encyclicam, vbi sic: *Omnibus Ecclesiis in eâdem quâ sumus fide & doctrinâ manentibus, Pius Apostolicæ Sedis Archiepiscopus. Gratias agimus, fratres, Deo, quoniam crescit fides vestra, & abundat charitas vniuscuiusque omnium vestrûm in inuicem; ita vt nosipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei.* & infrà: *Ceterùm nosse vos volumus, quòd Pascha Domini die Dominicâ annuis solemnitatibus sit celebrandum. Istis ergo temporibus Hermes doctor fidei & Scripturarum effulsit inter nos: & licet nos idem Pascha prædictâ die celebremus; quia tamen quidam inde dubitauerunt, ad corroborandas animas eorum, eidem Hermæ Angelus Domini in habitu pastoris apparuit, & præcepit ei, vt Pascha die Dominico ab omnibus celebraretur. Inde & vos Apostolicâ auctoritate instruimus, omnes eadem seruare debere: quia & nos eadem seruamus; nec debetis à capite quoquo modo dissidere.* Data est hæc Epistola Claro & Seuero Coss. 34.

Quod spectat ad Quinctum Episcopum (re & nomine Quintum) Toletanum, nihil est quòd de nouo dicamus. Sequitur Vincentius sextus in ordine, quibusdam septimus, quia post Eugenium ponunt Honoratum. Scripsit hoc tempore sanctus Vrbanus Papa Epistolam encyclicam, quâ docet Clericos omnes vixisse in communi, quibus ad victum & vestitum Episcopi ministrabant necessaria. Sic sanctus Vrbanus: *Videntes ergo Sacerdotes summi, & alij, atque Leuitæ, & reliqui fideles, plus vtilitatis posse afferre, si hereditates & agros quos vendebant, Ecclesiis, quibus præsidebant Episcopi, afferrent, eò quòd ex sumptibus eorum tam præsentibus quàm futuris temporibus, plurima & elegantiora possent ministrare fidelibus communem fidem ducentibus, quàm ex pretio eorum, cæperunt prædia & agros, quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum viuere. Ipsæ verò res in ditione singularum Parochiarum Episcoporum, qui locum tenent Apostolorum, erant, & sunt vsque adhuc, & futuris semper debent esse temporibus. E quibus Episcopi, & fideles dispensatores eorum, omnibus communem vitam degere volentibus, ministrare cuncta necessaria debent, prout meliùs potuerint, vt nemo in eis egens inueniatur. Ipsæ enim res fidelium oblationes appellantur; quia Domino offeruntur. Non ergo debent in aliis vsibus quàm Ecclesiasticis, & prædictis Christianorum fratrum, conuerti, quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atque ad prædictum opus explendum Domino tradita.* Pœna in contrarium agentes inferiùs statuitur his verbis: *Quod si quis fecerit, post debitæ vltionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos iure promenda est, perpetuâ damnetur infamiâ, & carceri tradatur, aut exilio per-* 35.

petuo deportationis vtatur. & inferiùs: *Memoratis ergo augmentationibus ac cultibus in tantum Eccleſiæ, quibus Epiſcopi præſident, Domino adminiculante, creuerunt, & tantis maxima pars earum abundant rebus, vt nullus ſit in eis, communem eligens vitam, indigens: ſed omnia neceſſaria ab Epiſcopo ſuisq; miniſtris percipit. Ideò ſi aliquis extiterit modernis temporibus, qui hæc auellere nitatur, iam dictâ damnatione feriatur.*

36. Benè videt candidus Lector, quomodo ſanctus Eugenius Toleti, aliíque in aliis vrbibus vitam ſuſtinuerint Pontifices; nimirum ex hereditatibus, quas fideles Eccleſiis relinquebant. Collecti ſumptus vel reditus, ſatis erant ſuſtentandis ipſis Epiſcopis Eccleſiæ miniſtris (qui inde cœperant dici cœnobitæ, quia vitam communem regulamque traducebant) pauperibus, & omnibus aliis, qui vitam communem & pænè diuinam vitæ priuatæ præpoſuerunt. Cùm verò hæc maxima vigeret parſimonia, abeſſet omnis faſtus & ambitio ab illis Patribus, Spiritus ſancti gratiâ doniſque flagrantibus; paruæ quidem opes multis alendis pares erant. Cuius rei ſimulacrum expreſſum eſt in ſacris Religionibus, vbi viuunt interdum centeni tam exiguis redditibus & hereditatibus, vt vni equiti non ſplendidè ſe tractanti ſatis eſſe vix ſoleant. vſque adeò natura & regularis diſciplina pauciſſimis contenta eſt. Vixerunt igitur ſacer Eugenius, & multo tempore eius ſucceſſores, non eo ſplendore & apparatu (etſi nunc quidem neceſſario) quo nunc Epiſcopi viuunt; ſed in maximâ paupertate, diuites cæleſtium donorum, & pauciſſimis, iiſque neceſſariis, rebus contenti; pleni quidem ſanctimoniâ, & verâ laude: Præſules illi, quos nobis Deus dedit ceu duces & fundatores Eccleſiarum (quos & nunc meritò veneramur in auro, qui vitam olim traduxerunt in cinere atque cilicio) ſordidi in oculis hominum huius mundi & deſpicabiles, in conſpectu verò Dei maximopere pretioſi.

37. Sed aduerte, à principio naſcentis Eccleſiæ inoleuiſſe, vt Pontifices in altis locis ſedes ſuas haberent. Quod docet Vrbanus his verbis: *Sedes in Epiſcoporum Eccleſiis excelſæ conſtitutæ ac præparatæ inueniuntur, vt thronus ſpeculationem, & poteſtatem iudicandi, & ſoluendi atque ligandi à Domino ſibi datam materiam doceat: ideò iſta prætulimus* (addit ſanctus Vrbanus) *chariſſimi, vt intelligatis poteſtatem Epiſcoporum veſtrorum, in eiſq; Deum vereamini, & eos vt animas veſtras diligatis; & quibus illi non communicant, non communicetis; & quos eiecerint, non recipiatis.* Olim erat iam votum paupertatis. ſic addit: *Et quicumque veſtrûm vitam communem ſuſceptam habet, & vouit ſe nihil proprium habere, videat ne pollicitationem ſuam irritam faciat; ſed hoc quod Domino eſt pollicitus, fideliter cuſtodiat, ne damnationem, ſed præmium ſibi acquirat; quoniam ſanctius eſt non vouere, quàm votum, prout meliùs poteſt, non perficere.* Docet poſtremò, cunctis fidelibus poſt Baptiſmi ſuſceptionem dandum eſſe Sacramentum Confirmationis, vt plenè Chriſtiani inueniantur: quia cùm Spiritus ſanctus infunditur, fides ad prudentiam & conſtantiam dilatatur: de Spiritu ſancto accipimus, vt efficiamur ſpirituales.

38. Pontifice Toletano Vincentio dubitatio quædam in Hiſpaniâ exorta eſt, fortaſſis aliquo Præſule de ſuâ primâ Sede ad aliam mutato, liceretne, quam quiſque Pontifex primò habuit Eccleſiam, deſerere, & ad aliam abire? Super quâ re habito Concilio (vt rectè putat Ambroſius Morales) inter Toletanos & Bæticos Epiſcopos, nec ſine magnis contentionibus & iurgiis, decretum eſt, vt Sedes Romana conſuleretur. Erat Pontifex Pontianus iam (vt creditur) martyrio coronatus, cùm Epiſtola horum Præſulum peruenit, & inierat Summum Pontificatum Anterus: & reſpondet: non enim dicit ſe litteras

litteras illorum accepiſſe, ſed ita: *De mutatione ergo Epiſcoporum, vnde ſanctam Sedem Apoſtolicam conſulere voluiſtis,* &c. Primò hortatur illos ad pacem, dicens: *Chariſſimis fratribus per Bæticam atque Toletanam prouinciam Epiſcopis conſtitutis Anterus Epiſcopus in Domino ſalutem. Optarem, fratres chariſſimi, ſemper dilectionis & pacis veſtræ ſinceritatis gaudia audire, ita vt viciſſim diſcurrentibus litteris ſoſpitatis indicia facerent, ſi ab incurſione ſuâ vacare hoſtis antiquus ſineret, qui ab initio mendax, inimicus veritatis,* &c. Statim reſpondet neceſſitatis & vtilitatis cauſsâ poſſe mutari Præſules ex hac ad illam Eccleſiam. Quo loco præterire non poſſum, quanta fuerit Hiſpanorum ab Apoſtolicis temporibus in ſanctam Romanam Eccleſiam, & quàm ſingularis deuotio, vt in ſuis dubiis & perplexis quæſtionibus ad illam, tamquam ad certiſſimam veritatis Magiſtram, ſuppliciter acceſſerint. Nec id nunc primùm factum quis in animum inducat ſuum; multò priùs id fecit ſanctus Eugenius Marcellus, qui conſulturus Clementem Pontificem Maximum, miſit S. Vitalem Archipresbyterum ſuum. idemque ſedulò & crebrò feciſſe ſucceſſores eius, mihi facilè perſuadeo, qui tam admirabilis Magiſtri veſtigiis inſiſtentes, quod ab illo fideliter didicerunt, opere ſimul præſtitiſſe dicendi ſunt. Gratulatur deinde Pontifex S. Anterus Hiſpanis, vt ſic currat & clarificetur ſermo Domini, ſicut currit & clarificatur apud illos. Verba ſunt concepta tanti Pontificis hæc: *De cetero orate pro nobis,* 39. *vt ſermo currat, & glorificetur, ſicut & apud vos; & vt liberemur ab importunis & malis hominibus. Non enim omnium eſt fides: fidelis autem Deus eſt, qui confirmabit vos & cuſtodiet à malo. Quapropter ponite indeſinenter corda veſtra in virtute Dei, & reſiſtite ſemper malis, & enarrate hæc, iuxta vocem Prophetæ, in progenies alteras; quoniam hic eſt Deus, Deus noſter in æternum, & ipſe reget nos in ſæcula. Vnde vos, qui in ſpeculâ à Domino conſtituti eſtis, comprimere & repellere hos ſummoperè debetis, qui fratribus inſidias præparant, aut in eos ſeditiones & ſcandala: facile eſt enim hominem verbo fallere, ſed non Dominum. Ideò hos reprehendere, & ab his vos auertere oportet, quatenus extinctâ funditus huiuſmodi caligine Lucifer eis reſplendeat, & lætitia oriatur in cordibus eorum.* Hactenus S. Anterus Papa.

Notanda ſunt hæc verba, & in primis illa, quibus docet optimè currere 40.
in Bæticâ & prouinciâ Toletanâ ſermonem Dei, & glorificari. Nec minùs obſeruandum illud, malos Chriſtianos & Gentiles fidelibus inſidias tendere, vt deficiant à fide; & quando hoc obtinere non eis datur, ſeminare lites, iurgia, contentiones ac diſſidia inter fratres: quos ob id iubet à cœtu fratrum ſeparari, vt pudefacti in ſe redeant, ac eo genere punitionis diſcant benefacere. Non dubito quin inimicus homo dæmon, inuidens felicitati Chriſtianorum in Hiſpaniâ lætiſſimè currentium, omnem mouerit lapidem, vt in lætiſſimam ſegetem zizania & mille mala ſemina diſpergeret. Quare ſanctis illius ſæculi Pontificibus ſummopere nitendum fuit, vt huiuſmodi peſtes à populo Dei arcerentur: quibus pugnantibus contra tot monſtra & homines improbos & malitioſos, multa toleranda & deuoranda ſeſe paſſim obtulerunt; vt nihil interim dicam de continuis ac ſibi mutuò cohærentibus perſecutionum tempeſtatibus & procellis, quas inferni rabies in fidelium greges malitiosè concitabat, vt verum ſit illud Doctoris Gentium, *Intus timores, foris pugnæ.* Sed timorum victrix omnipotentis Dei virtus, afflictans ſuos per confertos laborum & ærumnarum cuneos, de tyrannis, ac eorum capite ac duce dæmone, glorioſiſſimè triumphabat.

Quòd autem Chriſtiani nominis gloria penes Toletanos floreret, præ- 41.
ter dicta ſuperiùs ſatis abundans eſt teſtimonium, quòd Thyrſus ciuis Toletanus

letanus Apolloniæ tot tantaque genera suppliciorum pertulit, vt iure optimo posset censeri diuinus alter Hercules: qui non mendacibus antiquorum fabulis, aut suis viribus fisus, sed potentiâ Christi, & veritate fidei, quam obnixè defendebat, tot monstra prostrauit, quot supplicia, quot tormenta pertulit. Et abundè lapis ille declarat, quem Toletani Christiani Christianis Imperatoribus Philippis patri & filio in foro publico, cum equestri statuâ dedicarunt; non tam beneficiorum magnitudine commoti, quæ nulla ab eis accepisse legimus, quàm quòd illi firmiter Christi fidem colerent, & Christianorum Imperatorum vel solo nomine delectarentur. Lapis nunc in arcis Toletanæ edito loco sic habet:

IMP. CÆS. M. IV-
LIO. PHILIPPO PIO.
FEL. AVG. PARTHICO.
PONT. MAX. TRIB. POT.
P. P. CONSVLI.....
TOLETANI. DEDITIS-
SIMI. NVMINI. MAIESTATIQ.
EIVS. D. D.

42. Hic lapis & statua posita sunt Philippis à Toletanis ciuibus ex Senatus Toletani consensu: nec enim aliter auderent ciues ponere iniussu Senatus sui. quod manifestè declarat, maiorem & præcipuam partem Senatus illius ex hominibus iam tinctis sacro Baptismate constare. Quòd si plures essent Gentiles, non sinerent poni tale monimentum; & si consentirent, dubio procul adderent: *Pont. Maximi nomen.* Quo non addito, signum est, lapidem à Christianis erectum. Nec minimam partem ad erigendum hoc saxum esse crediderim tam ipsos Christianos, quàm vehementem S. Paulati Pontificis tunc Toletani cùm precatum tùm admonitionem (quod non adulationi Cæsarum, sed religioni nouorum Christianorum vendicandum) & ingens gaudium, quod Toletani ceperunt ex felicissimo nuntio tantæ pietatis.

Nota. *At illud verbum* numini eius, *qui potuit à Christianis apponi, qui nullum numen præter Deum verum cognoscebant?*

Successit Antero sanctus Fabianus; qui nihil prius, nihil habuit antiquius, quàm statim ad omnes Ecclesias scribere. Quo loco mirari satis non possum, cur sapientissimus Cardinalis Baronius dicat deprauatam esse hanc Epistolam, quòd de hæresi Nouati dicat; cùm ex Pamelij constet Annotationibus, multò priùs temporibus Cornelij, & à principio Pontificatus Fabiani, iacta fuisse tam pernicioſi schismatis fundamenta, ac hæreticum hominem iam sese prodidisse. Legat qui voluerit Epistolam 49. & 6. S. Cypriani, & obseruationes ad illas doctissimi Pamelij. Sed iam reuertor ad Fabianum, qui sic scribit: *Charissimis vbique Catholicæ Ecclesiæ comministris Fabianus salutem in Domino. Diuinis præceptis & Apostolicis monemur institutis, vt pro cunctarum Ecclesiarum statu, impigro vigilemus affectu. Vnde consequens est, debere vos scire quæ apud Romanam in sacro aguntur ritu Ecclesiam, vt eius sequentes exempla, eius veri filij inueniamini, quæ vestra est mater vocata. Septem ergo Diaconos in vrbe Româ per septem regiones ciuitatis, sicut à Patribus accepimus, habemus; qui per singulas hebdomadas & Dominicos dies, atque festiuitatum solemnia, cum Subdiaconibus & Acolythis, ac sequentium Ordinum ministris, inuncta sibi seruent mysteria, & parati omni horâ sint ad diuinum officium, & quidquid eis iniungitur peragendum. Similiter & vobis, prout opportunum fuerit, per singulas ciuitates est faciendum, vt diuinum absque vllâ morâ & negligentiâ studiosè ac solemniter peragatur officium. Denique septem Subdiaconos similiter ordinauimus, qui septem Notariis imminerent, & gesta Martyrum veraciter in integro colligerent, nobisq; rimanda manifestarent.*

Quod etiam vos omnes agere monemus, ne in posterum aliqua ex eis dubitatio fiat, quæstioq; oriatur; quoniam omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt; & quæ nostris temporibus veraciter scribuntur, ad futuram doctrinam diriguntur: & ideò fidelissimis hæc negotia committi præcipimus, ne aliqua in eis illusio inueniatur, ex quâ scandalum fidelibus, quod absit, oriatur. Hæc ille. iubetque excommunicatos, & infideles, & apostatas, nullo modo testes esse debere, nec posse.

Quòd si iubet in omnibus vrbibus esse septem Diaconos, & totidem Subdiaconos, & in vrbibus Hispaniæ fuisse credendum est, iuxta præceptum sanctæ Romanæ Ecclesiæ; quantò magis fuisse septem illos Diaconos, & totidem Subdiaconos dicemus in vrbe Toletanâ, totius Hispaniæ meditullio, ac Ecclesiâ Primate? Erant autem Notarij, qui quæ extra cancellos cum Martyribus vel agerentur vel dicerentur, magnâ adhibitâ cautelâ, consuetis notis quàm celerrimè in tabulis notabant: Exceptores verò sunt Notarij publici, qui intra cancellos, obducto velo coram iudicibus, cùm de ipsis quæstio habebatur, quæ agerentur dicerentúrve, notabant, & in Acta referebant; quæ in prouinciis Proconsularia dicebantur. Quorum Actorum exempla Christiani collectâ pecuniâ redimere solebant, & inter Acta Martyrum sedulò asseruare. Ceterùm notæ olim à Tirone Ciceronis liberto primùm excogitatæ, vt Eusebius tradit in Chronicis; vel à Mæcenate, vt Dio lib. 33. non verba tantùm, sed etiam sententias integras continebant: vt non mireris, aut impossibile ducas, scriptas fuisse longas Martyrum orationes, quæ ipsorum Actis interdum reperiuntur intextæ: licet non negandum, aliquas ex illis posteà superadditas. Certè quidem, si quid apud iudices ius valebat, & spatium suæ dicendæ causæ, reis lege concessum nouem horarum spatium, vt Plinius docet lib. 4. Epist. 9. vt accusatoribus sex dabatur, poterant longiores apud eos habere orationes. Horum Notariorum perniciſſimam operam, non in conscribendis tantùm Actis Martyrum, sed & in publicis excipiendis cùm hæreticis disputationibus, mutuisque collationibus, atque in sanctorum Conciliorum gestis scribendis, laudat D. Augustinus 2. de Doctrinâ Christianâ cap. 26. sic dicens: *Ex eo genere sunt etiam notæ, quas qui didicerint, propriè iam Notarij appellantur.* Sic Martialis de horum velocitate:

Currant verba licet, manus est velocior illis:
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

43. Hoc tempore cogebant Gentiles Christianos deserere fidem, & Christum abnegare, vel verbo vel scripto: qui id faciebant libello, dicebantur *Libellatici.* Horum multos habuit Hispania; sed beneficio Dei nullos scimus horum Toleti scripto, vel libello, Christum abnegasse: abnegarunt autem Episcopus Martialis & Basilides, vt constat ex Epistolâ S. Cypriani, ad plebem consistentem ad Legionem, &c.

44. Consecuta sunt tempora Lucij Papæ, currebatque annus CC.LVI. qui fuit primus sancti Pontificis Lucij; &, quantum ex Epistolâ eius colligitur, conuenerant Episcopi Galliæ & Hispaniæ ad Concilium circa quasdam dubitationes, & de illis ad Cornelium Episcopum litteras præmiserant; quibus is martyrio præuentus respondere non potuit. conueniſſe autem ad aliquem locum vtrique parti satis accommodatum, ratio ipsa persuadet, vel Cæsaraugustæ, vel Tarracone: nisi mauis Barcinone. Quid autem illis respondeat Lucius, sic eius verba testantur: *Dilectissimis Fratribus omnibus in partibus Occidentalibus, tam in Gallijs quàm in Hispaniis consistentibus, Lucius Episcopus in Domino salutem. Litteras dilectionis vestræ, quas ad B. Petri Sedem pro*

45.

veſtri cauſsâ negotij miſiſtis, libenter ſuſcepimus. Sed de veſtris afflictionibus contriſtati ſumus: ſignificaſtis enim, vos tam à quibuſdam non rectam fidem tenentibus, ſed erroribus implicitis, quàm & ab aliis eos comitantibus perſequi & infamari, atque veſtras Eccleſias ſuis dotibus & fidelium oblationibus ſpoliari, veſtroſq; miniſtros nimis vexari: & ideò multos à vobis & à rectâ fide diſcedere, quoniam eis non poteſtis defenſionem impendere, nec ea quæ neceſſaria ſunt, miniſtrare. Scire debet Lector accuratus, hîc agere de hæreſi & fautoribus Nouatiani hæreſiarchæ, dicentis, non eſſe recipiendos vllo modo lapſos ad pœnitentiam; intercludebat enim omnino viam ſemel à fide lapſis ad veniam, & pœnitentiæ ſalutarem portum, qui non ſolùm hæreticus, ſed & ſchiſmaticus fuit, contra ſanctum Pontificem Cornelium. Et hoc fuit primum in Eccleſiâ Catholicâ ſchiſma. Sic Cornelius in Epiſt. ad omnes orbis Epiſcopos, vbi agit de tranſlatione ſanctorum Petri & Pauli; pòſt ſubdit: *Hæc inuidens antiquus hoſtis, ſuſcitauit nobis aduerſarium Nouatianum, & in Africâ Nicoſtratum (vtroſque hæreticos) ſicut ille erat, rectæ fidei & ſanctæ doctrinæ æmulum: qui extra Eccleſiam ordinauit Nouatianum. Hi verò conatibus quibus potuerunt multos à rectâ & Catholicâ fide ſuadentes recedere fecerunt, & poſt ſe in peruerſam & Deo odibilem doctrinam corruere perſuaſerunt. ſed ſicut iſtorum tergiuerſationibus nimis ſumus conſternati, & de eorum perditione contriti; ſic de aliorum conuerſatione (Domino auxiliante) ſumus lætificati. Deus autem omnipotens, qui triſtibus miſcet læta, oppidò nos lætificauit, quòd quidam Confeſſores, qui dudum fuerant fideles, & à nobis, & à rectâ fide, diabolo inſtigante ſe ſeparantes, cum Maximo Presbytero ad Eccleſiam Catholicam & fidem rectam ſunt reuerſi, & denuò, ſicut priùs, facti ſunt Confeſſores fideles. Quapropter, chariſsimi, hortamur vos, & deprecamur per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, prædictos hæreticos, & omnes quos à rectâ fide & doctrinâ apoſtatare cognoueritis, exhortationibus & bonis ſtudiis veſtris ad Catholicam fidem & rectam doctrinam conuertere contendite, & in Dei voluntate perſiſtere ſuadete; & non ſolùm hos, ſed omnes, qui nondum fidem rectam perceperunt, ad Catholicam fidem perducere feſtinate.* Perſecutio, de quâ agit Lucius, eſt excitata à Nouatiano, & eius complicibus: nam, vt ſunt procliuia mortalium ingenia, plerumque ad id quod deterius eſt, ſi tamen nouum eſt; cùm miſiſſet pſeudopontifex pſeudolegatos per omnes orbis prouincias, illi quidem cum aliis coniuncti, qui dicebant Catholicos fauere Thurificatis & Libellaticis, maximam ſtragem fecerunt poſitis per vrbes pſeudopontificibus, hoc eſt, ſectæ Nouatianæ: & colligebant fructus, reditus, vectigalia, decimas & eleëmoſynas Catholicarum Eccleſiarum, vt ſuos pſeudoepiſcopos & miniſtros alerent. Vnde factum eſt, vt Catholici Præſules bonis ſuis priuati, non haberent vnde aliàs ſe ſuoſque miniſtros alerent. & inde dici non poteſt, quantus numerus Catholicorum hominum à fide Catholicâ deficiens ad hæreſim Nouatiani transfugerit. Quod ſanctus Cyprianus eleganter Epiſt. 52. ad Antonianum Numidiæ Præſulem ſcribens declarauerat, his verbis: *Ille* (ſcilicet Nouatianus) *poſt Dei traditionem, poſt connexam & vbique coniunctam Catholicæ Eccleſiæ vnitatem, humanam conetur Eccleſiam facere, & per plurimas ciuitates nouos Apoſtolos ſuos mittat, vt quædam recentia inſtitutionis ſuæ fundamenta conſtituat: cùm iam pridem per omnes prouincias & per vrbes ſingulas ordinati ſint Epiſcopi in ætate antiqui, in fide integri, in preſſurâ probati, in perſecutione proſcripti; ille ſuper eos creare alios pſeudoepiſcopos audeat.* Illuſtris planè eſt hic locus, quo nobis deſcribit, & quaſi ſuis obumbrat coloribus ſanctus Cyprianus Epiſcopos prouinciarum illius temporis. Talis erat noſter Paulatus Toletanus,

tanus, ætate venerandus, integer in fide, in preſſurâ probatus, & in perſecutione ſuorum bonorum proſcriptionem paſſus. Quanta verò illi patientia neceſſaria fuit ad tolerandum in Eccleſiâ ſuâ Pontificem alium hæreticum, qui bona, quibus ſe ſuoſque miniſtros, orphanos & viduas ſuſtentare debuerat, pſeudoëpiſcopus in profanos vſus conuerteret? Acerba quidem erant illa tempora, cùm intus hæreſes, foris acerbiſſimæ truculentiſſimæque perſecutiones ſæuirent. Hinc colligimus, noſtrum ſanctum Pontificem Paulatum præclariſſimum Confeſſorem extitiſſe.

Contrahit interim ſanctus Cornelius Synodum Romæ LX. Epiſcoporum: in quibus interfuerunt ex Hiſpaniâ, Hilarius Bracharenſis, & Paulatus Toletanus; poſteà in omnibus Hiſpaniæ prouinciis, vt & in Italiâ & Africâ, confertæ coguntur Synodi; Toleti ſub Paulato, Bracharæ ſub Hilario, Tarracone, Cæſarauguſtæ & Emeritæ, in quibus accipitur fides Romanæ Eccleſiæ, vt mitiùs habeantur lapſi, & ad pœnitentiam admittantur. Hoc docet Euſebius lib. 6. Eccleſiaſt. Hiſtor. cap. 35. his verbis: *Hæc Dionyſius, de lapſis faciens ſermonem: quo tempore Nouatus Romanæ Eccleſiæ Presbyter, elatione quadam tumidus, ſpem penitus eis ſalutis ademerat, etiamſi dignè pœnituiſſent. Ex quo & princeps hæreſeos extitit Nouatianorum, qui ab Eccleſiâ ſeparati, ſuperbo nomine ſemetipſos καθαρους, id eſt puros, appellarunt: ob quam rem Concilium Sacerdotale celeberrimum in vrbe Româ congregatum eſt, Epiſcoporum* LX. *numero, Presbyterorum totidem, cum Diaconis plurimis. Prætereà etiam per ſingulas quaſque Prouincias de hac re magnâ deliberatione habitâ decretis ſignificatur, quid facto opus eſſet. Statuitur ergo, Nouatum quidem cum iis qui eum in eâ elatione tumidum ſequerentur, quiq; ad inhumanam iſtam & nihil fraternæ charitatis ſeruantem ſententiam declinarent, alienum eſſe ab Eccleſiâ; eos verò qui lapſi in certamine fuerint, fraternâ miſeratione curandos, & fomentis pœnitentiæ medicandos.* Hæc Euſebius. Nec dubito multos in Hiſpaniâ Galliâque lapſos fuiſſe, & in errorem Nouatianorum illectos. quod docet ſanctus Pontifex hac ſuâ Epiſtolâ. Sed ad cetera ſermonem conuertamus. 46.

Illi nequam homines ſolebant multa Chriſtianis Pontificibus imponere crimina. ob id præcepit Lucius: *Propter tales hortamur vos, ſicut in hac ſanctâ Eccleſiâ conſtitutum habemus, vt teſtes ſemper vobiſcum Sacerdotes & Diaconos habeatis; & licet conſcientia ſufficere poſſit propria, tamen propter maleuolos, iuxta Apoſtolum, etiam teſtimonium vos oportet habere bonum ab iis qui foris ſunt: quoniam in hac ſanctâ Sede conſtitutum habemus, vt duo Presbyteri, vel tres Diaconi, in omni loco Epiſcopum non deſerant, propter teſtimonium Eccleſiaſticum. Epiſcopi ergo non ſunt leuiter accuſandi, vel detrahendi; quia iniuria eorum ad Chriſtum pertinet, cuius vice & legatione funguntur in Eccleſiâ. Vnde nobis, & omnibus qui nobiſcum ſunt, in noſtro ſolatio, ſicut & olim factum inuenimus, conſtitui placuit, vt criminationes maiorum natu per alios non fiant, niſi per ipſos qui crimina intendunt: ſi tamen ipſi digni & irreprehenſibiles apparuerint, & actis docuerint publicis, omni ſe carere ſuſpicione atque inimicitiâ, & irreprehenſibilem fidem ac vitam ducere. vnde placuit, vt quibuſcumque iudicibus Eccleſiaſticis, ad alios iudices Eccleſiaſticos, vbi eſt maior auctoritas, ſi fuerit prouocatum, audientia non negetur. Item conſtituimus, ſicut à ſanctis Apoſtolis eorumq; ſucceſſoribus decretum reperimus; ſiquis Metropolitanus Epiſcopus, niſi quod ſolummodò ad propriam pertinet Parochiam, ſine conſilio & voluntate omnium comprouincialium Epiſcoporum, extrà aliquid agere tentauerit, gradus ſui periculo ſubiacebit; & quod egerit, irritum habeatur & vacuum. Sed quidquid de comprouincialium Epiſcoporum cauſsis, eorumq; Eccleſiarum,* 47.

rum, & Clericorum, atque ſæcularium neceſsitatibus, aut de quibuſcumque communibus cauſsis agere aut diſponere neceſſe fuerit; hoc cum omnium conſenſu comprouincialium agatur Pontificum; non aliquo dominationis faſtu, ſed concordi & humillimâ adminiſtratione, ſicut dicit Dominus: Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare.

48. Hæc ſanctus Pontifex addit: *Similiter & ipſi comprouinciales Epiſcopi cuncta cum eius conſilio, niſi quantum ad proprias pertinet Parochias, agant, iuxta ſanctorum conſtituta Patrum, vt vno animo, vno ore concorditer ſancta glorificetur Trinitas in ſæcula. Similiter auctoritate fulti Apoſtolicâ præcipimus, vt nullus Metropolitanus Epiſcopus, abſque ceterorum omnium comprouincialium Epiſcoporum inſtantiâ, aliquorum audiat cauſſas; quia irrita erunt, & ipſe cauſſam pro facto dabit. Epiſcopi verò per ſingulas Prouincias obſeruent, ne poſteriores ſe prioribus ſuis præferant, nec eis inconſultis, niſi quantum ad propriam pertinet Parochiam, aliquid agant: ſed omnes de communibus eorum cauſsis conſonam ſententiam proferant, & determinent, quoniam aliter acta nullas vires habebunt, nec Eccleſiaſtica reputabuntur.* & inferiùs: *Res quoque Eccleſiarum veſtrarum, & collationem fidelium, quas ſignificaſtis à quibuſdam irruentibus vexari, vobiſq; & Eccleſiis veſtris auferri, non latenter maximum eſt peccatum.* Inferiùs docet eſſe ſacrilegium, ſic: *Quorum nos ſequentes exempla, omnes tales præſumptores, & Eccleſiæ raptores, atque ſuarum facultatum alienatores vnà vobiſcum, à liminibus ſanctæ matris Eccleſiæ anathematizatos auctoritate Apoſtolicâ pellimus & damnamus, atque ſacrilegos eſſe iudicamus: & non ſolùm eos, ſed omnes conſentientes eis; quia non ſolùm qui faciunt, rei iudicantur, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* & inferiùs: *A rectâ ergo fide & Apoſtolico tramite propter vllam perſecutionem nolite recedere.*

49. Nec ſolùm perſecutionis gladius deſæuiit, ſed lues vniuerſalis per totum terrarum orbem adeò graſſata eſt, vt non ſolùm domos, ſed integras vrbes ciuibus nudarit. de quâ Paulus Oroſius lib.7. cap.21. *Exoritur*, inquit, *vltio violati nominis Chriſtiani, & vſquequò ad profligandas Eccleſias edicta Decij cucurrerunt, eatenus incredibilium morborum peſtis extenditur: nulla ferè Prouincia Romana, nulla ciuitas, nulla domus fuit, quæ non illâ generali peſtilentiâ correpta atque vaſtata ſit.* Et Zonaras 2. lib.Hiſtor.his verbis: *Peſtis quoque tum Prouincias inuaſit, quæ ab Aethiopiâ orta, totumq; penè Orientem & Occidentem peruagata, multas vrbes ciuibus deſolauit; durauitq; per annos quindecim.* De hac ipsâ Euſebius in Chronico: *Peſtilens morbus totius orbis multas Prouincias occupauit, maximeq; Alexandriam & Aegyptum.* De quâ re ſcripſit Dexter in Chronicis, Galenus in ſuis operibus, Auguſt.lib.2. aduerſus Iulianum, contra duas Epiſtolas Pelagij lib.4. cap.8. de Prædeſtinatione Sanctorum cap.24. Multoque magis hoc Dei flagellum deiecit Catholicorum animos quàm tyrannorum perſecutio; qui ne deficerent, ſed in hac clade animos caperent, ſcribere aggreſſus eſt S. Cyprianus elegantem illum librum de Mortalitate. In Hiſpaniâ, non procul à Cordubâ, huius peſtis repertum eſt veſtigium, & ſimul antidotum contra eamdem, quod ego alio in loco affero,& expono ſatis fusè. Non dubito,quin in tantâ rerum ſtrage ſanctus Pontifex Paulatus officio functus ſit Paſtoris Chriſtiani & ſeduli,quem Deus ſeruauit vſque ad annum CC.LXXX. vt in tanto malo verbis, & quo licuit, pietatis officio, Toletanis ouibus ſuis ſedulò feruenterque deſeruiret.

50. Suborta eſt grauis & periculoſa quæſtio, An baptizati ab hæreticis, cùm ad Eccleſiam redirent, eſſent rebaptizandi. Multi Patres in Africâ cenſuerunt eſſe baptizandos: quia, cùm vnum ſit Baptiſma, idque ſit in Eccleſiâ, hæretici verò ſint extra Eccleſiam, non poterant baptizare. Habitum eſt eâ de re in Africâ Concilium, Præſide Cypriano Primate, & ad Iconium Lycaoniæ,& Synnadam Phrygiæ,vbi Patres illi ſecuti ſunt partes Cypriani. In Occidente illis vehementer reſtitum eſt, habitis Synodis, præcipuè Toleti (ex Iuliano Toletano) vbi aſſenſi ſunt determinationi ſancti Pontificis Stephani. de quo ſic Vincentius Lerinenſis: *Cùm ergo vndique ad nouitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquauerſum pro ſuo ſtudio reniterentur; tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus, Apoſtolicæ Sedis Antiſtes, cum ceteris quidem collegis ſuis, ſed tamen præ ceteris reſtitit; dignum (vt opinor) exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum fidei deuotione vinceret, quantum loci auctoritate ſuperabat. Denique in Epiſtolâ, quæ tunc in Africam miſſa eſt, idem his verbis ſanxit, nihil immutandum, niſi quod traditum eſt. Intelligebat enim vir ſanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi vt omnia, quâ fide à Patribus ſuſcepta forent, eâdem fide filiis conſignarentur; noſq; religionem, non quà vellemus ducere, ſed potiùs, quà illa duceret, ſequi oportere: idq; eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & grauitatis, non ſua poſteris tradere, ſed à maioribus accepta ſeruare. Quis ergo tunc vniuerſi negotij exitus? Quis vtique, niſi vſitatus & ſolitus? retenta eſt antiquitas, & exploſa nouitas. Sed fortè tunc ipſe nouitiæ adinuentioni patrocinia deſerüerunt. Imò verò tanta vis ingenij adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus aſſertorum numerus, tanta veriſimilitudo, tanta diuinæ legis oracula, ſed planè nouo ac malo more intellecta, vt mihi omnis iſta conſpiratio nullo modo deſtrui potuiſſe videatur, niſi ſolam tanti moliminis cauſſam, ipſa illa ſuſcepta, ipſa defenſa, ipſa laudata nouitatis profeſsio deſtituiſſet. Poſtremò ipſius Africani Concilij, ſiue decreti, quæ vires? donante Deo, nullæ: ſed vniuerſa, tamquam ſomnia, tamquam fabulæ, tamquam ſuperflua, abolita, antiquata, calcata ſunt.* Hæc Vincentius Lerinenſis. Fuit autem in hac parte Felix Vibulanus Epiſcopus Bracharenſis (vt auctor eſt Iulianus; non Africanus, vt leui ratione cenſet Pamelius) qui raptus partim Concilij auctoritate, partim (& multò magis) ſancti Cypriani Doctoris celeberrimi, quem conſuluit, pænè lapſus eſt; ſed accedens ad firmiſſimam petram, hoc eſt, Eccleſiam Romanam, ad Stephanum Pontificem Maximum, ab illo ſuſcepit quid crediturus eſſet: ad quem ſanctus Pontifex miſit litteras eâ de re, &, vt aliqui cenſent, quas ad Cyprianum Carthaginenſem Primatem tranſmiſerat. Sed in hoc felix noſtra fuit Hiſpania, quòd vicinitas tam pernicioſi incendij, quale ſæuiebat inter Afros, illi nocere non potuerit; maximè interpoſitâ S. Ambroſij Pontificis auctoritate, ad quem Hiſpani, tamquam ad certiſſimum totius orbis terrarum oraculum, certatim confugiebant. Sed de his ſatis.

51. Stephano defuncto ſuccedit Sixtus, Philoſophus Athenienſis, quem ad Hiſpanias venire potuiſſe negat Morales: facili & ſatis debili ratione; quòd Summi Pontificatus breuitas illum ab hoc officio faciat immunem. Ita fuiſſe non diffiteor; ſed auctores, qui eius aduentum confirmant, dicunt veniſſe antequam eſſet Summus Pontifex: cuius aduentum teſtantur, Dexter auctor pluſquam M.CC. annorum, & Iulianus Archipresbyter Toletanus D. S. Vincentius Ferrar. libro vel ſermone de ſancto Vincentio & S. Laurentio. Ioannes Belethus, Vaſæus in Chronico Hiſpaniæ, P. Ioannes de Mariana, Petrus de Alcozer in Hiſtor. Hiſpaniæ, Fr. Petrus à Vega in Flore Sanctorum, ego in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ Toleti, Fr. Ioannes Marieta in libro de Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ Hiſpaniæ, Doctor Iacobus Valdeſius Conſiliarius Regius lib.de Dignitate Regum Regnorumque Hiſpaniæ cap.7. num.60. & Illeſcas in Vitâ Sixti II. aſſerit Sixtum ſecum attuliſſe ex Hiſpaniâ Vincen-

tium & Laurentium. & in fine addit hæc verba : *Tieneſe por coſa muy aueriguada, que Sixto vino à nueſtra Eſpaña: y que della lleuò à Roma nueſtro ſantiſsimo Martyr Laurentio, natural de la noble ciudad de Hueſca, en el Reyno de Aragon.* Fr. Iacobus Philippus Bergomenſis in Supplemento Chronicor. lib.8. ſic ait : *Vir certè præter ſanctitatem doctiſsimus, & Philoſophus clariſsimus: qui cùm longè ante Pontificatum prædicando ac docendo omnem peragraſſet Hiſpaniam, & inter ceteros Laurentium & Vincentium præcipuos diſcipulos ſibi delegiſſet, cum eiſdem Romam rediens, omnium conſenſu Pontifex Maximus deſignatus eſt.* Hæc ille. Idem Gariuaius. Cùm audis iuiſſe ſanctum Vincentium Romam cum Sixto, intellige puerum decennem, paſſum verò quinquagenarium: in quo quia vigebant vires & viror ætatis virgineus, videbatur eſſe tricennalis: adeò decore venuſtatis & roboris præſtantiâ florebat. In tabulario Eccleſiæ Oſcenſis in Aragoniâ ſeruantur veteres quædam ſchedæ;in quibus ſatis longè declaratur aduentus huius Pontificis ad Hiſpaniam, & quid egerit Oſcæ. Multum debent Hiſpaniæ huic ſanctiſſimo Pontifici ; præcipuè Toletum, quòd in eâ Epiſcoporum conuentum habuerit, vt inter alios Dexter & Vincentius Ferrarienſis poſteritati mandarunt. Sed quid multis ? ipſe S.Sixtus in Epiſt. ad Hiſpanos, videtur id claris verbis inſinuare: *Ideò vos chariſsimi moneo, quia vobis debitor ſum, & valdè vos diligo.* Debitum hoc credo natum eſſe ex eo quòd prædicantem per Hiſpanias honorificè ſuſceperint, & auidè doctrinam eius audierint, & libenter ei paruerint.

52. Venio iam ad Epiſtolam eius, quæ data eſt XVII. Kal. Auguſti, Valeriano & Decio Gallieno, viris præclariſſimis Coſſ. hoc eſt, anno CC.LX. Contigerat in Hiſpaniâ, vt, petentibus nonnullis viris Principibus, Epiſcopi timore humano correpti, nonnullos priuarent gradu ; illi verò ad Sedem Apoſtolicam conqueſti : & cùm ſanctus Pontifex reſtituit eos, de his rebus ſcribit ad Hiſpanos Epiſcopos, valdè laudans eos; vocatque illius temporis Epiſcopos, *Columnas Eccleſiæ*, quales erant in Sede Toletanâ Paulatus, in Bracharenſi Gratus. Quod ob id dicit, quia in omnibus defendebant fidem Eccleſiæ Romanæ, & obſtiterant collecto Concilio S. Cypriani. Verba ſunt valdè notoria, & veri honoris plena : ſic habent : *Sic vos, qui columnæ Eccleſiæ eſtis, ſi labefactari cœperitis, ſancta Eccleſia, quæ per vos regitur, tabeſcit & hebetatur.* Quid potuit dici maius, aut de Hiſpanis Pontificibus honorificentius ? ſic habet initium Epiſtolæ: *Dilectiſsimis Fratribus per Hiſpaniarum Prouincias conſtitutis, Sixtus Epiſcopus ſalutem in Domino. Magno munere miſericordiæ Dei, totius Eccleſiæ Catholicæ multiplicata ſunt gaudia, cùm Eccleſiarum ſtatus eo viget ordine, quo Apoſtoli eorumq; ſucceſſores ſtatuerunt : at cùm antiqui hoſtis aſtutiâ eum turbari cognouimus, non modico contriſtamur mœrore. Quamobrem, Fratres, hortamur vos, monemus & efflagitamus, vt à tramite Apoſtolicæ inſtitutionis nequaquam recedatis, ne à capite diſſideatis; ſed fidem & ordinem, quem Apoſtoli & Apoſtolici viri ſtatuerunt, abſque hæſitatione teneatis. Nam ſi columnæ alicuius magnæ domus corruerint, ipſa poſteà domus minimè ſtabit: ſic vos, qui columnæ Eccleſiæ eſtis, ſi labefactari cœperitis, ſancta Eccleſia, quæ per vos regitur, tabeſcit,* &c. *Hæc, Fratres, quæ dico, valdè timenda ſunt, & ſummo moderamine penſanda, atque ne fiant cauenda. ipſa enim Veritas per ſe dixit: Vos eſtis ſal terræ : quòd ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur?* &c. *Ideò vos, chariſsimi, moneo, quia vobis debitor ſum, & vos valdè diligo, & quando bona audio de vobis, congratulor ſatis ; & econtrà, quando aduerſa, valdè conturbor. Ego verò quamuis à vobis per longa terrarum interualla diſiunctus ſim, ſum tamen omnino vobiſcum corde coniun-*

iunctus : ideoq; de veſtrâ gratitudine erga me modis omnibus confido, quia cùm me viciſsim diligatis, à me longè non eſtis. vnde magis gratias referimus illi grano ſinapis, quod ex modici deſpicibiliſq; ſeminis ſpecie, ita ramis ex eâdem radice ſurgentibus, atque ſe diſtendentibus vſquequaque diffuſum eſt, vt in eis volatilia cæli cuncta nidificent, gratiaq; ſit fermento illi, quod tribus farinæ ſatis totius humani generis maſſam in vnitate conſperſit; atque paruo lapidi, qui abſciſſus de monte ſine manibus, occupauit vniuerſam faciem orbis terræ : qui ad hoc naturam noſtræ carnis & ſtatus ſeruilis formam aſſumens, humiliter ſe vſquequaque diſtendit, vt, omni humano genere in vnitatem redacto, totius corpus vnitum perficeret Eccleſiæ ; atque ita ad totius compaginis pertineret commodum partialis iſta diſtinctio. Vnde nos quoque à vobis longè non ſumus ; quia in illo, qui vbique eſt, vnum ſumus. & inferiùs: *Ideò, Fratres, iſta prætulimus, quia audiuimus inter vos accuſationes exerceri, & pulſos à Sedibus Epiſcopos, aut ſuis rebus ſpoliatos iudicari.* Crediderim hoc à ſancto Pontifice dictum propter Baſilidem & Sabinum ſuis Sedibus ſpoliatos. de quâ re exſtat Epiſtola plebium Hiſpaniæ ad ſanctum Pontificem Cyprianum. Addit ſanctus Pontifex : *Quapropter ſtatutum eſt, quòd ſi quis contra Epiſcopum, vel actores Eccleſiæ, ſe proprium crediderit habere negotium, non priùs adeat iudices, quàm ad eos recurrat pietatis ſtudio : nam familiari colloquio commoniti ea ſanare debent, quæ in querimoniam adducuntur : quòd ſi aliter egerit, communione priuetur. Nemo Pontificum deinceps aliquem Epiſcopum ſuis ſpoliatum rebus, aut à Sede pulſum, excommunicare aut iudicare præſumat ; quia non eſt priuilegium, quo expoliari poſſit, iam nudatus. Nullus Epiſcopus alterius parochianum retinere præſumat, aut ordinare abſque eius voluntate, vel iudicare ; quia ſicut irrita erit eius ordinatio, ita & diiudicatio : quoniam cenſemus nullum alterius iudicis, niſi ſui, ſententiâ teneri : nam qui eum ordinare non potuit, nec iudicare vllatenus poterit. iſta enim vobis deinceps tenenda, & Fratres viciſsim adiuuare mandamus. Fratres verò, quos timore terreno iniuſtè damnaſtis, ſcitote à nobis iuſtè eſſe reſtitutos. Quibus ex ſancti Petri & Apoſtolicâ auctoritate, omnia quæ eis ablata ſunt, integerrimè reddi præcipimus ; ſi non vultis vos & Principes veſtri à collegio noſtro & membris Eccleſiæ ſeparari : iuſto enim iudicio Dei datur plerumque peccatoribus poteſtas, quâ Sanctos ipſius perſequantur, vt qui ſpiritu Dei iuuantur & aguntur, fiant per laborum exercitia clariores ; illi tamen qui hoc agunt, nullatenus euadent pœnam.*

Quo loco prætereundum non eſt, Epiſcopos Hiſpaniæ, vt quibuſdam inter eos potentiâ opibuſque florentibus gratificarentur, damnaſſe nonnullos Epiſcopos ; & iſti Principes erant Chriſtiani : alioqui non minaretur ſanctus Pontifex vtriſque ſeparationem à collegio Romanæ Eccleſiæ, & à membris Eccleſiæ. Qui fuerint iſti Principes, quis diuinare poteſt in tam vaſtâ prouinciâ, & adeò ſeparatâ rerum Hiſpanicarum antiquitate ? Addit ſanctus Pontifex : *Decuerat namque, iuxta præfatas regulas, ſi aliquid egiſſent contra ſuum ordinem, mandare nobis, & expectare quid ad veſtra conſulta reſcriberemus: in tantum, vt, ſi etiam quidquam graue intolerandumq; committerent, noſtra præſtolaretur cenſura, vt nihil priùs, aut aliquid aliud decerneretis, quàm quod nobis placere cognoueritis, & à regulis præſtitutis nullâ aut negligentiâ aut præſumptione recederetis. Ceſſet huiuſmodi preſſa noſtrâ auctoritate præſumptio, vitentur huiuſmodi nouimenta ; quia nequaquam talia patienter ferre poſſumus machinamenta : quoniam conuenit nobis paternarum ſanctionum diligentes eſſe cuſtodes : meritò namque cauſſa nos reſpicit, ſi ſilentio faueamus errori. Eſt inſuper à ſanctis prædeceſſoribus noſtris plerumque iam inſtitutum, vt nemo anathema in noſtrâ ſuſcipiatur accuſatione, nec illi qui nos*

53. Nota.

in

in suâ nolunt recipere querelâ vel accusatione ; cùm nos super illos sciamus à Domino constitutos, non illos super nos : & sicut maior non potest à minori iudicari, ita nec colligari. Hæc S. Sixtus.

54. Eiusdem sanè est argumenti Epistola S. Sixti ad Gratum Episcopum Bracharensem, quem, quia iuuenis erat, vocat filium ; nisi quòd serpserat hæresis in Hispaniâ Sabellij, negantis distinctionem personarum, neque Filium ab æterno natum à Patre, sed in tempore à matre genitum ; æquè passum Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, quia vna tantùm esset persona. Hæresis huius meminere, Epiphanius, Cyprianus Epist. 73. Tertullianus de Præscription. cap. vlt. & aduersus Praxeam ; atque adeò Ignatius Epist. 8. ad Philippenses, Philastrius Brixiensis, Theodoretus, & hîc sanctus Sixtus, cuius hæc sunt verba : *Agnosce, fili charissime, non ex tempore, neque post tempora Filium Dei natum, sed ante omnia opera de paterno vtero inenarrabiliter generatum.* Et inferiùs : *De cetero tuam moneo dilectionem, vt cunctos quos errare cognoueris, ad Catholicam fidem & ad vnitatem rectè credentium conuertere studeas : & tu numquam ab Apostolico tramite recedas : si autem te non audierint (quod absit) & errantes permanserint, nobis manifestare, quàm citiùs poteris, ne tardes ; vt Apostolicâ auctoritate aut citiùs ad Ecclesiam conuertantur, aut ab Ecclesiâ separentur.* Verba sunt hæc Patris vigilantissimi, & studiosissimi vtilitatis filiorum suorum : in quibus nobis ostendit, neminem (vt non est superior, nec par Summo Pontifici) posse illum accusare, aut excommunicare : & id à temporibus Apostolicis perpetuâ temporum & annorum ductâ serie declaratum, & in vsu positum esse. In quadam Epistolâ (credo S. Stephani) agitur de Primatibus ciuitatum vel Prouinciarum ; vt intelligamus, à temporibus Apostolorum hos Primates, vel Patriarchas in Ecclesiâ fuisse, ad quos tamquam ad Superiores recurrerent ipsi Metropolitani : quamuis benè posset à Metropolitanis, relictis Primatibus, prouocari ad sanctam Sedem Romanam, Ducem & Magistram omnium orbis Ecclesiarum. Quare iam mirari desino, cur Legionenses, Cæsaraugustani, & alij Pontifices non prouocarint ad Stephanum, tunc Summum Pontificem, sed recurrerint ad sanctum Cyprianum. Hæc mihi videtur esse caussa, quòd Episcopi depositi recurrerant ad Summum Pontificem, à quo restituti sunt ; non quia erant innocentes, sed quia spoliari non debuerant sine consensu sanctæ Sedis Romanæ, ad quam ex Canone Apostolorum pertinent maiores caussæ ; quales sunt de depositionibus Episcoporum. Sic restituti poterant accusari apud sanctos Pontifices ; alij verò Episcopi, veriti subire præsentiam tanti Patris & Antistitis, declinantes à viâ rectâ & ordinariâ, deflexerant ad Concilium Africanum. Tunc Cyprianus erat exacerbatus Epistolâ sancti Pontificis Stephani, & agit de illo aliquantulùm duriusculè, & paulò fortasse immitiùs quàm oportebat quemquam loqui de primæ Sedis Pastore. Sic ille : *Nec rescindere ordinationem iure perfectam potest, quòd Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam propriâ confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum collegam nostrum longè positum, & gestæ rei ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, vt exambiret reponi se iniustè in Episcopatum, de quo fuerat iustè depositus. Hoc eò pertinet, vt Basilidis non tam abolita sint, quàm cumulata delicta ; vt ad superiora peccata eius, etiam fallaciæ & circumuentionis crimen accesserit : neque enim tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quàm hic execrandus, qui fraudulenter obrepsit.* Verba hæc vltima paulò mihi liberiora videntur, quàm pro reuerentiâ debitâ Summo Pontifici, vero Christi Vicario, quem culpandum putat Cyprianus, & eum negligentiæ crimine incusat. Sed reuerà

uerà Summus Pontifex non tam absoluit, quòd innocentem putaret Basilidem, quàm quòd non seruassent Hispani Pontifices debitum Romanæ Sedi cultum & obseruantiam : quia nullus potest damnare nec deponere Episcopum, inconsultâ Sede Romanâ ; ad quam spectat, habitâ diligenti examinatione, reos deponere ; innocentes verò locis & Sedibus suis restituere. Oportebat ergo restitui spoliatos suis Sedibus, vt accusati de criminibus, & conuicti sententiâ Summi Pontificis, deponerentur. Quod in his duobus Episcopis, quantumcumque flagitiosissimis & sceleratis, non omnino seruatum est. Quod si quis intelliget, cognoscet protinus, non subreptione vel fallaciâ fecisse S. Stephanum hoc, sed quia sic postulabat ordo iuris.

Hoc anno CC.LXI. die Sabbati passus est S. Laurentius, nempe IV. Idus 55.
Augusti, primarius Diaconorum, Hispanus, vt est in gestis S. Damasi, clarissimus Athleta fidei, illustre martyrium obiens. Hoc item anno XVIII. Kalend. Octobr. S. Cyprianus passus est. Erat per id tempus (vt Iulianus Toletanus testatur) Præfectus Carpetaniæ, maximusque amicus Paulati, Vrbanus, ad quem scribit S. Dionysius Papa his verbis : *Dionysius Episcopus Vrbano Præfecto salutem. Summum bonum est amare amantes ; econtrà, peius malum non est, quàm vt ciues ciuibus inuideant. Gratias siquidem agimus tuæ charitati, quòd fideles sancti Petri benè suscipis & adiuuas. Vnde scias, & te à nobis diligi, & tui tuorumq; non modicam curam haberi. Quapropter tuam hortamur dilectionem, vt bonum, quod cœpisti, semper implere non desistas.* & infrà : *Vos præsentes videre cupimus, & absentibus colloqui, saltem per Epistolam, desideramus. Vnde optamus, vt vos B. Petrus Apostolorum Princeps ad sua limina feliciter perducat, quatenus in Omnipotentis gratiâ perfrui vestrâ præsentiâ mereamur. Dat. IV. Non. Februarij Garulo & Basso viris clarissimis Consulibus.*

Anno CC.LXX. Dionysius Papa etiam respondit Seuero Metropolitano 56.
Cordubensi, qui eum consuluit, quomodo diuidendæ essent Parœciæ, quæ vel hactenus manebant indiuisæ, vel quæ multæ vni dabantur : velut Episcopus haberet omnium iurisdictionem, & poneret in Ecclesiis velut vicarios. Respondet illi, docetque modum.

Primò, colligo ex hac Epistolâ, tunc temporis fuisse Prouinciam & Me- 57.
tropolim Cordubam. Secundò, præfuisse aliquibus Episcopis, docent il- *Corduba Metropolis.*
la verba, *Per Cordubensem Prouinciam* ; tum illa maximè, *Crimina verò quæ Episcopis impingere dicis, per alios non sinas vllo modo fieri.* Iubetur quòd, vt Metropolitanus, non patiatur iniuriam fieri sibi subiectis & subditis Episcopis. Tertiò, hunc Seuerum vt primum eorum Episcoporum quorum est expressa mentio in Ecclesiâ Cordubensi, credo præcessisse D. Osium. Quis Seuero fuerit prior, ego non legi. Notatur Quartò, quàm frequens esset recursus Hispanorum Pontificum ad sanctam Romanam Sedem, quando in hac dubitatione recursum est ad illam per Seuerum ; qui, teste Baronio, & eius Collectore, fuit Episcopus Cordubensis. Quintò, responsio Pontificis, quæ talis est : *De Ecclesiis ergo Parochialibus inde Apostolicam Sedem consulere voluisti, qualiter sint custodiendæ per Cordubensem Prouinciam, ac diuidendæ Sacerdotibus : nihil tuæ charitati melius nobis videtur intimare, quàm vt sequaris, quod nos in Romanâ Ecclesiâ nuper egisse cognoscitur ; Ecclesias verò singulas singulis Presbyteris diuisimus, & Parœcias & cœmeteria diuisimus, & vnicuique ius proprium habere statuimus : ita videlicet, vt nullus alterius Parochiæ terras, terminos aut ius inuadat, sed vnusquisque suis terminis sit contentus, & taliter Ecclesiam & plebem sibi commissam custodiat,* &c. Duo hîc præstitisse videtur Dionysius, quòd vrbis Romæ Ecclesias diuisit, dans singulis Presbyteros ; at Episcopales Sedes, quæ foris Romam positæ propter

perſecutionum tempora fuerant perturbatæ, & carebant antiquis terminis, ſic deſignauit, vt antiquos terminos vnicuique Eccleſiæ Cathedrali deſignaret. Id ſignificant illa verba, *Paræcias & cæmeteria*, &c. ius quod haberet vnuſquiſque Epiſcopus in terminis, quos habet Eccleſia Cathedralis. hoc docuit Platina in Vitâ huius ſancti Pontificis, Doctor Gundiſaluus Illeſcas & Baronius: docet & Can. 12. Concil. 11. Brachar. cuius hæc ſunt verba: *Epiſcopum in propriâ Parochiâ non licet tranſire in aliam, neque ſuâ ſponte introire, neque inuitatus, nec ab Epiſcopo coactus.* Conſuluit ergo Seuerus Dionyſium duo: Primò, quomodo diuideret Parochias vel Eccleſias intra Cordubenſem vrbem; & ſecundò Eccleſias Diœceſanas & Epiſcopales illius Prouinciæ, quæ perſecutionum metu & fugâ erant diſiunctæ, terminis perturbatis. Has ipſe Romæ, & per Prouinciam Romanam diuiſit, ac terminos antiquos illis aſſignauit: idemque ſuadet Seuero faciendum in Prouinciâ Cordubenſi. Quin facit illum Legatum, & iubet vt intimet ac ſignificet: quibus non dubium eſt quin ſignificauerit Seuerus: & factum eſſe, illa verba docent: *Hanc quoque normam, chariſsime, te & omnes Epiſcopos ſequi conuenit; & quod tibi ſcribitur, omnibus quibuſcumque potueris notum facies.* Vnde non ſpecialis, ſed generalis fuit iſta præceptio. Itaque præceptum fuit à ſancto Dionyſio Papâ, vt omnes Hiſpanæ Sedes ſuis terminis (quos frequentia perſecutionum perturbauerat) antiquitus deſignatis diſtinguerentur: quod & factum puto, conſiderans obedientiam Epiſcoporum Hiſpanorum. Nec dubito ad hoc conflatas fuiſſe multas Synodos, vel vnam generalem, qualis facta eſt & habita ſub Conſtantino, vel ſub Vrbano. de quo ſic Iulianus Toletanus anno CC.LXX. *Metropolitano Seuero Prouinciæ Cordubenſis ſcribit ſanctus Dionyſius Papa, quem fecit Legatum ſuum per Hiſpanias; iubetq; illi, vt ſingulæ Paræciæ dentur ſingulis Epiſcopis. diuiſæ ſunt omnes Metropoles, & ſingularum Metropolitanarum Sedium termini ſignati; & quæ cuique Metropolitanæ Sedes, ſcilicet Hiſpalenſi, Cordubenſi, Emeritenſi, Toletanæ, Bracharenſi, Tarraconenſi.* Sed ſi quæras, quænam Sedes fuerint attributæ Cordubenſi, vel priùs erant, certò non poſſum ſtatuere; ſed coniecturâ ductâ ex ipſo conuentu, fuerunt eius Aſtigitana, Illipenſis, Vlienſis, Eporenſis, Illiturgitana, & Vticenſis. Credo ſub Conſtantino, vel paulò pòſt, redactam Cordubenſem ad Sedem Hiſpalenſem. Viuebat per id tempus ſanctus Pontifex Toletanus Paulatus; quo cum (vt teſtatur Iulianus Toletanus) miſſis litteris, ſanctus Martyr & Epiſcopus Tarraconenſis Früctuoſus conuerſabatur, qui in perſecutione Valeriani paſſus eſt Tarracone cum Augurio & Eulogio Diaconis, die Mercurij, vel Feriâ IV. XXI. Ianuarij, anno Domini CC.LXIII. quo anno fuit littera Dominicalis D. atque adeò dies martyrij IV. Feria.

58. Anno III. Caij Papæ obiit Toleti ſanctus Pontifex Paulatus: ſuccedit illi in Sede Pontificiâ Melantius. hic (vt ait Iulianus) natione Græcus & Athenienſis: nam, vt Strabo ait lib. 14. *Meſſenij autem & Pylij quamdam inter ſe cognationem perhibent, propter quam recentiores Poëtæ Neſtorem Meſſenium faciunt, & cum Melantho Codri patre, multos Pyliorum Athenas profectos aiunt.* Eſt & in Græciâ locus dictus *Scopuli Melantij*; de quo ibidem. Ex ſorore fuit quidam alius Melantius, qui fuit Epiſcopus Rhinocoruræ in Ægypto, priùs Toleti Diaconus; qui, propter fidem Concilij Nicæni contra Arianos fortiter conſtanterque defenſam, à Valente Africano miſſus eſt in exilium. Agitur huius dies feſtus XVI. Ianuarij: de quo ſic Martyrologium Romanum: *Rhinocoruræ in Aegypto ſancti Melæ Epiſcopi, qui ſub Valente exilium & alia grauia pro fide Catholicâ paſſus, in pace quieuit.* Idque fuit, ex

ex Iuliano, in Hiſpaniâ: quâ verò vrbe neſcio. Quem vocat hîc Martyrologium Romanum Melam, vocat Melantium hoc die ex antiquo MS. Martyrologio Galeſinus his verbis: *Et hoc die, XVI. Ianuarij, Rhinocoruræ ſancti Melantij Epiſcopi & Confeſſoris, qui pro fide Catholicâ in exilij periculo, multipliciq; certamine, piè fortiterq; verſatus, Epiſcopalium virtutum, & humilitatis in primis, laude inſignis quieuit in Domino.* De quo ſic Nicephorus lib. 11. cap. 38. *De Melâ illud memoriæ proditum eſt: Cùm de Eccleſiis, ὁμοουσίᾳ conſubſtantialis fidei defenſores exigerentur, atque eò, ſcilicet Rhinocoruram, qui ipſum quoque eiicerent, adueniſſent; repererunt eum veluti ſeruorum extremum, Eccleſiæ lucernis adornandis hilariter incumbentem: lucernarum enim lineos funiculos in manibus habebat, veſte ſimul & cingulo ſordidatus. Atque cùm illi Epiſcopum requirerent, indicaturum ſe eis illum reſpondit, eoſq; in domum Epiſcopalem duxit; atque vbi eis de viâ feſſis, mensâ appoſitâ, pro rerum tenuium copiâ cibum dediſſet, atque edentibus miniſtraſſet, ſublatâ mensâ, manus lauit, & ſeipſum eis indicauit. Illi virum admirati, cauſſam aduentus ſui cùm oſtendiſſent, remittere ſe ei exilium, propter reuerentiam eius, dixerunt. Quod poſteaquam accepiſſet, eis reſpondit non idem ſe, quod alij conſentientes ſibi Epiſcopi feciſſent, commiſſurum eſſe, vt inuitus ſolum exilij cauſsâ verteret, ſed ſuâ ſponte in exilium iturum. Atque cùm ibi eſſet, veluti qui ab adoleſcentiâ monaſticæ Philoſophiæ aſſueuiſſet, omni genere virtutis præclarus admodum fuit. Solon autem vbi mercaturæ renuntiaſſet, pretioſam mercatus eſt margaritam: nam ſub fratre Melâ, eiuſq; loci Magiſtris, fideliter atque diligenter edoctus, mutatione vitæ plurimum in rebus diuinis ſtudium oſtendit, & morum ſimplicitate erga proximos, bonus maximè fuit.* Hæc de illo. Melantius, vt ſanctus & vigilantiſſimus Præſul, prouidebat ſuo pecori, ne contagione hæreſis (vt docet Iulianus anno CC.XC.) inficeretur; tamen Gnoſticorum & Manichæorum portio ab Hierace quodam his temporibus in Ægypto agnoſcitur, qui ſerpentes vt cancer, & in Hiſpanias venientes, durabant vſque ad tempora ſancti Phlaſtrij Epiſcopi Brixiani; de quibus S. Epiphanius hæreſ. 67. dicit, negare eos reſurrectionem carnis, animæ autem ſolùm admittere; ac proinde aſſerere reſurrectionem eſſe ſpiritualem: inſuper nuptias damnare, ac docere Cælibum tantùm eſſe vitam æternam: infantes non eſſe ſaluari: Melchiſedech eſſe Spiritum ſanctum. Contra hos non dubito quin Melantius Toletanus, & Synagius Bracharenſis, Sabinus Hiſpalenſis, Liberius Emeritenſis, Oſius Cordubenſis, & alij ſanctiſſimi clariſſimique Pontifices viriliter decertauerint. Coactum eſt non ante CCC. annum, vel paulò pòſt anno CCC.II. Concilium Illiberitanum; ſed crediderim auctoritate conſenſuque Melantij Primatis Hiſpaniarum. Sed quorſum in ipſis Hiſpaniæ finibus, nimirum in vrbe Bæticæ prope maritima Illiberi? quia, vt ſuſpicor, Felix Accitanus, qui præerat, propter ætatem & ſenectutem ingraueſcentem, non poterat aliò longiùs venire: vel, quod ego magis verum puto, vt ſacris cineribus primitiuorum totius orbis in Euangelij confeſſione Martyrum debitus honor deferretur. Nec enim puto, ſanctiſſimos illos Patres ignoraſſe feliciſſimam illorum mortis formam, & glorioſam ſepulturam, cùm ante CC.XLV. annos illi paſſi fuerint in eo loco. Quæ res ſatis magna fuit, vt religioſiſſimos Patres & ſanctiſſimos Pontifices mouere poſſet ad loci illius deſignationem. Eſt propè Concilium nationale, cùm ad illud Toletanus, Cordubenſis, Hiſpalenſis, Bracharenſis, Emeritanuſque Metropolitani concurrerint. Nec deſunt qui putent, etiam Accitanum fuiſſe Pontificem Metropolitanum. nihil autem præter ſubſcriptiones Epiſcoporum & Presbyterorum, & Canones habemus. Quâ de cauſsâ coactũ ſit, oportet ſedulò inueſtigare. Cauſſa potiſſima

conueniendi hæc fuit: cùm viderent illi ſanctiſſimi Patres, ex principio perſecutionis Diocletiani, innumeras per totius orbis partes turbas hominum Chriſtum metu tormentorum negantium, vel blanditiis allectorum; ne facilitas veniæ illis obeſſet, aſperrimâ, ſed tunc neceſſariâ, præuentione decretum eſt, vt venientibus daretur pœnitentia, negaretur verò pax & Euchariſtia. Differunt à Nouatianis, qui negabant tales omnimodò recipiendos ad pœnitentiam. De hoc rigore ſic Innocentius Papa in Epiſtolâ ad Exuperium Epiſcopum, ſuppreſſo nomine Concilij Illiberitani, ait cap. 2. *Quid de iis obſeruàre oporteat, qui poſt Baptiſmum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo vitæ ſuæ pœnitentiam & reconciliationem communionis expoſcunt. De iis obſeruatio prior, durior; poſterior, interueniente miſericordiâ, clementior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, vt concederetur pœnitentia, communio negaretur.* (quod eſt in illo Illiberitano Concilio.) *Nam cùm illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſæ facultas homines de reconciliatione ſecuros non reuocaret à lapſu, negata meritò communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur: & duriorem eſſe remiſſionem, fecit temporis ratio. Sed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, iam, depulſo terrore, communionem dari obeuntibus placuit, &, propter Domini miſericordiam, quaſi viaticum profectionis; & ne Nouatiani hæretici negantis veniam, aſperitatem & duritiam ſubſequi videamur. Tribuitur ergo cum pœnitentiâ extrema communio, vt homines huiuſmodi vel in ſupremis ſuis, petente Saluatore noſtro, à perpetuo exitio vindicentur.* Hactenus S. Innocentius. Vel ex hoc loco colligitur euidenter, hoc Concilium non habitum eſſe datâ pace Eccleſiis, ſed tempore ſæuiſſimæ perſecutionis. Et ideò falluntur, qui ponunt illud poſt Nicænum, anno Domini CCC.XXVI. nec fuit anno CCC.V. vt Baronius; nec anno CCC.XIII. vt Onuphrius; ſed paulò poſt mortem Marcellini Papæ. Hoc habet ſpeciale ſanctum hoc Concilium, quòd ſit veluti liber pœnitentialis, & omnes ferè ſint ibi contenti Canones pœnitentiales; in quibus elucet, quanta fuerit in illis ſanctiſſimis Confeſſoribus obſeruantia cenſuræ, quantus vigor in extirpandis ab Eccleſiâ enormibus peccatis. Hic vir conſolatus eſt ſanctam Leucadiam, dum in carcere fuit, per aliquot menſes multa paſſus. Moritur in pace anno Domini trecenteſimo decimo, anno primo Euſebij Papæ, ſexto anno Imperij Magni Conſtantini, nono perſecutionis anno, incipiente iam Arij perniciosâ hæreſi. Succeſſit illi (ex Dextro & Iuliano) in Sede Toletanâ Marinus, priùs Epiſcopus Oretanus, vt docet Iulianus: qui cùm eſſet Epiſcopus Oretanæ Eccleſiæ, interfuit cauſſæ Marcellini Romani. Poſt Nonnoſum ſequuntur, Theſpias, Marinus, Fabius. Ad hunc, & ad Benedictum, & Leontium Bracharenſem Epiſcopos ſcripſit ſanctus Melchiades, illorum litteris reſpondens. Credo vel in ſingulis Prouinciis habitas eſſe Synodos, vel in vnâ collectam vniuerſalem: vbi quæſitum eſt, vtrum Sacramentum eſſet maius, Baptiſmus, an Confirmatio: quâ de re conſuluerunt Sedem Apoſtolicam. *De iis*, inquit, *ſuper quibus rogaſtis informari vos, vtrum maius Sacramentum eſſet impoſitio Epiſcoporum, aut Baptiſmus.* ſcribit Toletano & Bracharenſi, ac ceteris Epiſcopis Hiſpanis, ſic ille: *Dilectiſſimis Fratribus Marino, Benedicto, Leontio, & ceteris Hiſpaniarum, ac in illis partibus conſtitutis Epiſcopis, Melchiades.* Valdè notandum eſt, quàm frequentes eſſent in Hiſpaniâ Synodi, quanta deuotio, & recurſus ad Sedem Apoſtolicam, vt in ſingulis quibuſque dubitationibus ad Magiſtram veritatis ſanctam Sedem Romanam recurrerint; eius determinationibus ſuppliciter auſcultauerint: quàm ab illius decretis & determinationibus dependerint. Non multò pòſt vidit Marinus pacem in Eccleſiâ, victore Conſtantino, ſub quo reparatas fuiſſe crediderim Eccleſias. Maxima interceſſit neceſſitudo, & amicitiæ peculiaris vſus, Marino Toletano cum Oſio Cordubenſi Pontifice; propterea mihi perſuadeo, inter primas, quæ priùs dirutæ fuerunt, Eccleſias Toletanam & Cordubenſem fuiſſe reparatas. Quòd ſi Cordubenſis Oſius adeò liberalis fuit cum externis, qualem fuiſſe putamus cum ſuis? Ex Epiſtolâ Conſtantini ad Cæcilium Epiſcopum Carthaginenſem, id patet manifeſtè: *Conſtantinus Auguſtus Cæcilio Epiſcopo Africano. Quoniam viſum eſt nobis, per omnes Prouincias Africæ, Numidiæ & Mauritaniæ, certis quibuſdam legitimæ & ſanctiſſimæ Religionis Catholicæ miniſtris in ſumptus annuos aliquid ſuppeditare; litteras ad Vrſum virum nobiliſſimum Quæſtorem noſtrum Africæ dedi, & ei ſignificaui, vt tria millia φολεῖς tuæ grauitati numeranda curaret. Tu igitur, quando prædictam pecuniæ ſummam recipiendam curaueris, omnibus qui in ſchedâ ad te ab Oſio miſſâ antè ſcripti ſunt, has pecunias diſpertiri iubeto.* Addit Baronius: *Videas ex iis litteris Oſium (haud alium quàm Epiſcopum Cordubenſem) lateri Imperatoris adhæreſcentem, & pro diuerſarum Eccleſiarum opportunitate illum interpellantem.* Recordabatur tam ſedulò Eccleſiarum exterarum, & obliturum eum ſuarum Hiſpanarum credibile eſt? non ſanè caderet ſimilis obliuio in hominem doctum, prudentem, ſtudioſum patriæ. Maximè, quia hæc prouincia peculiari ratione relicta eſt Conſtantino à patre ſuo Conſtantio, quæ in ſortitione Imperij illi contigit: & cùm aliarum Eccleſiarum recordatus ſit, neceſſariò dicturi ſumus, inter primas recordatum fuiſſe Toletanæ Hiſpaniarum Primatis: quis mihi id negare poteſt? Quare quòd omnibus Hiſpaniæ vrbibus & populis remiſerit Conſtantinus tributum, id Oſio Cordubenſi tribuendum eſt: nam Emeritæ eſt lapis itineris reſtaurati, quod vocant, *De la plata.*

IMP. CÆSAR FLAVIVS
CONSTANTIN. AVG.
PACIS ET IVSTITIÆ
CVLT. PVB. QVIETIS
FVND. RELIGIONIS
ET FIDEI AVCTOR
REMISSO VBIQVE
TRIBVTO FINITIM.
PROVINC. ITER.
RESTAVR. FEC.

Tunc per totum orbem noua lux oritur (ſic Euſebius lib. 9. cap. 10.) *ex qua aderat cunctis velut diuino munere infuſa lætitia, maximè videntibus ea loca, quæ paulò antè impiis tyrannorum machinis fuerant deſtructa, ex diuinâ conſtructione clariora & celſiora conſurgere, templaq́; excelſa pro humilibus conuenticulis eleuari: inuabat enim Chriſtianorum Principum fauor legiſlatione & legatione religiosâ alacres noſtrorum animos, & eò ampliùs animabat, dum ad perſonam Epiſcoporum frequentiùs ſcriberet, & honorem Sacerdotibus cum ſummâ veneratione deferret; ſed & impendiorum ſumptus benigniſſimè largiretur. Intereà feſtiuitates à noſtris frequentiſſimè agebantur cum omni lætitiâ & exultatione per vrbes & loca ſingula, dedicationibus Eccleſiarum celebratis. Conuenullum longum videbatur ſpatium charitati: concurrebant enim populi ad populos, &, tamquam verè membra vnius corporis Chriſti, iungi ſibi inuicem ſociariq́; gaudebant.* Hæc Euſebius, qui vidit; & teſtis fuit vtriuſque faciei, for-

fortunæ flantis & reflantis. Rasis Saracenorum Historicus ait, tunc erectam S. Virgini Mariæ Toleti Ecclesiam, & alteram in honorem S. Leucadiæ Martyris. Nec contentus fuit his communibus in omnes ciuitates populosque collatis beneficiis, singularia contulit in Episcopos; vt non solùm in rebus Ecclesiasticis, sed & ciuilibus & sæcularibus, iudices essent cum sæcularibus ac laicis iudicibus: quod nos docet manifestè Epistola Constantini ad Ablabium, quam hîc adiungere mihi visum fuit: *Imperator Constantinus A. Ablabio P. P. Religionis est clementiam nostram scisciтari voluisse, quid de sententiis Episcoporum, vel antè moderatio nostra censuerit, vel nunc seruari cupiamus, Ablabi, parens charissime. Itaque quia à nobis instrui voluisti, olim prærogatæ legis ordinem salubri rursus imperio propagamus: sancimus namque, sicut edicti nostri formula declarat, sententias Episcoporum quolibet genere probatas, sine aliquâ ætatis discretione inuiolatas semper incorruptasq; seruari: scilicet vt pro sanctis semper ac venerabilibus habeatur quidquid fuerit Episcoporum sententia determinatum. Siue itaque inter minores, siue inter maiores, ab Episcopis fuerit iudicatum apud vos, qui iudiciorum summam tenetis, & apud ceteros omnes iudices, ad executionem volumus peruenire. Quicumque itaque litem habens, siue possessor, siue petitor erit, inter initia litis, vel decursis temporum curriculis, siue cùm negotium peroratur, siue cùm iam cœperit promi sententia, iudicium eligit sacrosanctæ legis Antistitis, illicò sine aliquâ dubitatione, etiam si alia pars refragatur, ad Episcopum cum sermone litigantium dirigatur. Multa enim quæ in iudicio captiosæ præscriptionis vincula non patiuntur, inuestigat & promit sacrosanctæ Religionis auctoritas. Omnes itaque caussæ, quæ vel prætorio iure, vel ciuili tractantur, Episcoporum sententiis terminatæ, perpetuo stabilitatis iure firmentur: nec liceat vlteriùs retractare negotium, quod Episcoporum sententia deciderit. Testimonium etiam ab vno licet Episcopo perhibitum, omnes iudices indubitanter accipiant: nec alius audiatur, cùm testimonium Episcopi à qualibet parte fuerit repromissum. Illud enim est auctoritate veritatis firmatum, illud incorruptum, quod à sacrosancto homine conuenientia mentis illibatæ protulerit. Hoc nos edicto salubri aliquando censuimus, hoc perpetuâ lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes, vt miseri homines, longis ac pænè perpetuis actionum laqueis implicati, ab improbis petitionibus vel à cupiditate præproperâ maturo fine discedant. Quidquid itaque de sententiis Episcoporum clementia nostra censuerat, & iam hac sumus lege complexi, grauitatem tuam, & ceteros, pro vtilitate omnium latum, in perpetuum obseruare conuenit. Dat. III. Non. Maij Constantinopoli.*

Ex Cod. Theodos. lib. 16. tit. De Episcopali iudicio.

59. Eodem anno CCC.XIV. habita est Arelate Synodus propè vniuersalis, iussu Siluestri Papæ, coram Imperatore Constantino. de quâ sic Epitome Baronij hoc anno: *Euocati per Constantini litteras Metropolitani Galliarum, Hispaniarum, Africæ, Italiæ, singuli cum duobus aliis Episcopis ab illis deligendis; quarum exemplum extat apud Eusebium lib. 10. cap. 5. ad Chrestum Episcopum Syracusanorum: datâ edictione publicâ Arelate, vt conuenirent, adfuere ad ducentos, vt colligitur ex Augustino ad Epistolam Parmeniani, ad Kalend. Augusti.* Porrò Episcopi qui adfuerunt, in Conciliorum Tomis reperiuntur subscripti per errorem 11. Concilio Arelatensi longè pòst celebrato; sed Concilium ipsum, & subscriptiones mutilæ sunt & mendosæ, vt ipse Optatus, vbi hæc narrat: *Constantinus, quantumuis catechumenus, sedet in Concilio; in quo non de fide tractabatur, sed iudicium de personâ agitabatur.* Idem Eusebius lib. 1. de Vitâ Constantini cap. 36. Præfuit eidem Concilio Siluester Papa per suos Legatos, Claudium & Accitum Presbyteros, Eugenium & Cyriacum Diaconos. Cæcilianus in Concilio Arelatensi innocens pronuntiatur, & multi Donatistæ cum eo in gratiam redeunt, aliis in obstinatione persistentibus. Ex August. Epist. 68. & Eusebio in Constantini Vitâ. Ergo si Metropolitani Galliæ, Italiæ, Hispaniæ interfuerunt; non dubium est interfuisse Bracharensem, Toletanum, Hispalensem, Emeritensem, Tarraconensem & Cordubensem; & si data est potestas secum ferendi duos alios Episcopos, fuerunt ex Hispaniâ vt minimùm XVIII. Episcopi sine Presbyteris & Diaconis. Interfuit Marinus Toletanus, & Natalis alterius Diœcesis; ex aliâ Prouinciâ, Thermantius Bracharensis: quibus omnibus dedit vecturam publicam Constantinus, & sumptus ad itum reditumque necessarios. Extat Epistola Synodica ad Siluestrum in hunc modum:

60. *Dilectissimo Papæ Siluestro Marinus, Agritius, Natalis, Theodorus, Proterius, Euoptius, Verus, Probatus, Cæcilianus, Faustinus, Surgentius, Gregorius, Bethaussus, Thermantius, Mirocles, Pardus, Adelphius, Hibernus, Fortunatus, Anastasius, Lampidius, Vitalis, Maternus, Liberius, Gregorius, Crescens, Aninianus, Daphnus, Orientalis, Quintianus, Victor, Victa, Epictetus, &c. in Domino æternam salutem. Communi copulâ charitatis & vnitate matris Ecclesiæ Catholicæ vinculo inhærentes, ad Arelatensium ciuitatem piissimi Imperatoris voluntate adducti: inde te, religiosissime Papa, cum meritâ reuerentiâ salutamus, vbi graues & pernicioſos legi nostræ atque traditioni effrenatæ mentis homines pertulimus: quos & Dei nostri præsens auctoritas, & traditio ac regula veritatis, ita respicit, vt nulla in illis aut dicendi ratio subsisteret, aut accusandi modus vllus aut probatio conuinceret. Ideò iudice Deo, & matre Ecclesiâ, quæ suos nouit ac comprobat, aut damnati sunt, aut repulsi. Et vtinam (Frater dilectissime) ad hoc tantum spectaculum interesses, tanti fecisses, profectò credimus, quia in eos seuerior sententia fuisset prolata, & te pariter nobiscum iudicante cœtus noster maiori lætitiâ exultasset. Sed quoniam recedere à partibus illis minimè potuisti, in quibus Apostoli quotidie sedent, & cruor ipsorum sine intermissione Dei gloriam testatur; non tamen hæc sola nobis visa sunt tractanda (Frater charissime) ad quæ fueramus inuitati; sed & consulendum nobismetipsis, vt consuluimus, & quàm diuersæ sunt Prouinciæ, ex quibus aduenimus, & varia contingunt, quæ nos censemus obseruari debere. Placuit ergo, præsente Spiritu sancto, & Angelis eius, vt iis, qui singulos quosque poterant iudicare, proferremus de quiete præsenti. Placuit ergo, antequam edantur, qui maiores Diœceses tenes, apertè per te omnibus insinuari. Quid autem sit quod sensserimus, scripto nostræ mediocritatis subiunximus. Ad id primo loco de vitâ nostrâ atque vtilitate tractandum fuit, vt qui vnus pro multis mortuus fuit, & surrexit pro omnibus, tempus ipsum ita religiosâ mente obseruetur, ne diuisiones vel dissensiones tanto obsequio deuotionis possint exurgere. Censemus ergo, Pascha Domini per orbem totum vnâ die obseruatum iri. De iis quoque, qui quibuscumque locis ordinati fuerant ministri, vt in ipsis locis perseuerent. De iis igitur qui arma proiiciunt in pace, placuit abstinere eos à communione. De cursariis agitatoribus, qui fideles sunt, placuit eorum, quamdiu agitant, à communione separari. De theatricis ipsis placuit, quandiu agunt, à communione separari. De iis qui in infirmitate sunt, & recedere nolunt, placuit eis manus imponi. De Præsidibus verò qui fideles sunt, & ad Præsidiatum consulunt, ita placuit, vt, cùm promoti fuerint, litteras quidem accipiant Ecclesiasticas communicatorias; ita tamen, vt in quibuscumque locis gesserint, ab Episcopis eiusdem loci cura de illis agatur, vt, si cœperint contra disciplinam agere, tunc demum à communione excludantur; & de iis quidem, qui in Republicâ agere volunt, similiter. De Africis verò, qui propriâ lege vtuntur & rebaptizantur, placuit, vt ad Ecclesiam si aliquis hæreticus venerit, interrogent eum Symbolum;*

&

& si peruiderint illum in Patre, & Filio, & Spiritu sancto esse baptizatum, manus tantùm ei imponatur. quòd si interrogatum Symbolum non responderit, tunc meritò baptizetur, &c.

Illud hîc obseruatione dignum, leges à sanctis Patribus sancitas mitti ad Romanum Pontificem, vt ab eodem probatæ, in vniuersas Ecclesias mitterentur. Id Patres huius Concilij hac professi sunt sententiâ: *Placuit ergo, antequam edantur, qui maiores Diœceses tenes, apertè per te omnibus insinuari.* Resplenduit dignatio Imperatoris Constantini in hoc, quòd omnibus Episcopis etiam hæreticis vecturas & annonam ad itum & reditum iusserit impendi. Sic habet Epistola: *Petronius, Annianus, & Iulianus, Domino Celso Vicario Africæ. Quoniam Lucinum, Capitonem, Eudentium, Nasutium Episcopos, Nammarium Presbyterum, qui secundùm præceptum cæleste Domini Constantini Maximi inuicti, semper Augusti, ad Gallias cum aliis legis eius hominibus venerant, dignitas eius ad lares proprios venire præcepit; angarialem his cum annonariâ competentiâ vsque ad Arelatensem portum, secundùm imperium æternitatis eiusdem clementissimi Principis, dedimus, Frater, qui deinde in Africam nauigat. Quod solertiam tuam litteris nostris scire conueniat. Oramus te, Frater, felicissimum benè valere.* Si hæc iussit Constantinus præstari Pontificibus hæreticis, quid præsertim Catholicis fieri, quantâque eos indulgentiâ & apparatu tractari? Hi omnes Pontifices fuerunt doctrinâ clari, religione præcipui, donis Dei egregiè celebres; qui, tamquam quædam lampades à Deo missæ, Dei Ecclesiam singulariter illustrarunt. Gaudio non mediocri fuit Christianis, quòd, cùm Iudæi illorum felicitati miserè inuiderent, contra Constantinum Imperatorem rebellant; illos verò captos is miserè mulctat: nam amputatis auribus illos in facie signari rebellionis signo iubet, ac per omnia loca circumferri, ceu fugitiua mancipia, erudiens alios ne omnes eadem conarentur, vt docet S. Chrysostomus lib. aduersus Iudæos Tom. 5.

61. Anno CCC.XVI. miserabiliter periit veneno sumpto Diocletianus. de quo Cedrenus sic: *Reseruatus, vt videre posset pacem & felicitatem Ecclesiæ, quam omni studio conatus erat euertere, & videndo tabesceret morte*, inquit ille, *consumptus est, vt satis patuit per formidinem voluntariam: quippe cùm à Constantino & Licinio vocatus ad festa nuptiarum, per senectam, quo minùs interesse valeret, se excusauisset, rescriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur Maxentio fauisse, & Maximino fauere, necem dedecorosam suspectans, venenum dicitur hausisse.* Hoc eodem anno Constantinus concessit non modò posse Præsides Ecclesiarum, quos vellent, ex seruis liberos facere, sed (quod maius est) ciues Romanos.

62. Erat anno CCC.XVII. Comes Hispaniæ Octauianus, ad quem scribit Constantinus Sardicâ ex vrbe, vt delicta clarissimorum virorum statim punirentur, illos verò nullâ fori exceptione gaudere. Hoc eodem anno summa Rom. Imperij ad Constantinum reducitur, sub quo magna pax & tranquillitas floret. Nam edicto publico pro Christianis edito, exules & ad metalla damnatos reuocari iubet; de gradu deiectos restituit: bona adepta à priuatis, vel à fisco possessa, dominis prioribus reddit: Martyrum facultates ad cognatos, vel, si ij desunt, ad Ecclesiam transire præcipit: Ecclesias in integrum bonis, locis & viribus restituit: loca Martyrum vestigiis nobilitata Ecclesiæ adiicit. Hanc Ecclesiæ præclaram tranquillitatem turbauit quidam Presbyter Alexandrinus, vocatus Arius, inuentâ perniciosâ quadam hæresi: cuius quidem caussâ sanctus Pontifex Alexander eum è gremio Ecclesiæ reiecit; ille verò pulsus, Ierosolymam & Syriam petiit, vbi exceptus ab

ab Eusebiis Nicomediensi & Cæsariensi, aliisque factionis suæ Præsulibus, cœpit virus suum euomere; illis in eius fauorem & defensionem quoquouersus Epistolas encyclicas scribentibus. Alexander sanctus Pontifex, viso rei periculo, & quòd Epistolæ illæ non tam essent in defensionem Arij, quàm vt latenter disseminaretur per vrbes ac prouincias eius virus, scripsit encyclicas ad omnes vrbes & populos, retexens eis fallaciam factorum Arij. Harum exemplum est apud Eusebium, & alios; non dubium mihi est, quin eo tempore Marinus Toletanus, & alij Pontifices obierint munus sanctissimorum, & Fidei Religionisque tuendæ studiosissimorum Pastorum; ac frequentibus ad plebes habitis sermonibus, eas admonuerint, cauerent ab huiusmodi lupis, qui sub ouinâ pelle veniebant gregem perditum.

Non multò post hæc tempora Marinus Toletanus moritur. Iulianus To- 63.
letanus Presbyter dicit, transgressum in Africam nostrum Marinum, die x. Iulij martyrium pro fide Christi constantissimè subiisse, vt videre est in Romano Martyrologio. Si quis dicat, quòd ibi non dicatur esse Pontifex, neque adeò res Toletanæ ciuitatis venissent in obliuionem, vt rei adeò celebris non haberetur aliqua cognitio; hæc ratio satis non est: quia primi Toletani Pontificis M. Marcelli Eugenij omnino deperditam memoriam suscitauit Raymundus, secundus post libertatem Episcopus. Multa huiusmodi tempus tegit, & idem retegit. Deinde anno Christi CCC.XX. Constantinus legem tulit contra raptores virginum seueriſſimam, & vt nutrices, quæ raptum suasissent, plumbi liquentis in os & fauces ingestione punirentur; parentes, si consentirent, deportarentur; seruos sceleris huius participes cremari iussit. Aliam anno sequenti legem tulit, vt Dominicis diebus exirent milites in campos patentes, & tam Christiani quàm Ethnici vterentur precatione quadam, quam mox subiiciam: idque non dubito Toletanos exercuisse, maximè eos animante Natali Pontifice. Prima precum hæc est: *Te solum Deum agnoscimus; te Regem profitemur; te adiutorem inuocamus; per te hostes superauimus; abs te & præsentem felicitatem consecutos fatemur, & futuram adepturos speramus; tui omnes supplices sumus. Abs te petimus, vt Constantinum Imperatorem nostrum Maximum, cum piis eius liberis, quàm diutissimè nobis saluum & victorem conserues.* Diximus suprà, Marinum obiisse in Africâ: non miremur, quia à Potentatibus Ethnicorum Christiani compellebantur diis sacrificare. Anno CCC.XXIII. pro Christianis alicubi vexatis ad Elpidium scribens Constantinus, eiusmodi edit sanctionem: *Quoniam comperimus, quosdam Ecclesiasticos, & ceteros Catholicæ sectæ seruientes, à diuersarum religionum hominibus ad lustrorum celebranda sacrificia compelli; hac sanctione sancimus: Si quis ad ritum alienæ superstitionis cogendos esse crediderit eos qui sanctissimæ legi seruiunt; si conditio patiatur, publicè fustibus verberetur; si verò honoris gratia talem ab eo repellat iniuriam, condemnationem sustineat damni grauissimi, quod rebus publicis vindicabitur. Datum* VIII. *Kal. Iunij, Seuero & Rufino Coss.* Hoc edictum datum est: quia, cùm Constantinus videretur quodammodò à fide desciuisse, Ethnici publicè hac occasione persequebantur Christianos: & tunc potuit occidi Marinus; & latebat metu persecutionis S. Siluester. Sic Baronius: *Siquidem hac in re illud affirmare compellimur: nimirum cùm visus esset Constantinus ipse publico rescripto consulens Augures, à Christianâ Religione desciuisse, & ad relictam auitam superstitionem rediisse; Gentiles elatos in Christianos insolenter egisse, atq; inuitos pertrahere studuisse ad huiusmodi sacrificia lustri.* Atque hæc caussa videtur fuisse, cur Siluester Papa latebras in monte Soracte vrbi proximo quæsierit: in quem, vt Christianæ Religionis Antistitem præcipuè insurrexisse Gentiles credibile est: quin etiam Iulianus Toletanus

affirmat latuisse Natalem, & ceteros Hispaniæ Pontifices. Anno CCC.XXIV. cùm incidisset in grauem morbum lepræ, & malè haberet scelerum patratorum conscientiâ vexatus, consultoque Episcopo, quem Zosimus vocat patriâ Ægyptium, Hispanum verò Magum, baptizatus est à S. Siluestro. Et pòst collegit Siluester Romæ hoc anno CCC.XXIV. III. Kal. Iunij Concilium multorum Episcoporum, inter quos fuerunt Marinus Toletanus, & Leontius Bracharensis. sic incipit: *Siluester igitur Episcopus vrbis Romæ congregans fratres Compresbyteros, ciues Romanos & Coëpiscopos*, &c. *Quoniam mater Ecclesia genuit filium Constantinum charissimum.* Collegit autem in gremio Sedis suę CC.LXXXIV. Episcopos, quibus Constantinus Augustus vehicula & annonas omni loco præstari præcepit. Damnat primò Iouinianum, quia arbitrio suo dicebat diem Paschæ, & non suo tempore celebrandũ, vt anno illo CCC.XXIV. celebratum est XII. die Aprilis: ipse verò dicebat celebrandum XXIII. eius mensis. Interfuere huic Concilio Augustus Constantinus, Augusta Helena, Calpurnius, iam Christianus, Præfectus Vrbis, & alij: habita est Synodus III. Kal. Iunij, Constantino III. & Crispo Cæsare Coss. Sic in eâ statutum fuit: *Nemo diiudicet primam Sedem: quoniam omnes Sedes à primâ Sede iustitiam desiderant temperari. Neque ab Augusto, neq; ab omni Clero, neque à Regibus, neq; à populo Iudex iudicabitur.* & subscripserunt CC.LXXXIV. Episcopi, XLV. Presbyteri, & V. Diaconi, & II. Sequestres, & Augustus Constantinus, & mater eius Helena, & fixit Canonem hunc Siluester Episcopus vrbis Romæ, & omnibus Episcopis asperſit. Actum in Traianis thermis III. Kal. Iunij Constantino Augusto III. & Prisco Pio Crispo Coss. Hinc reuersus, & ad Africam appellens Marinus, dicitur passus pro Christi fide martyrium à quibusdam Ethnicis ægrè ferentibus ita florere Christi Ecclesiam, indulgentiâ Constantini. Illud obserua, Costum interfuisse huic Concilio, qui fuit Episcopus Cæsarauguſtanus. Illud tacendum non est, hoc Concilium habitum esse priusquam Nicænum. Constat ex Consulibus, & quia ibi nulla fit mentio Concilij Nicæni.

64. Marino successit Natalis in Sede Toletanâ, & interfuit Concilio Nicæno, habito anno CCC.XXV. cum Costo Cæsarauguſtano, & Leontio Bracharensi. Interfuere plusquam viginti Episcopi Hispani, ex Iuliano: quòd multi interfuerint, ex ipso Concilio colligitur, & ex Eusebio. *Itaque Imperator*, inquit Iulianus, *cernens malum id ad summum excrescere, decantatissimam illam in Bithyniâ Nicænam Synodum promulgat, & litteris locorum omnium Episcopos ad constitutam diem eò euocat: illos publica vehebant vehicula & iumenta; publici equi & muli; nec ipsos tantùm, sed qui eos ministerij gratiâ comitabantur. Conuenere ex omnibus ferè Prouinciis & vrbibus Patres; quorum nomina vnà cum vrbibus, quibus Episcopali administratione præfuerunt, magnus Athanasius in Synodali libro sic recensuit: Episcopi fuere ferè* CCC.XVIII. *nec pauciores Sacerdotes, & Diaconi eorum comites.* & infrà: *Ex Ecclesiis omnibus quæ per Europam & Asiam omnem sunt*, &c. & 3. lib. c. 7. de Vitâ Constantini Eusebius: *Ministrorum Dei columnæ conuenerunt in vnâ oratoriâ æde, perinde atque à Deo amplificatâ, Syri & Cilices, Phœnices & Arabes, Palæstini, eisq; vicini Aegyptij, Thebæi, Libes, & qui à Mesopotamiâ venerant; quin ex Perside Episcopus aderat, neque Scytha in eo choro desiderabatur. Pontus quoque, Galatia, Phrygia & Pamphylia delectos suos & præcipuos viros eò miserant; aderant quoque Macedones, Thraces, Achæi & Epirotæ. Quin & qui iis longinquiores remotioresq; sunt, eò aduenerant. Ab ipsis quoque Hispaniis celeberrimus ille* (Osius) *vnà cum aliis* (scilicet Hispanis) *ibi considebat. Imperatoriæ sanè vrbis Antistes propter ætatem senilem aberat, sed Presbyteri eius præsentes vicem eius implebant. Solus profectò & vnus Imperator Constantinus*

pòst

pòst sæcula condita Christo Seruatori suo, coronâ pacis vinculo contextâ, de victoriâ contra hostes partâ, eiusmodi diuinum gratiarum consecrationis donarium, & præclarum hoc Apostolici chori apud iustos habuit specimen. Ergo si ex omnibus prouinciis & vrbibus venerunt, cur non ex Hispaniâ & Metropolitanis vrbibus, scilicet Bracharâ, Toleto, Tarracone, Emeritâ & Hispali? an quia fuerunt Hispani minùs feruentes, & zelo fidei succensi? an quia deerat illis commoditas? si paupertate premerentur, omnibus vehicula, nauigationes & annonæ dabantur ex Regiis vectigalibus. Iuêre ex Hispaniis multi ad Sardicensem Synodum: defuturos putes vniuersali totius orbis Synodo? Maximè, quia ibi de gloriâ Dei, de honore Filij agebatur, cuius fidem per Iacobum primi receperunt Hispani inter omnes Gentiles. Vtinam haberemus integram hanc Synodum! ibi videremus quàm multi, quàm præclari, quàm studio sapientiæ egregij Pontifices, ad eam ex Hispaniis certatim affluxerint. Solùm numerantur CC.XXII. desunt XCVI. Episcopi, in quibus multi ex Hispaniâ, Galliâ, Germaniâ & Britanniâ: quia cùm sint maximè Occidentales totius Europę, illi planè desunt. Sed noster Iulianus ex schedis Ecclesiæ S. Iustæ, quæ tempore Maurorum Metropolitana Sedes Toleti fuit, benè potuit hæc colligere. Iuuat hoc, quod in Epitome docet Auctor fol. 231. *At Occidentalium Episcoporum, qui præ ceteris legatione functi sunt, memoria propè excidit: quos sanè delectos credibile est, qui ceteris sanctimoniâ & eruditione præcellerent.* In summâ, videre ibi licebat Martyrum multitudinem in vnum coactam, vt dixit Theodoretus; & fuere in eâ Synodo totius orbis lumina, vt dixit quidam illius ætatis vir. quod & ipsi Ariani inficiari non potuerunt, siquidem Eusebius scriptum reliquit lib. 3. cap. 7. de Vitâ Constantini: *Ex omnibus namque*, inquit, *Ecclesiis, quæ frequentes in totâ Europâ, Africâ & Asiâ extiterunt, Dei ministri, qui facilè Primates sanè putabantur, in vnum vocati sunt.* Atque hæc de Hispanis Episcopis.

Quales viros, quàm excellentes habuerit Hispania Pontifices, ex dictis facilè colligitur. Quos Pontifex Summus (vt superiùs vidimus) vocat *Ecclesiæ columnas*, illàsne defuturas putamus in tam communi, vrgenti & maximo negotio? Nec dici potest, nec, si diceretur, sanè credibile est: imò etsi non tam manifesta extarent testimonia meridianâ luce clariora, sanè fides, religio, pietas & zelus Hispanorum non pateretur Pontifices suos eo tempore frigescere, cùm necessarius esset pristinus vigor, & amor, ac studium, quale Deus impertitus est Hispano Laurentio Leuitæ. 65.

Nihil quod ad Historiam attinet, æquè notandum est quàm sextus Canon huius Concilij, qui sic habet: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum: tenuit autem Aegyptus, quòd Episcopus Alexandriæ omnium habet potestatem; quoniam & Romano Pontifici hæc est consuetudo: similiter & qui in Antiochiâ constitutus est, & in ceteris prouinciis, Primatus habent Ecclesiæ ciuitatum ampliorum.* Hîc primùm docemur, ante hæc tempora fuisse in Ecclesiis aliquibus prouinciarum singularum Primatum ante Concilium Nicænum; quod Primatus confirmat: & deinde dicitur esse in Ecclesiis ampliorum ciuitatum, id est honestiorum, venerabiliorum. 66.

Sed occurrit dubitatio, quid censendum sit de Toletanâ ciuitate? Primò videtur, quòd magis tribuendus sit Primatus Hispaniæ Carthaginensi, Tarraconensi, Cordubensi, Cæsarauguſtanæ, Bracharensi, & ceteris ciuitatibus Hispaniæ, quàm Toletanæ, quæ tempore Vespasiani fuit stipendiaria, & non colonia. Secundò, quia Liuius illam vocat vrbem paruam, loci naturâ munitam. Tertiò, si Primatus, saltem à tempore Constantini, & Concilij Nicæni, in singulis prouinciis ponendus veniebat in vrbibus amplioribus; non erat 67. *De Primatu Toletano. Proponuntur duodecim argumenta in contrarium.*

tunc Toletum ciuitas amplior ceteris Hiſpaniæ, imò nec par. Quartò, quia, ſi fuiſſet Toletanus Pontifex Primas, debuiſſet præeſſe omnibus Conciliis: at in Illiberitano non præfuit; imò Melantius octauo loco ſedit, & ibi præſedit Epiſcopus Felix Accitanus. & ſimiliter in multis Conciliis Toletanis non præeſt Toletanus, ſed alij. Quintò, quæ teſtimonia vel ab Auctoribus vel à Conciliis petita ſumi poſſunt, quæ doceant huiuſmodi Primatum? Sextò, magis hoc prætendere poſſunt, Eccleſia Cæſarauguſtana, quam ædificauit S. Iacobus, in eâque poſuit S. Athanaſium; & Bracharenſis, in quâ poſuit ſanctum Petrum. Septimò, declaratum hoc eſſet in Concilio Nicæno, vt res tanti ponderis, & præcipui momenti; quod non eſt factum. Octauò, de ratione Primatus eſt, vt Epiſcopus eius Sedis præſideat in Conciliis eius Prouinciæ; ſed Toletano nihil tale videmus accidiſſe. Probatur propoſitio; quia id patet in Conciliis Carthaginenſibus, in quibus præſedit Carthaginenſis Epiſcopus, qui citra controuerſiam eſt totius Africæ Primas, vt Cyprianus in ſuo, Primus in alio, Aurelius in multis præſedit. Nonò, quia non eſt credendum, ferè ſexaginta annos manſiſſe Prouinciam Hiſpaniæ ſine Primate, quot ferè elapſi ſunt, ex quo cœpit prædicare S. Iacobus in Hiſpaniâ, & venit ſanctus Eugenius Marcellus ad prædicandum Toleti, annis ſcilicet ferè c. poſt natiuitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti in carne. Decimò, quia maiori ratione ponenda erat prima Sedes Carthagine Spartariâ, quàm Toleti; quia illi tamquam Metropoli ſubiecta erat ciuitas Toletana, vt legenti Plinium conſtabit. Vndecimò, quia nemo veterum Patrum ſcripſit Toletanam Sedem eſſe Primatem. Duodecimò, nec vllus Pontifex ſcribens Toletano Pontifici, vocauit illum totius Hiſpaniæ Primatem.

68. *Quæſtio deciditur.* Duæ partes in hac quæſtione implicantur. Prior, an in Hiſpaniâ vſpiam fuerit totius Prouinciæ Primatus. Poſterior, apud quam Eccleſiam talis Primatus reſideret. A priori quæſtione facilè nos expediemus, dicentes, alibi ſatis latè probatum eſſe, à tempore Apoſtolorum in Hiſpaniâ fuiſſe Pontifices Metropolitanos, Primatem ſeu Patriarcham. Probauimus & ſecundò, fuiſſe Toleti. Supereſt, vt argumentorum reſpondeamus obiectionibus. & ſuppono, non omnino certum eſſe ſtatum & ordinem rerum in Hiſpaniâ, cùm ad eam venit S. Iacobus, neque quando venit S. Eugenius Marcellus: nam etſi ex Pomponio Melâ conſtet, eius tempore clariſſimas Hiſpaniæ ciuitates fuiſſe Tarraconem & Carthaginem, ex maritimis; Cæſarauguſtam, Numantiam in Tarraconenſi; in Bæticâ Aſtigim, Hiſpalim, Cordubam; & aliquantò pòſt vrbem Bætim ſæculo Strabonis; olim tamen ſub Auguſto fuit Toletum colonia, & (ex Feſto Rufo Auieno) Metropolis gentis Hiſpanæ, eaque vrbs præ omnibus Hiſpaniæ ciuitatibus dicitur habuiſſe primam Archiflaminicam dignitatem. Accedit huc, quòd, cùm ad Primatem vrbem habenda eſſent Concilia nationalia, oportebat vrbem eſſe temperatam, ſalubrem, fortem, amœnam, omnibus commoditatibus cæli ſolique perfruentem: & in primis ab omnibus partibus Prouinciæ æquè diſtantem, adeò, vt ad hanc vrbem ex teſtimonio Raſis Saraceni, tamquam ad arcem munitiſſimam allati eſſent populi Romani theſauri cuſtodiendi. Hinc fit, maturè & communi conſilio à viris Apoſtolicis decretum eſſe, vt hîc reſideret totius Hiſpaniæ prima Sedes. Præterea tempore Concilij Nicæni à Conſtantino plures illi tributæ ſunt Sedes, quàm alij Hiſpaniæ, nempe XIX. Adhæc ſcribens Melchiades ad Epiſcopos Hiſpaniæ, incepit à Marino Toletano. Inſuper, vt tradit Luitprandus, inter omnes Hiſpaniæ Pontifices, ſoli Toletano conueniebat ius pallij; vt, tamquam totius Africæ Primati, ſoli Carthaginenſi; vt patet ex Epiſtolâ Leonis IX. ad Petrum & Ioannem Africanos Epiſcopos, agens

Satisfit argumentis obiectis contra Primatum Toletanum.

agens de Primatu Eccleſiæ Carthaginenſis: *Rectè contra Girmitanum Epiſcopum dignitatem Carthaginenſis Eccleſiæ defendiſtis; quia ſine dubio, poſt Romanum Pontificem, primus Archiepiſcopus, & totius Africæ maximus Metropolitanus eſt Carthaginenſis Epiſcopus: nec pro aliquo Epiſcopo in totâ Africâ poteſt perdere priuilegium ſemel ſuſceptum à ſanctâ Romanâ & Apoſtolicâ Sede; ſed obtinebit illud vſque in finem ſæculi, & donec in eâ innocabitur nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſiue deſerta iaceat Carthago, ſiue reſurgat glorioſa aliquando. Hoc ex Concilio B. Martyris Cypriani, hoc ex Synodis Aurelij, hoc ex omnibus Africanis Conciliis; hoc, quod maius eſt, venerabilium Prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum decretis apertè monſtratur*, &c. & inferiùs: *Qui ſolus* (ſcilicet Archiepiſcopus Carthaginenſis) *in Africâ pallium ab Apoſtolicâ Sede habere ſolet.* Ergo ſi Toletana inter Hiſpanas ſola ſolebat accipere pallium à Romanâ Sede, fit, vt illa ſit Hiſpaniarum Primas, & Eccleſia eius ac Archiepiſcopus ſit Primas Hiſpaniarum. Adde, quòd ſcribens ad Iulianum Archiepiſcopum Toletanum, vocat illum *Maximum Pontificem*, hoc eſt, Hiſpaniarum Primatem, vt vocabatur Primas Africæ, ſcilicet Epiſcopus Carthaginenſis, *Maximus Metropolitanus*. Et, vt meliùs intelligatur, admittimus illas vrbes fuiſſe populoſiores, ædificiis maiores, frequentiores ciuibus, opibus clariores; & Toletum ſubiectam Carthaginenſi Conuentui. hoc enim nihil obſtitit, vt eſſet Cæſarea Metropolis Ieroſolymitanæ ciuitatis; quamuis (vt ait Plinius lib. 5. c. 14.) fuerit Ieroſolyma clariſſima vrbium Orientis, non Iudææ modò. Quòd autem ſubiecta fuerit vt Metropoli, Cæſareæ, docet ille Can. 6. Synodi Nicænæ: *Quoniam mos antiquus obtinuit, & vetuſta traditio, vt Aeliæ* (id eſt Ieroſolymorum) *Epiſcopo deferatur, habeat conſequenter honorem ſuum, ſed & Metropolitano ſua dignitas ſeruata ſit.* Quamuis illa ſit mater omnium Eccleſiarum (ſic enim nominatur in Epiſt. ad Damaſum, quam miſit Concilium Oecumenicum Conſtantinopolitanum) & eius Antiſtes inter Eccleſiarum Apoſtolicarum ſedeat Antiſtites, paret Eccleſiæ Cæſarienſi; cui, vt Primati, parent Tranſpalæſtini. Concedimus clariores eſſe illas Toleto, non tamen ob id non ſubiectas, vt Primati, Eccleſiæ Toletanæ. Adde, quòd in hac fuit Archiflaminica prima, vt aliàs probatur; nulla tamen aliarum dicitur huiuſmodi Flamines vel Flaminicas habuiſſe, tametſi Flamines vnius Prouinciæ.

Secundum argumentum nullas vires habet. Primò, quia fieri potuit, vt tem- 69.
pore Annibalis (de quo loquitur Liuius) fuerit oppidum exiguum, tamen poſteà ſucceſſu temporis multùm increuerit; vt reuerà creuit, cùm Auguſti ſæculo per *P. Cariſium facta fuit colonia. nec dicitur illam auxiſſe Regem Gotthorum VVambam, ſed altis muris vndique vallaſſe. quod non eſt ſignum illuc attuliſſe aliunde ciues, ſed qui erant in vrbe & ſuburbio, iactis fortiſſimis mœnibus manſiſſe. Secundò, qualiſcumque fuerit vrbis huius moles, non admodum laboro; ſatis eſt, vt electa fuerit à viris Apoſtolicis vt Metropolis totius Hiſpaniæ, vtpote quæ olim habuit Archiflaminicam. Tertio reſpondetur, oportere ſenſum eruere illorum verborum Concilij Nicæni: *Primatus habent Eccleſiæ vrbium ampliorum.* Quas vocat vrbes ampliores? An quæ magis eſſent protenſæ? Non ita; quia ſic in vrbe Tarraconenſi, vel Carthaginenſi, poni deberet; ſed certò ſcimus, numquam in iis à principio poſitum eſſe totius Hiſpaniæ Primatum. An ditiores? Ditiſſima Numantia, opulenta Cæſarauguſta; at neutrobi poſita fuit prima Sedes. An antiquitate venerabiliores, & commodorum multitudine? Certè Toletum

* D. I. *Huius P. Cariſij meminit Florus lib. 4. Hiſt. in fine, ex quo & alius Hubert. Goltzius in Vitâ Caſ. Auguſti p. 96. plura narrat: & tempore, quo ipſe Legatus & Proprator erat in Hiſpaniâ, deductas fuiſſe colonias militares, Auguſtobrigam, Nouam*

Auguſtam, & Toletum. Extat nummus apud eumdem Goltzium, in cuius reuerſu facies mulieris viſitur turrita, coronâ ornata; cum hac inſcriptione: P. CARISIVS LEG. PROPR. COL. TOLET. *& in eius explicatione doctè & eruditè, vti ſolet, Ludouicus Nonnius pag. 81. Vide Gerardum Mercat. in Caſtellâ Nouâ.*

vrbs antiquitate venerabilis,& commoditate perutilis, vtpote quæ in medio Hiſpaniæ ſit poſita,vt vmbilicus; magis dixerim cor, & veluti centrum huius Prouinciæ. Quartum non euincit, quia multis temporibus non ſubſcripſere Pontifices & Metropolitani, priùs quàm alij; ſed ſeruatâ tantùm Ordinis antiquitate. In Concilio Illiberitano Felix Accitanus primus omnium confirmat,vt antiquiſſimus, poſtmodum Hiſpalenſis,Toletanus, &c. Secundò,in Conciliis Africanis, confirmat Opianus in ſuo Concilio primus, quia ceteris antiquior; & in tertio Primus, & in multis etiam Aurelius. At in ſecundo Carthaginenſi Gennadius præeſt, qui non fuit Carthaginenſis, ſed poſt ipſum confirmat Aurelius. Et quòd non fuerit Gennadius Carthaginenſis, conſtat ex Catalogo illius vrbis Epiſcoporum, qui ſunt, Agrippinus, Donatus, Cyprianus, Lucianus, Manfririus, Cæcilius, Rufus,Gratus, Aurelius, Capreolus, Quoduultdeus, Eugenius, Bonifacius, Reparatus. Quòd præfuerit Gennadius,ſic habes: *Glorioſiſſimo Imperatore Valentiniano Aug.IV. & Theodoſio viris claris Coſſ.* XIV. *Kal. Iunij, Carthagine in Baſilicâ perpetuâ, reſtitutâ, cùm Gennadius Epiſcopus, vnà cum Victore Abderitano, & alio Victore Puputanenſi, & ceteris Coëpiſcopis ſuis Prouinciarum diuerſarum conſediſſet; Gennadius Epiſcopus dixit,*&c.Statim: *Aurelius Epiſcopus dixit.* Concludit: *Gennadius Epiſcopus dixit: Omnia ergo quæ à veſtro cœtu glorioſiſſimo ſtatuta ſunt, placet ab omnibus cuſtodiri? Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Placet, placet, vt cuſtodiantur ab omnibus. Gennadius Epiſcopus dixit: Si (quod non opinamur) ab aliquo fuerint violata, quid ſtatuitis quod fieri debeat? Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Qui contra ſuam profeſſionem vel ſubſcriptionem venerit, ipſe ſe ab hoc cœtu ſeparabit. Gennadius Epiſcopus dixit: Gratulemur, Domino noſtro præſtante, quòd pro ſtatu Eccleſiæ Catholicæ cuncta nos ſalubri conſilio ſeruanda decreuimus; & ideò quæ ab omnibus ſunt dicta, propriâ manu debemus ſubſcripta firmare. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Fiat, fiat: & ſubcripſerunt.* Ecce, Aurelius eſt Episcopus Carthaginenſis, & Primas totius ſAfricæ, & ſecundo loco loquitur, & ſubſcribit: Gennadius præſedit,vt antiquior, & coëgit Concilium,vt docent illa verba: *Omnipotenti Deo gratiæ refero, quia permiſit, vt ſecundùm commune Concilium habitum in Prætorio, etiam iuxta tenorem petitionis litterarum mearum.* Iſte ſenior conſulebat cum Primate totius Prouinciæ, & ſtatim mittebat litteras citatorias & prouocatorias ad Concilium, quas vocat S. Auguſtinus in Epiſtolis *tractorias*. Et hæc ad quartum argumentum. Accitanus in Illiberitano præeſt, & vocauit ad Concilium,communicatâ re cum Epiſcopo Primate Melantio.

70. Ad quintum: multa ſunt, quæ libro integro traduntur de hoc Primatu, quæ repetere modò maioris eſt otij & operæ.

Sextum nihil probat; quia non ſatis eſt, vt ſit Eccleſia Primas, quòd ædificata ab Apoſtolis, quia multæ ſunt in Italiâ à Petro ædificatæ, quæ numquam vocatæ ſunt Primates; & multæ in Aſiâ à Ioanne, quæ dicendæ fuiſſent Primates. Iſtas tales verum eſt dici Sedes Apoſtolicas, quales vel Apoſtoli,vel eorum diſcipuli, vbique terrarum condiderunt, & talis eſt Irienſis, & Bracharenſis.

Ad ſeptimum: ſatis declaratum eſt in Concilio Nicæno, quæ cenſendæ eſſent Eccleſiæ Primates, quæ eſſent in vrbibus amplioribus, ceteris aliis ſeruatis quæ ſeruanda præcipit ordo prudentiæ.

Ad octauum: non eſt de ratione Primatus, præſidere Conciliis, quia illicò qui præſiderent, eſſent ſtatim Primates; non autem qui poſt illos ſubſcriberent: quia radix præſidendi oritur ex Ordinis antiquitate. At quòd aliquis Epiſcopus ſit Primas, ex eo patet quòd habeat ius pallij, & id priuilegium

gium à principio acceperit à Romanâ Eccleſiâ: quòd ſit in medio totius Prouinciæ, quòd poſſit cogere ad Concilium per ſe; vel per antiquum Primatem. Vbi obſeruandum eſt, Primates eſſe in duplici differentiâ, alios ad præſidendum, & ſic ſunt antiquiores; alios verò ad cetera, & ſic in vnaquaque Prouinciâ ſunt certi Primates. Primo modo Primates varij ſunt pro tempore: at Sedes immobilis eſt, neque à tempore Apoſtolorum eſt conceſſum ius Primatus, quod nullatenus poteſt amoueri.

Iam reſponſum eſt, quomodo non præſiderent ſemper Primates, id eſt, 71. Epiſcopi Carthaginenſes; ſed alij aliarum ciuitatum Epiſcopi: nam & in Concilio Lugdunenſi Priſcus Lugdunenſis, & pòſt Sabaudius Arelatenſis Primas.

Ad nonum: non facile eſt diiudicare, fuerítne ante ſanctum Eugenium alius,aut alij Pontifices. Nec deſunt, qui putent, à Iacobo poſitum eſſe primum in vrbe Toletanâ Pontificem. Ad quam rem ſunt aliqua magna quidem veſtigia: nec mirum eſt, quòd in quinquaginta annis poſt reditum ſancti Iacobi poſitus non fuerit Primas: quia primò conueniebat, vt ponerentur in vrbibus Epiſcopi,haberent Eccleſias erectas & loca quò ſe reciperent: & ſtatim conuenienter poneretur Primas, qui Paſtor eſſet illorum Antiſtitum, & eos cogere poſſet ad Concilia. Sic iubet Paulus Tito, vt Cretæ poneret Epiſcopos; quibus iam deſignatis,ipſe tamquam illorum omnium Primas deſignatus eſt.

Nec decimum conuincit, quia benè potuit ſubiectum eſſe Toletum 72. Carthagini in iuriſdictione temporali ac ſæculari, & illi præeſſe in iuriſdictione ſpirituali: quamuis etiam non eſt locus commodus Carthago noua; quia in extremo poſita eſt Hiſpaniæ. Sed illud maximè notandum, Primatum poni in hac vel illâ ciuitate, non prouenire ex eius dignitate internâ vel externâ. Nam ſi conſideres dignitatem externam, maior acceſſit Antiochenæ Sedi, ex eo quòd in eâ præfuit Petrus; quàm Alexandrinæ, quòd in illâ fuit primus Paſtor Marcus: ſed ita ſtatuit idem Petrus ex Dei voluntate, qui poſt Romanam voluit vt eſſet Alexandrina Sedes prima; ſecunda Cathedra in Antiochiâ. Hæc eſt radix omnium conſtitutionum; nihilominùs habuerunt nonnullas alias regulas, vbi Sedes conſtituerent, qui poſt Apoſtolos Eccleſias fundarunt.Sunt qui putent non alium eſſe Patriarcham quàm Metropolitanum. Sedes Toletana, vt reſpicit ſuas peculiares Sedes XIX. eſt Metropolitana; vt eius iuriſdictio ſe extendit ad omnes Hiſpaniæ Sedes, eſt Primas: vt Sedes Romana reſpectu loci eſt Paſtoralis & peculiaris; at,vt eius iuriſdictio, ſcilicet Romani Paſtoris, ſe extendit ad omnes orbis Eccleſias, eſt vniuerſalis.

Sed crediderim, à Iacobo, Petro & Paulo locum hunc pro Primatu to- 73. tius Hiſpaniæ fuiſſe deſignatum: & quòd prædicauerit Clemens in vrbe Toletanâ, ſaltem in Carpetaniâ, docet Iulianus, agens de Iuliano Epiſcopo Carpetano, quem conuertit,dum comitatur S. Petrum in Hiſpaniâ: nam & Doctor Madera lib. de Monarchiâ docet, hos Epiſcopos Iulianum & Iulium (quos diſcipulos ſuos vocat S.Clemens) fuiſſe Pontifices Hiſpanos. Et ita veriſimile mihi eſt, S. Petrum ſignaſſe hunc locum pro Primatu, vt credit Iulianus. Vnde conſurgit potiſſima ratio Patriarchalis huius Sedis, & Primatis Cathedræ in Hiſpaniâ. Nam tres Sedes Patriarchales ſignauit, ſcilicet Romanam, licet tempore poſtremam, in quâ Sedem Summi Pontificij fixit Petrus, quam & omnium caput (vt Chriſtus illi conſtituerat) voluit eſſe Eccleſiarum; Alexandrinam ſecundam, vbi & ipſe prædicauit, vel quò miſit S. Marcum; tertiam Antiochenam, vbi & ipſe aliquot annis moram

fecit.

fecit. Ergo ex institutione Dei, & voluntate Petri, habet aliqua Sedes, quòd sit, vel non sit Patriarchalis, & vt sit prima, secunda vel tertia in gradu dignitatis. Quod mihi probandum est,antequam hinc discedam. Nec Constantinopolitana ciuitas habet Sedem Patriarchalem, quia erat ciuitas Imperatoria; sed quia sic statuit Sedes Petri. sic Leo Epist. 54. ad Martianum Augustum: *Habeat*, inquit, *Constantinopolitana ciuitas gloriam suam, & protegente dexterâ Dei, diuturno clementiæ vestræ fruatur imperio. Alia tamen ratio est rerum sæcularium, alia diuinarum: nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit vlla constructio.* Et Gelasius in Epist. ad Episcopos Dardaniæ: *Nam quòd dicitur*, inquit, *de Regiâ ciuitate, alia potestas est Regia sæcularis, alia Ecclesiasticarum distributio dignitatum: sicut enim quæuis parua ciuitas prærogatiuam Regis præsentis non minuit, sic Imperialis præsentia mensuram dispositionis religiosæ non mutat.* Hæc Gelasius. Falluntur ergo, & toto aberrant cælo, qui putant tunc primùm incepisse in vrbe Toletanâ Primatum, cùm facta fuit Regia ciuitas, & Imperij Gothici domicilium: quia, sicut demere non poterant illi ciuitati hoc priuilegium, sic nec dare: quemadmodum ex iis testimoniis Summorum Pontificum constat. Nec, quòd aliqua ciuitas sit aliâ præclarior splendidiórve, habet ob id ius Primatus: quia nec Ierosolyma, non solùm Iudææ, sed totius Orientis vrbs nobilissima, nec Nicomedia Diocletiani sedes, fuerunt vrbes Primates nec Patriarchales. Ob id Gelasius in dictâ Epistolâ dicit: *Risimus, quòd prærogatiuam volunt Acacio comparari, quòd Episcopus fuerit Regiæ ciuitatis. Numquid apud Mediolanum, apud Rauennam, apud Firmium, apud Treuiros multis temporibus non constitit Imperator? numquid harum vrbium Sacerdotes vltra mensuram sibimet antiquitus deputatam quidpiam suis dignitatibus vsurparunt?* Non fiebant ergo Mediolanenses, Treuirenses & Nicomedienses Ecclesiæ Patriarchales; quia à Petro non acceperunt. In Concilio Nicæno non sunt inuentæ Sedes Patriarchales, sed iam quæ extabant, confirmatæ,vt docent illa verba: *Similiter autem & apud Antiochiam, ceteraſq; Prouincias honor suus vnicuique seruetur Ecclesiæ.* Vera igitur & sola caussa illarum trium Sedium Patriarchalium, scilicet Antiochenæ, Alexandrinæ & Romanæ, est dignitas Petri. Solæ enim illæ Ecclesiæ habitæ sunt Patriarchales propriè, in quibus Petrus tamquam Episcopus sedit. Alexandriæ,per semetipsum,vt testatur Nicephorus lib.14.cap.3.vel per discipulum suum Marcum, cui commisit, vt nomine suo fundaret Ecclesiam, vt docet S. Gregorius Regist.Epist.lib.6.Epist.37. ad Eulogium Alexandrinum,vbi sic ait: *Cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen Principatu sola Apostolorum Principis Sedes in auctoritate conualuit,quæ in tribus locis vnius est. ipse enim sublimauit Sedem, in quâ etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est; ipse decorauit Sedem, in quam Euangelistam discipulum misit; ipse firmauit Sedem, in quâ septem annis, quamuis discessurus, sedit. Cùm ergo vnius atque eiusdem sint Sedes, quibus ex auctoritate diuinâ tres nunc Episcopi præsident, quidquid ego boni de vobis audio, hoc mihi imputo.* Eamdem rationem reddit sanctus Leo in Epist.53. ad Anatolium: *Nihil enim*, inquit, *Alexandrinæ Sedi eius, quam per sanctum Marcum Euangelistam, beati Petri discipulum meruit, pereat dignitatis. Antiochena quoque Ecclesia, in quâ primùm prædicante beato Apostolo Petro Christianum nomen exortum est; in paternæ constitutionis ordine perseueret; & in gradu tertio collocata, numquam se fiat inferior.* Hæc sanctus Leo Papa. Item Anacletus Epist.3. *Secunda*, inquit, *Sedes apud Alexandriam B.Petri nomine à Marco eius discipulo consecrata est; tertia autem Sedes apud Antiochiam, eiusdem B. Petri Apostoli nomine, habetur honorabilis.*

bilis. Hæc est ergo ratio numeri harum Sedium. Ratio autem ordinis est, quia cùm omnes tres sint Sedes Petri; tamen Romanam per se vsque ad mortem administrauit, Alexandrinam per Marcum Euangelistam, Antiochenam per Euodium. Sicut ergo maior est Apostolus Petrus Marco Euangelistâ, & Marcus Euangelista Euodio (quia neque Apostolus nec Euangelista fuit Euodius) ita Romana Ecclesia Alexandrinam, & Alexandrina Antiochenam auctoritate & dignitate superat. Nec dubito, quando fieri potuit,sanctum Pontificem Petrum magnitudinis, claritudinis & gloriæ rationem nonnumquam habuisse. Ergo si conuenit, vt Alexandrina Sedes esset Patriarchalis, quia per Marcum eam fundauit Petrus; si probauerimus,Toletanam conditam esse per eumdem Petrum, misso ad Hispaniam primùm Iacobo, deinde Eugenio Petri discipulo, probatum erit, Sedem fuisse ex eo tempore Patriarchalem. Quòd Toleti prædicauerit Apostolus Iacobus, docent illa verba: *Peragratis omnibus Hispaniæ vrbibus.* ergo, vel eundo, vel redeundo, non potuit fieri, quin Iacobus ingressus sit Toletum, & ibi prædicauerit, ibi Sedem fixerit. Ergo si communicauit consilium veniendi ad Hispanias cum B.Virgine, quidni communicarit cum Petro Christi Vicario, Collegiique Apostolici summo vertice, ac ceterorum capite? nam cùm benè considero Dei opera esse quàm maximè possunt ordinata, ac ordo poscit vt tantam profectionem cum Vicario Christi communicaret, eiusque nutu ac missione venerit, cùm Toleti prædicauit; quidni iudicemus vel hoc nomine Patriarchalem esse Sedem, non minorem dignitate Alexandrinâ, quam per Marcum Petrus instituit? Nam. quantum dignitate præstat Iacobus Marco, tantum præstare debet Sedes quam ipse constituit, Sede quam erexit Marcus. Idem impulsor, nempe Petrus, magister vtriusque; sed dignitate Apostolicâ Iacobo par, licet in officio Vicariatus illo superior.

Iam verò, si veniamus ad tempora S. M. Marcelli Eugenij; nónne ille fuit Petri discipulus, Petri comes, & à Petro ad prædicandum missus? Quòd fuerit discipulus Petri S. Eugenius, docent Dexter & Iulianus; quòd autem missus sit ab illo ad prædicandum, docet Linus Papa in Vitâ S. Petri Apostoli, his verbis: *Cui ait B. Apostolus*, post obitum egregiè martyrium ipsius ad sepulchrum lugenti: *Frater Marcelle non audisti vocem Domini dicentis, Relinque mortuos sepelire mortuos suos? & Marcellus ait: Magister, audiui. Tunc Petrus ad eum: Noli ergo, quasi mortuus mortuum videaris sepeliisse, flere; sed tamquam viuus viuenti & gaudenti conlætare. Relinque mortuos sepelire mortuos suos: tu autem, vt per me didicisti, vade, annuntia regnum Dei. Quod cum gratiâ multâ cunctis Fratribus Marcellus nuntiauit, & suffragiis S.Petri fides credentium à Deo Patre confirmata est, in nomine Domini Iesu Christi, & in sanctificatione sancti Spiritus.* Videtur hîc significare S. Linus, significasse Petrum Marcello, quò vellet eum ire prædicatum. Nec enim dici potest de viro tam excellenti, & tanti Doctoris discipulo, post mortem Petri ad Cyrenæos, quod aiunt,scopulos consenuisse,sed prædicasse Romæ, & alibi: pòst verò plus quàm xxv. annos à morte S. Petri missus est in Hispaniam à Clemente Papâ conciue, vt iusserat S. Petrus. Ante hunc prædicarat ibi S.Philippus, cognomine Philotheus; & ante hunc Secundus: primus omnium S. Iacobus. Fuit autem doctus & elegantis ingenij S. Marcellus, vt ex epigrammate, quod elegantissimè composuit in laudem sancti Dionysij, liquet. Iulianus Toletanus dicit habuisse consuetudinem cum Martiali,huncque magni fecisse iudicium M. Marcelli,vt ipse testatur,misso ad illum epigram. 73.lib. 10 74.

Littera facundi gratum mihi pignus amici
Pertulit Ausoniæ dona seuera togæ:
Quâ non Fabricius, sed vellet Apicius vti,
Vellet Mæcenas Cæsarianus eques.
Vilior hæc nobis alio mittente fuisset:
Non quacumque manu victima cæsa litat.
A te missa venit: possem nisi munus amare
Marte tuum, poteram nomen amare meum.
Munere sed plus est, & nomine gratius ipso;
Officium docti iudiciumq; viri.

Cùm esset Gentilis, versabatur cum Nerone docto linguæ Latinæ Græcæque: post mortem sancti Petri, cum Clemente viro docto, & cognomine Sophistâ, vt in eius Vitâ ante DCC. annos scriptâ, & in Concilio comprobata, habetur. Eugenius nobilissimâ Romæ prosapiâ ortus, & à Clemente Sophistâ educatus, missus fuit ad gentes, non barbaras, vt erant Cantabri, sed ad feroces & cultissimas, videlicet ad Carpetanos & Toletanos, qui in medio totius Hispaniæ viuebant; posteaque conuersatus est cum Dionysio Areopagitâ. Vixit Romæ sub Lino Cletoque. Videtur quòd sanctus Marcellus iuuerit Paulum in prædicatione: nam cùm fuerit sancti Clementis discipulus, Clemens verò vehementer iuuerit prædicationem Pauli, fit vt idem præstiterit Eugenius. Constat autem ex cap. 4. Epist. ad Philippenses, Clementem fuisse Pauli cooperatorem; docent enim hoc illa verba: *Rogo & te germane compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio cum Clemente, & ceteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.* Σύζυγε vox, quam vertit optimè Vulgatus *compar*, significat, qui cum alio idem iugum portat. Quidam intelligunt de vxore Pauli, quam certior Patrum sententia est eum non habuisse, cælibemque vitam perpetuò duxisse. Iam verò, esto coniugem haberet Paulus, illam vel Tarsi, vel Ierosolymis, & non Philippis reliquisset. Nec placet quòd loquatur de viro sic vocato: ego, saluâ meliùs sentientium in omnibus opinione, cui meam libenter subiicio, crediderim hîc loqui eum sancto Petro, qui iugum idem ducebat prædicationis Euangelicæ; ille prædicans Iudæis, Paulus verò Gentibus. Pro quo debet obseruari, hanc Epistolam scriptam esse secundo anno commorationis sancti Pauli Romæ. Scribitur ad Philippenses, quâ in vrbe erant Euodia Syntycheque: illæ verò multùm pro doctrinâ Euangelicâ laborauerant. Erat tunc non Romæ S. Petrus, quia ibi cum illo conuersaretur; sed erat Philippis, vt patet ex verbis Simeonis Metaphrastis in Vitâ sancti Petri: *Cùm Philippis autem* (Petrus scilicet) *Olympium Episcopum constituisset.* Rogat ergo sanctum Petrum manentem tunc temporis Philippis, vt Philippenses feminas præclarissimas, Syntychen & Euodiam, quæ, prædicante Paulo, egregiè pro Paulo laborarant, adiutores verò Pauli Clementem & ceteros apud Philippos, adiuuaret consilio, eleëmosynis, & quo posset pietatis officio. Ibi videtur etiam fuisse sanctus Eugenius sanctus Clementis discipulus. *Salutant vos, qui* estis in vrbe Philippis, & te quoque sanctum Petrum ibi commorantem, omnes sancti Romani, & præcipuè qui de Cæsaris domo sunt, videlicet Seneca & Torpes, aliique senatorij, & aulici viri, iam in Christum credentes.

75. Quòd si admittamus, vt quidam volunt, indiuiduum eum fuisse comitem S. Petri magistri sui, post eius verò mortem Clementis adhæsisse contubernio; fatendum, potuisse quidem esse cum Paulo ad annum ferè quinquagesimum sanctum Clementem, non tamen sanctum Marcellum, qui multò

pòst conuersus est, scilicet post annum quinquagesimum septimum. Nihil hîc certi est mihi.

Quæritur, an certum sit, S. Eugenium primum fuisse Toletanorum Pontificem, primumque Pastorem? Ad cuius rei quæstionem explicandam scire debemus, Toletum esse velut vmbilicum & centrum totius Hispaniæ, quà transeundum est, siue vadas ad Orientem, siue Occidentem versus, siue vergas ad Meridiem, siue tendas ad Septemtrionem: cumque prædicatores Euangelici non semper in vno eodemque loco consisterent, sed quoquouersus, vbi Spiritus sanctus eos euocabat, incredibili quadam alacritate & celeritate raperentur: cumque aliquando ab Ortu ad Occasum, vel econtrà nonnumquam à Meridie flectendum esset ad Septemtrionem; necessariò Toleto transeundum erat: cumque ab anno XXXVI. sanctus Iacobus venerit in Hispanias, omnesque eius vrbes peragrarit, quî dici cogitarique potest, eum hîc non prædicasse; &, si prædicauit (vt reuerà puto illum ibi prædicasse) quomodo fructum non tulit? Apti sunt Toletanorum animi ad quoduis genus virtutis, nata quoque ingenia ad recipiendam alacribus animis pietatem. Fuerunt quidem tenacissimi paternarum superstitionum: at vbi semel (Christo sit gloria) veritatem imbiberunt, illam fortiter amplexi, constanter ad hunc vsque diem conseruarunt. Dexter Barcinonensis affirmat, sanctum Secundum totâ Carpetaniâ prædicasse; quomodo ergo non prædicauit Toleti? & Doctor Bernardus affirmat, prædicasse sanctum Saturninum discipulum S. Petri Toletanis, & Paternum ciuem Toletanum ante S. Marcelli aduentum, iam Toleti conuersum, iuisse quæsitum ad Gallias sanctum Saturninum; ab eoque benè instructum, creatum esse Episcopum Vasatensem. An non prædicauerunt hîc S. Petrus & S. Paulus, ac S. Clemens comitatus S. Petrum, cùm venit ad Hispaniam, qui conuertit sanctum Martyrem & Episcopum Carpetaniæ Iulianum in Hispaniæ tractu Carpetano (vt docet Iulianus) ad quem posteà scripsit sanctus Clemens. Quomodo ergo post tot prædicationes non credidit Toletum? credidit Carpetania, habebat iam Episcopum, quem puto fuisse Toletanum, & nondum crediderit Toletum ciuitas clarissima bonis mentibus, & ciuium ingeniis decorata? Aiunt Dexter & Iulianus, sanctum Saturninum ibi posuisse primam Sedem Hispaniæ, & eam confirmasse, quam confirmauit & sanctus Philippus cognomento Philotheus, S. Pauli discipulus, quem præmisit ante Eugenium sanctus Clemens, ibique prædicauit, & Primatum iam designatum à S. Iacobo (vt rationi consentaneum est) confirmauit, & post hæc sanctus Marcus Marcellus, & quî tolerari potest, vt post prædicationem sancti Iacobi, & aduentum septem Episcoporum, sanctorum Petri, Pauli, Clementis ad Hispanias, per totos circiter quinquaginta annos Toletum non accesserit felix nuntius Euangelij, & eius lucis splendor ac fulgentissimus radius mentes Toletanorum nondum perstrinxerit, illustrarit, vel saltem attigerit? Maximè quia in Vitâ S. Clementis sic dicitur: Ὁ Διονύσιος δὲ Μάρκελλον εἰς Ἱσπανίας ἀπέστειλεν, ἵνα τὸν λόγον τῆς ζωῆς ταῖς Ἐκκλησίαις τῆ Χριστῦ εὐαγγέλλη, *Dionysius autem misit tamquam legatum Marcellum in Hispanias, vt verbum vitæ ipsis Ecclesiis Christi nuntiaret.* Idem Isingrenius. Vbi magis videtur missus, vt Apostolus totius Hispaniæ, quàm vt priuatus alicuius ciuitatis Apostolus. Benè tamen credo perlustrasse totam Hispaniam, illamque verbo & miraculis illustrasse, vt Legatum Apostolicum decebat. Tandem verò peruenisse Toletum, tamquam ad Primatem Sedem, & ibi multos annos constitisse: inde verò digressum, nunc has, nunc illas visitasse frequenter Ecclesias, vt Primatem & Legatum; antequam eodem fungeretur officio Philippus, vt

Legatus Apostolicus, quia veniebat vt esset Hispaniarum Primas. Quin & verisimile puto, multos annos id munus, scilicet Legati, fuisse coniunctum cum Primatu totius Hispaniæ; vt videre est in Thessalonicensi Primate. Addam verba S. Leonis Papæ ad Anastasium Primatem Thessalonicæ, Epistolâ 84. sic ait: *Quanta Fraternitati tuæ à beatissimi Petri Apostoli auctoritate sint commissa, & qualia etiam nostro tibi fauore sint credita; si verâ ratione perspiceres, & iusto examine ponderares, multùm posses de iunctæ solicitudinis deuotione gaudere. Quoniam sicut prædecessores mei prædecessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum, vicem mei moderaminis delegaui: vt curam, quam vniuersis Ecclesiis principaliter ex institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus adiuuares.* Sic erant Legati totius Africæ Pontifices Carthaginenses. Nec me latet, aliquando ex peculiaribus caussis eligi solere Legatos, vt Tarraconenses & Hispalenses. Id etiam confirmatum est Toletanis Præsulibus post libertatem vrbis Toletanæ, in Bernardo, Raymundo, Ioanne, Celebruno, Martino, Ruderico, & aliis secutis Pontificibus.

76. Quòd autem Philippus fuerit Legatus Hispaniæ vt Primas, docent illa verba: *Porrò S. Clemens sub idem tempus* (quo venit S. Dionysius Romam) *Philippum quemdam Hispanis Episcopum præfecerat, eamdemq; potestatem, quam ipse diuinus Clemens à B. Petro accepit, ipsi dederat, dicens: Profectus in Occidentales plagas, Euangelium regni cælorum prædicato; ligandi & absoluendi tibi potestas esto: vt Christi Euangelium per te longè lateq; diffundatur, quò à Domino instar fidelis serui audire merearis: Euge serue bone ac fidelis, in paucis fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Quæ omnia facilè docent, fuisse Legatum Sedis Apostolicæ, eò quòd totis præficiatur Hispaniis, totis iubeatur prædicare, & quòd detur ei ampla facultas absoluendi atque ligandi. Similiter missus est ad Gallias & Germanias S. Dionysius Areopagita, cui eadem verbis conceptis dicta sunt. Ego crediderim, si prædicare aliquanto tempore in aliquâ ciuitate, satis est vt quis eius vrbis dicatur Episcopus, quòd Toletana ciuitas habeat hos Episcopos, S. Iacobum, S. Secundum, S. Petrum, S. Clementem, S. Iulianum, S. Paulum, S. Philippum, S. Saturninum, S. Eugenium, octo ante S. Marcellum Eugenium. Benè quidem video, non admodum longo tempore priores istos Toleti constitisse, sanctum verò M. Marcellum multò plus temporis ibi moratum. Hanc difficultatem præclarè sensit & aduertit Hieronymus Romanus ex Augustinianâ familiâ: cui illud etiam adiungendum est, in Vitâ S. Eugenij ante septingentos annos scriptâ, non dici primum fuisse Toletanorum Episcopum, sed Arelate consecratum à Dionysio, missum esse in Toletanam ciuitatem. Nec Martyrologia, nec Breuiaria, vel Tabulæ Ecclesiarum Hispaniæ testantur hunc fuisse primum Episcopum, nec Martyrologium Romanum nouum, nec S. Antoninus 1. part. tit. 6. cap. 1. §. 4. nec Vincentius, nec aliquis alius; sed cùm alium non vidissent, nec rem multùm diuque perpendissent, primum esse putauerunt. Ob id prudenter P. Petrus Ribadeneira in eius Vitâ, quæ est 2. p. Floris Sanctorum, vocat eum primum eorum quos scimus Toletanorum Pontificum. Idem habetur Episcopus Tolosanorum, quòd, defuncto S. Saturnino, & Ecclesiâ illâ Pastoris solatio destitutâ, ibi plusculum temporis prædicauerit, vt obseruauit diligenter Petrus Calahor. Qui quoniam per multos annos (plusquam trigintaquinque) in Hispaniâ, & frequentiùs Toleti remoratus est; ceteri verò prædecessores illius, vel ex itinere, vel paruo tempore Toleti prædicauerunt; iure optimo potest quodam modo beatus M. Marcellus Eugenius primus Toletanorum Pastor appellari: dummodò tamen multò priùs quàm ille veniret in Hispaniam, agnoscamus præ-

prædicatam fuisse doctrinam Euangelij Toletanis. Et cùm in Tabulis sanctæ Ecclesiæ Toletanæ dicitur primus Toletanæ Ecclesiæ Pontifex; hoc modo arbitror interpretandum esse *primus*, qui seriò & ex industriâ Toletanis prædicarit; non tamen primus qui lucem Euangelij Toletanis intulerit. Danda quidem venia Scriptori Tabularum Toletanarum, quia ille alium Eugenio priorem non inuenit in eâ Sede Præsulem, & ob id ausus est publicare fuisse primum absolutè Pontificem.

Secundò, restat probandum, quo tempore venerit. Constat ex Historiis 77.
missum à S. Clemente, cùm esset iam Romanus Pontifex. Quod priùs restat probandum & excutiendum; quia ex eo comperto comperiemus, quo tempore venerit in Hispaniam S. Eugenius. Variæ sunt opiniones quo tempore cœperit vel inierit Pontificatum Clemens: illam sequor, quam in re tam graui sequitur Ecclesia, qualis est Canon sacrosancti Sacrificij, vbi post Linum & Cletum quarto loco ponit Clementem: quam amplectuntur grauissimi Patres, videlicet S. Ignatius in Epist. ad Mariam Cassoboliten, Hegesippus apud Eusebium lib. 3. Histor. cap. 12. Irenæus lib. 3. cap. 3. Epiphanius hæresi 27. Hieronymus in Clemente, Breuiarium Romanum nouum & vetus, & Martyrologium Romanum nouum, Optatus Mileuit. lib. 1. S. Augustinus Epist. 165. Nicephorus lib. 1. & Baronius in Annalibus, & Martyrologij Annot. Pet. de Ribadeneira 2. p. Floris Sanctorum, & Gregorius Turonensis lib. 2. cap. 3. & Nicephorus Episcopus Constantinopolitanus. Cœpit autem Pontificatus S. Clementis, secundùm veram & certam Historiam, quam sequitur in Annalibus Ecclesiasticis Cardinalis Baronius, anno XCIII. Post hæc verò tempora venit Romam Dionysius Areopagita, & profectus est Eugenio comitante ad Gallias. Ponitque Baronius anno XCV. sed Dexter & Iulianus ponunt aduentum M. Marcelli ad Hispanias anno Domini C. fortasse morati sunt in viâ. Hinc infertur, vehementer eos errare, qui dicunt, Dionysium & Eugenium passos sub Domitiano; quia profecti sunt anno XII. Domitiani; hic verò mortuus anno XV. scilicet Christi XCIX. antequam S. Eugenius veniisset in Hispanias: passus autem est XXXVI. dies post mortem sancti Dionysij: etenim Dionysius martyrio coronatus est IX. die Octobris; eodem anno XV. Nouembris passus est sanctus Eugenius, ex Dextro ad annum C.XXX. Quare, qui dicunt passos sub Traiano, si intelligunt sub Traiano Adriano, verè id quidem affirmant: erat enim annus ille Adriani XII. sic Græcorum Menologium, Beda, Vsuardus, Ado, & Baronius ex Aristide: quo tempore erat Dionysius CX. annorum, Eugenius centenario maior iam perfectissimæ senectutis, sed viribus integer; qui poterat iter ingredi Toleto Parisios. Quo tempore cœperit prædicare S. Saturninus, maximè conuenit prænotare. Beda passum ait anno CC.L. Grato & Decio Coss. ex vitiosâ & improbatâ Historiâ S. Gregorij Turonensis, qui facit synchronum Saturninum Dionysio Areopagitæ (quem quidem errorem secuta sunt omnia ferè Martyrologia præter Vsuardum, &, quod mirabilius est, ipse Baronius, qui reprobat sententiam de Dionysio) sic ille 1. lib. Histor. Francorum: *Huius tempore*, scilicet Decij, *septem viri Episcopi ordinati ad prædicandum in Gallias missi sunt, sicut Historia sancti Martyris Saturnini denarrat. Ait enim: Sub Decio & Grato Coss. sicut fideli recordatione retinetur, primum ac summum Tolosana ciuitas sanctum Saturninum habere cœperat Sacerdotem. Hi ergo missi sunt: Turonicis Gratianus Episcopus; Arelatensibus Trophimus Episcopus Narbonæ Paulus Episcopus; Tolosæ Saturninus Episcopus; Parisiacis Dionysius Episcopus; Aruernis Atremonius Episcopus; Lemouicis Martialis est destinatus Episcopus.* Hæc multis inuoluuntur absurdis; quia falsum est in primis, mis-

ſum & paſſum Dionyſium Areopagitam primò Epiſcopum Athenarum, poſteà verò Pariſiorum, ſub Decio & Grato, cùm CXX. annis antè paſſus ſit. De Paulo contradicit ſibi Martyrologium Romanum, quod XXII. Martij ſic habet: *Narbonæ in Galliâ natalis S. Pauli Epiſcopi, Apoſtolorum diſcipuli, quem tradunt fuiſſe Sergium Paulum Proconſulem, qui à B. Apoſtolo Paulo baptizatus, & cùm in Hiſpaniam pergeret, apud Narbonem relictus,* &c. Reprehendit Baronius in Annot. Turonenſem, dicens, *Vbi manifeſtè errat* (ſcilicet Gregorius lib. 1. cap. 30.) *dum eum, cum aliis quos ibi recenſet, tempore Decij Imp. in Gallias peruenisse teſtatur.* Ita errauit & in Saturnino; quem Vſuardus & Molanus, Galeſinus & M. S. non ponunt ſub Decio: nam Hiſtoria Bertrandi de rebus Toloſanis, Breuiaria Toloſana & Toletana, item Petrus de Natalibus, affirmant miſſum à ſancto Petro Toloſam, paulò poſtquam venit ſanctus Petrus Apoſtolorum Princeps Romam: item S. Antoninus. Quem dicunt filium fuiſſe cuiuſdam Principis, & auditâ famâ ſancti Ioannis Baptiſtæ, ſub eius doctrinâ manſiſſe; poſteà verò fuiſſe S. Petri diſcipulum, quo cum Antiochiâ Romam venit: paſſus eſt, vt docent Dexter & Iulianus, ſub Traiano. Primus ergo docuit, Chriſtianoſque fecit ciues Toleti S. Iacobus; poſt hunc Secundus; tertius S. Petrus ſub annum L. & Clemens qui prædicauit Toleti, ex Iuliano, habuitque diſcipulum Iulianum. Anno circiter LX. venit Toletum; anno LXIII. venit S. Paulus ad Hiſpanias; & credibile eſt prædicaſſe Toleti, Saturnino ibi commorante. Sequitur horribilis perſecutio Neroniana, quam ſingulari Dei beneficio S. Paulus præuenit, vt Hiſpanorum animos ſuâ præſentiâ & ſanctiſſimis ſermonibus confirmaret. Fuit in Hiſpaniâ hæc perſecutio validiſſima: teſtantur enim carnificinæ impenſæ vndecim Martyribus anno LVII. Secundo verò Neronis prima fuit; ſed longè ſæuiſſima, vtpote à dæmone Chriſtianæ felicitatis inuido truculenter excitata. omnem ille mouit lapidem, vt crederent fideles iam veniſſe tempus Antichriſti, ex Epiſt. ad Theſſalonicenſes. Innumeri in Hiſpaniâ pro Chriſto paſſi, bona publicata, ædes ſacræ deſtructæ, multi ad anfractus ſpeluncarum & iuga montium ſeſe in tutas latebras abdiderunt: adeoque deſæuiit gladius, vt nulli ſuperfuiſſe Chriſtianorum viderentur, ſed omnis eorum progenies radicitus extirpata & deleta eſſe. Quod ipſe Nero pro virili conatus erat, vt paucis verbis docet Oroſius lib. 7. cap. 7. ſed mirè rem ſignificantibus. Nam primùm Romæ Chriſtianos ſuppliciis ac mortibus affecit, ac per omnes prouincias pari perſecutione excruciari imperauit, ipſum nomen extirpare conatus. Extat lapis Rom. non procul Toleto, hanc deletionem & extremam ſignificans ſtragem. quem Galbam ſæuiſſimum hominem, tunc Luſitaniæ præfectum, in gratiam Neronis erigi curaſſe credibile eſt: qui ſic habet, afferturque ab Ambroſio, & aliis:

NERONI. CL. CÆSARI.
AVG. PONT. MAX.
OB PROVIN.
QVI NOVAM GEN.
HVM. SVPERSTITIO-
NEM INCVLCAR.
PVRGATAM.

De totâ loquitur Hiſpaniâ; quia ſi de particulari dixiſſet, adderet Bæticam, vel Tarraconenſem, aut Luſitaniam. Hoc tempore perſuaſionibus Toletanorum Gentilium pænè lapſus eſt Iulianus; ſed gratiâ Dei eum reſpiciente in ſe rediit, & in Religione ſemel ſuſceptâ perſtitit. Addit Baronius de hoc lapide: *Sed planè inanis & iactabunda adulatio; quâ tamen ſignificatur,*

tur, & Eccleſiam in Hiſpaniis maximè floruiſſe, & acerrimam fuiſſe Neronis perſecutionem; vt creditum ſit ab Ethnicis, Chriſtianam Religionem ab eo penitus extirpatam. Extincto Nerone, lux aurea rediit Hiſpanis, excitato à Prætorianis militibus Galbâ, qui tunc in Hiſpaniâ degebat, & poſt eius mortem à Veſpaſiano, donante totas Hiſpanias iure Latij. Tunc fuit Epiſcopus Carpetanorum Iulianus vſque ad annum XCV. vt affirmat Iulianus ſanctæ Iuſtæ Toletanæ Archipresbyter. Nec multò pòſt venit cum plenitudine Legati, miſſus à S. Clemente Philippus Epiſcopus cognomine Philotheus, quem Laminij, vrbe Arenatum, conuertit S. Paulus; prædicatque Toleti (vt tradit Dexter & Metaphraſtes) qui priùs fuit Præfectus Hiſpaniæ, & comitatus Romam S. Paulum, à S. Petro miſſus eſt ad inſulam Argyram, ordinatus ab illo Presbyter: antè tamen quàm ordinaretur Epiſcopus, more gentis ſuæ & nobilitatis, portabatur in ſellâ: quem credo irridet Martialis ad Auitum ſcribens lib. 6. ſic:

Octophoro ſanus portatur, Auite, Philippus:
Hunc tu ſi ſanum credis, Auite, furis.

Romæ forſan cum apparatu portabatur. Conuertit illam inſulam. Pòſt, iam Clemente Epiſcopo rediit Romam, & ordinatus à Clemente Epiſcopus, mittitur Legatus Româ ad Hiſpanias, prædicatque Toleti. Fallitur Morales, putans eumdem eſſe Philotheum qui Hierotheus; quia *Philotheus* eſt Amicus Dei, *Hierotheus* Sacer Deo. Expletâ diligenter Hiſpanienſi legatione, rediit ad Siciliam, & ibi ſancto quieuit fine, & XII. Maij celebratur. Sic Galeſinus: *Argyræ in Siciliâ ſancti Philippi Presbyteri:* (ſumitur aliquando Presbyter pro Epiſcopo) *is ab Apoſtolorum Principe B. Petro Euangelij cauſſâ ad eam inſulam miſſus, Deo iuuante perfecit, vt magna illius pars, abiectâ impietate, Chriſti Domini Fidem amplecteretur.* Denique ex hoc ſæculo migrauit Argyræ, vbi templum eius nomini conſtructum eſt; miraculorum frequentiâ atque hominum concurſu celeberrimum. Romani Martyrologij collectores cùm alicubi reperiant, hunc eſſe Epiſcopum, alicubi Presbyterum, ab vtroque abſtinentes, ſic habent hoc die: *In Siciliâ S. Philippi Argyri, qui à Romano Pontifice ad eam inſulam miſſus, magnam illius partem ad Chriſtum conuertit; cuius ſanctitas in liberandis energumenis maximè declaratur.*

Sanctus Probus maritus Xantippes fit Epiſcopus Rauennas, ſextus poſt primum Apollinarem: celebratur eius feſtum XII. Maij. Lege Galeſinum & Petrum de Natalibus, XXIII. Septembris: *In Hiſpaniâ* (vrbe Laminio) *ſanctarum mulierum Xantippæ & Polyxenæ, quæ fuerunt Apoſtolorum diſcipulæ.* Hæc S. Andreæ, illa verò S. Pauli; hæc vxorata, illa quidem virgo. Meminit harum Græcorum Menologium, & Metaphraſtes in Vitâ Pauli. ſic Menologium Græcorum die XXIII. Septembris: *Eâdem die memoria ſanctarum mulierum Xantippæ & Polyxenæ ſororum. Hæ fuerunt ex regione Hiſpanorum, Claudij Cæſaris, ſcilicet Neronis, temporibus. quarum quidem Xantippe vxor fuit Probi, qui prouinciam illam adminiſtrabat; ipſa autem erudita fuit ab Apoſtolo Paulo, cùm eam regionem peragraret, & vnà cum multis aliis vir eius. Polyxena autem rapta fuit à dyſcolo quodam, ſed Dei gratiâ incorrupta manſit, & ab Apoſtolo Andreâ Baptiſmum ſuſcepit. Cumq; multi eius operâ credidiſſent, aſſumpto Oneſimo Apoſtolo, in patriam ſuam Hiſpaniam profecta eſt, & poſt longam illam nauigationem, & immenſa exilia, peruenit ad ſororem ſuam Xantippen, Rebeccam ſecum ducens, cum quâ ſimul baptizata fuerat, quæ ſcilicet ſic reliquo vitæ curſu tranſacto, & multis editis miraculis, ad Dominum migrarunt.* Hinc colliges, aduentum S. Pauli in Hiſpanias fuiſſe 78.

ſub

sub Claudij Neronis Imperium, & præcipuè postquam egressus est Româ iam liber; quia cùm scripta est Epistola ad Romanos, nondum venerat, & paulò pòst comprehensus est & ductus Romam: illa profectio facta est, postquam de criminibus sese expediuit, de quibus agebatur reus coram Imperatore Claudio Nerone.

79. Sed etiam; antequam hinc discedamus, aperienda nobis quæstio est, Quot fuerint Marcelli, & an illi discipuli Simonis Magi? Duo omnino fuere Marcelli. Primò, quia alter dictus est M. Marcellus, M. Marcelli filius: alter Quintus Marcellus fuit Consul, dictus Q. Asinius Marcellus, cum M. Acilio Auiolâ; ann. Christi LV. V. C. DCCC.VII. Extat lapis: *Q. Asinius M. F. Marcellus Consul.* Auiola est, qui elatus reuixit, & in rogum iniectus, cùm illi succurri non posset, viuus crematus est. Plinius lib. 6. cap. 52. His Consulibus Claudio successit Claudius Nero. Secundò, quia Dexter & Iulianus vocant his nominibus vtrumque. Tertiò, quia Q. Marcellus mortuus est in persecutione Neronis, vt docent Episcopus Esquilinus & Galesinus, anno verò LXXII. Domini ex Dextro & Iuliano, M. verò Marcellus Eugenius LX. annis pòst. Mortuus est autem M. Marcellus prope Parisios anno Christi C.XXX. mortuus verò Q. Marcellus cum Apuleio LXXII. Romæ. Q. Marcellus non fuit Clericus; M. Marcellus Episcopus, ambo fratres, viri primarij & Consulares, filij M. Marcelli Præfecti Romæ. Q. Marcellus communiter dicitur Marcellus: M. autem Marcellus frequentiùs dicitur Eugenius; passus autem XV. die Nouembris. De M. Marcello dicit Iulianus, quòd morienti Petro adfuerit; quòd eum de cruce deposuerit; quòd depositum & aromatibus conditum sepelierit. Missa est in exilium sancta virgo Flauia Domitilla, vt placet Baronio, anno XCVIII. XXVI. post mortem Q. Marcelli, & cum illâ exulauerunt in insulâ Pontiâ Nereus & Achilleus eius Eunuchi; vbi erant duo discipuli pessimi Simonis Magi, qui laudantes vitam flagitiosissimi magistri sui, mirum in modum afflictabant sanctos Martyres. Idque puto fuit post annum C. cùm sanctus Marcellus iam erat in Hispaniâ, quò venerat missus à Dionysio Areopagitâ Arelate cum quibusdam militibus; & inter illos venerat Vitalis eius frater & Archidiaconus. Scribunt sancti Martyres ad M. Marcellum sequentem Epistolam, quæ est in eorum Actis: *Nereus & Achilleus serui Christi Iesu, fratri & condiscipulo Marcello aternam salutem. In Pontiæ insulæ ergastulum relegati propter nomen Domini nostri Iesu Christi, gaudemus quidem, sed gaudium nostrum perturbant Furius & Priscus discipuli Simonis, qui propter magicas artes in hoc exilium deportati sunt. Aiunt illi alienum à culpâ fuisse Simonem: porrò eum sine causâ Apostolum Petrum execratum esse. Cumq; diceremus nos insulæ habitatoribus, ne commodarent eis fidem, memorauimus illustrem & idoneam personam tuam, quæ posit scriptis ipsos facere certiores, cuiusmodi fuerit Simonis Magi vita, & quemadmodum (cùm eius fueris discipulus) res eius benè cognitas & exploratas habeas: quas oramus ne perscribere graueris: vt homines innoxij ab horum fraudibus & impostoris liberentur. Gratia Domini nostri Iesu Christi tecum.* His litteris acceptis respondet Marcellus: *Marcellus seruus Iesu Christi, sanctis Confessoribus Nereo & Achilleo. Lectis litteris vestris gaudio sum repletus, quòd intelligerem vos in fide constantes esse, & pro veritate certare viriliter. & quia scribitis vobis Simonis innocentiam obiectam, retexam partem vitæ illius, vt ex paucis cetera colligantur. Ego quidem cùm in eius me doctrinam tradidissem, postquam animaduerti hominem esse malignum, & infantum trucidatorem; itemq; maleficum & perfractorem, discessi ab illo, &*

& me ad Dominum meum sanctum Petrum adiunxi. Quem cùm Simon magum diceret, & populum Romanum eius odio inflammaret; derepentè eo loco, vbi Petrum Simon insimulabat, vidua transiit cum multâ populi frequentiâ, filium vnicum mortuum efferens tristissima. Vt vidit S. Petrus, ait ad populum Simoni credentem: Deponatis de feretro defunctum hominem, & qui eum excitauerit, veram eius esse fidem sciatis, &c. Sancti Martyres iam per martyrij lauream ad cælum euolauerant, cùm allatæ sunt S. Marcelli litteræ. Respondent verò alij eorum loco in hunc modum: *Eutyches, Victorinus & Maro, serui Domini nostri Iesu Christi, Marcello: Quando venerunt litteræ tuæ ad sanctos Nereum & Achilleum scriptæ, illi iam ante dies triginta peruenerant ad coronam. Cùm enim Flauia Domitilla virgo illustrissima, imò Christianissima, ab ipsis eius eunuchis docta, virginitatem suam Deo consecraret, sponsum Aurelianum contemneret, is propter Christi professionem fecit in hanc insulam eam relegari; atque etiam tunc veniens, Nerei atque Achillei animos cœpit muneribus penetrare. At illi dona eius execrantes, Domitillæq; fidem magis magisq; in Domino confirmantes, grauissimis verberibus sunt attrectati, & Taracinam missi, & Minutio Rufo Consulari traditi sunt: qui cùm eos equuleo & flammis ad immolandum idolis compelleret; responderunt, se à B. Petro baptizatos, nullâ ratione posse idolis immolare: sicq; capite cæsi sunt. Eorum corpora rapuit Auspicius discipulus eorum, nutritor sanctæ Virginis, & in arenariâ sepeliuit, viâ Ardeatinâ, milliario ac dimidio ab Vrbis muro, iuxta monumentum, in quo sepulta fuit Petronilla Apostoli Petri filia; quemadmodum Auspicius ipse nobis retulit. Erit igitur charitatis tuæ nostri curam gerere, & eiusmodi aliquem ad nos mittere, qui tuâ & nostrâ sospitate nos exhilaret.* Dies natalis Martyrum horum est IV. Idus Martias. Credo (& ita narrat Historia) à S. Marcello Eugenio fratrem nomine Vitalem, Archidiaconum suum, missum ad eos consolandum, reficiendum & recreandum. in quo pietatis officio aliquod tempus transegit S. Vitalis frater S. Marcelli, & Archipresbyter: quo transacto, rediit ad fratrem & Episcopum S. Marcellum. Posteà negotiorum grauissimorum causâ misit eumdem Parisios, ad conueniendum S. Dionysium, inde adire iussit Clementem Papam, vt rationem ei redderet legationis suæ, & progressus Prouinciæ in Fide & Religione. Intereà S. Clemens mittitur in exilium: fuit comes exilij Vitalis, eoque defuncto rediit Romam, & sub Traiano patitur cum Feliculâ Diaconissâ, & alio socio, præclarum pro Fide martyrium.

Sed antequam hinc discedam, scire velim, vnde colligatur, S. M. Marcellum esse nostrum Eugenium: quia fieri potuit, vt duos præmiserit in Hispanias S. Dionysius, alterum Eugenium, alterum verò Marcellum. Numquam legitur duos misisse: nam Auctores qui eâ de re scribunt, affirmant, quem misit, Arelate misisse; variant verò, alij dicentes missum Eugenium vocari, alij Marcellum. Methodius, qui est Auctor Vitæ, quæ Græcè circumfertur sine nomine Auctoris, & est in principio Operum S. Dionysij, dicit Marcellum fuisse, quem S. Dionysius misit in Hispanias. Idem Michaël Syngelus, idem Ioannes Scotus, idem alij; sed Concilium Leodiense ante DCCC. annos in Vitâ, sancti Eugenij testimonio comprobatâ, vocat eum Eugenium. Sic habet secunda Lectio: *Quem, scilicet Eugenium, beatissimus Dionysius cernens Episcopali dignitati aptissimum, insigniuit eum benedictione Episcopali in Arelatensium ciuitate, indeq; transmisit eum Toletanæ ciuitatis populis.* Item Vita quam reperit Raymundus Archiepiscopus Toletanus ante CCCC.L. annos Parisiis, vocat eum Eugenium. Sic Breuiaria Toletana, & ferè totius Hispaniæ, Aluarus Gomezius, Antoninus, Vincentius Bello- 80.

uacenſis, Vaſæus, Morales, F. Petrus de Vega, Marieta, Mariana, Garibaius, Doctor Ortiz, Sanctorus, Lucius, Ribadeneira, Villegas, Alcozer, Loayſa, Sandoual, & alij vocant Eugenium. Item Martyrologia, & Epiſcopus Iulianus: is Eugenium ſecundâ Centuriâ dicit Marcellum dici, quem S. Dionyſius miſit in Hiſpanias. Sed quòd vnus idemque ſit Marcellus & Eugenius, docent in primis Dexter & Iulianus Archipresbyter Toletanus: vocantes eum Marcum Marcelli Præfecti filium, cognomine Eugenium: ergo vnus & idem eſt Marcellus, qui eſt Eugenius: tum quia vnus legitur miſſus Arelate à B. Dionyſio ad Hiſpanias, tum quia à quibuſdam dicitur Eugenius, ab aliis Marcellus, ab aliis vtroque nomine. Secundò, quia, vt patet ex eius Vitâ, fuit Romanus, & ex illuſtriſſimâ familiâ. quæ Vita ſcripta eſt ante DCCC. annos, vbi ſic legitur: *Qui Romæ nobiliſſimâ proſapiâ ortus, & nullus nobilior Marcellorum familiæ viris.* Ergo decepti ſunt, qui cenſuerunt, M. Marcellum Eugenium ciuem fuiſſe Athenienſem, Athenis à S. Paulo conuerſum, reſpicientes ad ſolam nominis etymologiam. Nec ſcio quomodo fuerit diſcipulus S. Dionyſij, cùm ipſe Dionyſius vocet eum condiſcipulum? nam cùm ſe mirâ luce circumfuſus videndum Hercoldo præbuiſſet, iubet illi, vt quærat corpus condiſcipuli ſui Eugenij. Ille quidem fuit diſcipulus Petri, vt iſte fuit ſancti Pauli; niſi vocemus diſcipulum, quia ſub eius obedientiâ & famulatu venit Pariſios, vel Arelatem, & inde in Hiſpaniam: vel ſunt condiſcipuli, quia ambo miſſi Româ ad Gallias à S. Clemente, qui fuerit priùs Epiſcopus Metenſis, vt quidam volunt; vt autem plerique, eius patruus, à quo admonitus voluit incepto prædicationis in Galliâ curſui ſedulò prouidere. Sed vt ſemel finiam, quod ſpectat ad S. Marcellum Eugenium, placuit mihi afferre quod in Tabulis Eccleſiæ Auguſtanæ dicitur, vt refert Democharis in lib. de Sacrificio Miſſæ. Primi illius vrbis Apoſtoli fuerunt Lucidus & Narciſſus, ac primùs Apoſtolus & Epiſcopus Sozimus, extatque lapis cum hac inſcriptione: SOZIMVS PRIMVS. Sic & dicemus Iacobum, Secundum, Petrum, Clementem, Paulum, Iulianumque & Philippum fuiſſe Toletanæ ciuitatis Apoſtolos; primum verò Epiſcopum & Antiſtitem Toletanum fuiſſe ſanctum Marcellum Eugenium, qui & ibi Sedem fixit, & Pontificali munere functus eſt.

81. *Diptychæ.* Sed vt reuertamur ad ſacras Diptychas, crediderim, tempore Diocletiani, cum ſacris libris Canonicis, & Actis Martyrum, ſimul combuſtas eſſe Diptychas Pontificum ſanctiſſimorum cuiuſcumque ciuitatis, quia ſimul in Sacrariis & Secretariis Eccleſiarum cum diligenti cuſtodiâ aſſeruabantur, vt conſtat ex Concilio Mopſueſteno; ſed ſingulari Dei beneficio factum eſt, vt in Eccleſiâ Toletanâ hi libri & Diptychæ non ſint combuſtæ, cùm in aliis Eccleſiis combuſtas, & libros traditos conſtet: tum ex eo, quòd non habeant integras Tabulas; tum verò ex verbis D. Auguſtini lib. 1. contra Parmenianum cap. 5. *Eumdem*, inquit, *Melchiadem crimine traditionis accuſant.* Et inferiùs: *Et tamen in iis omnibus, quamuis magnâ temeritate, Italos, Gallos & Hiſpanos accuſant.* Quòd ſi non omnes, tamen aliquos Eccleſiarum Pontifices Diptychas cum Actis Martyrum tradidiſſe certum eſt, vt Baſilidem, & alios eiuſmodi. Sic videmus Diptycham Hiſpalenſem incipere à Sabino, qui interfuit Concilio Illiberitano, ſic aliarum Eccleſiarum, & Tarraconenſem multò pòſt.

82. * D. L. *De Fuldenſibus Antiquitatib. ſcripſit libros 4. R. P. Chriſtophor. Brouverus, Societ. Ieſu, quos vide.* * Sed quia dictum eſt, hoc Chronicon, & Dextri, Maximi, Luitprandique, allatum fuiſſe de Bibliothecâ Fuldenſi; par erit declarare, antequam hinc vlteriùs digrediamur, vbi Fulda, quæ eius origo & progreſſus. Eſt ſilua quædam in finibus Franconiæ, dicta Buchonia, diſtatque Moguntiâ XV. millibus

bus Germanicis, Thuringiam verſus, quà præterit fluuius dictus Fulda, qui loco nomen fecit; prope quem (vt teſtatur Sigebertus in Chronicis) S. Bonifacius primus Archiepiſcopus Moguntinus ædificauit quoddam monaſterium anno Domini DCC.XLII. quod Fuldenſe à fluuio præterfluente nominauit. De quo ſic Molanus in Indiculo Belgico, agens de ſancto Bonifacio: *Eſt autem Fulda Monaſterium, cuius Abbas Primas eſt inter Abbates Galliæ & Germaniæ, in Buchoniâ Germaniæ tractu, ſitum ad eiuſdem nominis fluuium, & intra eiuſdem nominis ciuitatem: quod ſumptibus Caroli Magni & Pipini Bonifacius priùs extruxerat: habet etiam extra mœnia quatuor alia monaſteria, in quatuor angulis ab Abbatibus Fuldenſibus ædificata.* In Vitâ S. Bonifacij lib. 2. legitur, quòd, cùm Sturmus, primus Abbas Fuldenſis, ibi Monaſterium exædificare vellet, S. Bonifacius petiit facultatem & terras à Carolomanno filio Regis Caroli Martelli. ille verò Auctor illius Vitæ, 3. Tom. Surij v. Iunij fol. 609. ſic ait: *Pro perpetuâ remuneratione tuâ omnipotentem Deum exoro, ſi mihi cum bonâ veniâ tuâ liceat in Orientali ditione tuâ Monaſterium conſtituere, vitamq; Monaſticam inſtituere: inuenimus enim locum in Buchoniæ ſolitudine apud Fuldum fluuium, ſeruire Deo volentibus benè opportunum, qui ſit tuæ ditionis; petimusq; vt tua pietas eum nobis donare velit, vt in illo Chriſto ſeruiamus.* Dedit illi tria paſſuum millia quoquouerſum: ſcripſitque Principibus illius regionis, vt etiam ipſi donarent quòd ad illos pertineret, ad conſtructionem Monaſterij. Poſteà donationis ſuæ diploma ſcribi iuſſit, ac ſigillo ſuo firmauit. Paulò pòſt renuntians Regno, factus eſt Monachus in monte Caſſino: eiuſque frater Pipinus, ſucceſſor & heres Regni, eamdem donationem confirmauit his verbis: *Pipinus Rex Francorum, vir Illuſtris, Bonifacio Archiepiſcopo, & Legato Germanico ab Apoſtolicâ Sede delecto: Quia veneranda Paternitas tua noſtram Excellentiam poſtulauit prò Monaſterio, quod à te nouiter conſtructum eſt in ſolitudine Buchoniâ, iuxta fluuium Fuldam, in loco quem beatæ memoriæ Carolomannus germanus noſter legitimâ donatione tibi conceſſit, vt, ſicut ex auctoritate ſancti Petri Principis Apoſtolorum, pro quo Legatione fungeris, priuilegio Sedis Apoſtolicæ ſublimatum eſſe conſtat; ita etiam noſtræ auctoritatis præcepto roboretur. & ideò hanc noſtræ præceptionis ſeriem ob honorem Dei, & venerationem S. Petri, conſcribi iuſſimus, per quam priuilegium Sedis Apoſtolicæ, à B. Zachariâ tibi collatum, cum conſenſu Epiſcoporum cunctorumq; fidelium noſtrorum per omnia roboramus; præcipientes, vt nullus Sacerdotum in Regno noſtro diuinitus nobis conceſſo, in præfato Monaſterio ditionem aliquam ſibi vendicet, præter Sedem Apoſtolicam: ita vt, niſi ab Abbate Monaſterij fuerit inuitatus, nec Miſſarum ſolemnia ibidem quoque præſumat celebrare. Sed iuxta id quod ſubiectum conſtat Apoſtolicæ Sedi firmitate priuilegij, inconcuſſè roboratum permaneat: locis etiam & rebus, quas tam moderno tempore tenet vel poſſidet, quàm quas futuris temporibus iuris ipſius Monaſterij diuina pietas augere voluerit, ex donis, oblationibus, decimiſq; fidelium, abſque vllius perſonæ contradictione, firmitate perpetuâ perfruatur.* S. Bonifacius iacet in hoc ſepulchro Monaſterij Fuldenſis. Vixit hic Sanctus in Pontificatu annos XXXVI. menſes & dies VI. paſſus eſt cum ſociis Nonis Iunij, anno DCC.LV. aliis DCC.LIV. Ibidem iacet virgo Deo ſacra Lioba Abbatiſſa. Habuit hoc Monaſterium multos & præcipuos Abbates. Freculfus fuit Abbas, aliis Monachus Fuldenſis, pòſt Epiſcopus Lexouienſis ſub Archiepiſcopo Rotomagenſi: ſcripſit Hiſtoriam mundi à principio eius vſque ad aduentum Chriſti, ad Heliſachirium, ſeptem libris eam Hiſtoriam complexus. Claruit anno Domini DCCC.XL.

Rabanus Monachus & Abbas Fuldenſis, Albani diſcipulus, à puero tra- 83.

ditur à parentibus Monasterio Fuldensi; in quo adeò studendo profecit, vt Alemannia similem Doctorem non habuerit; deinde succedentibus doctrinæ & sanctimoniæ meritis, omnium Monachorum assensu in Abbatem electus est Monasterij supradicti, & in illo officio XXIV. annos præsidens, Monasterium sub disciplinâ S. Benedicti strenuè gubernauit: postea fuit Archiepiscopus Moguntinus. fuit quartus Abbas à S. Sturmo primo Abbate huius Monasterij. Habuit præter hos multos egregios viros, sed solùm meminerim Sigeberti Abbatis Fuldensis, qui postea profectus ad Hispanias, inuisit Toleti S. Mariam de Sacrario, & Paschalem Archiepiscopum Toletanum: inde perrexit voti caussâ Compostellam, vbi visitauit corpus S. Iacobi; & propter vitæ sanctitatem & litterarum cognitionem eligitur Archiepiscopus Bracharensis: vbi aliquot annos commoratus, renuntiauit Archiepiscopatui, & rediens ad Germaniam, voluit manere Clunij; sed Deo aliter disponente, reuersus ad Monasterium Fuldense, fit ex Monacho Archiepiscopus Moguntinus, qui priùs fuerat Bracharensis: & anno Domini M.LX. die Epiphaniæ, Indictione XIII. accepit baculum Archiepiscopalem. Nunc verò est Abbas Fuldensis Primas Abbatum Germaniæ & Galliæ, Princeps Imperij, & Cancellarius Augustæ: erat autem anno M.D.LXXV. D. Balthasar Abbas.

AD LECTOREM

D. L.

Erat in animo Auctori huius Scholij, Diptychon Toletanum vniuersim illustrare; sed morte præuentus, ad finem perducere non potuit.

OMIS-

OMISSA IN NOTIS AD CHRONICON LVITPRANDI.

PAG. 297. *num.* 3. Mahumetus, qui virus erroris sui fundens per Hispanias.] *De Mahumeti aduentu in Hispaniam, & eius conatu spargendæ infectissimæ sectæ Hispali, Cordubæ & Toleti, testantur multi:* D.L.

M. Maximus anno DC.VI. Mahumetus homo impius & flagitiosus, grassatur per Hispaniam. *Vbi doctissimus P. Franciscus Biuar, heu quondam meus! plenâ & eruditâ manu. Vtinam Editorem & Editionem mors immatura non præoccupasset! quæ ferre inuidiam non valens, valuit tamen eum de medio tollere, nobisq; abripere. Lucas Tudensis in suo Chronico lib. 2. ærâ* DC.LIII. *sic ait:* Ipso tempore Mahumet, ab Hispaniâ turpiter fugatus, in Africâ nequitiam nefariæ legis stultis populis prædicauit. *& lib. 3.* Verumtamen, vt fertur, diabolus transfiguratus in Angelum lucis, quædam ei prædicebat futura. Inde est, vt in exordio suæ subdolæ prædicationis adiret Hispaniam, & Cordubæ suæ perditionis sectam doceret. *Et, quod magis est, noster Rex Alfonsus, cognomento Sapiens, in suo generali Chronico, vel in eo ipsius iussu compilatores, 2. parte cap.* 40. Vino [*Mahomad*] à España, è fuese para Cordoba, è predicò el hi aquella su mala secta. *Alfonsus Spina Auctor antiquus, & non parui habendus, in Fortalitio Fidei, lib. 3. in quartâ expulsione:* Huius tempore [*de Sisebuto loquitur*] nefandus Mahometh ab Hispaniâ fugatur in Africam. *quod ex Archiuis Fratris Aegidij Zamorensis D. Francisci alumni, Historiographi Regis sancti Ferdinandi III. desumpsisse fatetur. VVernerus Roleuinck in Fasciculo temporum anno* XXXI. *Ioannes Vasæus ad annum* DC.V. Hoc anno Mahomethen pseudoprophetam Cordubæ hæreseos suæ virus diffundere in Hispanos conatum produnt. *Ludouicus Mayerne Turquet in Historiâ generali Hispaniæ lib. 5. pag.* 182. *narrat anno* DC.V. *Mahumetum Hispaniam ad prædicandam suam doctrinam in ciuitate Cordubensi petiisse; at cùm ipse se capiendum fore, deprehensâ suâ nequitiâ, secretè cognouisset, arripuisse fugam. Et à D. Isidoro Hispalensi Præsule fugatum scribunt: idem Alfonsus Rex ibidem, in hæc verba:* E quando este supo el buen Padre san Isidro, que llegaua entonces de la Corte Romana, embiò sus homes à Cordoba, para que gelo prendiesen, è gelo leuasen. E el diablo apareçio à Mahomad, è dixole, que se partiese de aquel logar. E estonces salio de Cordoba, è fuyo, è pasò a lí en mar, è predicò en Arabia. *Concinit Vasæus vbi suprà:* Quæ res cùm sancto Isidoro, qui id temporis Româ (quò ad Concilium à Summo Pontifice vocatus fuerat) redibat, innotuisset, atque ad capiendum illum misisset; ille, siue à dæmone, siue ab alio quopiam admonitus, fugâ sibi consulens, in Africam redit. Ex Fortalitio & Breuiario Eborensi. *Contestatur liber antiquus manuscriptus, in Tabulario Ecclesiæ sancti Marci Legionensis magnâ curâ & veneratione seruatus, mihiq; ex indulgentiâ ad transscribendum concessus. Verba sunt in extremâ secundâ parte:* E iendo assi san Isidro su camino para la ciudad de Seuilla, fuele dicho, que vn mal hombre, que se decia Mahomat, con boca de viuora, predicaba, i enseñaba muchos errores i herejias, nunca vistas, ni oidas, con que engañaba i enponçoñaba muchas al-

mas. I assi como lo oio san Isidro, inuiò à prender à Mahomat; i el demonio, que lo supo, transfigurado en angel de luz, dixole, como su fuera mensagero de Dios, que fuese luego à otras tierras, porque no le hiciese prender san Isidro, que era poderoso en aquella tierra. *& paulò pòst*: Llegado san Isidro cerca de Cordoba, en vn lugar, que se decia santa Olalla, fue le dicho, que andaua à la saçon, en aquella tierra, cerca de alli vn espantable dragon; el qual auia alli parecido, desde el tiempo que Mahomad auia venido à España, i hazia mucho daño en la tierra: i luego fue alla san Isidro, i alançò aquel dragon marauillosamente. *Iisdem ferè verbis D. Rodericus Archiepiscopus Toletanus, in suâ Historiâ Hispanò sermone scriptâ, quæ tertiâ parte auctior est Latinâ cap. 102. quam ex antiquo autographo, apùd Monasterium D. Hieronymi Carthusiensis Hispali, Religiosis donato, Marchionis de Tarifa munificentiâ intercedente, desumendam curaui. Alfonsus Morgado in Historiâ Hispalensi lib. 1. cap. 1.* Viniendo [*S. Isidro*] para España, obrò nuestro Señor grandes milagros por su interceſion. No le osò esperar Mahoma en Seuilla, ni en toda España, adonde se auia entremetido en su ausencia, por si pudiera obrar el falso profeta en estas partes, la maldita seta i errores, que despues obrò en Berueria, en que hasta oy perseueran sus sequaces. *Ambrosius Morales lib. 1. Historiæ Hispan. cap. 21. insticias it; aitq; non indigere eum defensione, qui Mahumetum in Hispaniam venisse neget. Suffragatur Padilla cent. 7. Ecclesiasticæ Historiæ cap. 21. Pater Ioannes Mariana lib. 6. de Rebus Hispaniæ cap. 3. anilem asserit esse fabellam; idq; temporis rectam supputationem demonstrare manifestè: quem contra Chronologiæ partem defendit affatim & doctè P. Didacus Bleda in Historiâ Maurorum, in principio, vbi de Mahometo cap. 15. Strictim, sed dilucidè Antonius de Quintana Dueñas in libro de Sanctorum Hispalens. Vitis, in S. Isidoro, §. 4. pag. 161. quos transscribere meritò recuso, cùm Lector adire possit, & cùm veram esse narrationem affirment suprà adducti, nec desint alij, mirabilem in suis gestis D. Isidori virtutem agnoscentes. Iterùm Lector rem examinet, ac censeat; atque loco τῷ* ab Auraſio *reponat, τὸ* ab Isidoro. *Et licet Rudericus Caro ibidem [in loco illo M. Maximi] impossibile fuisse fateatur; antiquis Scriptoribus contrà ire non audet. Mediam tamen eligit viam, ita vt saltim credat illius pseudoprophetæ mysteas aliquos venisse, quò Hispanos suis fallaciis & dolis in eam inducerent vesaniam. Quod Maximus & alij affirmant, ipse negat: & quod ipsemet autumat, nemo est, quem ego viderim, qui scribat.*

D.L. Pag. 365. *num.* 135. *post lucernæ iconem hæc addenda: In anulis item, non scarabæos, aut signa bellica; sed pisces effigiem, in memoriam scilicet Christi, qui fuit Sibyllarum ἰχθὺς mysticus; vel piscatoris, in reuerentiam Apostoli; vel columbæ, ad recordationem Spiritus sancti; vel nauis, ad speciem Ecclesiæ, milites gestare soliti fuêre. Sic monet Clemens Alexandrinus Pædagogi lib. 3.* Αἱ δὲ σφραγῖδες ἡμῖν ἔστων, πελειὰς, ἢ ἰχθὺς, ἢ ναῦς εὐοδρομοῦσα, ἢ λύρα μουσικὴ, καὶν ἁλιέων τις ᾖ, Ἀποστόλου μεμνήσεται. *id est:* Hæc autem signa nobis erunt, columba, vel piscis, vel nauis expedita, vel harmonica lyra; & si piscator aliquis sit, Apostoli memor erit. *Imagines in anulis portare, obsequij vel amoris causâ, semper apud veteres nationes moris fuit. Obsequij exemplum apud Suetonium inuenitur in Vitâ Tiberij cap. 38.* Paulatim genus calumniæ eousque processit, vt hæc quoque capitalia essent; circa Augusti simulacrum seruum cecidisse; nummo vel anulis effigiem impressam, latrinæ aut lupanari intulisse. *Et apud Val. Maximum lib. 3. cap. 5. de Africani filio loquentem:* Insuperque è manu eius anulum, in quo caput Africani sculptum erat, detraxerunt. *Sic Lentulus aui imaginem habebat, vt scribit*

scribit Cicero Catilinariâ 3. Tum ostendi tabellas Lentulo; & quæsiui cognoscerétne signum? annuit. Est verò, inquam, signum quidem notum, imago aui tui, clarissimi viri, qui amauit vnicè patriam, & ciues suos; quæ quidem te à tanto scelere, etiam muta, reuocare debuit. *Amoris tesseram inuenies in Ouidio lib. 1. Tristium Elegiâ 6.*

Hæc tibi dissimula, sentis tamen omnia dici,
In digito qui me sersque refersque tuo.
Effigiemque meam fuluo complexus in auro,
Chara relegati, quæ potes, ora vides.

Non ergo solùm in anulis specimen deferebant obsequij; sed ipsum corpus illius inurebant notis. Agnouit D. Chrysostomus Homil. 3. in Epist. 2. D. Pauli ad Corinthios, dum Imperatoris imaginem & nomen, candenti ferro, in cute militum Romanorum inustum, quo fidei & fortitudinis admonerentur, Σφραγῖδα στρατιωτῖδι *appellat.* Καθάπερ γὰρ στρατιώταις σφραγὶς, ἔτω καὶ τοῖς πιστοῖς πνεῦμα ἐπιτίθεται· κἂν λειποταντήσῃς, καταδήλῳ γίνῃ πᾶσιν. Quemadmodum enim nota quædam militibus, ita fidelibus quoque Spiritus imponitur. Quo fit, vt, si ordinem deseruëris, perspicuus omnibus fias. *Eâdem vtitur voce, eumdem deducens morem Prudentius περὶ στεφ. Hymno 1.*

Quid, cùm sacrandus accipit Sphragitidas?
Acus minutas inferunt fornacibus:
His membra pergunt vrere; vtque igniuerint,
Quamcumque partem corporis feruens nota
Stigmarit, hanc sic consecratam prædicant.

Vbi Georgius Fabricius: σφραγὶς est signum, aut nota impressa; vel memoriæ caussâ, vt fit anulo; vel religionis, vt fit ferro ignito. *De anulo D. Hieronymus in cap. 3. Isaiæ, ad illud:* Auferet Dominus & anulos; *sic scribit,* Anulos, quibus signamur ad Dei militiam. *De nomine Imperatoris inusto clarè D. Augustinus in Epist. 50. ad Bonifacium, relatus in cap.* Quemadmodum. §. 1. 23. *q.* 7. Quare ergo me, inquit, non baptizas, vt me abluas à peccatis? Respondeo; Quia non facio iniuriam characteri Imperatoris, cùm errorem corrigo desertoris. *Hoc signum, seu notam,* Characterem Regium *iterùm appellat Epist. eâdem:* Sic error corrigendus est ouis, vt non in eâ corrumpatur signaculum Redemptoris. Neque enim si quisquam Regio charactere à signato desertore signetur, & accipiat indulgentiam; atque ille redeat ad militiam, ille autem esse in militiâ, in quâ nondum erat, incipiat; in aliquo eorum character ille rescinditur; an non potiùs in ambobus agnoscitur, & honore debito, quoniam Regius est, approbatur? *Concinit extentâ voce D. Ambrosius in Oratione de obitu Valentini Imperatoris:* Charactere Domini inscribuntur & seruuli, & nomine Imperatoris signantur milites. *Hinc antiqui illi Patres primis Ecclesiæ temporibus eâ in re suam pietatem manifestam fecerunt, dum in carne stigmate Christiano venerandum nomen* IESV *aut Crucis signum portabant. Obseruauit Procopius Gazæus in cap. 44. Isaiæ num. 5.* Iste dicet, Dei sum, *his verbis:* Τὸ δὲ χειρὶ δός τὸ γίζειν ἴσως πολλοὶ ἔθηκαν καρπῶν, ἢ βραχίονων, ἢ τῷ σαυρῷ τὸ σημεῖον, ἢ τῷ Χριστῷ θεοσημείαν. *id est:* Hoc autem manu quamplurimi solebant insculpere, vel in carpis, vel brachiis, seu Crucis signum, seu CHRISTI nomen. *Quò respexisse fortè videbitur D. Paulus (aliis interpretationibus, & acceptis, & ad gustum admissis, quas eruditè probat & recenset Claudius Dausquius in libro, cui titulus,* Sanctitudo D. Pauli, 2. *cap.* 13.) *ad Galatas cap. vlt. num.* 17. *cùm inquit,* Stigmata Domini IESV in corpore meo porto. *Quasi dicat: Non solum stigmata illa* IESV CHRISTI, *tamquam eius seruus, in corpore defero; sed ipsius etiam nomen*

inustum,

inuſtum, vt ab omnibus agnoſcar talis. Nomen enim Regium alicui impoſitum rei, eam Principi addictam clarè demonſtrabat. Sic Imperatores Honorius & Theodoſius in l. 1. *C.* Vt nemo priuatus titulos, *&c. ibi:* Omnes igitur intelligant publico iuri eſſe deputandum id, cui nomen Dominicum præſcribitur. *Dixi non incurioſa in* Teſſerâ legum, *ſiue* Otio æſtiuo pomeridiano, *ad l.* Super creandis, 9. *C.* de Iure fiſci, *lib.*10. *pag.*11. *& ſeqq. Poſtquam hæc ſcripſi, vidi huc alluſiſſe Aloiſium Nouarianum lib.*3. *Electorum ſacror: cap.* 14. *n.* 467. *ſic ſcribentem:* Nemo ſibi ſtigmata inurat, niſi cæleſtis Imperatoris: nemo corpus ſuum obſignet, niſi CHRISTI characteribus, vt dicere cum Paulo poſſit: Ego enim ſtigmata Domini IESV in corpore meo porto: non Cæſaris, non alterius terreni Imperatoris. *Vbi oblitterare ait Magni Iuſti Lipſij ſuſpicionem, quam fatetur ingenuè lib.* 1. *de Militiâ Romanâ Dialogo* 9. *cùm ſe neſcire affirmet, quid ſtigmate militari ſcriberetur, quamuis aliquid teſtetur ſuſpicari. Accurſius noſter, non ſic rei antiquariæ ignarus, vt aliqui iactantur, & iactant eum irridentes: inter quos Gloſſa marginalis ad l.* Stigmata. 5. *C.* de Fabricenſibus, *lib.*11. *hæc enim veneranda & vetuſtiſſima monimenta fuit aſſecutus. ibi namque ſic ait:* Stigmata inſtrumenta erant, quibus felici nomine noſtræ pietatis impreſſo, eorum brachia ſignabantur: ſicut & tirones, vt hîc ſubiicit. *Lucas de Penna ibidem ad finem Commentariorum, his verbis:* In primâ Gloſsâ ibi, Signabantur, adde: Et vocatur hoc ſtigma character Imperatoris. *De ſeruorum ſtigmatibus, plenâ, licet tunc teneræ ætatis, manu luſimus ad Martialem lib.*2. *Epigr.*29. *num.*5.

INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM QVÆ IN OPERIBVS LVITPRANDI ET NOTIS CONTINENTVR.

Litteræ *a* primam, *b* alteram paginæ medietatem denotant.

Littera olim triangulari figurâ denotabatur. pag.365.b

A. ☧. Ω. *olim in Catholicorum ſepulcris apponebatur.* 363. b *item in magnorum virorum ſepulcris.* ibid. & ſeqq. *pingebatur id item in collariis ſeruorum fugitiuorum.* 364.b

Abbas & Pater *idem eſt in Ordine Benedictino.* 488.b

Abbates Fuldenſes multi celebres fuere. 587.b. *ſunt omnium Abbatum Germaniæ Primates.* 588.a

Abelardus, vide *Adalardus, Adelardus, Geneſius.*

Abderaman, vel Abderamenes, Rex Cordubenſis, Arabs, ſæuit in templa & corpora Sanctorum in Hiſpaniâ. 407.a. *item in Chriſtianos homines diuerſimodè.* 467.b.468.a.469.a. *moritur Cordubæ.* 413.a

cur Abila, ciuitas Luſitanorum, Epiſcopalis Sedes eſſe deſierit. 479.a

Abula Baſtetanorum quæ ciuitas fuerit. 511.b

Academiæ olim variæ in Hiſpaniâ fuerunt, maximè Toleti. 422.b. & ſeqq.

Acta Martyrum ſingula à Notariis conſcribebantur per notas & abbreuiationes. 553.a.b

S. Adalardus, alio nomine Geneſius, Abbas fuit Corbeienſis in Galliâ. 340.b. *mittitur Romam à Carolo Magno Imp. ad Leonem Papam.* 341.a. *quo anno ſit mortuus.* ibid. *illius memoria in pretio eſt Carthagine Spartariâ.* 419.a.& b *in Hiſpaniâ dicitur Geneſius: multa condidit Monaſteria in inſulâ Ebuſo.* ibid.b *eius breue elogium.* ibid. *moritur Corbeiæ.* ibid. & ſeqq. *populi erga eum veneratio.* 420.a. *conſolatur Epiſcopum Toletanum Gumeſindum.* 421.a

Adelbertus Comes Bauerburgenſis in Ludouicum Regem rebellat, & eum ſeptennio vexat. 26.a. *ab Hattone Epiſcopo Moguntino verbis circumuentus, & ad Ludouicum ductus, capite plectitur.* 27.b

Adelbertus Marchio Eporegienſis, cognomento Diues, in Lanthbertum copias mouet. 21.a. *ſed ab eo capitur & illuditur.* 22.a. *in ſocerum eſt infidus* 36.a *fuit in iuuentute bonus, poſteà à bonitate degenerat.* ibid. *capitur ab Hungaris in monte Brixienſi, ſed æſtu eſt elapſus.* 44.b. *Othone Imp. in Italiam veniente, ex Italiâ ſe ſubducit, & Saracenis ſe commendat.* 112.b. *reuerſus, cum Papâ Ioanne fugit.* 114.b.115.a

Adelgarius Bremenſis Epiſcopus virtute & doctrinâ clarus eſt. 449.a

Adelhardus Clericus Berengarij Regis promiſſis Manaſſen Epiſc. Veronenſem ad illius partes trahit. 101.b. *ſed Berengarius ei fidem non ſeruauit.* 103.b

Adeodata virgo Benedictina Toletana floret, cui S. Gregorius ſcripſit. 300.a

Adeodati Pontificis elogium, ordinationes, mors. 259.b

Adhelardus, vide *Adalardus.*

Adriani I. Pontificis elogium. 267.b *eius geſta.* ibid.

Adriani II. elogium, electio. 281.b. *ſtatuta.* 282.a

Aduerſaria non ſunt tam accurata, quàm codex. 346.a.b

Adulteri qualiter in matrimonio tolerandi. 216.a

Ægidius Tuſculanus Epiſcopus Polonos ad fidem Chriſtianam conuertit. 436.b

Ægyptus à Saracenis inuaditur. 313.b

Afri quâ occasione Italiam inuaserint tempore Romani Imperatoris Constantinop. 39.a.b. *Afri secuti sunt errorem S. Cypriani de rebaptizandis baptizatis ab hæreticis.* 557.b
Agaliense Monasterium fuit in suburbio Toletano. 309.b. *id omnium Hispanicorum Monasteriorum dici potest pater.* 479.b. *ab eo est deriuatum Monasterium SS. Cosmæ & Damiani.* 480.b. *eius elogium.* 423.a. *eius Abbates & Præpositi varij recensentur.* 481.a
S. Agapeti Papæ elogium, ordinationes, gesta. 246.a.b
S. Agathonis Papæ elogium, ordinationes, acta. 260.b
Albacete oppidum condiderunt Cilices, qui in Hispaniam venerant. 467.a
Albericus filius Marozia meretricis ab Hugone Rege vitrico verberatus, Romanos instigat ad eum pellendum. 65.a.b. *ducit Aldam Hugonis filiam, Romam tamen ei non tradidit.* 70.a. *obsidetur Romæ ab Hugone.* 90.a
Alcuino tribuitur liber contra Felicem Vrgelitanum scriptus, qui hactenus Paulino tributus. 521.a
S. Alexandri Papæ elogium, statuta, ordinationes. 178.b.& seqq.
Alexander Episcopus Alexandrinus Arij hæresim scriptis epistolis supprimere conatus est. 569.a
Alexandrina Sedes prima erat post Romanam. 575.b. 576.b. *S. Marcus in eâ à S. Petro Episcopus constitutus.* ibid.
arx Alficen iuxta Granatam, colonia fuit Arabum. 325.a
Alfonsus de S. Mariâ aliquot opuscula Senecæ Philosophi Hispanicè conuertit. 295.a
Alfonsus VI. petit Sanctium cognatum suum, designatum à se in Episc. Toletanum, à Gregorio VII. Pontifice confirmari. 327.a. 328.a
Alfonsus VIII. post victoriam de las Nauas de Tolosa *vouit in Hispaniâ abstinendum ab esu carnis die Sabbati.* 410.a
an Almeria ciuitas eadem sit quæ Vrci. 308.a
S. Alodia virgo & Martyr, vide *S. Nunilo.*
S. Aluarus, frater S. Eulogij, exulat cum Isidoro fratre alio in Baioariâ. 425.a. *habetur Cordubæ illustris: eius elogium.* 426.a. *quid scripserit.* ibid. *an sit auctor Indiculi Luminosi.* 433.a
Amao vel Ammo, discipulorum in Emaus euntium alter, venisse putatur in Hispaniam, & in Cypro passus. 497.a
S. Amatus Presbyter Vallensis: eius parentes, & post mortem translatio. 473.a
Ambracia opidum Lusitaniæ per excellentiam dictum est Municipium. 310.a. *est conditum à Græcis.* ibid.b
Amedeus, Berengarij Marchionis miles, vir callidus erat. 96.b. 97.a *pauperis schemate in Italiam è Germaniâ penetrat, ac sæpè faciei habitum immutat.* 97.b. *redit per loca incognita ad Berengarium, postquam Italorum animos solicitasset.* ibid.
Amicorum duo sunt genera. 14.a
Amicitia coniuratorum infirma est. ibid.
Amictorium quod genus vestis esset. 445.b. 446.a.b
Anæ fluminis ostium quod dicatur. 483.b
Ἀναβολεὺς & ἀναβολάδιον qualis esset vestis. 445.b
S. Anacirardus Eremita è Germaniâ in Lusitaniam veniens, martyrizatur. 430.a
S. Anacleti Papæ elogium, ordinationes, decreta. 174.a.b. *eius Epistolarum summa.* ibid.a.175.b.176.b
Anastasij Imperatoris funestus interitus. 242.a
S. Anastasij I. Pontificis elogium, ordinationes, statuta. 212.a.b
S. Anastasij II. elogium, ordinationes, statuta. 237.b
S. Anatalon Mediolanensis Episcopus, discipulus S. Barnabæ. 300.b
S. Anatoliâ soror S. Victoriæ Martyris martyrium passa Thoræ in Italiâ. 477.b
Anatorgis ciuitas, dicta à Saracenis Veas. 484.a
Angelis committebatur olim ciuitatum custodia. 354.b. 355.a. 357.a. *tuentur nos ab incursu dæmonum.* 355.a. *& à terriculamentis.* ibid.b. *pestem auertunt.* 357.a
S. Aniceti Pontificis elogium, præcepta, ordinationes. 183.a.b
Animi immobilitas, perfectorum virtus est. 84.b
Annulis etiam piscis, vel piscatoris, vel columbæ, vel nauis insculpebantur imagines. 590.b
Anscarij Marchionis metus. 20.a
Ansgarius Adelberti & Ermengardæ Regis Hugonis sororis filius, vir audax & potens. 72.b. *fit Marchio Spoletinorum.* 90.b. *fuit Regi Hugoni suspectus.* ibid. *eius strenuitas & mors.* 92.a.b

S. Anteri Pontificis elogium, ordinationes, decreta. 185.b. *quid censuerit de mutatione vel translatione Episcoporum ad aliam Sedem.* 551.a
Antiochena est tertia in ordine inter Sedes Episcopales primarias. 176.b. *& secunda post Romanam.* 575.b.576.b
quæ dicantur Toleti imagines D. Virginis, Antiquæ. 325.b
S. Antoninus Martyr Pallentinus alius est à Gallicano. 344.b
Antonini Augusti Itinerarium à quibus & quando sit concinnatum. 463.b. *est eius iussu compositum.* 512.b
Apes symbolum sunt coloniæ deducendæ, & ciuitatum condendarum. 389.b. *apis erat Ephesiorum insigne.* ibid. *earum examen quid denotet.* 390.a
Ἀφίλετρα sunt munimenta equorum. 446.b
quæ Apocrypha scripta damnentur à Gelasio Papâ. 234.a.b.& seqq.
Apologeticus liber S. Iuliani Archiepiscopi Toletani, ab eo missus Romam ad Papam Sergium, quo antè à se dicta confirmat, approbatur. 369.a.b. 370.a. & seqq. 371.b
Apostoli composuisse videntur hymnum Salue Regina. 451.a.b. *montibus & fundamentis denotantur.* ibid.b. *item per aquilas.* 509.b
Aqua ciuitas, haud procul à Papiâ, thermis abundat. 38.b
Aquæ Grani combustæ à Danis. 67.a
Aquæ Quintianæ sunt fons, & fluunt ac refluunt instar Oceani: vnde dictæ. 459.b
Aquilæ symbolum sunt Apostolorum. 509.b
Aquileia ab Hunnis destructa, non amplius resurrexit. 51.b
Arabes Christiani ex Africâ venientes in Hispaniam, docuerunt Hispanos linguam Arabicam. 324.b
Arabum & Maurorum aduentum in Hispaniam prædixit S. Methodius Martyr. 388.a.b. *tanta eorum fuit multitudo, vt locustis comparentur.* 389.a.b. *quo anno illuc venerint.* 393.a. *etiam Gallias inuasere, sed à Carolo Martello cæsi, vlteriùs tendere inhibiti sunt.* 389.b. Vide *Saraceni, Mauri.*
Ararath mons est Armeniæ altissimus: in eo requieuit arca Noë. 497.b
Arati Phænomena è Græco vertit Festus Rufus Auienus. 492.a
Arbor elegantis formæ in palatio Imperatoris Constantinopolitani describitur. 108.a
Arca Reliquiarum Ouetum translatarum describitur: & quæ in eâ contenta fuerint. 395.a.b.& seqq.400.b
Archaricus Episcopus Bracharensis Elipandum Toletanum per epistolam monet, vt errorem deponat. 515.a. *eius elogium.* 516.a. 523.b. *quid ipsi Elipandus responderit.* 522.b. *alia eius ad hunc epistola, in quâ resipiscentiam ei gratulatur.* 523.a
Archodus malè consulit Anscario, vim Sarlij repellere volenti. 91.a. *fugit è prælio.* 92.a
Area capitur pro templo amplo. 338.a
Arelatensis Sedes in Galliâ est primatialis. 548.a. *Arelatensis Synodus tempore S. Siluestri, cui interfuit Imp. Constantinus.* 566.b. *huic præsedit Osius & duo Presbyteri Romani, missi à S. Siluestro.* 486.b
Argericus Abbas Agaliensis effert corpus S. Leocadiæ Toleto. 407.a
Ariobaldus primus Rex Longobardorum in Italiâ. 304.b
Arius Presbyter Alexandrinus Ecclesiæ pacem suâ hæresi perturbat. 568.b
Arnoldus Dux Baioariæ in Hungariam fugit. 31.a. *redit cum suis ex Hungariâ.* 32.a. *ad Imperium aspirat, sed ab Henrico Imperatore delinitus, ei se subdit.* 33.a. *in Italiam venit, Hugoni Regi Regnum ablaturus; sed cæditur ab eo, & fugatur.* 67.b
Arnulfus Rex Hungaros in Zuventebaldum perniciosè aduocat. 12.b. *eius temeritas.* ibid. & seqq. *mittit suppetias Berengario Italiæ Regi, & quâ conditione, contra VVidonem.* 15.b. 16.a. *eius metrica concio ad suos.* 17.a. *Romam cum suis capit.* ibid.b. *Formosum Papam tuetur.* ibid. *ab vxore VVidonis Regis obsessâ Firmi, potione soporiferâ potatur.* 19.a. *eius insolentiæ.* ibid.b. *Berengarium excæcare conatur, quò Regno Italiæ potiretur.* ibid. *contemnitur à suis.* ibid. *eius dirus exitus.* 20.a
Arthuagus Monachus Augustinianus moritur Toleti, vir apprimè feruens zelo Dei. 310.b.311.a
Artinodus Monachus Augustinianus floret. 419.b
Aruernis repullulat hæresis Iouiniani in B. Virginem iniurij. 496.a
Asclepiades Myrleanus docuit litteras in Bæticâ. 423.b
Assota ciuitas in Contestanis destruitur. 301.b. *eius situs & reliquiæ.* ibid.& seqq.

an alia ciuitas Assa & Assota. 302.b.
eius Sedes Murciam transfertur. 305.b
Astorica quas Sedes Episcopales habeat, & quousque se ipsa extendat. 502.b
Asturius quo tempore Toletanus Episcopus fuerit. 541.b.542.a
Athanagildus Rex Gotthorum ædificat Sisiæ Monasterium Ordinis S. Augustini. 311.b
Athanasius Alexandrinus bis venit Cordubam, habitis ibi duobus Conciliis. 486.b. *eius caussa in Cordubensi Synodo ab Osio discutienda proponitur.* 496.b
Athenæ multas ex se colonias deduxere. 389.b
Athenodorus Plateæ Episcopus in Celtiberiâ interfuit Concilio Sardicensi: vir fuit pius. 487.a
Auari verè sunt pauperes. 102.b
Audentius Episcopus Toletanus defendit scripto virginitatem Deiparæ, contra Bonosianos. 495.a. *obiit Toleti: eius elogium.* ibid.
Augusti Imperatoris edictum de describendo orbe quando sit promulgatum, & executioni mandatum. 490.b
an Auicenna Medicus sit Cordubensis, an Persa. 377.b. *an scripta ei attributa, eius sint genuina.* ibid.b. *quando vixerit.* 378.b. 379.b
Auienus, vide *Festius Rufus Auienus.*
Auila Episcopus Caurensis interfuit quibusdam Conciliis Toletanis. 481.a
Auis incubans pullis in nido, non capienda, cur. 528.b.529.a
S. Auitus patitur Canariæ. 310.b
Aurasius Episcopus Toletanus præest Concilio 11. Toletano. 298.a.300.a. *Froganem Palatinum acri epistolâ reprehendit.* 523.b. *& quare.* 524.a
Aurensis Sedes quàm latè pateat. 502.a

B.

S. Babylas Virinensis Episcopus Muzarabes Toleti iuuat, quibuscum necatur. 393.b
Bada quæ sit ciuitas in Hispaniâ. 413.a
Baianus Simeonis Bulgarorum Regis filius arte magicâ homines in lupos vertebat. 59.b
Baptismus an Confirmatione maius Sacramentum sit. 564.b. *non est iterandus.* 230.b
Baptizati ab hæreticis non sunt rebaptizandi. 556.b.&seqq.
Bartholomæus Miranda Archiepiscopus Toletanus errores quos habuit, abiurauit, & absolutus, testamentum in morte permissus est condere. 544.a
Basilica idem est quod Regia moles, & amplum ædificium. 338.a.b
Basilius Episcopus Toletanus consulit suorum, à Saracenis corrumpendorum, saluti, coacto Concilio. 437.b
Basilius Macedo quo pacto ad Imperium Constantinopolitanum peruenerit: eius genus. 7.b. *necat Michaëlem Imperatorem.* 8.a. *Christus Dominus illi apparens hanc ei necem exprobrat.* ibid. *agit pœnitentiam.* ibid. *ædificat ædem S. Michaëli.* ibid.
Bastetani quos sub se populos comprehendant. 465.b
Bauariæ Duci datur ius Episcopos in ditione suâ denominandi. 33.a
Bauari cuiusdam equitis insolentia in hoste Italo prouocando. 15.b
S. Baudelij Diaconi & Martyris Nemausensis Reliquiæ delatæ Toletum, & inde Ouetum. 471.a
S. Benedicta virgo & Martyr sub Nerone, fuit Cæsaraugustæ nata. 512.b
Benedicti Pontificis elogium, doctrina de SS. Trinitate, ordinationes. 250.b
Benedicti II. elogium. 261.a
Benedicti III. electio, decretum. 277.b
Benedictus Antipapa Pontificalibus se vestibus coram Concilio Rom. exuit. 122.b. *eius pœnitentia.* ibid. *exilio mulctatur.* 123.a
Berbetum & Bergetanum quale sit opidum, & vbi situm. 441.b.442.a.b.444.b
Berengarius fit Rex Italiæ. 14.a. *à VVidone bello petitur.* ibid.b. *bis in fugam compellitur.* 15.a. *Arnulfi Regis opem implorat.* ibid.b. 16.a. *aduersantes vrbes paulatim occupat.* 16.b. *eum Arnulfus Rex excæcare dum cupit, Veronam fugit.* 19.b. *regnat mortuo VVidone.* 20.b. *sed huius filium Lanthbertum timens, Veronam concedit.* 21.a. *rursum regnat.* 23.a. *cur contra Hungaros Italiam ingressos non ierit.* 28.b. *infidum experitur generum Adelbertum Marchionem Eporegiensem.* 36.a. *Veronâ cogitur excedere.* 37.a. *eôdem mox, corruptis auro custodibus, redit.* ibid.b. *pacificè Italiæ Regno potitur.* 38.b. *aduersus eum varij Principes rebellant.* 43.a.b. *vincitur à Rodulfo Burgundione.* 46.a. *vitæ periculum à Flamberto patitur.* ibid.b. *dat ei aureum poculum in signum amicitiæ.* ibid. *ab eo nihilominus iugulatur.* 47.a
Berengarius Marchio Eporeg. è Sueuiâ Italiam Cataloniâ, alij in Baticâ occubuere. 444.a
Boso frater Regis Hugonis insidiatur Lamberto Marchioni Tusciæ. 66.b. *ab Hugone Marchio Tusciæ constituitur.* ibid. *habet filiam VVillam, quam iungit Hugo Berengario Marchioni Eporegiensi.* 72.b. *instinctu vxoris VVillæ, aduersus fratrem Hugonem Regem noua molitus capitur.* 73.b
Bracharensi Metropolitanæ plures aliæ Sedes subiectæ sunt. 501.b. 503.b. *& singularum limites.* ibid. *ipsa est inferior Hispalensi.* 376.a
Brachmanæ erant sapientes Orientalium. 425.a
Braulio Cæsaraugustanus Episcopus interest quinto Concilio Toletano: eius elogium. 315.b. *moritur.* 320.a. *quo anno, & quo Rege.* 321.a.b
Britonensis Ecclesia quas sub se Sedes contineat. 502.b
Bruno Archiepiscopus Colonensis, vir præclarus fuit. 449.a
Buchonia silua iuxta opidum Fuldam. 586.b
Bulgari Græcos inertiâ Phocæ Ducis profligant. 59.a
Burchardus Sueuiæ Dux in Italiam cum genero suo Rodulfo venit. 53.b. *Mediolanum per speciem legationis ingressus, ciuium animos alieniores ob quædam à se temerè prolata expertus, in viâ necatur.* 54.a.b
Burginatum opidum diruitur à Mauris. 485.a
Burgundiones vnde dicti sint. 65.b

C.

Caba appellata filia Iuliani Comitis, violata à Rege Roderico Hispaniæ. 392.a. *Caba Arabicè meretricem sonat.* ibid.
cur Cæci vt plurimùm vitales sint. 63.a
S. Cælestinus Martyr sub Iuliano Romæ moritur in carcere. 304.b
S. Cælestini Papæ elogium, ordinationes, statuta. 220.a
Cæsar Cardinalis Baronius in Elipandum Episcopum Toletanum acriter inuehitur: an rectè. 544.b.&seqq.
Cæsaraugustana Sedes quanta sit auctoritatis. 352.b. *Cæsaraugustana Ecclesia à S. Iacobo orta, habuit semel Episcopum hæreticum Vincentium.* 543.b.
Cæsaraugustana Synodus sub Rege Egicane. 374.a
Cæsarea erat Metropolis totius Palæstinæ. 573.a

Cæsarius Episcopus Arelatensis floret. 349.b
Fl. Cæsarius primò Præfectus Vrbis, deinde Consul cum Attico, sub Honorio Imperatore. 473.a
S. Caij Pontificis elogium, decreta. 196.b
S. Calixti Papæ elogium, decreta varia, ordinationes. 183.b.& seqq.
Calpurnius Præses Hispaniæ, creditur fuisse Præfectus Vrbis sub Imperatore Claudio. 496.b
Camerinus Episcopus Toletanus in persecutione Diocletiani in Sardiniam secedens, ibi passus est. 461.b
in Canariis insulis crescit fides Christiana. 310.b
Cancia vox Arabica, poculum significans. 483.a
Canes magni, Constantinopolim à Rege Hugone missi, Imperatorem propemodum dilacerarunt, quia villis is erat indutus. 56.a
C. Caninius Rufus Prætor Gaditanus, vbi mortuus & sepultus. 511.b
Canonizatur ille, qui toti Ecclesiæ proponitur colendus. 313.a
Cappa quod sit genus vestis. 342.a.b
Cardinales quando & quare dicti Eminentissimi. 517.a.b. & seq. *eorum dignitas.* 518.a
P. Carisius tempore Augusti Imperatoris fecit Toletum coloniam Rom. 573.b
Carlomannus Caroli Martelli Francorum Regis filius fit Monachus in Cassino. 264.b. 587.a. *eius mors.* 266.a
Carmelitanus Ordo à S. Iacobo in Hispaniam inductus. 480.b.489.a. *eius Ordinis fuere primi Episcopi Hispaniæ, à S. Iacobo constituti.* 511.a
Carnibus abstinere die Sabbati solemne fuit in Ecclesiâ primitiuâ. 469.b. *cur id in Hispaniâ vsu abrogatum.* ibid.
Carolus Caluus Galliæ Rex moritur. 13.b
Caroli Magni Imperatoris in Romanam Ecclesiam merita. 267. b. *eius coronatio in Romanum Imperatorem.* 268.b. *multos libros ex Hispaniâ in Germaniam attulit.* 293.b. *quando venerit in Hispaniam.* 407.b.408.a. *magni ab Hispanis fiebat.* 414.a.415.a. *colitur in Galliâ & Germaniâ vt Sanctus.* 449.a. *cultus item est à Toletanis.* ibid. *habuit vxorem Toletanam nomine Gallianam.* 407.b. & seqq.
Carsamalium dicitur Græcis eunuchus exsectus. 109.a
Carterius patruelis S. Gregorij fit Episcopus Vxamensis. 494.b
Carthaginensis Episcopus Primas est totius Africæ. 573.a
Carthago noua destructa à Gothis, & est Sedes translata Murciam. 477.b
Castellanus Episcopus alius est à Castulonensi. 470.b
Castulo duplex est locus in Hispaniâ. 472.b
Casulam cum toto ornamento Pontificio B. Virgo S. Ildefonso dedit; sed illa est sacratior, quia ab illâ contacta fuit. 495.b
Cathedra Episcopalis Toleto à Christianis alèo absportata est in aduentu Maurorum. 348.a. Vide *Sedes.*
Celenæ cur dicantur aquæ fluminis Tenedi. 462.b
Chelandria vocantur à Græcis naues. 93.a
Chintilanes, vide *Cintila.*
Chisax Episcopus Episcopatu deiicitur. 495.a
Christiani olim suorum tumulos floribus ornabant. 362.a. *seruis suis frontem non inurebant.* 364.a. *in suis oratoriis etiam lucernis vtebantur.* 365. a. *suos olim extra vrbem sepeliebant.* 498. a. *olim brachio* CHRISTI *nomen aut signum crucis inurebant.* 591. b. *Christiani in persecutione S. Stephani Ierosolymis per orbem dispersi, fuere ex Monachis Carmelitanis.* 489.b
Christiani Hispani ob tyrannidem Maurorum in Galliam commigrant. 415. b. & seqq. *ibique à contribulibus suis malè habiti, à Ludouico Imperatore iuuantur, & priuilegio donantur.* 417.b. *à Saracenis miserrimè tractabantur.* 436. b. 438.a. 439.b
Christiani per vniuersam Hispaniam graniter exagitati sub Nerone Imp. 582. b. 583.a. *ibi post persecutionem Maximini Imp. in speluncis Synaxin sacram celebrabant.* 461.a
Chronicon sancti Ildefonsi qualis sit liber. 349.a
Chronicon Iuliani Episcopi pertingit vsque ad tempora Egicanis Regis: supplerunt id Felix & Guntericus Archiepiscopi Toletani. 372.a.375.b
Cindasuinthus Rex Gotthorum eligitur mortuo Tulgâ. 319.a.b. *quamdiu regnarit.* ibid. b. *coronatur & inungitur ab Eugenio I. Episcopo Toletano.* ibid. *petit à Papâ Martino Moralia S. Gregorij.* 321.b. *moritur.* 324.a. *& quando.* ibid. b. *Primatum Toletanum aliò translatum, eôdem transfert.* 484.b
Cintila fit Rex VVisegotthorum post Sisenandum. 313. b. 314. b. *coronatur & inungitur ab Eugenio Episcopo Toletano.* 313.b. 315.a. *eius Zelus.* 315.b. 317.a.b. *conuocat conuentum Aulicorum suorum.* 317.a. *moritur.* ibid.b.318.a
an Ciuitates ampliores semper habeant Primatum. 571.b.573.b.574.b 575.b
Cixilla Episcopus Toletanus: quid scripserit. 406.b. *eius elogium.* 407. a. *habet Toleti Concilium.* ibid.b
Fl. Claudius quando floreat. 298.b
Claudius Taurinensis Episcopus negauit imagines Sanctorum esse colendas. 425.b. *fuit discipulus Felicis Episc. Vrgelitani hæretici.* 426.a. *qui contra eum scripserint.* ibid. b. 425.b
S. Clementis Pontificis elogium: an primus post Petrum fuerit successor in Pontificatu. 169.a. *multos scripsit libros, & quinque epistolas.* ibid. b. *singularum epistolarum capita.* ibid. & 171. a.b. 172. b. 173. a.b. *est à S. Petro designatus successor.* 169.b. *eius ordinationes.* 174. a. *fuit S. Pauli coadiutor in prædicando.* 578.a. *quo tempore Pontifex factus sit.* 581.a
Clerici quales esse debeant. 172.a.b. *iis quæ vetentur.* 232.a.b. *non sint infames.* 211.a. 215. b. *Clerici coniugati non sunt tolerandi.* 210. b. 215. b. *Clerici adulteri quâ pœnâ afficiendi sint.* 242.b.& seq.
Clerus olim eligebat Episcopos. 331.a
S. Cleti Pontificis elogium, ordinationes: an fuerit S. Petri successor. 168.b
Coactilia sunt indumenta strictiùs compacta ex villis crassioribus. 446.b
Colendâ ciuitas Hispaniæ. 470.a
S. Columba, alia Cordubensis, alia Gallica. 344.b
S. Columba Martyr à patre Mahomat Saraceno capite truncata est: colitur in opido S. Coloniæ. 485.a
Comes Scantiarum quæ sit dignitas in aulâ Regum Hispanorum veterum. 482.b
Cometa in Italiâ famem subsecuturam portendit. 90.a. *cometa visus anno* DC. LXXVIII. *per trimestre.* 260.a
Compatriatus olim fuit, & nunc est impedimentum matrimonij. 150.a
Complutum vocant Mauri Guadalfaxaram. 500.a
quæ Concilia ab Ecclesiâ recepta sint. 234.a
Conciliis præsidere prouincialibus, non est de ratione Primatus. 574.b
Concilium Francofordiense habendas quidem censet imagines, sed non colendas; non rectè. 426.b.427.b
Concilium I. Nicænum quando habitum: quot & quinam Patres ei interfuerint. 570.b.571.a
Concilium Nicænum II. generale pro cultu imaginum indictum. 427.b. *id reiicebant quædam pseudosynodi in Europâ habitæ.* ibid.
Concilium Romanum sub Siluestro Papâ quando habitum: Constantinus Imperator ei interest cum matre suâ Helenâ: quid in eo statutum. 570.a. *habitum id ante Nicænum.* ibid.b
Concilium Sardicense Athanasium & Paulum absoluit: huic Toletanus Episcopus Natalis interfuit. 486.b
Conciliorum Toletanorum partes ad sæcularia negotia spectantes sæpè à Conciliorum Actis euelluntur. 358.a. Vide *Synodus.*
Concordius Episcopus Toletanus quando Sedi præfuerit, & sub quo Rege: eius mors. 403.a
Confessores non solebant in Hispaniâ ab Episcopis coli aut celebrari. 484.b
Confirmationis Sacramentum adstruitur. 173. b. *est id à solo Episcopo conferendum: eius effectus.* 200. a.b. *id datur post Baptismum.* 550.b
Conimbricensis Diœcesis quousque se extendat. 502.a
Coniugati qui & quales ordinari possint. 210.b.& seqq.214.b.
Coniugium quod censeatur legitimum. 177.b
inter Coniuratos rarò est amicitia firma. 14.a
Cononis Papæ elogium, electio, ordinationes. 261.b
Conradus Ludouici filius, fit Imperator post mortem patris: rebelles Principes domat. 31.a. *moriturus Principes ad se vocans, suadet vt Henricum Ducem Saxoniæ Imperatorem creent.* ibid.b
Constantinopolis nomina, situs, vicini. 8.b
S. Constantinus Confessor quando migret ad Dominum. 459.b
Constantinus Magnus Imperator ædificari iussit Constantinopoli domum, dictam Porphyram, & quorsum. 7.a. *sub eo restoruit Christiana religio passim toto orbe.* 461.a. *iubetur à patre Constantio fauere Hispanis.* 491.a. *Osium Cordubensem coluit.* ibid. *cur Hispaniæ magnam curam gesserit.* 565.a. *fuit in Episcopos quoslibet munificus.* 566.a. *dedit iis venturis ad Concilia sumptus & publicam vecturam.* 567.a.& seqq. *maximè ad Romanum sub Siluestro.* 570.a. *Iudæos sibi rebelles mulctat.* 568.a. *Episcopis multa iura concedit, item Christianis.*

nis. 568.b. *variæ illius leges.* 569.a. *Christianos edicto ab iniuriis Gentilium tuetur.* ibid. b. *quo anno à Siluestro Papâ sit baptizatus.* 570.a
Constantinus Leonis Imperatoris filius, erat gener Romani: & hoc à filiis propriis deturbato, Imperator renuntiatur, & ab Hugone Rege iuuatur. 99.a. *scribit pro Lothario ad Berengarium.* 107.a
Constantini Papæ elogium, ordinationes. 263.a. *misit Legatos in Hispaniam ad VVitizam, vt legem abrogaret de matrimonio Clericorum.* 384. & seqq. 385.b
Constantinus quidam electus in Pontificem illegitimè, malè mulctatur & exauctoratur. 267.a
Constantinus Pogonatus à patre Imperij consors assumitur. 328.b
Constantini Porphyrogeniti religio & exercitatio. 61.a
Constantius Imperator Osio Cordubensi inodium Catholicæ fidei iussit propinari venenum. 487.a
Contentus suis, verè dives est. 102.b
Corduba dicitur à Persis cõdita. 376.b. 377. a. *eius etymon.* 377.a.b. *fuit ibi gymnasium Arabicarum litterarum.* 423.a. *Mahumetus ibi quoque virus suum spargit.* 589 a. *fuit olim Sedes Metropolitana.* 561. b. *quæ Sedes ei fuerint attributæ.* 562.b
Cordubensis Ecclesia fuit inter primas reparatas, cessante persecutione. 565.a
Corduena prouincia in Perside, vnde Corduba Hispanica nomen traxisse videtur. 377.a
S. Cornelij Papæ & Martyris elogium, ordinationes, decreta. 188.a. *Synodum Romæ cogit contra Nouatianos.* 555.a
Cornutus Tertullus collega fuit Plinij Iunioris in Consulatu. 497.a
S. Corona virgo Monialis Benedictina Illici floret. 303.b
Coronabantur olim sepulcra. 362.b
Corpori etiam notæ inurebantur in specimen & signum obsequij. 591.a
Costus Episcopus Cæsaraugustanus interest Concilio Romano sub Siluestro. 570.b
S. Crispulus Martyr familiaris videtur fuisse Martiali Poëtæ. 308.b
Crucifixi aliquot millia militum in Armeniâ. 497.a
santa Cruz de la Sierra, *locus in Hispaniâ, vnde sit cognominatus.* 348.a
Cuphia idem est quod petasus. 322.a
Cyprianus Cordubensis Archidiaconus Poëta non inclegans. 432. a
S. Cyprianus Martyr quâ occasione tractatum de Mortalitate scripserit. 556.b. *censuit ab hæreticis baptizatos esse rebaptizandos.* 557.a. *fuit in Sedem Romanam æquo immitior.* 560.b. *quo anno martyrium passus sit.* 561.a
S. Cyriaci Martyris corpus à bubulco inuentum, in Gallias est delatum. 437.a

D.

Dæmon vocatur hostis antiquus, & cur. 366.b. *dæmones humanâ specie sæpè apparent ante ingruentem pestem.* 356.a. *dæmonium meridianum quod sit.* 355.a.b. 356.b. 357.a.b
S. Damasi Papæ gesta, falsâ accusatio, ordinationes: scripsit varias Epistolas decretales. 208.a. b. & seqq. *eius statuta.* 209.b
Dani ab Henrico Imperatore subacti & redditi tributarij, eorum sæuitia per Germaniam. 67.a
Decaennea cubita domus erat Constantinopoli, & vnde sic dicta. 109.b
Dedicationes templorum annuè recoli debent. 245.a
Descriptio orbis sub Augusto Imperatore quando promulgata sit, & executioni mandata. 490.b
Deus suorum peccata cladibus castigat. 40.a
S. Deusdedit Pontificis elogium, gesta, statuta. 254.b. *fit Papa.* 300. a. *scribit pro S. Isidoro Hispalensi Sede suâ expulso.* 301.b. *moritur.* ibid.
Diabolinus prodit dominos suos Stephanum & Constantinum Romani filios, Constantinoque Leonis filio adhæret. 99.b. *ei dat bonum consilium.* ibid.
Diaconorum munia & partes. 170.b. 231.b
Diaconi septem in vrbe Româ olim fuerunt, vti & Toleti. 553.a. *quod eorum munus.* ibid.
Diocletianus Imperator acriter in Christianos sæuit orbe toto. 391.a. *perit sumpto veneno priuatus.* 568.b
Diœcesium singularum Hispaniæ termini. 501.a. & seqq. 504.b. *non tamen Metropolitanarum.* 509.b
S. Dionysius Areopagita quo anno Christi passus sit. 581.b. 582.a
S. Dionysij Pontificis elogium, decreta, ordinationes. 193.a.b. *an fuit is, qui scripsit librum de Situ orbis.* 512.a. *quomodo Vrbis Ecclesias diuiserit.* 561.b
Diptychæ etiam antiquæ exstant. 454.b. *quid illæ continerent.* 450.a.b. *sæpè continebant etiam Episcopos externos.* 453.b. *earum vsus & fructus.* 536.a. *quid sint Dipty-*

Diptychæ. ibid. b. *nullus in iis ponitur Episcopus hæreticus, sed soli Catholici, ac bonæ vitæ.* ibid. *erat alia Diptycha viuorum, alia mortuorum.* 537.a. *erant & aliæ Conciliorum, aliæ Imperatorum & Regum benefactorum; aliæ Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & mulierum, tam viuentium quàm defunctorum.* ibid. & seqq. *alia fuit Diptycha Episcoporum defunctorum, alia laicorum.* 538.b. *erat in singulis ciuitatibus peculiaris Diptycha habens nomina omnium Episcoporum illius vrbis.* ibid. 539.b. *non solum in hisce primatis, sed & in aliis Diptychis ponebantur Catholici Episcopi.* 538.b. *ex iis nemo eximebatur, nisi iudicio Pontificis Romani.* 539.a. *inter vel ante Episcopos ciuisque vrbis etiam alij in tabulis ponebantur.* ibid. b. *seruabantur accuratè inter Ecclesiæ thesauros.* 540.a. *non erat semper vna, sed pro temporum varietate multæ.* ibid. *aliæ erant aliis vetustiores, & membranaceæ: in Diptychâ Episcoporum non ponebantur laici, & externi Episcopi seorsim à propriis: vnaquæque ciuitas seruabat Diptycham suorum Episcoporum.* ibid. *sed Ecclesiarum plerarumque Diptychæ combustæ sunt tempore Diocletianææ persecutionis.* 586.b
Diptycha Toletanorum Episcoporum magnæ est auctoritatis & ponderis. 535.a. *quid boni secutum inde sit.* ibid. b. *qui in eâ positi sint.* 536.b. *an illa sit mixta, & num solos Toletanos Episcopos contineat.* 540.a. *solos habet Episcopos, qui fuerunt post captiuitatem.* ibid. b. *est ea duplex, & à quo tempore vtraque ordiatur, & quando ea condi cœpta.* ibid. 541.a. b. 542.a. *in eâ positi non sunt omnes Pontifices Toletani, sed tantùm selectiores.* 541.a. *an combusta ea sit tempore Diocletiani.* 586.b
qui dicendi sint Diuites. 102.b
Doctores dicebantur qui liberales artes docebant. 424.b
Dominici Capellani VVillæ vxoris Berengarij Regis forma difformis. 104. b. *eius contubernium cum illâ prodit canis.* 105. a. *castratur.* ibid.b
Doni Pontificis elogium, ordinationes. 260.a
Dracontij liber de Creatione mundi correctus ab Eugenio III. Toletano Episcopo. 329.b
Duba *vox Persica summitatem significat.* 377.a
Dulcidius Diaconus Cæsaraugustanus floret. 300.b
Dulcidius Presbyter Toletanus mitti solebat Orator à Regibus Ouetensibus ad Reges Arabes. 433.a
Dumiensis Sedes in Hispaniâ duplex est, altera in Asturiis, altera in Galliciâ. 472.b

E.

Ecclesia Catholica duo censet circa cultum imaginum. 426.b. 427.a.b. 428.b. *Ecclesia nulla sine Pastoribus est.* 543.a.b. *& vt vera Ecclesia aliquâ sit, consentire debet cum doctrinâ Apostolorum.* ibid. b. *Ecclesiarum singularum per Hispaniam terminos ob tempora persecutionum perturbatos, distinxit Papa Dionysius.* 562.a. *Ecclesiæ ab Apostolis ædificatæ non sunt semper Primates, esto dici possint Apostolicæ.* 574.b. *Ecclesia S. Angeli nuntio est vrbis Romæ.* 65.a. *Ecclesiæ Toletana & Cordubensis fuere inter primas quæ post persecutionẽ Diocletiani fuere reparatæ.* 565.a
Eclipsis solis facta ante Radamiri Regis Galliciæ de Abdaramene Rege Maurorum victoriam. 89.b
Edictum Augusti de orbe describendo quando sit promulgatum. 490.b
Egara ciuitas Hispaniæ in Laletaniæ finibus diruta est à Mauris. 471.b. *dicta à Latinis Baseda in Castellanis.* ibid.
Egicanes sit Rex Hispaniæ. 367.b. 368.a. *sub eo habetur Synodus XV. Toletana.* 368.b. *moritur.* 382.a. *at quo anno, dubium est.* ibid.b
Egila Abbas Agaliensis, & deinde Episcopus Illiberitanus, quando floreat. 403.b. *eius elogium.* 406.a. *ad eum scripsit Papa Adrianus de multis erroribus Hispaniæ.* ibid. 409.a. *non fuit in suo errore pertinax.* 409.b
Egitanensis Sedes quousque se extendat. 502.a
Elbora eadem quæ Talabrica: olim Episcopalis erat ciuitas, nunc nonnisi Archidiaconatum habet. 311.b
Elborenses, hæreticos in D. Virginem iniurios, ignominiosè verberant, & suis finibus excedere compellunt. 342.b
Electio Romani Pontificis carere debet ambitu. 219.b
S. Eleutherij Pontificis elogium, constitutiones, ordinationes. 182.a
Eliocrotensis Sedes Episcopalis: an eadem quæ Assotana. 303.a
Elipandus sit Episcopus Toletanus. 410.a. *à Felice Vrgelitano deceptus, incidit in* erro-

errorem circa adoptionem Christi. ibid. *in eo pertinaciter non hæsit.* 411.a. *mox eum reuocauit.* 294.a. 295.b. 296. a.b. 414.a. *mittit librum ad Carolum Magnum.* 412.b. 414.a. *habet Toleti Synodum.* 413.b. *moritur & sepelitur.* 415.b. *monetur de errore suo ab Archarico Episcopo Bracharensi.* 515.a. 516.a. *eius honor defenditur, nec vt hæreticus traducendus asseritur.* 519.a. & seqq. *non fuit Nestorianus, nec Arianus, vt ex eius scriptis ostenditur.* 520. a.b. 545.a. *quid ad Archaricum Bracharensem rescripserit.* 522.b. *suum errorem numquam pertinaciter defendit, sed à Papâ Adriano & Imperatore Carolo Magno admonitus, eum abiurauit.* 522.a. 544.a.b. 545.a

S. Elpidius primus Toletanus Episcopus à S. Iacobo constitutus, videtur fuisse Ordinis Carmelitani. 480.b. 490.a. 500.a. 511.a. *eius Reliquiæ Metim translatæ sunt.* 489.b

Elpidius, consanguineus Theodosij, vir pius fuit & militaris. 489.b

Emeritensis Archiepiscopus varias sub se Sedes habet; & earum singularum termini. 504.a

Eminentissimus *titulus est virorum illustrium.* 516.b. *maximè potentium; & Præfectorum prætorio.* ibid. *item Magistrorum militiæ.* 517.a. *sed iam eo nomine vocantur Cardinales.* ibid.

Empusa erat terriculamentum quoddam. 355.b

Encyclicæ epistolæ quæ dicantur, & vnde. 465.b

Ephesus fuit colonia Athenienſium, eius elogium. 389.b

Episcopi quales esse debeant, & quomodo populum suum regere. 172.b. 173.a. *sibi desponsant Ecclesias suas.* 177.b. *non debent à subditis vexari.* 194.b. *non sunt à quolibet quauis de re temerè accusandi aut deferendi.* 174.a.b. 176.a. 178.a.b. 183.a. 187.b. 189.a.b. 191.a.b. 192.b. 193.a.b. 194.b. 195.b. 196.b. 199.a. 200.a. 201.a. 208.b. 555.b. *quatenus de Diœcesi suâ transferri aliò possint.* 185.b. & seqq. 204.a. *nulli fiant nisi ceteros Ordines gradatim assumpserint.* 196.b. *in altis locis sedes suas in templo habebant.* 550.b. *viuebant ex oblationibus fidelium.* ibid.a. *erant pauperes & frugales.* ibid. *quales assumendi sint.* 201.b. *varia statuta de iis in Synodo Romanâ sub Leone IV.* 272.a. & seqq. *nonnumquam poterant ad Concilia non venire.* 320.a. *quomodo & à quibus olim eligerentur.* 331.a. *eos creari ex Iurisperitis vetat Pontifex Innocentius I.* 469.a. *an iis olim licuerit ab vnâ Ecclesiâ ad aliam transire.* 550.b. *quid de eâ re rescripserit Anterus Pontifex.* 551.a *habeant semper testes penes se Sacerdotes & Diaconos.* 555.b. *statuta Lucij Papæ circa Episcoporum causas & iudicia.* 556.a. *eos sine consensu Romanæ Sedis spoliari Episcopatu suo nefas.* 555.b. 560.b & seqq.

Episcopus Arelatensis Primas est Galliæ. 548.a

Episcopi Græci non sunt hospitales. 159.a

Episcopi multi Hispaniæ, dum plebem occultè sacris Christianis instituunt, à Mauris necantur. 392.b. *Episcopi primi Hispaniæ fuerunt Carmelitæ.* 511.a. *Episcopi Hispani semper recursum habuere ad Sedem Romanam.* 561.b. 564.b. *multi eorum Concilio Nicæno interfuerunt.* 570.b. 571.a.b. *Episcopi Primates non semper primo loco in Conciliis subscribebant, nec iis præsidebant.* 574.b. 575.a

Episcoporum Toletanorum multi, etsi non canonizati, sancti tamen fuerunt. 401.a. *tempore captiuitatis residebant in Ecclesiâ S. Iustæ.* 484.b. *eorum primi fuere viri zelosi, sapientes & feruidi.* 547.a.b. 548.a

Epistolarum ambarum S. Petri Apostoli argumentum. 167.b. *epistolæ nullæ ceciderunt de cælo.* 529.b. *Epistola S. Iacobi ostenditur esse S. Iacobi Maioris, non Minoris.* 530.b. 531.a.b

Ermengarda Adelberti Eporegiensis Marchionis secunda vxor, filia Adelberti Marchionis Tusciæ. 43.a. *gignit Anscarium.* ibid. 90.a. *eius potentia & lasciuia.* 52.a. *territat astu Rodulfum Burgundionem.* ibid.b

Erwigius fit Rex Hispaniæ, VVambâ in Monachum detonso. 359.b. 361.b. *curauit cogi Concilium Toleti.* 366.b. *Regnum cedit genero suo Egicani.* 367.b. & seqq.

Estantigua *vocatur ab Hispanis terriculamentum dæmonum.* 356.b

Ethnici suos ritus ex diuinis libris mutuati sunt. 454.b. *viso Constantinum Imperatorem fidelem sacris profanis fauere, Christianos rursum exagitant.* 569.b

Euantius fuit patruus S. Ildefonsi, & Archidiaconus Toletanus. 482.a. 484.b. *Christianos per epistolam docuit, sanguinis esum immundum non esse.* 526.a. & seqq. *eius elogium.* 528.b. *fuit Vicarius Episcopi absentis.* ibid.

S. Euaristi Papæ elogium, ordinationes, statuta. 177.a.b

Eubulus, cuius S. Paulus meminit, an fuerit filius viduæ à Domino resuscitatus, & dein Episcopus Pamphyliæ. 497.a

circa Eucharistiam quæ S. Clemens Pontifex statuerit. 171.b. *Eucharistia apud Hispanos in Ecclesiis Cathedralibus semper patebat, ante vastationem à Mauris.* 463.b

Euerhardus Henrici Imperatoris filium Henricum capit, & in Franciam abducit. 78.b. *Gilibertum Lotharingiæ Ducem aduersus Othonem Imperatorem instigat, & ab eo deficere cogit.* ibid. *eius callidum consilium.* 79.a.b. *Alsatiam vastat.* 83.a. *occiditur.* 86.a

Eufridius Diaconus fauore Regio innixus, inuadit prædia Ecclesiæ Toletanæ, sed vindice Deo pœnas illicò dedit. 319.a.b

S. Eugenia Martyr Vticensis in tractu Cordubensi, sub tyranno Abderamene: eius Reliquiæ ad varia loca delatæ sunt: carmen in illius honorem compositum à Blasio Episcopo Toletano. 467.b. *quo anno & die sit affecta martyrio.* 468.b

S. Eugenij I. Pontificis elogium, ordinationes. 259.a. *item Secundi.* 270.a

Eugenius idem est, qui M. Marcellus. 585.b. 586.a. Vide *M. Marcellus Eugenius.*

Eugenius II. fit Episcopus Toletanus, mortuo Iusto. 313.a. *eius elogium.* 314.b. *quamdiu sederit.* ibid. *eius epitaphium.* ibid. & seqq. *vitâ excedit.* 320.b. 322.b

Eugenius III. fit Episcopus Toletanus. 322.b. *celebrat IX. & X. Synodos Toletanas.* 328.b. 329.a. *moritur.* 329.a.b. *eius scripta & elogium.* ibid.b. 330.a.b. *illius epitaphium.* 330.a. *erat patruus sancti Ildefonsi, & pro Sancto habitus est.* 482.a. 484.b

Eulaliæ duæ Martyres in Hispaniâ celebrantur. 444.a

S. Eulogij Episcopi Cordubensis, exinde Toletani Archiepiscopi, elogium. 422.a. *huic Toletana Ecclesia multum debet.* ibid.b. *fuit socius S. Aluari.* 426.a.b. *eligitur in Episcopum Toletanum post VVistremirum.* 431.a. *moritur.* ibid.

Euodia S. Pauli adiutrix in Euangelio Philippis, ab eo commendatur S. Petro. 578.b

Euphemius reparauit Ecclesiam S. Iustæ Toleti, 484.a

S. Eusebij Papæ elogium, ordinationes, statuta. 198.b

S. Eutychiani Papæ elogium, ordinationes, constitutiones. 195.b

Fl. Eutychius Exarchus Rauennas post Paulum. 399.a

Exceptores sunt qui acta publica notabant. 553.a

Excommunicati respiscentes absoluuntur à vinculo excommunicationis. 236.a.b

Excubiæ Constantinopolitanorum. 8.b. *earum fidem explorat Leo Imperator.* 9.a. & seqq. *bonos præmio, segnes pœnis afficit.* 10.b

S. Exubius discipulus S. Marci fuit Archiepiscopus in Cypro. 511.a

F.

S. Fabiani Pontificis elogium, ordinationes, statuta diuersa. 186.b. *quid Ecclesiis per orbem scripserit: an ea Epistola sit dubiæ fidei.* 552.b

Fabulæ Æsopi an compositæ sint à Socrate Philosopho. 485.a

Factiones duæ Episcoporum Hispaniæ: vna recipiebat Arianos pœnitentes in Ecclesiam, altera reiiciebat: hæc peccabat. 489.a

S. Fara virgo Benedictina fugiens patrem, Tudem venit. 317.b

Fauces nomen opidi in Lusitaniâ. 304.a

S. Felicis I. Pontificis elogium, ordinationes, decreta. 193.b

S. Felix II. Constantij Imperatoris iussu capite truncatur. 204.b. *eius ordinationes.* ibid. *eius statuta quoad Episcopos.* 205. a.b. & seqq.

S. Felicis III. ordinationes, statuta. 230.b. *& IV.* 244.b. & seqq.

S. Felix Episcopus Accitanus, colitur circa montes Pyrenæos. 460.a. *præsedit Concilio Illiberitano.* 563.b. 574.b

Felix Episcopus Bracharensis non assensit errori Cypriani de rebaptizatione, sed secutus est doctrinam Romanæ Ecclesiæ. 557.b

Felix fit Archiepiscopus Toletanus post Sisebertum. 375.b. *auget Chronicon S. Iuliani antecessoris sui.* ibid. 372.a. *eius elogium.* 376.a. *moritur Toleti.* 379.b. 380.b. *epitaphium ei posuit Gundericus Archidiaconus.* 379.b. *eius elogium.* 380.a. *addidit quasdam Vitas Chronico S. Ildefonsi de Viris illustribus.* 449.b. 450.b. *scripsit quoque Vitam S. Iuliani Toletani.* 449.b

Felix Vrgelitanus Episcopus docuit Christum

ſtum eſſe tantùm Filium Dei adoptiuum. 296.a.b. 520.b. *non fuit Neſtorianus.* 520.b. *in quo errarit.* 521.a.b. *quid de Chriſti ſeruitute ſenſerit.* ibid. *tertiò relapſus, in errore defunctus eſt.* 522.a
Felix & Fortunatus Martyres triplices ſunt in Hiſpaniâ. 444.a
S. Felix virgo, cognomento Modica, Hiſpalenſis; Romæ ſub Philippo Imperatore cauſſâ fidei mortem patitur. 494.b
Feltrum quod genus veſtis eſſet. 446.b
Feminæ quales Clericis cohabitare poſſint. 211.a. *feminæ Arabes vetitæ primùm in Hiſpaniam cum viris venire.* 447.a
Feſtum S. Iacobi quando per Hiſpanias celebriùs agi cœptum. 315.b
Feſtus Rufus Auienus dedicauit Flauiano Præfecto prætorij librum ſuum de Stellis. 491.b. *quando obierit, & vbi ſit ſepultus.* 492.a. *videtur fuiſſe Hiſpanus: floruit ætate Theodoſij Imperatoris.* ibid.b. 493.a. *ſub quo Toletano Epiſcopo.* 493.a. *fuit Auguſtino coæuus & Flauiano.* ibid.b. *diuerſimodè cognominatur.* ibid. *varia ſcripſit, & ſatis eleganter.* ibid. & ſeqq. *librum de Situ orbis ipſe compoſuit, non ex Græco Dionyſij vertit.* ibid. *an eius ſit Epitome Rerum Romanarum.* 494.a
Fibularia habet Sedem Epiſcopalem. 497.a
Fides Chriſtiana in Hiſpaniâ ſemel ſuſcepta, latè propagata eſt. 390.b. & 391.a. *concidit nonnihil ob perſecutiones, at denuò refloruit.* 391.a.b
Figuera Chriſtiani Toletani in Gallias commigrarunt: quorum reliquiæ ibi adhuc ſuperſunt. 416.a
Filia Iuliani Comitis, à Roderico Rege violata, quo dicta ſit nomine. 392.a
Flambertus vitæ Regis Berengarij ſtruit inſidias. 46.b. *& de facto eum cædit.* 47.a.b. *ſuſpenſus vitam finit.* 48.a
Flauia Domitilla cum SS. Nereo & Achilleo in Pontiam inſulam relegata. 584.b
Flauianus Præfectus prætorio, vir doctus fuit & prudens. 491.a. *ſcripſit ad eum Symmachus plures epiſtolas.* ibid.b. *huic item miſit panegyricum ſuum Theodoſio Imperatori dictum.* ibid. *fuit mirus ſiderum obſeruator.* ibid.
Flauiobriga ciuitas caput Amanium populorum. 510.a. *quæ opida ſint ei ſubiecta.* ibid.
Flauius Epiſcopus Illiberitanus patitur martyrium Nicomediæ. 462.a
Flauius Marcus Ceruella fuit pater Theodoræ Ceruellæ vxoris Ducis Seueriani. 499.b
Flores ſpargebant Ethnici in ſepulcra amicorum; id initio non fiebat à Chriſtianis, at poſteà. 362.b
Florinda dicta eſt filia Iuliani Comitis; violata à Rege Roderico. 392.a
Fontes baptiſmales Oſenſes miraculoſi. 464.a
Formoſus Papa à Romanis ciuibus affligitur: quæ fuerit cauſſa ſimultatis mutuæ. 17.b. *iniurias patitur à Sergio Antipapâ iam defunctus.* 18.a. *eius geſta.* 283.b. *& electio.* 284.a. *eius ſanctitas.* 18.b. & 284.b
Franciſci de Binar elogium. 345.a
Fratres Domini qui dicantur. 532.a
Fraxineti opidi ſitus deſcribitur. 5.b. *à Saracenis capitur.* ibid. 39.a. *id hi relinquentes Aquas venerunt, ſed omnes periere.* 70.a. *pelluntur Fraxineto.* 94.a
Freculfus fuit Abbas Fuldenſis, pòſt Epiſcopus Lexouienſis. 587.b
Fridericus Archiepiſcopus Moguntinus aduerſarius Othonis Imperatoris auditâ clade coniuratorum trepidat. 87.b. *capitur, & in Saxoniam abductus, tandem Othonis clementiâ dignitati eſt priſtinæ reſtitutus.* 88.a
Frigidi quatenus in coniugio manere poſſint. 269.a
Froga Comes, Toletanus Præfectus, Iudæos Baptiſmo tinctos fuſtibus cædi cùm iuſſiſſet, acriter ab Auraſio Epiſcopo reprehenditur. 523.b. & ſeqq.
Froiſelus ſit Epiſcopus Caſtellanus ex Dertoſano. 471.b
Fructuoſus Epiſcopus Bracharenſis Receſuinthum Regem rogat per epiſtolam, vt captiuos diu carcere detentos liberos dimittat. 524.b. *eius elogium.* 525.b
S. Fructuoſus priùs Epiſcopus Baſedenſis, exinde Tarraconenſis; vbi demum martyrium obiit. 471.b. *idque in perſecutione Imperatoris Valeriani.* 562.b
Fulda fluuius dedit nomen opido & Monaſterio in Germaniâ. 587.a
S. Fulgentius bis fuit Epiſcopus Carthaginenſis. 498.b
Fundamenti nomine dicuntur Apoſtoli. 451.b

G.

Gabriel Vaſquez cur Elipandum ab hæretici nomine vindicare non potuerit. 519.a.b
Galerus erat ornamentum priſcorum Pontificum apud Romanos. 322.a
Galliana filia Regis Galafrij Saraceni, facta eſt vxor Caroli Magni, iam Chriſtiana. 407.b. 408.a. *eius etiamnum memoria eſt Toleti.* 408.a. *à Carolo fuit in Galliam abducta, & ibi baptizata.* ibid. a.b
Gelaſij Pontificis elogium, ordinationes, decreta. 231.a.b. & ſeqq. multis.
S. Geleſuintha vxor Chilperici Regis, mariti iuſſu ſtrangulatur. 488.b
S. Geneſius Martyr, miles, Cordubæ paſſus eſt. 343.b. *fuerunt & alij Sancti eodem nomine, vti Martyr Romanus, & alius Arelatenſis.* 344.a.b. *& alius Madridienſis.* 345.a.b. 346.a. *huius martyrium deſcribitur.* 346.b. & ſeqq.
Geneſius, cognomento Adhelardus, fuit conſanguineus Caroli Magni, & Abbas Corbeienſis. 413.b. *non aſſenſit errori Gallorum de non colendis imaginibus.* ibid. *huic exſtruitur Cordubæ à Muzarabibus templum.* 434.b. Vide *Adalardus.*
Geneſius Epiſcopus Aruernenſis monuit S. Ildefonſum de hæreſi Iouiniani, per quoſdam in Galliâ excitatâ. 495.b. *cui S. Ildefonſus per epiſtolam reſpondet.* 496.a
à Genijs olim Ethnici loca cuſtodiri credebant. 354.b
Gentiles Chriſtianis tendebant inſidias, aut iurgia inter eos ſerebant. 551.b. Vide *Ethnici.*
S. Gerontius Epiſcopus X. Traiectenſis, fuit admodum longæuus. 487.a
Gerontius Preſbyter malè tractauit Iuſtum Epiſcopum Toletanum. 319.a.b
Gezonis iudicis Papienſis vitia. 61.b. *coniurat aduerſus Hugonem Regem.* 62.a. *ſed conſilio Samſonis Comitis, in manus Regis venit, & linguâ & oculis orbatur.* 63.a
Gigantes *in ſacris Litteris appellantur viri illuſtres doctrinâ & ſapientiâ.* 452.a
Gilebertus Comes aduerſus Berengarium rebellat. 43.a. *captus ab Hungaris eidem ſiſtitur.* 44.a.b. *ſed ab eo dimiſſus fidem frangit.* 45.a
Gilla filia Berengarij, fuit mater Berengarij Marchionis Eporegienſis. 90.a
Gladiolus Receſuinthi Regis, quem S. Ildefonſo porrexit ad reſcindendam partem veli S. Leocadiæ ei apparentis, ſeruatur Toleti. 342.a. 347.b
Gnoſticorum hæreſes. 563.b
Gorgonius, Firmus & Agape Martyres Aſturicenſes in perſecutione Decij. 472.b
Gotthi C vertunt in G. 321.a. *deſtruunt Lacobrigam.* 380.b. *Gotthi Hiſpani non deſcenderunt à Scanziâ regione Sueciæ.* 483.b
Græci poſteriores imbelles & bello inepti fuerunt. 151.a. *eorum ſuperbia nolentium agnoſcere Imperatores Occidentales.* 152.a. 153.a. *non inquirebant de nobilitate matris, ſed patris, in matrimoniis.* 94.b. *vocabant ſe Romanos, reliquos verò Romanos Latinos.* 139.b. *ſuis Principibus ſtolidè adulabantur.* 138.b. 144.b. *quid Græcis ſit θεοδόλωον.* 148.a
Græcus ignis quis ſit, & cuius naturæ. 57.a
Grammatici olim dicti qui litteras profitebantur. 424.a. *quod eorum munus & profeſſio.* ibid. *nonnullorum nimis curioſa diſquiſitio.* ibid. *ipſis dabatur munerum immunitas.* ibid.b
Grammatiſtæ alij à Grammaticis ſunt. 424.a.b
Granata ciuitas, dicta eſt & Illiberis Florentina. 397.b. & ſeqq.
S. Gregorij Magni Pontificis elogium, ſcripta, ſtatuta, reſponſa. 252.a.b. & ſeqq. *eius ordinationes.* 253.b. *tur pro Traiani ſalute rogaſſe dicatur.* 497.a
S. Gregorij II. elogium, geſta, ſtatuta. 263.b. *ordinationes.* 264.a. *item III. geſta, ordinationes.* ibid. *item IV. elogium & geſta.* 270.b
Gregorij VII. epiſtola ad Alfonſum VI. Regem Hiſpaniæ. 327.a.b
Gregorius Bæticus factus ex iudice ſæcularis Epiſcopus. 489.b. *quamdiu vixerit.* ibid.
Gregorius Complutenſis poſt munia ſæcularia factus eſt Epiſcopus Illiberitanus: quos libros ſcripſerit. 490.a
Gregorius Nazianzenus ſcripſit Audentio Epiſcopo Toletano. 494.b
Gregorius Toletanus reprehendit Oſium, quòd Ariminenſi Concilio conſenſiſſet. 489.a. *in eo errauit, quòd Arianos pœnitentes in gratiam recipere nollet.* ibid. *quando ſit mortuus.* ibid.b
Gregorius Turonenſis malè aſſignat annum paſſionis S. Saturnini. 581.b. 582.a
Grimoaldus Longobardorum ſit Rex. 342.a
Gudila Archidiaconus Toletanus moritur, ei epitaphium ponitur à Iuliano Epiſcopo. 359.b. & ſeqq. *eius elogium.* 361.b. *eius ſanctitas.* 362.a
Guido, vide *VVido.*
Gumeſindus ſuccedit Elipando in Epiſcopatu Toletano. 415.b. *moritur.* 421.b. & ſeqq.
Gundemarus Rex Hiſpaniæ ſuccedit VVitterico, & coronatur. 298.a. *iubet Concilium*

cilium Toleti celebrari. ibid. 300.a
Gundericus eligitur in Episcopum Toletanum ex Seguntino. 380.b. *eius elogium.* ibid. & seqq. *ab aliis aliter vocatur.* 381. b. *eius breue vitæ compendium.* 382.a. *sacrat Ecclesiam S. Torquati Toleti.* ibid. & b. *colligit Synodum Toleti.* 382. b. 383.a. *obsistit improbis Regis VVitizæ moribus primò blandè, posteà excommunicatione intentatâ.* 383. a b. *moritur placidè in Dominò: epitaphium ei ponit Synderedus eius Archidiaconus.* 384.a.b
Gundericus vir pius, iudex Muzarabum Toleti constituitur. 426.a
quare Guntarius Episcopus Colonienſis à Nicolao I. Papâ fuerit depositus. 278.b

H.

Hæreſes pleraque à Græcis sunt procusæ. 142.b
Hæreticus nullus Episcopus in Ecclesiæ tabulas vel Diptycham poterat referri. 536. a. b. *hæreticorum scripta anathemate damnata à Gelasio Papâ.* 235.b. *hæretici docentes B. Virginem peperisse more aliarum mulierum, negant eam à partu virginem mansisse.* 334.b.335.b
Harlio, vide *Sarlius.*
Hatto Archiepiscopus Moguntinus Adelbertum Comitem Bauerburgensem verbis illaqueatum ad Ludouicum Regem perducit; à quo capitis damnatur. 27.b
Hatto Comes in prælio ab Ansario occiditur hastâ ligneâ. 92.b
Hebræi genitiuum pro adiectiuo vsurpant. 452.a
Helena, seu Irene, filia Romani Imp. Constantinopolitani nubit Constantino Porphyrogenito. 59.b
S. Helladius Episcopus Toletanus succedit Auraſio. 300.b. *eius liberalitas in pauperes.* 309.b. *sanctè moritur.* 310.b.313.a. *celebratur eius memoria in Martyrologio Romano.* 313.a. *eius elogium.* ibid. *semper habitus est vt Sanctus.* 484.b
Henricus Dux Saxoniæ fit Imperator suasu Conradi Imp. defuncti. 32.a. *aduersus Hungaros aduentantes copias colligit.* 33. a.b. *suos ad bellum adhortatur, Deumque sibi reddit propitium.* 34.a. *confligit cum iis, eosque profligat, sapienter suos præmonens.* 35. a.b. *Sclauos & Danos sibi subegit.* 55.b. 67. a. *moritur in Saxoniâ, vbi sepultus.* 76.a. *eius prudentia.* ibid.b. *lanceam Dominicam sibi comparat.* 81.a
Henricus Imperatoris Henrici filius aduersus fratrem Othonem rebellat. 77. b. *Luitprandus noster in eum incubitur.* ibid. *capitur ab Euerhardo, sed dimittitur, vt contra fratrem copias mouens Euerhardum Imperatorem constitueret.* 79.a.b. *in prælio succumbens & percussus, è liuore contusionis anno sequenti moritur.* 80. b. *fratri se supplicem sistens, custodiæ includitur.* 88.b
Heraclius Imperator crucem Domini è Perside Ieroſolymam refert. 310.a. *moritur.* 319.a
Heraclius Dux Romanorum alius est ab Imperatore Heraclio, qui crucem Domini restituit. 309.a
Hermannus Contractus non fuit auctor hymni Salue Regina. 451.a.452.a
Hermannus Sueuus filiæ suæ quærit nuptias Liuthulfi filij Imperatoris Othonis. 89. a. *Berengarium Marchionem Eporegiensem ad se profugum Othoni commendat.* 94 a
S. Hermenegildi festum fuit Hispanis solemne. 414.a
Heronius Episcopus Bracharensis senex. 464.a. *huic Luitprandus mittit partem Chronici sui.* ibid.b
S. Hilarij Papæ elogium, ordinationes, decreta. 229.a.b
Hilduinus Episcopatu Laudocienſi pulsus, ad Hugonem Regem affinem suum veniens, fit Episcopus Veronensis, & dein Mediolanensis. 63.b
Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis erranit circa cultum imaginum. 428.b
Hippo oppidum Carpetaniæ, dirutum posteà. 482.a
quæ Hippolytus Episcopus Siculus de futuris temporibus prædixit, cuius habenda sint auctoritatis. 149.a.150.a.b
Hispalensis Præsul quos Episcopos sub se habeat. 503.b. *& singularum diœcesium limites.* ibid.
Hispania cultui B. Virginis addictissima est, eiusque honoris studiosissima. 336. a. *hæreses nullas produxit, alibi natas oppressit.* ibid. *in illâ floret Christiana fides.* 390.b. *nec vmquam sub Diocletiani persecutione concidit.* 391.a. *in eâ maximè floruit tempore Imp. Theodosij.* ibid.b. *periclitata est per Priscillianistas & sub Gotthis.* ibid. *sed sub Roderico per Arabes magnam passa iacturam est.* 392.a. *quo anno id factum sit.* 393.a. *fuit immunis ab hæresi Iconoclastarum.* 429.a. *per quos Christo primò asserta; & quæ illius partes per quos.* 478.b. *non est secuta errorem Afrorum, circa rebaptizationem.* 557. b. 558. b. 560.a. *eius Reges habent ius patronatus in Ecclesiis Regni sui.* 331.a b
Hispani olim litterarum studioſi fuere. 423.b. *fuerunt erga Sedem Romanam iam ab olitanis temporibus deuotissimi.* 551.a. *eorum dissolutè viuendi ratio, meruit per Maurorum incursum puniri.* 387.b.& seqq. 392.a
quinam Episcopi Hispani interfuerint Synodo I. & II. Nicænæ. 413.a.b. 570.b. & seqq. *semper hi defenderunt fidem Romanæ Ecclesiæ.* 558.b. *quare gratificari volentes quibusdam magnatibus, nonnullos Episcopos Sedibus suis priuarint.* 559.b
Hispani Christiani à Mauris pressi & profugi ideò, à Ludouico Imp. clementer trans montes excipiuntur. 499.a. *grauiter pressi fuere sub Nerone.* 582.b. & seqq.
Hominum vita nonnisi militia est. 294.b
Honoratus an fuerit Episcopus Toletanus, & quando. 541.a
Honorij Pontificis elogium, decreta. 255 b. & seqq. *ordinationes.* 257.b
S. Hormisdæ Papæ elogium, ordinationes, gesta. 241.b. *eius decreta.* 242.a.b
Hubaldi Marchionis Camerinorum virtus contra Bauarum militem insolentem. 15.b
Hugo Mediolanensis Comes, filius Maginfredi, à Lanthberto beneficiis affectus, ipsum tamen de medio tollit dormientem. 22.b
Hugo Comes Prouinciæ inhiat Regno Italiæ. 53.a. *eam adit, & venit Pisas.* 55.a. *fit Rex Italiæ.* ibid. *eius dotes.* ibid.b. *sed has fœdabat luxuria: eius vxor & proles.* ibid. *coluit amicitiam cum vicinis Principibus.* ibid. *etiam cum Imperatore Constantinopolitano, ad quem misit Luitprandi patrem.* 56.a. *ei parantur insidiæ.* 62.a. *Romam petit; sed eius illuc proficiscentis vecordia.* 65.a. *in primignum suum acerbior, ab eo Româ pellitur.* ibid.b. *eius incestus.* 64.b. 66.a. *non vult à Lamberto dici frater.* 66.b. *eum lumine iubet orbari.* ibid. *cedit Rodulfo Burgundioni omnem terram quam in Galliâ ante Regnum habuerat.* 67.a. *Lotharium filium in regnum assumit.* 69.b. *Romam ingredi conatur, sed frustrà.* ibid. *filiam suam Aldam Alberico promittit, eum decipere volens.* ibid. *ducit Rodulfi Burgundionis defuncti viduam Bertam, sed eam mox exosam habuit.* 75.a.b. *varias habuit concubinas, sed tres maximè dilexit, ex eisque habuit proles.* ibid.b. *Albericum Romæ obsidet.* 90. a. *Sarlionem mittit Camerinum ad animos ciuium ab Anscario auertendos.* ibid.b. *nuntios Constantinopolim mittit pro nauibus & igne Græco contra Saracenos.* 93.a. *tendit insidias Berengario Marchioni Eporegiensi, sed hic fugit.* ibid. *legatos mittit ad Othonem, vt Berengarium profugum non suscipiat.* 94.a. *eius filiam postulat Imperatori Constantinopolitano nepoti suo coniugem.* ibid.b. *Saracenos Græcorum ope Fraxineto pellit; sed mox cum iis init fœdus ob Berengarium Marchionem, quem timebat.* 96.a.b. *culpat eum hoc nomine Luitprandus.* ibid.b. *Hungaros in Hispaniam ablegat.* ibid. *eius filia ex concubinâ nubit Romano iuniori Græco Imper.* 98.a. *ab Italis deseritur.* 101 b. 102.a.b. *supplicat demisse Mediolanensibus.* 103.a. *in Prouinciam abiit, relicto filio Lothario in Italiâ.* 104.a. *eius obitus.* ibid. b.
per Hungaros Zuuentebaldus vincitur ab Arnulfo Rege. 12.b. *Hungarorum immanitas in Marauanos & Baioarios.* 24.b. *sunt bellaces & intrepidi.* ibid. *sternunt copias Ludouici Regis.* 25.b. *Sueuiam & Franciam vastant.* 26.a. *Italiam petere statuunt, sed per exploratores de regione certiores facti ad propria reuertuntur.* 28.a. *sed sequenti anno Italiam repetunt.* ibid.b. *fugientes ab Italis pacem petunt, sed frustra.* 29. a.b. *ergo in desperationem versi Italos profligant.* 30.a.b. *Saxoniam inuadere statuunt.* 33. a. *Meresburgi sæuiunt.* 34.b. *Veronam occupant.* 44.a. *per reliquam Italiam grassantur.* 38.b. *ab Hugone Rege in Hispaniam ablegantur, sed Cordubam non perueniunt.* 97. b. *veniunt in Italiam sub Rege Taxi.* 105.b
Hygini Papæ elogium, decreta, ordinationes. 180.a.b

I.

S. Iacobi Apostoli, Zebedæi filij, festum quando in Hispaniâ cœptum celebriùs coli. 315.b. *quæ in eius decollatione prodigia euenerint.* 316.a.b. *eius corpus à Theodomiro Episcopo Iriensi detegitur.* 414.b. *an docuerit Euangelium sancti Ioannis fratris sui, nondum scriptum.* 436.a. *Missam Epi-*

Episcopis Hispaniæ tradidit. 488.b. *huius vsus & auctoritas.* 419.a.489.a. *discipulos septem in Baticam misit.* 497.b. *an scripserit Epistolam illam Canonicam, quæ exstat in nouo Testamento.* 531.a.b. *& quæ obiiciuntur in contrarium refutantur.* 419.a.532.a

S. Ianuarius Martyr & Episcopus colitur Calpæ in Hispaniâ. 460.a.461.b

Ilogenſis Sedes Episcopalis antiqua est in Hispaniâ, & magni iuris. 472.a

Ieiunium Sabbati fuit in Ecclesiâ vsitatum; sed quare in Hispaniâ aliquando abrogatum. 409.b

Ierosolymitana Sedes subest Cæsariensi in Palæstinâ. 573.a

quando & vbi S. Ildefonsus Episc. nascatur. 297.a. 510.a. *proficit sub S. Isidoro Hispalensi.* 303.b. *Hispali Toletum reuersus fit Monachus in Agaliensi Monasterio.* 309.a.b. *eius opera paulatim in lucem proferuntur.* 330.b. *eligitur in Episcopum Toletanum.* 329.330.b. *Regem & aulicos Christianâ libertate reprehendit.* 332.b. *scripsit pro virginitate B. Virginis contra hæreticos: item librum Soliloquiorum cum B. Virgine.* 334.a. *petit contra hæreticos cogi Toleti Synodum.* 335.a. 336.a.337.a. *apparet ei S. Leocadia virgo & Martyr.* 334.a.b. 336.a.b.337.a. *& quo anno.* 340.b. *item B. Virgo Maria.* 342.a. *moritur.* 343.a. *eius epitaphium.* ibid. *eius elogium & scripta.* 330.b. & seqq. 348.a. b. 349.a. 479.b.480.a. *eius corpus à cognatis effossum Zamoram transfertur.* 396.b. & seqq. *prius fuit Abbas SS. Cosmæ & Damiani, post Præpositus Agalienſis.* 479. b. 488. b. *in Agaliensi disciplinam regularem restituit.* 488. b. *interfuit Concilio Toletano contra Monothelitas coacto.* 480.a. *Martinus Pontifex ei scribit.* ibid. *posuit in æde Toletanâ imaginem B. Mariæ à S. Lucâ depictam.* 482.a. *eius pater fuit Stephanus.* ibid. *eius patrui.* ibid. 484. b. *fecit Iusto carmen sepulchrale.* 484.b. *an ei B. Virgo dederit Albam an Casulam, an totum Pontificium ornamentum.* 495.b. *celebrauit Missam die Sabbati, audiente B. Virgine, & Angelis ad eam concinentibus; ideò dictus est Capellanus B. Virginis.* ibid. *monetur per epistolas à Genesio Episcopo Aruernensi de hæreticis in Hispaniam è Galliâ tendentibus, qui B. Virginis integritatem negabant.* 495.b. *quos confutat in missâ epistolâ ad hunc Genesium.* 496.a. *posuit in Monasterio Dubiensi imaginem B. Virginis quam suo in oratorio habebat.* ibid. *à S. Helladio ordinatus est in æde Prætoriensi S. Leocadiæ.* 509.b

Illiberitanum Concilium in Hispaniâ contra Gnosticos coactum. 563.b. *qui ei interfuerint, & quâ de causâ coactum sit.* ibid. & 564.a.b. *& quando habitum.* 564.a

Illicitana ciuitas vbi sita. 303.a. *fuit ea Sedes Episcopalis: an eadem cum Assotanâ.* 302.b.& seqq.

Illiturgi prædicauit S. Euphrasius, ibique fuit Episcopus. 509.b. *duplex est Illiturgis.* 510.a

Imago B. Virginis in Monte Serrato ab olim fuit celebris. 481.b. *variæ eiusdem imagines fuere in Hispaniâ venerabiles.* ibid. *imago B. Virginis de Præsidio est à temporibus Gothorum.* 484.a. *circa imaginum cultum duo docet Ecclesia Catholica.* 426.b.& seqq. 428.b. *imagines in annulis gestabant prisci obsequij vel amoris causâ.* 590.b. *milites imaginem sui Imperatoris corpori ferro candenti inurebant.* 591.a

Imperator Constantinopolitanus erogat ante diem Palmarum munera in clientes & magistratus suos. 110.b. *Imperatores Constantinopolitani à Patriarchâ Constantinop. coronabantur.* 298.b.299.a.b. *Imperatoris Romani vel Constantinopolitani residentia in aliquâ vrbe, non reddebat eam propterea Patriarchalem.* 576.a.b. *Imperatoris sui imaginem milites ferro candenti suo corpori inurebant.* 591.a

S. Indaletius Episcopus prædicauit Eliocrotæ. 303.a. *passus est Urci.* 308.a.b

Indiculus Luminosus cuius sit auctoris. 426.a.431.b.433.a.b

Infames non sunt ad sacros Ordines promouendi. 190.b. *alios non possunt accusare.* 197.a

cur Inferior diceretur Toleti Ecclesia S. Mariæ. 325.a

Inger Rex Nordmannorum Constantinopolim vexat. 95.a

S. Innocentij Pontificis elogium, scripta, statuta. 212. b. & seqq. 214. a.b. 216.a.b 217. a.b. *vetat Iurisperitos & iudices sæculares assumi in Episcopos.* 469.a. 489.a

Inquisitioni fidei ascribenda fidei Catholicæ integritas in Hispaniâ. 336.a

Inuidus seipsum enecat. 6.a

Ioannes Abbas cognomento Magnus floret in Lusitaniâ. 303.b

Ioannis de Chaues Comitis de la Calzada elogium. 348.a

Ioannes Episcopus Constantinopolitanus vult haberi vniuersalis Episcopus. 251.a

Ioannes Exarchus perimitur à populo. 301.a

Fr. Ioannes Guarinus Eremita post peccatum egit pœnitentiam reptando per terram. 481.a. *vbi sepultus.* ibid.b. *habitauit in Monte Serrato.* 432.b

Ioannes Seruus Dei fit Episcopus Toletanus. 438.a. *quando, & quo anno.* ibid. *eius elogium.* ibid. *moritur: vbi sepultus.* 440.a

S. Ioannis Papæ elogium, ordinationes, mors: quia Arrianorum Ecclesias Catholicis reddi volebat, Theodorici Regis odium incurrit. 244.a. *eius decretalis epistola.* ibid.b

Ioannis II. Papæ elogium, ordinationes, gesta, doctrina. 246.a. *item III.* 250.a. *& IV.* 258.a. *& V.* 261.a. *& VI. & VII.* 262.b. *& VIII.* 282.b

Ioannes Papa XI. truditur in carcerem per Vvidonem Tusciæ Marchionem, instinctu Marozíæ vxoris: vbi creditur suffocatus. 64.a.

Ioannes XII. Othonem Imperatorem rogat vt Romanam Ecclesiam liberet à tyrannide Berengarij Regis, & Adelberti. 111.b. *sed ab Othone desciscens, Adelbertum fouet.* 112.b. *eius sacrilegia & fornicationes.* 113.a. *eius ad Imperatorem fraudulenta mandata.* ibid. b. *eius obstinatio.* 114.b. *quæ ei obiicerentur crimina à Romanis.* 116.b.117.b. *citatur vt ad se purgandum accedat.* 117.b.118.a. *respondet ad obiecta.* 118.b. *excommunicat eos qui de nouo eligendo Pontifice acturi sunt.* 119.a. *deponitur à Concilio.* 120.b. *conatur Romanos in eadem Imperatoris & Leonis Papæ electi pecuniâ concitare.* 121.a. *Romam receptus auxilio meretricum, sæuit in Leoni obedientes.* ibid.b. *à diabolo necatur.* 122.a

Ioannes alius Marozíæ ex Sergio Antipapâ filius, fit Papa. 64.a

Ioannes Presbyter Rauennas per nefas Romanam Sedem occupat. 40.b

Ionas Aurelianensis non prout oportet contra Claudium Taurinensem imaginum cultum defendit. 426.b.428.a

Ioseph Brixiensis Episcopus à Berengario Rege deponitur. 103.a

Iosephi Stephani Episcopi Illicitani elogium. 303.a

Iouinianus negabat integritatem B. Virginis post partum. 496.a. *eius hæresis damnatur à Siricio Papâ.* 212.a

Irene virgo Illiberitana detulit ex Hispaniâ multos libros Thessalonicam. 490.b

Isaacus Casaubonus in Catholicos iniurius est. 454.b

S. Isidorus Hispalensis Româ ad suos redit. 298.a. *Sede suâ pellitur.* 301.a. *sed mox restituitur.* ibid.b. *præest Concilio II. Hispalensi.* 303.b. *item IV. Toletano.* 311.a. *moritur.* 314.a. *claret miraculis.* 317.a. *quid de Hispaniæ vastatione prædixerit.* 390.a.b. *eius liber de Prophetis, in varias est linguas conuersus.* 486.a. *eius esse videntur opera medica vulgò Auicennæ attributa.* 377.b

Isidorus Setabitanus, dictus alio nomine Peccator, vel Mercator: quid scripserit. 366.a

Itali ob peccata ab Hungaris improuisò sternuntur. 30.a.b. *cur duos habere Reges velint.* 20.b

Itinerarium Antonini Augusti à quibus concinnatum sit. 463.b. *eius iussu compositum est.* 512.b

Iudæarum seminarum qualis esset vestis. 445.a.& seqq.

Iudæi à Constantino Imperatore malè habiti, dum contra eum rebellant. 568.a. *Iudæi qui in Hispaniam traiecerunt tempore Nabuchodonosor, fuere ex discipulis S. Eliæ.* 511.b

Iudicia coram Episcopis qualiter instituenda sint. 194.a.b. 195.a. 196.a. 197.b. 199.a.200.a. Vide *Episcopus.*

Iuliani Apostatæ cauillus in Christianos. 71. b

Iulianus Episcopus Carpetaniæ panè lapsus à fide in persecutione Neronis. 582.b

Iulianus Archidiaconus Toletanus floret, qui posteà fuit ibidem Episcopus. 343.a. 432.b. *consecratur.* 366.a. *eius scripta & decreta in XIV. Concilio approbant. Præsules Hispani.* 367.a. *habet Synodum XV. sub Rege Egicane.* 368.a.b. *eius scripta Romæ etiam approbantur.* ibid.b. & seqq. 370.a.b. *illuc ad Sergium Apologeticum misit pro libro suo.* 369.a.b. *scripsit Vitam S. Ildefonsi.* 449.b. 450.b. *obiit.* 371.b. 372.a. *eius epitaphium.* 372.a

Iulianus, cognomento Vrbanus, fit Episcopus Toletanus. 392.b. *transfert Toleto Sanctorum Reliquias.* 394.a. *est alius ab aliis Iulianis.* ibid. *moritur.* 399.b

Iulianus Lucas, Diaconus Toletanus, Græcus est, patriâ Thessaloniconsis: alius est à Iuliano Chronici Auctore. 466.a.b. *multa de vtroque Beroso collegit.* 376.b. *quando Toleti floruerit.* 403.a

Iuliobriga cur sacrata sit victoriæ. 510.b

S. Iulij Pontificis gesta, decreta, scripta, ordinationes. 202.b.& seqq.

an Iuramentum vi extortum obliget. 283.a

S. Iustæ Ecclesia est primaria Toletana. 317.a
Iusti duo Toleti fuere tempore S. Helladij Episcopi; vnus vir sanctus & probus, alter intemperans & procax. 312.a.b. 317.b. 319.a. *quorum hic fuit Diaconus, & post Accitanus Episcopus: fuit in Helladium Episcopum Toletanum iniurius, & laqueo strangulatus interiit.* 310. b. 311. b. 312. a. 317. b. 319. a. b. *ille verò Monachus & Abbas Agalienſis, ſuccedit Helladio in Epiſcopatu Toletano.* 310 b. 311. a. b. 312. a. *huius elogium.* 312. b. *moritur.* 313. b. *eius epitaphium.* 314. a
SS. Iustus & Pastor habuere patrem Vitalem, fratrem S. Natalem Episcopum Toletanum. 486. a. *eorum Reliquiæ Complutum asportantur.* 403. b
Iuuenalis & Bonosus Martyres Ilerdenses sub Traiano Imperatore. 472. a
Iuuenis Asricanus dat bonum consilium Ioanni Papæ. 41. a

K.

Karadigna Monasterium Benedictinorum in Hispaniâ. 498. b
Κερέω Græcis idem quod misceo, voce deductâ à κέρας, id est cornu. 482. a

L.

Lacurris ciuitas fortem habet arcem. 481. b
Lambertus fit Marchio Tusciæ mortuo VVidone fratre. 66. a. *pronocat Regem Hugonem ad duellum, probaturus se eius fratrem esse: ab Hugone excæcatur.* ibid. b
Lamecensis Sedes quas vrbes subiectas habeat. 502. a
Lancea Dominica ad Othonem Imperatorem quomodo deuenerit. 80. b. & seqq. *eius descriptio.* ibid. *pater ipsius Henricus eam à Rodulfo Rege Burgundiæ obtinet.* 81. a
Landulfus Beneuentanus Princeps dat Ioanni Pontifici bonum consilium. 42. a
Lanthbertus VVidonis filius, Italiæ Rex fit. 20. b. *sed erat suis exosus: sumit supplicium de Maginfredo Comite.* 21. a. *Adelberti copias cædit & fugat.* 22. a. *eius mors variè narratur.* ibid. & b. *mortis eius deploratio.* 23. a
Lanthbertus Mediolanensis Archiepiscopus callidè Burchardum intra vrbem admittit, & benignè habet. 54. a
Lantho Episcopus Augustæ Emeritæ fuit Monachus Benedictinus. 304. a. *scripsit contra Iconoclastas.* ibid.
Lapis in quo B. Virgo S. Ildefonso apparuit, asseruatur Toleti, & in magnâ veneratione habetur. 342. a. b
Lapsi sunt ad pœnitentiam admittendi. 554. a. 555. a
Latronis boni cum Christo crucifixi breue vitæ compendium: dictus Dimas. 484. a
S. Lauræ Martyris elogium & vita. 510. b
S. Laurentius Martyr quo anno passus sit. 561. a. *eius martyrium prædicitur à S. Sixto.* 498. a
D. Laurentij Ramirez de Prado elogium. 518. b. & seqq.
S. Leandri parentes & fratres ac sorores. 498. b. 499. b. *scribit ad sororem Florentinam Monialem varios libros.* 499. b. *impetrat ab Athanagildo reuocationem ab exilio matri, fratribus ac sororibus.* ibid. *fecit Toleti templũ S. Thyrso.* 304. b
Legatus Apostolicus est plerumque Primas Episcopus in suâ prouinciâ. 580. a. *qui Legati fuerint decem illi ex Hispaniâ ad Apostolos missi.* 512. b
Legio duplex est, vna Episcopalis Sedes & Regia, nulli subiecta Hispanorum Episcoporum. 459. a. 501. a. *altera paruit Asturicensi.* 459. a. *olim verò paruit Bracharensi.* ibid. *quousque se eius diœcesis extendat.* 501. b
S. Leonis Magni ordinationes, statuta varia per epistolam. 222. b. & seqq.
S. Leonis II. elogium, decreta, ordinationes. 260. b. *scribit ad Præsules Hispaniæ de Concilio VI. Constantinop. recipiendo.* 367. a
Leonis III. elogium & ordinationes: miraculosè oculorum & linguæ vsum recepit. 268. a. b
Leonis IV. electio, gesta, statuta. 271. b. & seqq. *Synodum conuocat Romæ; & quæ in eâ decreta.* 272. a. b. & seqq.
S. Leo Episcopus Milledunensis miraculis clarus est post mortem. 472. a
Leo Porphyrogenitus Imperator Constantinopolitanus pacificè Imperium rexit. 7. a. *explorat suorum excubitorum fidem.* 9. a. b. & seqq. *item sui corporis custodum vigiliam sagaciter explorat, vnius vigilis diligentiam remuneratur.* 11. a. b. *successorem habuit filium Constantinum paruulum, cui varios curatores dedit.* 58. b. 59. a
Leo Protoscriniarius Romanæ Ecclesiæ eligitur in Pontificem, amoto Ioanne. 120. b. *consilio meretricum eiicitur, & Ioannes denuò recipitur.* 121. b

Leo & catulus simul exterminabunt onagrum; *vetus scriptura, an sit intelligenda de Rege Francorum & Imperatore Romano, an Constantinopolitano.* 149. a. b
S. Leocadia an fuerit Ordinis Carmelitani. 480. b. *fuit sepulta in suburbio Toletano.* 498. a. *ipsa apparet S. Ildefonso.* 334. b. 336. b. 337. a. *quid ei dixerit.* 509. b. *corporis eius memoria amissa aliquanto tempore est.* 337. a. *tres ei Ecclesiæ Toleti dedicatæ fuere.* ibid. *in iis celebrata pleraque Concilia Toletana.* ibid. b. 313. b. 339. b. & seqq. *in quanam harum apparuerit S. Ildefonso.* 340. a. b. *eius corpus Toleto Ouetum transfertur, & per quos.* 407. a. *inde delatum est in Galliam Suessiones.* 415. a. b. 418. b. *inde in Hannoniam ad Monasterium S. Gisleni.* 418. b. *cur eius templum vocetur Regum.* 318. b
Libellatici qui dicerentur olim. 553. b
cur Liber III. Historiæ Luitprandi dicatur Antidosis. 49. a. b. *quos libros Visionum Danielis vocent Græci.* 148. b. *qui Patrum libri legitimi sint.* 234. a. b
S. Liberij Papæ vita, gesta, exilium, ordinationes. 203. b. *an Arrianæ hæresi assenserit.* 204. a
Licinianus Episcopus Carthaginis Spartariæ scripsit contra eos qui credunt epistolas de cælo cecidisse. 529. a. *eius elogium.* 530. b. *probat epistolam S. Iacobi esse Iacobi Maioris filij Zebedæi, non Minoris.* ibid.
Ligni in fronte portandi mira ratio apud Græcos. 110. a
Linea vestimenta eadem sunt quæ sindon. 446. b. *ea erant huiusmodi, vt per ea nudum corpus spectaretur.* 448. a. b
Linguæ decem in Hispaniâ fuere tempore Regis Egicanis. 372. b. & seqq.
S. Lini Pontificis elogium, statuta, ordinationes. 168. a
Lioba Abbatissa Fuldæ sepulta est. 587. b
Litterati olim iidem erant qui Grammatici. 424. a
Locustis metaphoricè significatur multitudo Gentium. 389. a. b
Losola quæ sit ciuitas, & vbi sita. 306. b
Lotharius filius Hugonis Regis in Regnum Italiæ assumitur. 69 b. *ducit Adelheidam filiam Rodulfi Regis Burgundiæ.* 75. a. *patris consilia prodit Berengario.* 93. a. *est Rex nomine tenus.* 103. b. 107. a
Lucensis Sedes quas sub se vrbes contineat. 501. a. 502. a
Lucernæ Christianorum priscorum hac notâ A. ☧. Ω. *signabantur.* 365. a
S. Luciani Pontificis & Martyris ossa Bellouaco ad vrbem Vicensem sunt translata. 435. b
S. Lucij Pontificis elogium, ordinationes, statuta. 189. a. *eius epistola ad Episcopos Hispaniæ in Concilio congregatos.* 553. b
Lucius Episcopus Britonensis in Hispaniâ, Cæsareæ in Cappadociâ martyrium sub Nerone obit. 472. b
Ludouicus filius Arnulfi Imperator salutatur. 24. a. *Hungaris occurrere cum copijs properat.* 25. a. *sed ab iis vincitur ac deletur.* ibid. b. *moritur.* 31. a
Ludouicus Burgundio ab Italis inuitatus Italiam inuadit. 36. a. b. *sed mox recedit, pollicitus non amplius eò se rediturum.* ibid. b. *sed fidem frangens iterùm inuadit eamdem.* 37. a. *in Tusciam veniens Adelberti inuidet potentiæ.* ibid. *Veronæ latens proditur, & oculis priuatur.* 38. a. b
Ludouicus Imperator Christianos Hispanos in Galliam profugos benignè excipit, & tuetur contra duriores oppressores. 415. b. & seqq. 417. b. 418. a. 499. a. Vide *Christiani Hispani.*
quid Luitprandum à scribendo deterruerit. 3. b. *scribit librum tertium Historiæ suæ in exilio.* 49. b. *vbi eum cœperit & finierit.* ibid. *eius pater missus ab Hugone Rege cum muneribus Constantinopolim ad Imperatorem.* 56. a. 95. a. *scribit libro quarto ea quæ vidit: fuit Hugoni Regi charus.* 69. b. *fit Berengarij Regis Secretarius.* 104. a. *impensis vitrici sui mittitur à Berengario Constantinopolim legatus.* 107. b. *eius iter enarratur.* ibid. *sistitur Imperatori Nicephoro Phocæ Constantinopolitano.* 108. b. *quæ dona ei dederit, sed suis impensis, etsi nomine Berengarij ipsum mittentis.* 109. a. *scribit Historiam huius suæ legationis, nec non omne iter suum.* 135. a. *quâ ibi domo sit exceptus.* ibid. b. *quem curatorem habuerit.* ibid. *habitus pro exploratore quid responderit.* 136. b. *Othonis Imperatoris gesta & nomen propugnat.* ibid. & seqq. 144. a. b. 146. a. *quàm indecenter conuiuio sit exceptus.* 139. a. *Occidentales tuetur contra Græcos.* ibid. b. & seqq. 152. a. b. 153. b. *quàm indignis modis cum comitibus sit ab his habitus* 140. a. b. 151. b. 152. a. 154. b. & seqq. 159. a. b. *cupit dimitti, responso accepto rei ob quam missus erat.* 140 b. *ipsius cum Græcis iniqua petentibus dissertatio.* ibid. & seqq. *reducitur in domum suam, & arctè custoditur.* 141. b. 145. a. *à Patriarchâ diuersa rogatus,*

gatus, commodè respondet. 142.b. *per tres hebdomadas à Græcorum nullo visitatur.* 143.b. *ægrotat.* ibid. *cupit dimitti in Italiam.* 147.a. *patrium morem inter Græcos retinet.* 148.a. *falso mendacio Constantinopoli recedere prohibetur.* 151. b. *vetatur vestes emere.* 154.b. & seqq. *dimittitur Constantinopoli; sed in discessu scribit versus quosdam in pariete domus, in quâ detentus fuerat, in contemptum Græcorum.* 156.a b. *tempestatem patitur.* 157.a. *Michaëles omnes expertus est aduersarios & iniquos.* 160.a. *an sit genuinus auctor Vitarum Pontificum Rom.* 163.b.& seqq. *qui Scriptores eius meminerint.* 287.a.b. *scripsit sua ad Tractemundum Episc.* 288.a. *non fuit ignarus rerum Hispanicarum.* 289.b. *ipsius de seipso testimonium.* 293.a. *quid in Chronico suo præstiterit.* ibid.b. 294.a. *eius elogium.* 294.b. *scripsit item Vitam Petri Episcopi Compostellani, quæ iam non extat.* 450.a. 451.a. *in fine sui Chronici addidit quædam quasi parerga.* 453.a

S. Lumbrosa quando vixerit, vbi vixerit, & mortua sit; quo loco sepulta & translata. 459.b

M.

Macer Hierotheus Tarraconensis Præses à S. Paulo fidei asseritur. 498.a

Mænace & Malaca sunt diuersæ vrbes. 405.a.b

Mageritensis imago B. Virginis celebris fuit in Hispaniâ. 481.b

Magi quod cum dæmone pactum inirent. 411.b

Magia olim per dæmones docebatur Toleti. 410.b.411.a

Maginfredus Mediolanensis Comes à Lanthberto Rege desciscens, dat pœnas. 21.a. *eius filius Hugo de nece patris sumit vindictam.* 22.b

S. Maginus Martyr Hispanus sub Præside Daciano. 470.b

Magnaura domus Imperatoris Constantinopolitani describitur. 108.a

Magnetum quando sit Sedes Episcopalis facta. 473.a

S. Magnus colitur in Faucibus opido Lusitaniæ. 304.a

Mahomat Zaquetus Columbam filiam, quia Christiana fuit, suis manibus occidit. 485.a b

Mahumetus impostor virus suum per Hispaniam fundens, ab Hispanis Doctoribus refellitur. 297.a.b. *Cordubæ, Hispali & Toleti prædicat.* 301.a. *id pluribus testimoniis comprobatur.* 589.a. *commonitus à cacodæmone se conquiri à S. Isidoro, fugiens in Africam se contulit.* ibid.b. & seqq. *prædicat dein in Arabiâ.* 303.b

Malaca & Mænace non est eadem vrbs. 405.a.b

S. Mamas Confessor è tractu Tudensi delatus est in Cyprum. 500.a

Manasses quid denotet. 71.a

Manasses Arelatensem Episcopatum deserens, in Italiam ad Hugonem Regem properat, ampliorem ab eo accepturus. 70.a. *tuetur se prauè exemplo S. Petri Apostoli.* 71.a. *Hugone deserto, Berengario adhæret.* 101.b

S. Marcellini Pontificis elogium, lapsus, pœnitentia, ordinationes, decreta. 197.a.b

S. Marcelli Pontificis elogium, martyrium, ordinationes, decreta. 198.a

S. M. Marcellus Eugenius cuias fuerit: constituit Primatum Hispaniæ in Ecclesiâ Toletanâ. 545.b.548.a. *varia eius gesta.* 545.b.& seqq. 551.a.578.a. *Tolosanos ciues solatur mœstos ob mortem sancti Saturnini Episcopi sui.* 546.a. *scripsit hymnum in laudem S. Dionysij Areopagitæ.* ibid. *Toletanis sacros ritus tradit.* ibid b. *erexit ibi eadem Assumptioni beatæ Mariæ Virginis.* 547.a. *multas coëgit Synodos.* 548.b. *elogium eiusdem.* ibid.a. *fuit S. Petri comes, & ab eo ad prædicandum missus.* 577.b. *fuit à S. Clemente missus in Hispaniam.* ibid.578.a.579.b. *videtur Martiali familiaris fuisse.* 577. b. *S. Pauli videtur fuisse adiutor.* 578.a. & seqq. *an fuerit primus Toletanorum Pontifex.* 579.a. *missus eò vt Legatus Apostolicus.* ibid.b. *primum Episcopum non fuisse ostenditur, sed primum eorum qui sciuntur.* 580.b. *cur dicatur Episcopus Tolosanus.* ibid. *Toletanis primus deditâ operâ fidem prædicauit.* 581.a. *venit in Hispaniam S. Clemente iam Pontifice.* ibid. *quo anno Christi.* ibid.b. *quo eius anno, & vbi sit passus.* ibid. 584.a. *adest S. Petro morienti.* 584.a. *fuit priùs magus.* ibid. *respondet SS. Nereo & Achilleo per epistolam de nefariâ Simonis Magi vitâ.* ibid.b. *cui, his mortuis, respondent Eutyches, Victorinus & Maro.* 585.a. *misit ad hos ipse fratrem suum Vitalem Archidiaconum.* ibid. *missus est à S. Dionysio Arelate in Hispaniam.* ibid.b. *habuit cognomen Eugenius: ac proinde ab Eugenio misso diuersus non est.* 586.a. *non est Athenienſis.* ibid. *non fuit sancti Dionysij discipulus, sed condiscipulus.* ibid.

duo fuerunt Marcelli, Marcus cognomento Eugenius, & Quintus Consul. 584.a.b

an S. Marci Euangelium S. Petrus composuerit. 168.a

S. Marci Papæ elogium, decreta, ordinationes. 202.a

Marcus Amandus Episcopus Castellonensis mittitur cum litteris à Martino Papâ ad Reges Hispaniæ, vt conuocari iubeant Synodum contra Monothelitas. 323.b

Marcus Maximus Episcopus Cæsaraugustanus moritur. 301 a. *post mortem habetur clarus.* 304.b. *multi eius meminere.* ibid.

B. Virgo MARIA *etiam post partum virgo manſit, quia non peperit more ceterarum puerperarum.* 334.b.335.a.b. *fuit concepta sine peccato originali.* 352.b.359 a. *quod fuerit templum S. Mariæ de Alficen Toleti, & vnde cognominatum.* 324. a.b. *fuit id templum Christianorum toto tempore captiuitatis.* 326.b.327.b

Marinus fit Papa, natione Hispanus. 433.b

Marinus Diaconus Hispanus à Papâ Ioanne missus ad Episcopum Toletanum, ad libros rituales examinandos. 437.b

Marinus Episcopus Toletanus quando electus sit. 564.b. *eius cum Osio Cordubensi familiaritas.* 565.a. *ab Arianâ hæresi suas oues tutatus est.* 569.a. *docetur, hunc, Martyrem obiisse in Africâ.* ibid. & seqq. 570.a

Marinus vel Camerinus Episcopus Tuccitanus interfuit Concilio Illiberitano. 486.b. *& inde factus est Episcopus Arelatensis.* ibid.

Marmolejos *idem locus, qui municipium Vticense.* 467.b

Marozia meretrix ex Sergio Antipapâ genuit Ioannem, qui posteà Papa factus est. 40.b. *VVidone marito mortuo Hugonem Regem Italiæ ad capiendam Romam inuitat, suas cum eo nuptias pacisscens.* 64.b. *habuit filium Albericum ex Alberico Marchione.* 65.a

S. Martini Papæ & Martyris elogium, gesta, exilium, ordinationes. 258.b. *succedit Theodoro.* 322.a. *martyrio coronatur.* 324.a.328.a

S. Martinus Sucuos in Gallæciâ ad fidem Christi conuertit, moritur tandem Archiepiscopus Bracharensis. 472.b

qui in Martyrologio proponuntur vt Sancti, de facto censentur canonizati. 313.a. *& sunt habendi pro Sanctis.* 330.b

Mathildis vxor Imperatoris Henrici pro eius animâ celebres celebrauit exequias. 76.a

Mauregatus contra Regem Alfonsum rebellat. 412.b. *moritur.* 413.a

Mauri Calabriam & Apuliam inuadunt: cur ex Africâ in Italiam venerint. 39. a.b. *Garelianum montem occupant.* ibid. b. *casi variis temporibus, hunc solum retinent, reliquis vrbibus desertis.* 41.b. 42.a. *Genuam diripiunt, & ciues trucidant.* 70.a.b. Vide *Arabes, Saraceni.*

Mediolanenſis & Toletana Ecclesia magnâ inter se habuere communionem. 486.b

Mediolanenses aduersus Berengarium Regem rebellant. 43.b

Melantius fit Episcopus Toletanus ex Rothomagensi. 460.b. *in persecutione Imperatoris Maximini libros sanctos in tuto posuit.* 461.a. *in Toletanâ Sede succedit Paulato.* 562.b. *suis prospicit ne ab hæresi inficerentur.* 563.a.b. *moritur.* 564.b

Melantius Rhinocoruræ Episcopus in exilium actus est ab Arianis. 562.b. *alio nomine dictus est Mela.* 563.a

S. Melchiadis Papæ elogium, ordinationes, statuta. 199.b.& seqq. *an fuerit Hispanus, an Lusitanus, disquiritur.* 353.b. 354.a

cur in Meridie dæmones potissimùm grassentur. 357.a

S. Methodius quid de Arabum aduentu in Hispaniam prædixerit. 388.a. *quid de eius Reuelationibus censendum sit.* 389.a

Metropolitani habent ius in omnes Sedes subiectas. 509.b. *recursum habent ad Primates, & illis relictis ad Sedem Romanam.* 560.b. *non semper primo loco in Conciliis subscribere solebant.* 574.a.b

Mexicani etiam habuere scholas in templis, in quibus nobilium & diuitum filij erudiebantur. 425.a

S. Michaël tutelaris fuit vrbis Toletanæ. 354.a. *præest Ecclesiæ Christianæ, vti olim Synagogæ Iudaicæ.* ibid.b

Michaël Imperator mente captus, familiares capite damnat. 7.b. *interficitur à Basilio Macedone.* 8.a

Michaëles varios aduersarios Constantinopoli expertus est Luitprandus. 160.a

Milites olim nomen Imperatoris ferro candenti corpori suo inurebant. 591.a. 592.a

Militiæ magistri dicuntur Eminentissimi. 517.a. *iis comparantur S. Rom. Ecclesiæ Cardinales.* 518.a

Milo miles strenuus Berengarij Regis necem vlciscitur, percussores sustendio vi-

tum finire cogens. 48. a. *deserto Hugone Rege, Berengario Marchioni Eporegiensi adhæret.* 102. a
Milo Comes Arnoldum Ducem Baioariæ in Italiam vocat, sed ab eo recedens, Hugoni Regi adhæsit. 68. a
in Missâ oratur pro defunctis. 454. a. *in Missâ olim recitabantur nomina Catholicorum defunctorum.* 537. a. *cur Missa S. Iacobi vocetur S. Clementis.* 489. a. *eius vsus & auctoritas.* ibid.
Moles S. Angeli aut Adriani est munitio vrbis Romæ. 65. a
Monachi multi Benedictini Segobiæ à Mauris sunt interempti. 379. b
Monasterium Cosmæ & Damiani iuxta Toletum est colonia Agaliensis Monasterij. 480. b. *donat ei partem terræ Muza-Arabs.* ibid. *cur vocetur id Agaliense minus.* ibid.
Monasterium Agaliense, vide *Agaliense.*
Monasterium Fuldense constructum à sancto Bonifacio I. Archiepiscopo Moguntino. 587. a
Monasterium S. Martini in insulâ Scombrinâ. 484. b
Moniales multæ Benedictinæ, ne à Mauris violarentur, à Deo consecutæ sunt vt à terrâ absorberentur. 401. a
Monothelitæ orti sunt Constantinopoli à Sergio & Pyrrho Patriarchis Constantinopolitanis. 323. a. b. *vt hæretici damnantur in Synodo Romanâ & tribus Africanis.* 320 a. 323. a. 324. a. 328. a
Mons Maurus à Saracenis communitur. 5. b
S. Montanus Archidiaconus Toletanus iuuit vt Theodoricus Rex nepotis sui Amalarici tutor fieret. 499. a. *scribit ad Turibium.* ibid. b
Mors feralis Arnulfi Regis. 20. a
mors nonnisi dissolutio & dimissio est. 295. a
Mortui olim extra vrbem cremabantur, vel sepeliebantur. 497. b
Mulier quædam festino ioco impediuit, ne coniux castraretur. 72. b. & seqq.
Munera erogat Imperator Constantinopolitanus ante diem Palmarum in Magistratus & clientes suos. 110. b
Municipium Florentinum idem est cum Illiberitano. 310. a
Murci dicti apud Romanos, qui bellum vitantes, sibi pollices amputabant. 305. b. 306. a
Murcia dicta est & Acarta & Bigastrum. 304. b. & seqq. 307. a. *dicta Murcia, à Venere Myrteâ.* 305. a. *eius antiquitas & celebritas.* 307. b. *an eadem quæ Vrci & Almeria.* 308. a. b. *Murcia opidum, dictum est à Mauris Bigastrum.* 477. b
Murcinarij iidem sunt qui mutili. 306. b
Mutili qualiter ordinari possint. 216. b
Muzarabes Toletani grauiter à Mauris premuntur, & passi persecutionem. 410. b. 411. a. *eorum plurimi in Gallias commigrant.* 415. b
Myrtus est amoris coniugalis symbolum. 305. b

N.

Narbonensis Metropolitana Sedes quas sub se Sedes habeat: & earum termini. 504. b
Natalis Episcopus Toletanus interfuit Concilio I. Nicæno. 485. b. *huic à Constantino Imperatore iniunctum vt in veteres Hispanorum Episcopatuum terminos inquireret.* ibid. *eligitur in Episcopum Mediolanensem.* 486 a. *fuit nepos Natalis Confessoris Romani.* ibid. *alia eius gesta.* ibid. *alio nomine non dicitur Marinus, vel Camerinus.* ibid. b. *habuit orationem in Concilio Arelatensi.* ibid. *interest Sardicensi Synodo.* ibid.
S. Natalis filius S. Vitalis Martyris, & frater SS. Iusti & Pastoris. 461. b
Naues Nortmannorum in Asturibus prope Balobrigam precibus S. Gundisalui Episcopi submersæ sunt. 472. b
Necromantica sacra quomodo fierent. 411. b
SS. Nereus & Achilleus eunuchi S. Domitillæ in insulam Pontiam relegantur: scribunt epistolam S. Marcello Eugenio quoad vitam Simonis Magi. 584. b. *sed priùs martyrio sunt hi affecti, quàm eius accepere responsum.* 585. a. *vbi sepulti sint.* ibid.
Nero Imperator grauissimè in Christianos sæuiit, maximè in Hispaniâ. 582 b. 583. a
Nicæna Synodus coacta contra Arianos, quot Patres ei interfuerint, etiam multi ex Occidente & Europâ. 570. b. 571. a Vide *Concilium, Synodus.*
Nicander Poëta Hispanus Toletanus quando floruerit, & quid scripserit: quid eius etiamnum exstet. 420. a. b
S. Nicasius I. Episcopus Rothomagensis patitur in Hispaniâ Villa Cassinæ. 460. b
Nicephorus Phocas quomodo Luitprandum ad se missum exceperit. 135. b. & seqq. *eius forma, schema, & mores.* 136. a. b. 138. b. 143. b. 149. b. *eius insolens iactantia sui, & Occidentalium depressio.* 139. a. b. 144. a. 147. b. *eius acta cum Luitprando legato, & variæ responsa.* 139. a. & seqq. *cur in Assyrios exercitum duxerit.* 148. b. 150. b
Nicolai I. Pontificis elogium, gesta. 278. a. b. 281. a. b. *eius varia decreta.* 279. a. b. & seqq. *eius ordinationes.* 281. b
S. Nicolaus Martyr Ledesmæ passus. 406. b
Nicolaus Comes duxit Blitissam filiam Cindasuinthi Regis: eius proles & posteritas. 482. a
Nomina defunctorum quorumdam Catholicorum in Missâ olim recitabantur. 537. a. *nomina laicorum non miscebantur nominibus Episcoporum.* 538. b. *nomen Regium rei alicui impositum, eam Principi addictam clarè demonstrabat.* 591. b
Nortmanni sunt Russi. 8. b. 95. a. *eorum clades ab igne Græco in mari.* 95. b
à Notis annorum compendiariis sæpè irrepsit error in annorum computationibus. 358. b. *notæ scriptoriæ à quibus primùm inuentæ, & ad quid.* 553. a
Notariorum in primitiuâ Ecclesiâ quod esset munus, & quomodo singula raptim conscriberent. ibid.
Nouatianus schismaticus lapsos ad pœnitentiam admittere nolebat. 554. a. 555. a. *multos statim habuit sectatores.* 554. b. 555. b
Nouatianorum hæresis quando & sub quo Pontifice cœperit. 552. b
Nouatus hæreticus quando vixerit. 186. b
SS. Nunilo & Alodia quo anno Christi passæ sint. 440. b. & seqq. *& vbi passæ, Osca an Bergeti.* 441. b. 442. a. 443. a. *fuisse videntur & aliæ eiusdem nominis virgines.* 442. a. b. 444. a. *vbi singulæ sepultæ sint.* 444. a

O.

Oblationes fidelium quatenus ratæ sint, & non alienandæ. 240. b. & seqq.
Odoarius Episcopus Accitanus quando floruerit: sacram Scripturam de Latino transtulit in Arabicum. 403. b
S. Odorius Pontifex Luci Augusti in Hispaniâ. 463. a
Olympij duo fuere Episcopi Toletani. 487. b
Onagri Constantinopolitani quales sint. 148. b
Oppanes filius aut frater VVitizæ Regis intruditur in Sedem Toletanam. 385. a. b. *depellitur à Rege Roderico.* 386. a
Oratoria olim dicebantur templa tum priuata, tum publica. 495. a
Ordinationes sacerdotales quando institui debeant. 232. a
Ordo sacerdotalis duplex est, Episcopalis & Presbyteralis. 176. b. *ad Ordines gradatim est ascendendum.* 201. b. 231. b. *ab Ordinibus sacris suscipiendis qui arceantur.* 190. b. 214. b. 215. b. 216. b. 229. a. 232. b
Orentius pater S. Laurentij iubetur à Sixto templum struere filio Laurentio futuro Martyri. 498. a. *& ipse cum vxore Martyr deinde factus.* ibid.
Orontij Toletani Episcopi elogium. 436. b
Orosius Episcopus Elborensis floret. 310. b. 311. b
Osca vrbs Aragoniæ est procul à Bergeto. 442. b. 443. a. *est & alia in Bæticâ.* 444 a
Osense opidum in Lusitaniâ fontem baptismalem miraculosum habebat. 464. a. *est & opidum Osset in Bæticâ.* ibid. b
Osius Cordubensis Episcopus iussus est à Constantino Imperat. inquirere in veteres Episcopatuum Hispanorum terminos. 485. b. *moritur Cordubæ sanctè & Catholicè.* 487. a. *& quâ ætate.* ibid. *scribit Constantio Imperatori.* ibid. *eius propago, pater, gradus ad Episcopatum: eius elogium: an fuerit Martyr.* 490. a. b. *obiit in fide Concilij Nicæni.* 494. b. *moritur planè decrepitus.* ibid. *conuocauit Episcopos Orientales Cordubam ad Concilium.* 496. b. *Constantini Imperatoris lateri semper adhæsit, eiusque hic consilia sequebatur.* 565. a. b. *quia fuit huic in pretio ac charus.* 491. b
S. Ostanus Episcopus Aucensis moritur in tractu Binarensi. 434. b. & seq.
Otho fit Imperator mortuo patre Henrico. 76. a. b. *eius vxor fuit filia Regis Angliæ.* 77. a. *fratrem Henricum experitur aduersarium.* ibid. b. *eius de illo & complicibus victoria.* 80. b. *lanceam Domini in pretio habet.* 81. b. *eius victoria de rebellibus fuit diuinitus data.* 81. b. 83. b. *eius generosum responsum ad milites suos fugam suadentes.* 84. a. b. *noluit sæcularibus concedere Abbatiæ prouentus.* 85. a. *aduersarios suos Euerhardum & Gilibertum per Duces suos opprimit.* 86. a. b. *de eorum morte nuntio accepto templum petit, Deo gratias acturus.* 87. a. *Bertholdo Baioariæ Duci sororis aut filiæ eius nuptias offert.* ibid. b. *fratrem Henricum supplicem surgere iubet, & arctè custodiri.* 88. b. *filium suum Liuthulfum iungit filiæ Ducis Sueuorum.* 89. a. *Berengarium Marchionem Eporegiensem benignè susceptum, auro oblato reddere renuit.*

94.a.b. *Italiam petens, Berengarium & Adalbertum tyrannos expellit.* 112.a. *à Ioanne Papâ Imperij suscipit vnctionem.* ibid.b. *eius ad Romanorum de Ioanne Papâ querimonias responsio.* 113.b. *Montem Feretratum obsidet, atque in eo Berengarium & VVillam.* ibid. *acceptis à Papâ nuntiis de promissione meliorum non credit.* 114.a. *Romam redit.* 115.a. *aduersus Papam Ioannem moderatè procedit.* 116.a.117.a. *eum nomine Concilij Romani citat, vt se de obiectis purget.* 118.a.119.a.b. *de eius queritur perfidiâ.* 120.a. *Romanos rebelles cædit.* 121.a.b. *Româ regressus, iterùm eôdem redit, & Romanos fame pressos cogit Leonem electum recipere.* 122.a. *hunc & eius gesta defendit Luitprandus apud Nicephorum Phocam Imperatorem Constantinopolitanum.* 136.b. *petit Romani Imperatoris filiam filio suo Othoni in coniugem.* 138.a.154.a

Otho iunior fit Rex Romanorum. 112.a

Ouetenses Reliquiæ describuntur. 395.a. -& seqq. 400.b

Ouetum translata est Toleto arca cum variis Reliquiis. 463.a

P.

PAlatij Constantinopolitani excellentia. 98.b

qui Palatini olim Synodis interessent. 316.a. 320.a

Palfurius Sura sub Claudio Imperatore fuit Prætor Tarraconensis. 470.b

Pallij ius quinam Episcopi haberent. 454.b. *ipsum est Archiepiscopale insigne.* 455.a. *pallia erant etiam vestes feminarum; alio nomine dicuntur sindones, & amictoria.* 445.a.b. *quomodo iis vterentur viri, quomodo femina.* ibid.b. 446.a. *sunt eadem cum theristro.* 447.b

Pancratius Episcopus Bracharensis quando mortuus. 462.b

Papia vrbs conflagrat. 50.b. *& quando.* 51.a. *obsessa ab Hungaris, non est deleta, idque meritis B. Syri eius Patroni.* ibid.b. *huius de illâ vaticinium adimpletum.* ibid.

S. Papius Martyr Arbucarensis sub Diocletiano. 467.a

Parcæ vitæ humanæ fata dispensant. 10.a

Parsimonia Religiosa rectè dispensata, abundare facit. 550.a

S. Parthemius Decij Imperatoris vxorem ad fidem conuertit, patitur martyrium. 480.b.485.a

Paschalis Papæ elogium, ordinationes, statuta. 269.a.b

Pastores primos Ecclesiarum verisimile est accepisse visibiliter Spiritum sanctum in linguis igneis. 547.b

Pater & Abbas *idem est in Ordine Benedictino.* 488.b

Pater Luitprandi missus ab Hugone Rege Constantinopolim legatus ad Imperatorem; sed inde reuersus, Monasterium est ingressus, in quo paulò pòst decessit. 56.a.b

S. Patricius fuit Episcopus Malacitanus, non Aruernensis. 460.a

ius Patronatus habent Reges Hispaniæ in sui Regni Ecclesias. 331.a.b

Patruinus, Paternus vel Paternianus, Episcopus Toletanus, abiit in Palæstinam, ibique fit Monachus: moritur centenario maior. 486.b

Paula fuit auia S. Leandri, & mater Theodosiæ Ceruelæ. 498.b. *vxor Flauij Marci Ceruelæ.* 499.b

S. Paulatus Episcopus Toletanus multa passus est à Nouatianis. 555.a. *suis ouibus adfuit tempore pestis.* 556.b. *quando obierit.* 562.b

quando S. Paulus Apostolus in Hispaniam venerit. 584.a

Pauli Papæ Romani elogium, electio, ordinationes. 266.b

Paulus Episcopus Iaccetanus martyrio afficitur. 300.b

Paulus Monothelita fit Patriarcha Constantinopolitanus. 319.b.323.a.b

Pausa vox Latina est & antiqua. 453.b. *deducta à Græco παύω.* 454.a

Pelagij I. Papæ elogium, electio, condemnatio, ordinationes. 249.b

Pelagij II. elogium, electio, statuta. 251.a.b. *ordinationes.* 252.a

S. Pelagius Martyr Hispanus sub Abderamene. 468.a. *& quo anno.* ibid.b

Pelagius I. Episcopus Toletanus, vir fuit magni zeli & sanctimoniæ. 548.a. *quid ei Telesphorus Papa scripserit.* ibid.b. *quid Pius.* 549.a

Pelagius Princeps Sanctorum Reliquias Toleto in Asturias exportat. 394.a.b

Peplum eadem erat vestis quæ theristrum. 448.a.b

S. Percellius Hispanus è Carpetaniâ, passus est Romæ. 482.a

Persæ in vniuersam Hispaniam perueuere. 377.a

Persecutio Diocletiani Imperatoris atrox fuit. 197.a. *in persecutione Maximini multa templa per totum orbem diruta sunt.* 460.b. *persecutio Neronis aduersus Christianos fuit grauissima.* 582.a

Pestis sæpè per præuia terriculamenta ventura demonstratur. 356.a. *denotatur per dæmonium meridianum.* 357.a. *pestis per totum terrarum orbem grassata est tempore S. Cypriani.* 556.b

Petasus est pilei latioris genus, quo vtuntur viatores contra solis iniurias: vnde vox formetur. 321.b. 322.a. *erat insigne Episcoporum vnà cum mitrâ.* 322.a

S. Petri Apostoli elogium: eius duæ Epistolæ Canonicæ. 167.b. *an S. Marci scripserit Euangelium: eius ordinationes.* 168.a. *eius decreta.* 170.a.b.& seqq. *cur, Antiochenâ Sede relictâ, Romam venerit.* 71.a.& seqq. *assignauit Toleto Primatum, vt & alias tres Sedes Patriarchales.* 575.b.577.a. *etiam Philippis prædicauit.* 578.b

SS. Petrus & Paulus Christianis auxiliantur in prælio contra Mauros. 42.b. *eorum corpora quando in prædium Lucinæ illata sint.* 188.a

Petri duo Episcopi fuerunt Toletani sibi mutuo succedentes. 43.b

an Petrus Monsoncius Episcopus Compostellanus fuerit auctor Hymni Salue Regina. *451.a.b. vnde dictus sit Monsoncius.* 452.b. *quo anno fuerit electus in Episcopum.* 453.a.b. *eius elogium.* ibid.b

Petrus cognomento Pulcher, Toletanus Episcopus, quando vixerit, & cui successerit. 402.a.b. *eius elogium & mors.* ibid.b. *Damasci à Saracenis martyrio afficitur.* 487.b. *quid scripserit Episcopo & Clero Hispalensi.* ibid.

Philippus cognomento Philotheus Toleti prædicauit, Sedemque ibi Primariam constituit. 579.b. *fuit eò missus vt Legatus Apostolicus.* ibid.580.a.583.a. *insulam Argyram conuertit: alia eius gesta: non est idem qui Hierotheus: Argyræ moritur, eiusque memoria ibi celebratur.* 583.a.b. *an fuerit Episcopus.* ibid.b

Phocas Domesticus, audito quòd Romanus esset ad Imperium euectus, victoriam Bulgaris sponte cessit, cum multâ suorum strage fugiens, ideò à Romano capitur, & oculis priuatur. 59.a

Phocylides, qui modò exstat, an sit supposititius & Christianus. 528.b

Phænomena Arati è Græco in Latinum vertit Auienus. 492.a

Photius Constantinopolitanus quare à Nicolao Pontifice depositus. 281.a

Pictura victoriæ Henrici Saxonis Imperatoris de Hungaris visitur Meresburgi. 35.b

S. Pimenius Martyr sub Adriano Imperatore. 479.b

Pinus est insigne Cybeles. 406.a

cur Piscis aut piscatoris imaginem in annulis aut corpore suo veteres Christiani gestarent. 590.b

S. Pij Papæ & Martyris elogium, constitutiones, ordinationes. 180.b

Plinius Iunior creditur ad fidem Christi conuersus, & martyrium passus Nouocomi. 512.a. *quis sit Plinius Secundus.* ibid.

Pœnitentes post errorem in fide, recipiendi sunt in Ecclesiam. 489.a. *pœnitentibus olim negabatur aliquando Communio Eucharistica, sed non venia.* 564.a

Pœnitentia in extremo vitæ articulo quatenus concedenda. 228.a

Poëtæ veteres multa è sacris Litteris mutuati sunt. 356.b

Poltrones sunt qui pollicem sibi truncabant, ne bello asscriberentur. 306.b

Polychronius Episcopus Ierosolymitanus à Sixto III. Pontifice damnatur. 222.a.b

S. Polyxena virgo à S. Andreâ baptizata fuit. 583.b

Poma immensa à Luitprando visa Constantinopoli. 109.b

Pompeia Celerina socrus Plinij Iunioris, soror fuit S. Celerinæ. 512.a

Pons mirabilis exstruitur super Tagum Toleti à Rege Toletano Mahometo. 421.b

S. Pontiani Pontificis elogium, decreta, ordinationes. 185.a

Pontifex post celebratum Concilium solebat ius pallij dare. 455.a. *eius erat discernere & iubere quos vellet è Catholicorum Diptychis tolli, & in hæreticorum tabulas referri.* 539.a. *à nullo omnino potest accusari aut excommunicari.* 560.a

Porphyra, domus dicta Constantinopoli, in quâ qui nascebantur, dicebantur Porphyrogeniti. 7.a. 59.b

Portilla opidum vetus in Hispaniâ. 307.b. *eadem est vrbs quæ Vrci.* 430.b

Portugalensis Sedes quas Ecclesias comprehendat. 502.a

S. Potamiœna virgo & Martyr fuit Hispana: eius parentes & soror. 467.a

Πόα herba quæ: eius duo sunt genera. 363.a

Prædicare aliquanto tempore in aliquâ vr-

be, an satis sit vt quis eius vrbis dicatur Episcopus 580.b
Præfectorum prætorio maxima erat potestas, & prima ab Imperatore. 516.b.517.a. *cum ipsis Cardinales S. Romanæ Ecclesiæ comparantur.* 517.b
qui Præfecti Cardinales dicantur. ibid.
Præpositus *in Ordine Benedictino, idem est quod* Rector. 488.b
Prætor, antiquis idem erat qui Imperator. 338 b
Prætoriensis S. Leocadiæ Ecclesia quæ fuerit. 339.b.& seqq.
Prætorium idem est quod domus Imperatoria. 338.b. *erat idem pars villæ latiùs ædificata, & habitationi patrisfamilias relicta.* 339.a
Presbyteri non exerceant munia Episcopi. 231.b. *quod eorum officium.* 170.a
Primates Episcopi fuere à temporibus Apostolorum. 560.a. *Primates sunt duplicis generis: & qui singuli.* 575.a
Primatus fuit in aliquibus Ecclesiis ante Synodum Nicænam; sed is in eâ fuit confirmatus 571.b. *Primatus alicuius Ecclesiæ quæ sint signa.* 574.b. & seqq. *non potest is amoueri.* 575.a. *Primatus fuit in Hispaniâ à tempore Apostolorum.* 572.b. *Primatus Toletanus eôdem reducitur à Rege Cindasuintho.* 484.b. *declaratur in Concilio Nicæno.* 486.b. *varia per argumenta hic destruitur, sed iis confutatis astruitur.* 571.b.572.a.b. & seqq. vide *Toletana.*
Primogenius Patriarcha Gradensis floret. 309.b
Principes sæculares quatenus olim eligerent Episcopos. 331.a
Prior Sardicensis confirmat Concilium Sardicense. 486.b
Priscillianistæ in Concilio Cæsaraugustano in Hispaniâ sunt damnati. 495.a
Priscillianus hæreticus fuit Episcopus Abulensis. 543.b
S. Probus maritus S. Xantippes, fit Episcopus Rauennas. 583.b
Processio Constantinopolitana describitur. 138.b
Proclus & Hilarion Martyres Lucenses in Hispaniâ. 463.a
Prodigia, quæ contigere in decollatione sancti Iacobi Apostoli. 316.a.b
Profectio Luitprandi Constantinopolim. 107.b
Protasius Episcopus Ambraciensis in Lusitaniâ, vir celebris & sanctus. 310.a
Puteoli opidum Hispaniæ dictum à centum puteis. 467.a

Q.

Quintus Marcellus Consul Romanus cum M. Acilio Aniolâ, quando mortuus, & an Christianus fuerit. 584.a
Quiricus fit Archiepiscopus Toletanus è Barcinonensi Episcopo. 343.b.349.a.b. *eius epitaphium.* 349.b. *abdicato Episcopatu fit Monachus.* 359.b.361.b

R.

Rabanus Maurus ex Abbate Fuldensi fit Archiepiscopus Moguntinus: eius elogium. 587.b.588.a
Raimundus Princeps Aquitaniæ promittit se Hugonem Regem ex Italiâ profugum, Regno restituturum; sed frustrà. 104.a. *ducit eius neptem Bertam.* ibid.b
Raimundus sanctus pastor multis claret miraculis, in vitâ & post mortem. 434.a.b. *eius elogium.* ibid. *moritur Prunis.* 435.a.b
Raptores rerum Ecclesiasticarum excommunicantur. 190.a
Ratherius ob scientiam fit Episcopus Veronensis. 63.b. *capitur, & Papiam ablegatur ab Hugone Rege.* 68.a
Rauennas Sedes prima post Romanam in Italiâ. 40.b
Recesuinthi Abbatis elogium. 349.a
Recesuinthus fit Rex Hispaniæ mortuo patre. 324.a. *à S. Ildefonso reprehenditur, eique cedit.* 332.b. *eius mors.* 350.a
Reciarius fouet Ecclesias, factus Christianus ex Gentili. 462.b
Rector *in Ordine S. Benedicti, idem est quod* Præpositus. 488.b
Regia Ecclesia Toleti, eadem est quæ Prætoriensis. 340.a
S. Regina Martyr & virgo passa apud Alisiam in confinibus Lusitaniæ & Carpetaniæ. 471.a
Reliquiæ Sanctorum Toleto exportantur ab Episcopo Iuliano Vrbano, & Pelagio Principe, in Asturias. 394.a.b. *& quæ qualésve sint illæ Reliquiæ.* 395.a.b. *quæ Reliquiæ Quetum translatæ sint Toleto.* 463.a
de Reuelationibus S. Methodij Episcopi quid censendum. 389.a
Reges Gothorum solebant sepeliri in Basilicâ Prætoriensi S. Leocadiæ. 318.b. *habuere ius nominandi Episcopos.* 376.a. *coronabantur & vngebantur.* 298.b. 299.a.b. *imitati in omnibus sunt Imperatores Constantinopolitanos.* 298.b
Reges Hispaniæ sunt obseruantissimi erga Romanum Pontificem. 323.b
Richila Abbas Agaliensis post Helladium. 481.a
Rodericus fit Rex Hispaniæ post VVitizam, & huius legem de Clericis vxorandis reuocat. 386.a.b. *deponit Oppanem de Sede Toletanâ.* ibid.a. *violat Cabam filiam Comitis Iuliani.* ibid. *vincitur prælio à Mauris.* 392.b. *& quo anno.* 393.a.b
Fl. Rodoaldus II. Longobardorum Rex mittitur in Hispanias. 324.a
Rodulfus Rex Burgundiæ accersitur ad Regnum Italiæ. 44.a. 45.a. *regnat ibidem.* 46.a. *è Burgundiâ, quò abierat, redit in Italiam.* 52.b. *Papiam obsidet, sed ab Ermengardâ, Adelberti Marchionis vxore, callidè deceptus, in vrbem ad eam clàm penetrat: itaque soluitur obsidio.* 53.a. *iterùm in Burgundiam reuertens, cum Burchardo Sueuorum Duce socero suo redit in Italiam.* ibid.b. *auditâ soceri nece iterùm Burgundiam repetit.* 54.b. *fit Rex Italiæ contra Berengarium.* 436.b
Roma capitur ab Arnulfo Rege. 17.b
Romani olim sepulchra rosis & floribus coronabant. 362.b. *atque in amicorum tumulis stirpes serebant.* 363.a. *lucernis accensis cultum deorum profitebantur.* 365.a. *Romanorum pauor ab Arnulfo obsessorum.* 17.a. *eorum de Ioanne Papâ querimoniæ.* 112.b. 116.b. 117.b. *auro Ioannis Papæ corrupti, in Imperatorem Othonem conspirant.* 121.a *sed ab eo cæduntur, & fugantur.* ibid. *& rursus.* 122.a
Romanus Imperator Constantinopolitanus Afrorum opem implorat contra Calabros & Apulos rebellantes. 39.a.b. *ob varia gesta ad Imperium peruenit.* 56.b. 57.b. *leonem ense perimit.* 57.a.b. *eius callidæ minæ.* 58.a.b. *fit Imperator.* ibid.b. *filiam suam iungit Constantino Porphyrogenito.* 59.b. *cur eadem sacram quam construxit, vocarit nouam, aut nonnennalem.* ibid.& seqq. *habet orationem ad Principes Constantinopolitanos.* 60.a. *eius humilis prosapia.* ibid.b. *filium suum Christophorum prætulit Constantino Imperatoris filio; sed Christophorus non multò post demoritur.* 61.a. *à filiis suis Stephano & Constantino solio deturbatur, & in Monasterium retruditur.* 98.b. *filiis eôdem retrusis insultat; & Deo agit gratias, quòd impietatis darent pœnas.* 100.b. *pium eius dictum.* 101.a
Romana Ecclesia Constantinopolitanæ est caput. 158.a.176.b. *eius veritas probatur è Romanorum Pontificum successione.* 542.b. *Romana Sedes est prima omnium, & quare.* 575.b.576.b.577.a
Rufus Auienus, vide *Festus Rufus Auienus.*
S. Rufus vnus è septuagintaduobus discipulis, Episcopus Dertosanus, quando & vbi passus. 497.b
S. Rufus Metensis Episcopus floret. 297.a
Rufus Episcopus Oretanus ex iudice sæculari electus est. 489.b
Russi sunt iidem cum Normannis. 95.a

S.

in Sabbato abstinere carnibus, solemne semper fuit in Ecclesiâ. 409.b. & seqq.
Sabellius hæreticus Filium à Deo Patre non distinguebat. 560.a
Sabiniani Pontificis elogium, decreta, ordinationes. 253.b
Sacerdotes quales ordinandi sint. 172.a
Sacratio Sacerdotum non deperditur per scelus sacrantis. 18.a
Saculina virgo Benedictina quando floruerit: eius elogium. 425.a
Sagitus Saracenus Dux cum suis profligatur. 70.a
Sal pacem portendit. 377.a
Salduba eadem quæ Zaragoça: voce Persicâ tantum valet ac pacis summitas. 377.a
Salmanticæ olim Magia per dæmones docebatur. 412.a
hymni Salue Regina *quis fuerit auctor.* 451.a.b. *videtur ab Apostolis compositus.* ibid.452.a.b
S. Saluius Martyr & Episcopus Ambianensis Barcinonem delatus. 471.a
Samson Abbas S. Zoili, hæreseos insimulatus, absoluitur à Bonito Primate Toletano. 431.b. *eius elogium.* 432.a
Samson Comes salutare dat consilium Hugoni Regi. 62.b
Samuel Episcopus Illiberitanus ob malam vitam, à VVistremiro Primate Toletano deponitur. 430.b
Sancti Deo quanta sint curæ, ostendit euentus. 83.a
Sanguis Berengarij Regis cæsi ostenditur in lapide quodam ante templi ianuam. 47.b. *sanguinis è fonte fluentis prodigium futuram prænuntiauit cladem.* 70.a. *sanguinis esus Christianis immundus non est.* 526.a.& seqq.
Santina vxor Regis Theodorici fuit mater Seueriani Domini Carthaginis. 498.b. *quando nascatur.* 500.a. *eius proles & mors.* ibid.

Saraceni Fraxinetum opidum intercipiunt. 5.b. *montem Maurum communiunt.* ibid. *socios ex Hispaniâ aduocant.* 6 a. *varia Italiæ opida vexant.* 38. b. *è Fraxineto per loca vicina grassantur.* 92.b. *eorum naues ab igne Græco exuruntur.* 96.a. *pacem cum iis init Hugo Rex, & quâ intentione.* ibid. b. *latè per Europam tempore Sergij II. Pontificis grassati sunt.* 271.a. *eorum erga Christianos immanitas.* 293.a. *quo anno primùm in Hispaniam venerint, & quâ occasione.* 393 a. *quando Toletum occuparint, & quibus conditionibus.* 397.a. *Christianos Muzarabes miserè habent in Hispaniâ.* 436.b.438.a 439.b

Sarcimum vicus Cantabriæ: ibi exulat S. Eucherius Episcopus Aurelianensis. 511.a

Sarlius mittitur à Rege Hugone Camerinum & Spoletum, ad animos ciuium ab Anscario alienandos. 90.b. *sex acies in bellum contra Anscarium ducit.* 91.b. *hoc in prælio interfecto, fit Marchio Camerinorum.* ibid.

S. Saturninus Toletanis prædicauit, & Sedem primam ibi posuit. 579.a.b. 582.a. *quo tempore passus sit.* 581.b.582.a

Scantiarum Comes idem est qui à poculis, olim in Hispanorum Regum aulâ. 482.b. *vel aulæ totius Præfectus.* ibid. *vnde vox Scantia deriuetur.* ibid. & 483.a. *Comitis eius frequens mentio est apud Auctores declinantis ævi.* 483.a

Schisma primum in Ecclesiâ fuit à Nouatiano excitatum. 554.a.b

Scisla est Monasterium Toletanum. 311. a. b

Σκυφὶα *erat quasi mitra & infula Episcopalis.* 322.a

Scriptura sacra intelligenda est iuxta expositionem SS. Patrum. 173.b. *Scripturæ Canonicæ quæ sint.* 233.b

S. Secundus I. Abulensis in Bastetanis Episcopus & Martyr. 478.a.b.479.a

Secura quæ ciuitas: quando sic dicta, & vnde. 404. a.b. *dicta etiam Altamira, & Copea, & à Saracenis* Toman. ibid.b. *eius situs describitur.* 405.a. *vocatur etiam Todemir & Todomir.* ibid.b. *fuit olim vrbs Regia.* ibid.

Securis præferebatur olim Regibus & Consulibus. 406.a

Securitas Dea quæ Romanis esset, ea culta videtur Seguræ in Hispaniâ. 404.b

Sedere animo, *idem est quod placere.* 295.b

Sedes aliqua Episcopalis, esse potest simul Metropolitana & Primas. 575.b. *habet à Sede Romanâ vt sit Patriarchalis, vel prima vel secunda in gradu dignitatis.* 576.a. *Sedes Episcopales primariæ tres sunt.* 176.b. *Sedium Episcopalium Hispaniæ diuisio facta est sub Rege VVambane.* 351.b.357.b. & seqq. *Sedes Constantinopolitana ideò est Patriarchalis, quia sic à Romano Pontifice est statutum.* 576.a

Seditio Ticinensis & cædes tempore Regis Arnulfi. 19.b

Segobia à Mauris excisa est. 379.b

Segueda duplex est, altera in Bellitanis, altera in Areuacis. 470.a

Sepulchra olim rosis & floribus coronabantur. 362.b. *etiam à Christianis.* ibid.

Sepultura priscorum Christianorum extra vrbem erat. 498.a. *quis locus dictus Sepultura Sanctorum.* ibid.

Sereniſſimus *titulus Regum est, aut Regio sanguine ortorum.* 426.a

S. Serena vxor Diocletiani Imperatoris fuit filia Serenæ vxoris Philippi Imperatoris. 488.a. *eius sancta stirps & cognatio.* ibid. *hæc, vti & Serenus Martyr, fuit ex genere Q. Sereni Medici.* 488.a

L. Serenus Monachus & Martyr in Hispaniâ. ibid.

P. Serenus Martyr in Africâ sub Diocletiano. ibid.

Q. Serenus Samonicus fuit Hispanus, natus in Gallæciâ. 487.b. *fuit iunioris Gordiani præceptor.* ibid. *fuit Medicus celeberrimus.* 488.a. *mortuus est Samone in patriâ.* ibid. *eius sancta posteritas.* ibid.

Sergij Papæ elogium. 261.b. *electio, gesta, statuta, ordinationes.* 262.a

Sergij II. electio & ordinationes. 270.b. & seqq.

Sergius Diaconus fit Antipapa contra Formosum verum Pontificem. 17.b. *hoc defuncto, vi fit Papa.* 18.a. *huius in illum defunctum immanitas.* ibid.

Seruitutem qualem Christo tribuerit Felix Vrgelitanus. 521.a.b

Seruorum Christianorum facies cur non deformaretur. 364.b

Seruus Dei Archidiaconus Toletanus fit Episcopus ibidem: quid scripserit. 435. b. 436.a. *moritur.* 436.b

Seuerianus duxit Theodoram Ceruelam: eorum proles omnes fuere celebres. 498. b. 499. b. *cum vxore & filiis exulat.* 499.b. *idque Hispali, vbi moritur.* ibid. *habitauit Carthagine Spartariâ, cuius Dux fuit.* ibid.

Seuerini Pontificis elogium, ordinatio. 258.a

Seuerinus Euphrada fuit vnus ex Legatis Concilij Sardicensis. 487.a

S. Seuerinus quando Hispali mortuus sit. 488.b

Seuerus fuit Metropolitanus Cordubensis ante Osium. 561.b *quâ de re consuluerit Pontificem Dionysium.* 562.a

Sigebertus Abbas Fuldensis, cùm in Hispaniam venisset, eligitur Archiepiscopus Bracharensis. 588.a

S. Sigismundi Burgundiæ Regis & Martyris corpus Barcinonem allatum. 471.a

Silo Rex Hispaniæ quando mortuus sit. 410.b. *eius sepultura.* 412.a

S. Siluerij Papæ elogium, ordinationes, electio violenta, gesta. 246.b.247.a. *Imperatricis Theodoræ pro hæretico Anthimo restituendo intercedentis minas contemnens, in Pontum relegatus, ærumnis confectus obiit.* 247.a.b

S. Siluestri Pontificis elogium, ordinationes, decreta: Synodo coactâ Romæ hæreticos damnauit. 200.b. & seqq. *Romæ Concilium celebrat, quid in eo definitum & statutum.* 570.a

Simeon ex Monacho fit Rex Bulgarorum: duos genuit filios. 59.b. *vnus filius ducit neptem Romani Imperatoris Const.* 61.a

Simonia est per pecuniam ordinari. 269.b. *vetatur ab Hormisdâ Pontifice.* 242.b. *viguit in Ecclesiâ passim tempore Sergij II. Pontificis.* 271.a

S. Simplicij Papæ ordinationes & constitutiones. 229.b

Sindon fuit vestis viris & feminis communis: sed diuerso modo eâ vtebantur: qualis ea esset. 445.a.b. *erat vel linea vel byssina.* 446.a.447.a

S. Siricij Papæ elogium, ordinationes, statuta. 209.b.& seqq.

Sisebertus fit Episcopus Toletanus post Iulianum. 372.b. *eius elogium & vitia.* ibid. *studet nouis rebus.* ibid. & 374.a. *vult insidere cathedræ cui S. Leocadia insederat.* 374.a. *pellitur Sede suâ, & ad Monasterium suum se recipit.* ibid. 375.a. *ab exilio reuocatur; verè pœnitet: cumque Toletana Sedes ei offerretur, eam ex humilitate recusauit.* 495.b

Sisebutus Rex VVisegothorum Regnum capessit. 300.a. *restituit S. Isidorum Sedi suæ.* 301.b

Sisenandus Rex VVisegothorum moritur. 313.b.314.b

S. Sixti Pontificis elogium, decreta, ordinationes. 179.a.b. *interest Concilio Toletano vt Legatus Papæ; & deinde fit Papa: monet Osciæ parentes S. Laurentij, vt filio futuro Martyri templum struant.* 498.a. *quæritur, an in Hispaniam venerit.* 557.b. *duxit secum inde sanctos Vincentium & Laurentium.* 558.a. *multum proinde Hispania ei debet.* ibid.

S. Sixti II. elogium, ordinationes, decreta. 192.a.b. *item III. qui iniquè accusatus ab Imperatore absoluitur.* 221.b

Societas inter Ecclesiam Toletanam & Mediolanensem iam inde à temporibus Apostolorum fuit. 486.b

Solium Imperatoris Constantinopolitani mirabile. 108.a

S. Soteris Papæ elogium, statuta, ordinationes. 181.b

Spelunca Herculis iuxta Toletum: in eâ docuerunt dæmones magiam. 411.b

Σφραγὶς *signum erat aut nota amoris vel memoriæ causâ impressa, quod fiebat annulo; vel religionis, quod ferro fiebat ignito.* 591.a

S. Stephani Pontificis elogium, ordinationes, decreta varia. 190.a.b

Stephani III. electio. 265.b. *eius ordinationes, & miraculosa sanatio.* 266.a

Stephani IV. electio. 266.b. & seqq. *eius ordinationes.* 267.b

Stephani V. elogium & ordinationes. 268.b

Stephani VI. gesta. 283.b

Stephanus & Constantinus Romani Imperatoris Constantinopolitani filij nouæ aduersus patrem molientes, eum Imperio deiiciunt. 98.b. *sed Constantinum sororium eiicere conati, ab hoc capiuntur.* 99.a.b. *& in Monasterium apud patrem truduntur.* 100.a

Stigma priscorum Christianorum & militum quale esset. 591.a.b.592.a

Subdiaconi olim septem erant Romæ & Toleti. 553.a

Sucro fluuius Hispaniæ vbi nascatur: eius cursus. 470.a

Suineredus fit Episcopus Toletanus, viuente adhuc Syndredo. 386.a. *quis fuerit, & quamdiu sederit.* 401.b

Suintila Rex VVisegothorum eligitur. 303.b

S. Sunderoldus ex Monacho Fuldensi fit Archiepiscopus Moguntinus. 588.a. *à Normannis interfectus, Martyr effectus est.* ibid.

Symbolum S. Athanasij ab Ecclesiâ publicè receptum. 496.b. *ei in Synodo Cordubensi addita est particula* qui à Patre

Patre Filioque procedit; *quam & Ecclesia vniuersalis approbauit.* ibid.
S. Symmachi Papæ elogium, ordinationes, electio. 238.b. *conuocat Romæ duas Synodos.* 239 a.b. *eius decreta.* ibid.b. & seqq.
Symmachus Præfectus Vrbis scripsit multas epistolas ad Flauianum Præfectum Prætorio. 491.b. *misit huic Panegyricum à se in Theodosij Imperatoris laudem scriptum.* ibid. *scripsit & Panegyrici huius defensionem.* ibid.
S. Syncletice fuit speculum sanctarum Virginum Religiosarum. 511.b
Synderedus Archidiaconus Toletanus succedit Gunderico in Archiepiscopatu Toletano. 384.b. *confirmat huius acta.* ibid. *in quo peccarit.* 385.a.b. *Romam petit expostulaturus de Oppane in Sedem suam intruso.* 386.a. *an sub illo occupatum sit Toletum à Mauris.* 393.a. *moritur Romæ.* 397.b. *Romæ agens liberè Episcopatum suum resignauit.* 400.a
Synodus non cogenda sine auctoritate Pontificis Romani. 198.a
Synodus Aquisgranensis quid statuerit. 414.b
Synodus Arelatensis celebrata, Osio Cordubensi & duobus Presbyteris à B. Syluestro missis ei præsidentibus. 486.b
Synodus Augustana à S. Bonifacio collecta. 399.b
Synodus I. Bracharensis sub Rege Richilane. 462.a
Synodus Britannica de ratione celebrandi Paschatis. 341.b
Synodus Cæsaraugustana habita à viginti-quinque Episcopis, vulgò est dicta Augustana. 440.b.449.a
Synodus Cordubensis ab Osio indicitur ad caussam S. Athanasij examinandam; hæc addidit in Symbolo eiusdem, in articulo Spiritus sancti, qui à Patre Filioque procedit. 496.b
Synodus Hispalensis contra Monothelitas coacta. 322.b
Synodus Londinensis, & Constantinopolitana, & Romana pro defensione sanctarum imaginum habitæ sunt. 392.b.394.a.399.a
Synodus Nicæna II. indicta pro defensione sanctarum imaginum contra Iconomachos. 371.b.412.b.413.a
Synodus Romæ cogitur coram Imperatore Othone; & qui Episcopi ei interfuerint. 115.a.b. *quid in eâ actum sit contra Ioannem Pontificem.* 116.a.& seqq.
Synodi Romanæ sub Leone IV. Pontifice coactæ varia statuta. 272.a.& seqq.
Synodus Salisburgensis quando habita. 415.a
Synodi Toletanæ pleræque sunt habitæ in templis S. Leocadiæ. 337.b. *& iuxta domum Regiam.* 339.b. *Synodus Toletana contra Monothelitas congregata, intercidit.* 323. b. *Synodus Toletana à Cixillâ Episcopo collecta contra errores Egilanis Episcopi Illiberitani.* 409 a.b. *alia sub Elipando Episcopo, in quo is errorem reuocauit de adoptione Christi.* 414.a. *Synodus Toletana I. sub Episcopo Tamerino.* 462.a. *Synodus II. Toletana sub Iuliano Archiepiscopo ærâ* D.LXXVIII. *eius Canones.* 473.b. & seqq. *Synodus IV. Toletana habita sub Rege Sisenando, & S. Iusto Episcopo Toletano.* 311.a. 313.a. b. *Synodus V. habita sub Rege Chintillane, eius anno primo.* 315. a.b. 498. b. *item VI. sub eodem.* 317.a.b. *VII. sub Cindasuintho.* 320.a. 321.a.b. *& VIII. sub Recesuintho.* 324.a. 378. a. *Synodus IX. sub Eugenio III. Episcopo, & Rege eodem Recesuintho: quæ in eâ sint decreta.* 328.b. *item X. in eâ decreta celebritas Incarnationis, proponente S. Ildefonso.* 329.a. *Synodus XI. aliis XII. sub Rege VVambane, ærâ* DCC.XIII. *quam ea fuerit celebris.* 351.b.352.a.500.b.508.b. 509.a. *aliquot eiusdem Canones.* 505.a. *qui Episcopi ei subscripserint.* ibid. & seqq. *& quot.* 509.a. *est ea collecta Præside Quirico Archiepiscopo Toletano.* 350.b. *quando habita.* 358.a. *item XII. sub Iuliano Episcopo.* 366.a.b. *& XIII.* ibid.b. *& XIV.* ibid. *huius acta Romæ à Benedicto Papâ approbantur.* 367.a.b. *XV. habetur anno primo Regis Egicanis.* 368.a. *& XVI. anno eius sexto.* 375.a. *& anno sequenti XVII.* 376.a. *XVIII. sub VVitizâ.* 382.b.& seqq.
Synodus Tyria pro defensione sanctarum imaginum indicitur. 399.a.
Synodus Valentina, eiusque decreta. 476.a.b
Synodus Vallensis in prouinciâ Tarraconensi, habita sub Rege Gotthorum Theudio. 473.a
Synonymorum liber à S. Ildefonso compositus, alius est ab eo quem contra hæreticos scripsit. 336.b. *ille verè S. Ildefonsi esse asseritur.* 348.b
Syntyche laborauit Philippis multùm in Euangelio. 578.b
S. Syri Reliquiæ requiescunt Papiæ. 51.b. *eius de Papiâ vaticinium: item de Aquileiæ casu.* ibid.

Tader

T.

Tader fluuius cur dicatur Theodorus. 512.a.
Tader quænam sit ciuitas. 404.a. *an eadem quæ Secura.* ibid & seqq. *vnde dicta.* ibid.b. *varia eius nomina.* 405.a
Taio, Episcopus Cæsaraugustanus factus est post Braulionem: idque Româ, quò missus fuerat, reuersus, defuncto iam Braulione. 321.a.b. *fuit vir suo tempore illustris.* 332 b. *quo anno obierit: eius epitaphium.* ibid. & seqq. *missus fuit Romam pro adferendis Moralibus S. Gregorij.* 333.a.b. *& tunc tantùm Presbyter erat.* 321. a.b. *scripsit carmen sepulchrale Honorato Episcopo Hispalensi.* ibid.b
Tamarici fontes describuntur. 463.a
Tarraconensi Archiepiscopo qui subsint Episcopi. 503.a
S. Telesphori Papæ elogium, decreta varia, ordinationes. 179.b.& seqq. *quid statuerit circa ritus Ecclesiasticos.* 548.b. & seqq.
Templa primitiuæ Ecclesiæ non erant sumptuosa, sed nonnisi oratoria & paruæ ædiculæ. 496.a.b. *Templum S. Iustæ Toleti fuit primarium sub persecutione Maurorum.* 439.b. *Templum B. Virginis Assumptæ Toletanum dirutum in persecutione Imperatoris Maximini.* 460.b. *sed sub Constantino est restitutum.* 461.a. *hoc vocatur à S. Ildefonso Terribile, propter eiusdem Virginis ad illud descensum.* 495.b
Tertius scriba S. Pauli, Mediæ Episcopus, passus est Iconij. 498.a
S. Theclæ Reliquiæ Angelo duce in arcâ delatæ sunt Tarraconem. 469.a.b
Theobaldus Marchio Camerinorum Græcos iuxta Beneuentum profligat, captos castrat. 72.b. *eius mors.* 90.b
Theodemirus Episcopus Calagurritanus scripsit contra Claudium Taurinensem. 425 b
Theodiscius Archiepiscopus Hispalensis opera quædam medica, à S. Isidoro Hispalensi composita, Auicennæ tradidit, eius nomine euulganda, in gratiarum actionem. 378.a.b
Theodora Ceruella fuit vxor Seueriani Ducis. 498.b.499.b. *eius illustres proles.* ibid. *moritur in exilio.* 499.b
Theodoræ meretricis impotens dominatio Romæ. 40.b. *fecit vt Ioannes Bononiensis Episcopus, fieret Rauennas.* 41.a
Theodorici Regis Arriani iniuria in Ioannem Pontificem, & interitus. 244.a
Theodoricus Rex Mediomatricum sponsam suam patri remittit intactam cum muneribus. 297.b
Theodoricus Rex Ostrogotthorum rexit Hispaniam pro nepote suo Amalarico: eius vxor fuit Santina. 498.b.499.a. *hæc moritur, illo in Hispaniam veniente.* 499.a
Theodori Pontificis elogium, ordinationes. 258.a. *ipse eligitur post Ioannem IV.* 319.a
Theodorus Archiepiscopus Cantuariensis floret. 341.b
Theodulus Cæsareæ Palæstinæ fidem docens, martyrio afficitur. 497.a
Theogenes Martyr cum suis passus Laodiceæ. 482.a
Theotgaudus Episcopus Treuerensis quare à Nicolao Pontifice depositus. 278.b
Theristrum erat vestis æstiua mulierum. 56.a. *& capitis velamentum.* 447.a.b. *erat ea pellucida.* ibid.b.& seqq. *per quod nudum corpus spectabatur.* 448.a. *duplex erat eius vsus, induendi & insternendi.* ibid.b
S. Thyestes Episcopus Bergarensis colitur Murciæ. 460.b
S. Thyrsus Toletanus ciuis, passus est Apolloniæ in Græciâ. 353.b.552.a. *huic Toleti templum extruit Cixillæ Episcopus.* 407.b.409.a
Tigris fluuius montes Gordiæos præterlabitur in Armeniâ. 497.b
Toletani sunt ad virtutes propensi. 579.a. *conuictu Arabum paulatim à pristinâ sanctitate & fide delapsi sunt.* 400.b. *premuntur grauissimè ab iisdem.* 412.b. 413.a. *hinc in Galliam migrant.* 415.b. *in fide à S. Iuliano, illuc à S. Clemente Papâ misso, acceptâ vacillantes, illo per martyrium sublato, à S. Eugenio sunt vlteriùs instructi, & sacrorum ritus edocti.* 546.b. *semper in fide Christianâ fuere constantes.* 553.b. *Philippo patri & filio Imperatoribus statuam equestrem erexerunt, & quare.* 552.a. *semper habuerunt Episcopos, etiam regnantibus & prementibus Mauris.* 438.b.439.a.b *Toletana fuit vxor Caroli Magni.* 408.a
Toletana lingua omnium est elegantissima: vti & Toletani linguæ priscæ Hispanicæ peritissimi. 373.b
Toletanæ Ecclesiæ dignitas. 343.a. *eius prærogatiuæ.* 572 b.573.a. *est simul Metropolitana & Primas.* 575.b. *est omnium Hispaniensium Ecclesiarũ prima.* 376.a.b.

quæ

quæ ei Ecclesiæ sint subiectæ. 502.b. *& singularum termini.* ibid. *fuit à S. Petro constituta Primaria totius Hispaniæ.* 577.a. *non cedit dignitate Alexandrinæ.* ibid *semper habuit Præsules doctissimos.* 436.a. *est verè Patriarchalis, orta ab Apostolis, meritò proinde dicenda Apostolica.* 542. b. *numquam aut ipsa aut eius Episcopi à fide defecerunt.* 543.b & seqq. *cur ipsa in Primatialem erecta.* 548.a. *fuit inter primas reparatas post persecutionem cessantem in Hispaniâ.* 565.a. *ipsa pristinæ dignitati restituitur.* 296.a. *ipsa & Mediolanensis magnam iam inde à temporibus Apostolorum habuerunt societatem.* 486. b

Toletanæ Sedis Primatus astruitur, & diluuntur quæ afferuntur in contrarium. 528.b.571.b &seqq.572.b.573.a.b.574. a.b.575.a.b. *quando hic primum cœperit: institutus est à S. Petro.* 576.a. *ereptus aliquando, eidem à Cindasuintho reasseritur.* 484.b. *declaratur in Concilio Nicæno.* 486.b

quis fuerit primus Episcopus Toletanus. 575.a. *Toletanorum Episcoporum erga Romanam Sedem obseruantia.* 409.b. *hi fuerunt semper colentissimi sententiæ Romanorum Pontificum.* 429.a.b. *etiam in mediâ captiuitate sunt habiti pro Primatibus.* 450.b. 455.a. *olim soli habebant ius pallij in totâ Hispaniâ.* 450.b. 454.b. *eorum memoria conseruata est in Diptychâ.* 535.a.b. *cuius hæc sit auctoritatis.* 540.a.b. *an non sit mixta, & nonnisi Episcoporum Toletanorum.* ibid. *hi eo ipso erant Legati Apostolici.* 580.a

Toletum erat ciuitas Regia. 298.b.& seqq. *quando ab Alfonso VI. expugnatum sit contra Mauros.* 327.a.b. *ibi tres fuerunt Ecclesiæ dedicatæ S. Leocadiæ, & cui memoriæ singulæ.* 337. a.b. 338.a.b. 339.b. *ipsum fabricis exornatur à Rege VVambâ.* 351.a.352.b.& seqq. *à Saracenis occupatur, & quâ conditione, & quo anno.* 397.a. *eodem die est posteà à Rege Alfonso VI. recuperatum, quo à Saracenis occupatum.* ibid. *eius maiestas & sanctitas sub Saracenis fuit imminuta.* 400.b. *fuit ibi olim litteratis Academia erecta: fuitque ea omnium artium cultrix & alumna.* 422.b. *olim tempore Romanorum etiam fuit celebris vrbs.* 571.b. 572.b. 573.b. *eius salubritas & situs.* 572.b.574.a. *ipsa subiecta fuit Carthagini in iurisdictione sæculari, at præfuit ei in spirituali.* 575.a. *est centrum & vmbilicus totius Hispaniæ.* 579.a. *ibi S. Iacobum prædicasse, & Episcopum præfecisse, verisimile est.* ibid. *illi fides est annuntiata, etiam ante S. Marcelli Eugenij aduentum.* 580.b. 586.b. *qui eius primi Episcopi.* 580 a 585.b

Tonantius Episcopus Palentinus moritur. 309.a.b

S. Torquatus S. Iacobi discipulus pertransiit flumen rupto ponte. 499.a

Tractemundus Episcopus Illiberitanus, dirè à Saracenis est habitus. 293.b

Tubal Caini filius Hispaniam primùm incoluit, & linguam habuit priuatam. 373.a

Tudensis Ecclesia quas alias sub se habeat. 502.b

Tulga Rex VVisegotthorum succedit Cintillæ. 317. b. *consecratur per Eugenium II. Episcopum Toletanum.* 318.a. *eius elogium & mors.* ibid. *eius epitaphium.* ibid.b

Turbulani ergà S. Victoriam Martyrem benè sunt affecti. 478.a

Turdetani olim omnium Hispanorum doctissimi habiti sunt. 423.a.b

Turibius Episcopus Tudensis quando mortuus sit. 462.a

Turpinus an scripserit Vitam Caroli Magni Imperatoris. 413.a

V.

VAlderedus Monachus Benedictinus fit Episcopus Cæsaraugustanus. 488.b

Valentinum Concilium quando coactum. 476.a.& seqq.

Valentini Papæ elogium. 270.a

S. Valentini Episcopi & Martyris Interamnensis Reliquiæ Maurefam delatæ sunt. 471.a

Varada opidum antiquum est Carpetaniæ. 462.b

Vectica Sedes Bracharensi subdita est: dicta quoque est Betonica & Beseana. 473.a

Venantius Monachus floruit sub Rege Egilâ. 403.b

Venus Murcia quæ sit, & vnde dicta sit. 305.a.b

Vera Episcopus Tarraconensis quando obierit. 511.a

S. Veranus Episcopus Taraconensis exulat Aureliæ opido Carpetaniæ: eius elogium. 401.b. *exulans à Toletanis ciuibus sustentatus est.* 402.a. *Sancti Verani fuere & alij variis in locis.* ibid.

Verecundus Archipresbyter Toletanus vir sanctus fit Episcopus Africanus. 315.a. 316.a. *moritur.* 320.b. *fuit etiam Poëta.* ibid.

Verecundus, Diaconus S. Eugenij Episcopi Toletani, moritur. 320.b

S. Verecundus Episcopus Veronensis, alius est à Verecundis Hispanis. 321.a

Vernula idem aliquando sonat quod naturalis. 353.b

Veronæ descriptio: eam pertransit Athesis fluuius. 37.b

Vesensis Episcopus quos sub se habeat Episcopos. 502.a

Vestimenta nimis tenuia fugillantur, vtpote lenocinium libidinis. 447.b.448.a.b

S. Victoris Papæ elogium, statuta, ordinationes. 182.b.& seqq.

S. Victoria virgo & Martyr passa est in ciuitate Turbulâ, & ibi aliàs culta. 477. b. 478.a. *cur vocetur Augustissima.* 478.b

Victoria ciuitas constructa fuit à Rege Suintilane in honorem S. Victoriæ Martyris Turbulanæ. 478.a

Vigily Papæ elogium, ordinationes, electio. 248.a. *iniqua Imperatricis Theodoræ postulata implere detrectans, indigna patitur: sed posteà Ecclesiæ suæ restitutus est.* ibid. *eius decreta.* ibid.b

S. Vildefius Episcopus Octogesanus miraculis post mortem claret. 472.a

Villa ciuitas Episcopalis Emeritensi subiecta est. 479.a

Villula opidum erectum à Quirico Toletano in Sedem Episcopalem. 479.a

S. Vincentij Martyris Aginnensis corpus Valentiam affertur. 301.a

S. Vincentius Oscensis decennis à S. Sixto Pontifice fuit Romam ex Hispaniâ abductus, sed passus quinquagenarius. 558.a

Vincentius Carthaginis Spartariæ Episcopus floret. 301.a

Vissitanus sit Episcopus Toletanus. 440.a. *eius elogium.* 484.a

Vita hominis militia est. 294.b. *nemini licet eam ponere cùm lubet.* 295.a

S. Vitaliani Papæ elogium, ordinationes, gesta, scripta. 259.a. *inquirit de cælesti veste datâ S. Ildefonso à B. Virgine.* 495.b.496.a

S. Vitalis Martyr Capuanus habuit duos filios Martyres Compluti Iustum & Pastorem. 461.b. *fuit item pater S. Natalis Episcopi Toletani, sed ex aliâ vxore.* 461.b 486.b

Vitalis frater S. Marcelli Eugenij, & Archidiaconus, mittitur ad Christianos relegatos in insulam consolandos. 585.b. *patitur cum Feliculâ Diaconissâ martyrium Romæ.* ibid.

Vngi solebant solemniter VVisegotthi Reges. 298.b. & seqq.

Votum paupertatis erat olim in vsu. 550 b

S. Vrbani Papæ elogium, statuta, ordinationes. 184.b. *eius epistola encyclica de victu & vestitu Clericorum.* 549.b

Vrbanus Præfectus Carpetaniæ, ad quem scribit S. Dionysius Pontifex. 561.a

Vrbanus Episcopus Toletanus, vide *Iulianus. an sit recensendus inter Episcopos Toletanos.* 400.a. *fuit electus, Synderedo vel mortuo Romæ, vel resignante Episcopatum.* ibid. *eius elogium.* ibid. b. & seqq.

S. Vrbicius Monachus Benedictinus floret in Hispaniâ. 407.b. *eius elogium.* 409.a

S. Vrbicius alius Reliquias SS. Martyrum Iusti & Pastoris ex Campo laudabili Complutum transfert, inde alio transferuntur. 403.b

Vrci Sedes Episcopalis quos habuerit terminos. 511.b

Uticensis Sedes quos habeat subiectos Episcopos. 502.a

VValbertus iudex Papiensis mirè erat potens, & vnde. 61.b. *ab Hugone Rege capite plecti iubetur.* 63.b

VValbertus Episcopus Mediolanensis conuenit Othonem Imperatorem. 111.b

S. VValderedus Episcopus Cæsaraugustanus quoanno obierit. 480.a

VValdonis Episcopi Capuani iniquitas. 103.b

VValfridus Strabo errauit circa cultum sanctarum imaginum. 428.a

VVamba Rex Hispaniæ mortuo Recesuintho coronatur per Quiricum Tol. Archiepiscopum. 380.a. *collegit Toleti Synodum.* ibid.b. *eius gesta & fabricæ.* 351.a.352. b. 357.a. *nouos Episcopatus constituit ex leuitate.* 352.b. 359.a. *fit Monachus.* 359.b. 360.b. 361.a. *eius elogium.* 360.b. *eius epitaphium.* ibid. *vbi sepultus.* 361. a. *quid proposuerit in Concilio Toletano: iussit inquiri in terminos veteres cuiusq; Diœcesis Hispanæ, & cuique debitum limitem curat restitui.* 500.b. & seqq. 504.b.509.a.b. *quamdiu vixerit.* 509.a

VVibertus benè consulit Anscario bello petito à Rege Hugone. 91.a. *vulneratur in prælio contra Sarlionem.* 92.a. *& moritur.* ibid.

VVictericus Rex Hispaniæ Romanos profligat. 298.a

VVido Episcopus Mutinensis, Hugone Rege deserto, Berengarij partes fouet. 102.a
VVido Marchio Tusciæ ducit Marozziam sortum Romanum. 55.a. *hi per milites Ioannem Papam custodiæ tradunt.* 64.a. *moritur VVido.* ibid.
VVido Rex, alio nomine dictus Hugo, & Berengarius inter se fœdus ineunt, & quale. 13.b. *Romæ in Regem Franciæ vngitur; sed Franci eum reiiciunt.* 14.a.b *& quare.* ibid.b. *contra fœdus Berengario bellum infert.* ibid.b. *& eum in fugam agit.* 15.a. *sed mox ab hoc copijs Arnulfi Regis subsulto, fugatur.* 16.b. *vxoris ipsius, Firmi ab Arnulfo obsessæ, astus.* 19.a. *moritur ipse VVido ad Tarum fluuium.* 20.b
VVilla vxor, & alia filia, Bosonis Marchionis Tusciæ. 72.b. *prior maritum instigat ad res nouas.* 74.a. *eius cupiditas: marito ab Hugone Rege capto, eius pretiosum balteum abscondit.* ibid. *expellitur in Burgundiam.* ibid. 75.a
VVillæ neptis Regis Hugonis nubit Berengario Marchioni Eporegiensi. 72.b. 74.a. *prægnans nihilominùs per montes auios in Germaniam peruenit.* 93.b. *arguitur incesti.* 104 b. *eius detecta calliditas.* 105.a
VVistremirus in Episcopum Toletanum eligitur ex Archipresbytero: eius elogium. 421.b. 422.a.b. *scripsit pro cultu SS. imaginum.* 425.b. 427.a. 429.a. *iubet redigi in ordinem Samuelem Episcopum Illiberitanum.* 430.b. *in pace moritur.* ibid. & 431.a. *an sit auctor Indiculi luminosi.* 433.b
VVitiza fuit primò Rex Gallæciæ. 376.b. *deinde fit totius Hispaniæ.* 382.a.b. *Felice Archiepiscopo Toletano mortuo prauam prodidit indolem.* 381.a. *coronatur, mortuo patre Egicane.* 382.a.b. *legem improbam tulit, vt Clerici & laici tot vxores ducerent, quot possent alere.* 383.a.b. 387.a. *ciuitates Hispaniæ muris iubet denudari, præter tres.* 384.b. *monetur à Papâ Constantino de impiâ lege quam tulerat de ducendis vxoribus per sacerdotes, abrogandâ.* ibid. *minatur Romanis propterea excidium.* 385.b. *moritur.* ibid. & seqq. *idque Cordubæ.* 386.a.b. *& quo anno.* ibid.b. *eius nefaria libido.* 387.a.b. *interfuit Concilio nationali.* 480.a
Vxorem non habuit Apostolus Paulus. 578.b. *vxor VVidonis potione soporiferâ Arnulfum Regem potat.* 191.a

X.

Xantippe vxor sancti Probi Hispana sancto fine quieuit. 583.b

Z.

Zachariæ Pontificis Romani elogium, ordinationes, statuta. 264 b. & seqq.
Zenas Hispanus functus officio est Catechistæ, licet esset coniugatus. 488.a. *patitur in Africâ sub Diocletiano.* ibid.
S. Zephyrini Papæ elogium, decreta, ordinationes. 183.a
Zosimi Papæ elogium, ordinationes, statuta. 218.b
Zuleiman Saracenus Rex Toleti, fit etiam Cordubæ: fuit filius Abderamanis. 413.a.b
Zuuendebaldus ab Arnulfo Rege per Hungaros ditione exuitur. 12.b

TYPOGRAPHVS LECTORI.

BInas Notas, vnam ad CHRONICON LVITPRANDI, alteram ad EPISTOLAS PRAESVLVM, à IVLIANO Archipresbytero S. IVSTAE collectas; Scholiisque illustratas, seriùs à Perillustri Viro D. LAVRENTIO RAMIREZ DE PRADO accepi, quàm vt suo ordine & loco reponi potuerint. Itaque, ne earum vsumfructum amittas Lector, sub finem Indicis Rerum haud incommodè appono:

PAg. 450. *num.* 366. Multas habent Diptychas Ecclesiæ Hispanorum.] *Sequioris ævi Auctores* Diptychas, *non* Diptycha *dixêre, Latinam terminationem agnoscentes. Sic noster Luitprandus hîc, & Iulianus in principio Chronici, & num.* 1. 2. 3. *&* 4. *Glossarium Camberonense M. S. agens de profanis Diptychis:* Diptychæ dicuntur Tabellæ, quibus corruptores puellis suis inscribunt amorem. *Papias item Vocabularista*, Diptychæ, *ait*, Tabellæ, quibus corruptores amorem suum inscribunt puellis. *Quorum testimonia recenset P. Ioannes de la Cerda in Aduersariis sacris cap.* 148. *num.* 6. *& Rosweydus in Onomastico posito ad calcem Operis de Vitis Patrum.* D.L.

Pag. 515. EPISTOLÆ PRÆSVLVM.] *Has Epistolas se collegisse ait, & Fuldam misisse, Iulianus in Præfatione ad Carminum collectionem, quam edi curaui in ipsius Operum fine. pag.* 143. Placuit mihi nonnullas Epistolas *(hæc sunt eius verba)* hîc adnectere, & Carmina coniungere, quas cum magno labore collegi, & Fuldam misi; quas ex libro membranaceo, litteris Gorticis scripto, exscripsi. qui liber adseruatur in Bibliothecâ S. Iustæ huius ciuitatis. Sed primò subiiciam Carmina, deinde Epistolas.

At verò Iuliani ad Præsulum Epistolas SCHOLIA, *post editionem Parisiensem* CHRONICI & ADVERSARIORVM *eius, primùm nactus sum, manu P. Hieronymi de la Higuera ex archetypo descripta, vti ipsum* CHRONICVM, & ADVERSARIA, *Notis, eruditionis & historicæ cognitionis plenis, illustrata. Quæ omnia (faxit Deus) videbunt lucem, ni districtus publicis occupationibus, muneri, non otio inseruiam litterario.*

APPROBATIO.

IVBENTE Supremo Hiſpaniarum Regio Senatu, accuratè vidi Res ab Imperatoribus per orbem geſtas, Pontificum Vitas, duas inſuper Legationes iampridem editas, Chronicon & Aduerſaria Luitprandi, Præſulum Epiſtolas à Iuliano collectas, & Diptychon Toletanorum Antiſtitum: quæ cùm numquam hactenus publicæ luci commiſſa fuiſſent, vbi primùm D.D. Laurentius Ramirez de Prado, ex Equeſtri Militiâ ſancti Iacobi, & Supremo Indiarum Conſeſſu, eorum authentica tranſſumpta conſecutus fuit; non eſt paſſus, haud dicam, in obliuionem ire ne quis ſciret; ſed ne diutiùs quidem ferre potuit vt in obſcuritate verſarentur. Glorioſo fœnore & incremento prædicta monumenta euulgat, addendo illuſtrationes, adnotationes, & alia eruditæ integritatis oracula. Sic fit vt ſacra arcanaque antiquæ Hiſpaniæ, imò & totius Eccleſiæ myſteria; & laborioſa priorum ſæculorum hiſtorica monumenta, hactenus in pluribus densâ caligine circumfuſa, nunc denuò colluceant, & vibrent, & traiectis quaſi in aduerſam nubem radijs ſplendeſcant. Quidquid in hac re D.D. Laurentius præſtitit, fecit ex more optimo, nobili & ingenuo, ſolùm vt quàm maximè prodeſſet pluribus. Idcircò quæ Scholia pro Luitprando & Iuliano excogitarunt alij, laudatis & expreſſis eorum nominibus ſpectanda offert. Publicas dat proprias & alienas operas cùm facit ſuas, & noſtras reddit quando communes facit. Iam olim Luitprandus & Iulianus magni fuere; at ex his Commentarijs id habent vt maiores exiſtimentur. Referendæ gratiæ Auctori, quia inter tot adminiſtrationis publicæ molimina in hoc furtiuis horis ſe recondidit, in hoc ſe negotiorum multitudini parumper ſubduxit, in hoc elaborauit, in hoc ſcripſit vigil & inſomnis, vt antiquorum Hiſpaniæ Regum, Pontificum, Conciliorum & factorum illuſtrium quaſi ſepultam mortalitatem hac publicâ luce ad immortalitatem traduceret. Famam immortalem ſola immortalitas facit, quam nec arcus triumphales, nec cruſtæ marmorum inuehunt, ſed litteraria monumenta, quæ ætas omnis ipsâ ætate confirmat. Vberem hanc & fecundam immortalitatis ſeu æternitatis lucem prioribus ſæculis hæc ſcripta largiuntur; propterea decet & expedit, vt, veluti fontes publici, typis mandata proſtent vniuerſis. In Collegio Imperiali Matritenſi Societatis IESV, die XXX. Maij, M. DC. XXXVIII.

Ioannes Baptiſta Poza.

APPRO-

APPROBATIO.

LVITPRANDI Opera omnia, quæ, adiectis Notationibus proprijs, & alienis R.P.Hieronymi de la Higuera Societatis IESV, ſimul edere exoptat ſtudioſiſſimus litterariæ Reipublicæ Dominus D. Laurentius Ramirez de Prado, Eques ſancti Iacobi, & Regius Conſiliarius in Senatu Indico huius Aulæ Philippicæ, magnâ cum voluptate vidi, gratulatus eximio à famâ & à meritis viro, non ſolùm eruditione propriâ, ſed alienâ, de eruditorum natione optimè ſemper mereri; nunc maximè cùm duos eruditiſſimos viros ſuſcitet è rudere & funere, nec ſolùm rediuiuos; ſed ſplendidos luci reſtituat, & promulget; alterum ſenioris; alterum nuperi ſæculi; quorum elucubrationes & gloriam; haud inuidus; nec inglorius, illuſtrat, dum & luci dat, & per ſe dat: nam ſi, vt dixit Plinius, non magis decorum eſt ſtatuam in foro Populi Romani habere, quàm ponere; glorioſius haud dubiè & magis decorum eſt, ab Auguſtâ & Laureatâ manu, quàm à Quirinali locari; & ab eo cuius multæ locatæ. Iam diu in atrio ſuo Minerua tot Ramireſij ſimulacra colit, quot eius monumenta miratur. Idem nunc atrium nobiliſſimis ideis ille locupletat, & ſuas auget imagines, ac poſteritati commendat pariter & conſulit, non tantùm de mortuis; ſed de viuis, & nondum natis meritus. Eis qui erudita aliorum ſcripta in communem vſum & lucem, ſine inuidiâ elaborant & promunt, ita gratulatur Venerabilis Ioannes Gerſon: *Gaudeant qui talentum artis huiuſmodi ſuſceptum non ignauiter infodere, ſed vt lucernam & lucem ſtrenuitate diligenti conantur præſentibus & futuris oſtendere.* & mox: *Tu ſi non potueris amplos librorum manipulos ad aream Eccleſiæ reportare, vel paruulos & paucos, imò, ſi Gregorio credis, vel vnum offerre ſtude; vt in Tabernaculo Domini non vacuus appareas, ſi ſolùm etiam caprarum pilos habueris, vel minuta duo.* Non minuta duo, ſed duo aurea talenta offert D.D.Laurentius; imò tria, cùm aureas ſuas annotationes appendat. Omnia ex auro probato, non adulterino, cùm probata ſint Fidei Orthodoxæ regulis, à quâ nihil alienum reperi. Quapropter luce & laude digniſſimum hunc librum cenſeo. In hoc Imperiali Collegio Societatis IESV, die XXII. Aprilis anni M. DC. XXXVIII.

Ioannes Euſebius Nierembergius
è Societate IESV.

APPROBATIO.

LVITPRANDI Subdiaconi Toletani, Ticinenſis Diaconi, tandem Cremonenſis Epiſcopi Opera, partim aliquot abhinc annis edita, partim nuſquam antehac in lucem emiſſa, *Chronicon* ſcilicet & *Aduerſaria*, P. Hieronymi de la Higuera Societatis IESV Presbyteri, & D. Laurentij Ramirez de Prado Conſiliarij Regij, Notis illuſtrata, vnà cum Præſulum Epiſtolis à IVLIANO Archipresbytero S. IVSTAE collectis, & Diptycho Toletano eiuſdem P. Hieronymi de la Higuera, plurimùm Hiſtoriam ſacram & profanam illuſtrant, ac proinde prælo digniſſima cenſeo.

Gaſpar Eſtrix, Canonicus & Plebanus Antuerpienſis, Librorum Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentiſſimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, ne quis *Luitprandi Opera*, *P. Hieronymi de la Higuera è Societate* IESV, *& D. Laurentij Ramirez de Prado Notis illuſtrata*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſa in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XV. Decembr. M. DC. XXXIX.

Signat.

Steenhuyſe.